Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7 - D - 8

NOTAE
IN EVANGELICAS LECTIONES, QVAE PER TOTVM ANNVM DOMINICIS DIEBVS IN ECCLESIA CATHOLICA RECITANTVR.

OPVS AD PIE MEDITANDVM acſimul ad precandum DEVM *accommodatum, & nunc primum in lucem editum.*

AVTHORE

R. P. PETRO CANISIO SOCIETATIS IESV Doctore Theologo.

Colleg. Rom. Soc. Iesu Catal. Inscr.



Cum peculiari Priuilegio Sac. Caſ. Maieſt. ad decennium.

FRIBVRGI HELVETIORVM.

Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini.

M. D. XCI.

Summa Priuilegij Caſarei.

PRoprio diplomate Dn. RVDOLPHI Secundi Romanorum Imperatoris D. N. clementiſs. cautum ac decretum eſt, vt præter Abrahamum Gemperlinum Friburgi apud Heluetios Typographum, nullus excudat opus R. P. Petri Caniſij è Societate IESV Doctoris Theologi, quod inſcribitur *Notæ in Euangelicas lectiones, quæ tam Dominicis quàm Feſtis diebus alijs in Eccleſia Catholica quotannis recitantur.* Idemque opus ſiue in toto, ſiue in parte, intra decem annorum ſpacium, à primo editionis die computando, ſine dicti Abrahami ac hæredum eius conſenſu nullus aut typis excudere, aut excuſum vendere & diſtrahere poterit in Cæſ. Mai. Regnis, hæreditariis prouinciis, adeoque in vniuerſo Romano Imperio. Si quis autem ſecus fecerit, in pœnam confiſcationis & amiſsionis bonorum incurret, ac aliam ſubibit mulctam in literis priuilegij eiuſdem expreſſam. Datum in Arce Regia Pragæ, die vigeſima quinta menſis Martij, Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo nono. Regnorum noſtrorum, Romani decimo quarto, Hungarici decimo ſeptimo, & Bohemici itidem decimo quarto.

Rudolphus.

Ad mandatum Sac. Cæſ. Maie-
ſtatis proprium.

Iacobus Curtius à Senfftenau.

Io. Baruitius. D.

ADMO-

ADMODVM REVERENDIS ET EXIMIIS VIRIS, DOMINO PETRO SCHNEVLINO, IN SPIRITVALIBVS REVERENDISſimi Epiſcopi Lauſannenſis Vicario, Dominis Erhardo Torino Præpoſito, aliiſque Eccleſiæ Collegiatæ Friburgi Heluetiorum Canonicis, ac reliquo ditionis Friburgenſ. Clero, PETRVS CANISIVS gratiam & pacem ſincerè à IESV CHRISTO precatur.

EVOLVTVM *eſt iam decennium, Viri colendi & Eccleſiaſtica dignitate ſpectabiles, quùm ego primùm in Friburgenſem hãc vrbem non ſponte procurrens, ſed authoritate maiorum impulſus perueni, vt me qualemcunq; ſeu operariũ, ſeu eccleſiaſten in iſta excolenda meſſe præſtarem. Ita enim Deo Opt. Max. cuius eſt propriũ in vineam ſuam operarios deſtinare, placuit, vt ego per legitimum oſtium introductus, extremam ætatis meæ quaſi ſcenam hîc agerem, ac militiam quam vocant emeritam inter Heluetios obtinerem. Neq; verò me piget ac tædet in hoc ipſo agro tamdiu verſari, vbi reipſa comperio, veſtram erga me & inſtitutum hoc noſtrum beneuolentiam eſſe ſingularem, ſimulq; præclara pietatis veſtræ ſtudia, quibus* D E I *ſummi*

verbum & cultum quotidie promouetis, permulti mecum animaduertunt. Unde non poſſum pereni bonorum omnium authori non gratias agere, ſimulq́ gaudere, quòd obedientia duce confiſus, & caritate comite animatus, in hac ætate qualiſcunq́ collega & cooperator hucuſq́ vobiſcum degam, & communem Chriſti Eccleſiæq́ cauſam, qua nihil nobis debet eſſe antiquius, aliqua ex parte veſtro incitatus exemplo confirmem ac proueham. Scio enim probè, qualem quantamq́ prouinciam religionis ergô tot annis ſuſtineatis, & quàm gnauiter pro Catholicæ fidei ſinceræ confeſſione, ſolidaq́ doctrina decertetis, præſertim tot monſtris errorum ac hæreſum vndiq́ graſſantibus, quæ miſerè conuulſum, proh dolor, hunc Epiſcopatum magis magiſq́ dilacerant. Veſtra enim vigilantia, & ſimul incorrupti Senatus noſtri autoritate conſtanti factum eſt, (dicto abſit inuidia) vt multa Catholicorum millia, tanquàm electæ & dilectæ reliquiæ Iſraëlis, hactenus in Friburgenſi ditione conſeruentur, ſuaq́ genua coram Baal & idolis aliis recens erectis non incuruent, ſed potius inſtar ſenioris Tobiæ, Dominum Deum Iſraël in ſancta Hieruſalem veróque eius templo ſincerè quærant, inuocent ac adorent. Quis verò prudens vel ambigat, vel inficietur permagni referre, vt ſanæ & orthodoxæ doctrinæ depoſitum, quod Apoſtolus Paulus Timotheo ſuo commendauit, multis populis inſeruiat, illisq́ integrum cuſtodiatur, & ſemper Apoſtolicus ille obſeruetur canon: Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci: optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, & & non eſcis? Ament interim alij, ſibiqúe ſumant antiqua nomina, & ſpecioſis Paſtorum, Doctorum & Præpoſitorum

titulis glorientur. Vos rectius per Dei gratiam ſapitis, qui vt Chriſti miniſtros, & myſteriorum Dei diſpenſatores reipſa præſtetis, ab omni hæreſi & ſchiſmate alieni, nullis nouæ falſæq; doctrinæ ventis circumacti, in Apoſtolicis Patrumque traditionibus probè fundati perſiſtitis, idipſum omnes dicitis, in eâdem permanetis regula, vnanimes vno ore Deum & Patrem Domini noſtri IESV *Chriſti cum ſubiectis ouibus honorificatis, ſemperque ſolliciti eſtis ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo Catholicæ & Eccleſiaſticæ pacis, quemadmodum iampridem ab electo diuinæ gratiæ vaſe Paulo eſtis edocti. Eapropter quod ille ipſe ſuis tribuit Philippenſibus, id ego vobis veſtrisq; fratribus adſcribere non verebor, bonorũ nempè omnium authorem Deum in vobis collaudans, qui velut in medio nationis prauæ & peruerſæ, non ſecus ac luminaria quædam hucuſque ſplendetis, verbumq; vitæ, quod ſaluat animas, haud ſine multorum profectu, conſolatione, & ſalute firmiter continetis.*

Quæ res mihi ſanè calcar addiderunt, vt meum erga vos animum ac ſtudium hoc aperto ſcripto teſtarer, veſtræque omnium pietati, qui de magno Chriſti grege benè mereri pergitis, ex animo gratularer. Meminiſtis enim procul dubio, quàm diuinum, ſalutare, fructuoſum & neceſſarium ſit iſthuc paſcendi docendique munus, quod illo etiam encomio Daniel Propheta decorauit: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates. Accedit quod officio meo conſentaneum eſſe duxerim, vt quæ per ætatem apud vos viua voce præſtare nequeo, præſenti ſaltem opere

compenſarem, meiq́ deſiderij & communis ſtudij, quod formandi Chriſtiani populi animis debemus, hoc qualecunq́ teſtimonium ac ſpecimen adhiberem. Tractamus ergò Euangelicas Notas in illis fundatas lectionibus, quæ feſtis diebus in Catholicis templis proponi, & ex more tum antiquiſſimo, tū probatiſſimo explanari publicè conſueuerunt. Quod argumentum ſicut à mea profeſſione non videtur alienum, ita vobis Orthodoxæ doctrinæ ſtudioſis gratū, ſimulq́ ad pietatem populo inſtillandam non infrugiferum fore confido. Etenim hæ Notæ, niſi planè fallor, locos & capita ſuggerunt, quæ cùm ſæpè aliâs, tùm diebus maximè Dominicis in mentem reuocari, & hoc quidem peſtilenti tempore ad morbos animorum ſanandos vix vnquàm ſatis inculcari poſſe videntur. Quanquàm non ignoro, multos & præſtantes Theologos reperiri, qui de huiuſcemodi lectionibus Euangelicis multa vtiliter & præclarè ſcripſerint, vt illa non ſolùm à doctoribus ſiue concionatoribus, ſed etiam ab auditoribus Catholicis meritò perlegantur. Nos verò, qui talibus coryphæis ac ducibus libenter cedimus, paulò aliam docendi rationem ſequi, & viam ab aliis nonnihil diſparem ingredi decreuimus. Etenim quod aliis vſitatum eſt, circa ſenſum quem vocant, literalem non hæremus, ſed hiſtoriam Euangelicam verborumq́ contextum anxiè diſcutere vtplurimùm ſuperſedemus. Sat enim habemus, pauca & præcipua doctrinæ ſalutaris capita ex propoſitis Euangeliorum lectionibus excerpere, eaq́ue ad meditandum ſimul & precandum accommodare: vt ſi non doctis, ſaltem bonis & candidis Lectoribus pro noſtra tenuitate conſulamus, neq́ tam ad intellectum illuſtrandum, quàm ad affe-

ctus

ctus religioſe concitandos in medium aliquid adferamus. Siquidem res ipſa loquitur, nimis verā eſſe multorum querelā de ſumma horū exulceratorum tēporum iniquitate, quibus antiqua Orthodoxorum pietas in plurimorū animis vel iacet extincta, vel adeò quidē refrixit, vt ad vigorem priſtini officij vix reſuſcitari poſſe videatur. Multis igitur & ingētibus ſtimulis indigemus, vt cōmunis ille tepor ac torpor, qui noſtros animos iampridē fœdè occupat, ſubinde diſcutiatur, vtq; falſa reiecta ſecuritate, quæ fundi noſtri eſt calamitas, ad diuinum timorem & amorē in noſtris animis renouandū poſtliminio redeamus, nè alioquin in hac velut longa, ſæua & rigēte prorſus hyeme, quæ agrū noſtrum informem ac ſterilē efficit, tam diu hærere ac frigere pergamus. Nimiū eſt ſanè ſtupidus, qui non intelligit, Chriſti vaticinium ad hæc noſtra & poſtrema tempora pertinere. Multi pſeudoprophetæ, inquit, ſurgent, & ſeducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Qui autem perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Nec diſſentit Apoſtolus, cuius quidem ſententiam indies magis ac magis videmus impleri. In nouiſſimis diebus, ait, inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes: habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, vt cætera prætercam.

Igitur, vt vnde deflexit, eò redeat oratio, operæ pretium facturus videbar, ſi eiuſmodi Euangeliorum lectionibus, quæ ſingulari DEI *ſpiritu ſelectæ atq; digeſtæ, toties in Eccleſia repetuntur, quaſdam notas adſcriberem. Harum verò vſum & fructum in eo ponimus, vt ſi fieri queat, velut ſurdaſtris vellicentur aures, & dormitantibus torpor excu-*

tiatur, frigidaq́ue mentes incaleſcant, ac demum ocioſi ma-leq́ue feriati homines ad ſuum officium, quod Chriſto Eccle-ſiæq́ue cumprimis debent, propius reuocentur, maximèq́ue ad precandi & meditandi ſtudium, quod modò paſſim, ac turpiter quidem neglectum cernimus, magis ac magis aſſue-fiant. Etſi enim complures hodie reperimus, qui matris Ec-cleſiæ præſcriptum & ordinem in his ipſis lectionibus pro-bent ac ſeruent: tamen quî fiat neſcio, vt pauci ad feſtos dies Eccleſiaſticosq́ue ritus animum ſeriò applicent, vtq́ue ger-manorum filiorum inſtar, ſanctiſſimæ parentis ſenſus & affectus ſpirituales induant, illisq́ue ſyncerè ac piè delecten-tur. Nam quod iam olim Galliæ lumen & decus Hilarius de ſuis ciuibus eſt queſtus, in noſtros quoq́ue Catholicos hoc ſeculo competit, vt iure cum illo dicamus: Plerumq́ue, im-mò ſemper, vitio noſtro accidit, vt quæ legi in Eccleſia audi-mus, auribus atq́ue animis noſtris longè ab his peregrinanti-bus negligamus, vt per audiendi incuriam vileſcat apud nos cæleſtium dictorum dignitas. Locus eſt in explicatione Pſalmi 135. *Adeò nobis ſatis non eſt, Catholicum retinere nomen, & manere in Eccleſia, niſi legem etiam Eccleſiæ ob-ſeruemus, quemadmodum illa ſancti Spiritus confirmat ſen-tentia: Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ, ſicut hunc locum Epiphanius interpreta-tur. Neq́ue abs re quidem fore putauimus, ſi dum noſtra ſen-ſa proferimus, quædam etiam è ſacris literis Patrumq́ mo-numentis teſtimonia commiſceremus. Hæc enim velut ſtel-lulæ quædam & gemmæ lucentes, ſuam apud pios tenent gratiam, ac ſicut profanam nouitatem ſæpè coarguunt, ita*

Ortho-

Orthodoxam veritatem nunc maximè oppugnatam non parùm illuſtrant ac roborant.

Demùm quicquid iſthuc eſt operis, de quo alios aliter ſinimus iudicare, id nos ad ſummã ſummi Dei gloriam & ſingularem Lectorum vtilitatem euulgamus, veſtróq; cumprimis ordini, honorabiles viri, verbíq; diuini præcones, & ouiũ Chriſti paſtores, reuerenter nuncupamus atque inſcribimus. Quem ſanè laborem non ſolùm vobis puræ Catholicæque doctrinæ cuſtodibus & aſſertoribus conferre, verùmetiam per vos aliis fidei veſtræ concreditis ouibus commendatiorem effici, maiorem in modum optamus. Quod ſi me vti ſeniorem, veſtrique honoris amantem audire dignamini, fratres in Chriſto IESV *dilectiſsimi, magnæ id curæ vobis ſemper erit, vt omnes & ſinguli auream verèq; Apoſtolicam obſeruetis normam, quæ ad ordinis veſtri dignitatem vindicandam plurimum valet, hodieque ſatis inculcari non poteſt. Sic autem habet Græcè Paulus:* ἔπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, ἐπίμενε αὐτοῖς. τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου, *hoc eſt,* ATTENDE TIBI ET DOCTRINÆ: *inſta vel perſiſte in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Dominus* IESVS *princeps paſtorum, & omnis Eccleſiæ caput, qui vos velut operarios in meſſem ſuam excolendam euocauit, ac fideliter laborantibus immenſa æternaque præmia præparauit, veſtros omnium conatus ad ſui nominis gloriam, multorumque ſalutem prouehendam etiam atque etiam proſperet, totique agro Friburgenſi peculiariter benedicat. Datum Friburgi Heluetiorum, anno poſt Chriſtum natum, M. D. XCI. Menſe Ianuario.*

PETRUS SCHNEULIN, REVErendiſſimi Domini, Dn. Epiſcopi Lauſannenſis Vicarius generalis, ad Clerum ſibi ſubiectum vniuerſum.

OPVS hoc deſideratum & nouum, quod R. P. Petrus Caniſius cùm in aliorum, tùm in noſtrorum hominum eccleſiaſticorum gratiam conſcripſit ac edidit, Nos vt verè Catholicum lectuque dignum ſtudiosè amplectimur, & hoc teſtimonio palàm comprobamus. Deinde omnibus & ſingulis Decanis, Parochis & Concionatoribus, ſiue ſeculares illi, ſiue regulares fuerint, ſeriò præcipimus, vt hũc librum emant, ſibi & aliis commendatum habeant, eiuſq; lectione & inſtructione frequenter vtantur. Ita enim futurum ſperamus, vt iuuante Domino ex hiſce Notis Euangelicis & ſibi fructum non pœnitendum colligant, & ad populum rectè pièque formandum ſubinde paratiores accedant. Datum Friburgi ex ædibus noſtris, Anno poſt CHRITVM natum ſeſquimilleſimo nonageſimo primo.

DIVVS HIERONYMVS ad Nepotianum.

DIVINAS ſcripturas ſæpius lege, immò nunquàm de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas: obtine eum qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt poſſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentem reuincere.

D. IOANN. CHRYSOST. Homel. 22. ad populum.

VERSARE ſemper in diuinis ſcripturis. Sicut enim vinum dum bibitur, triſtitiam ſedat, & cor commutat in lætitiam: ſic & ſpirituale vinum dum bibitur, in lætitiam conuertit animam tuam.

INDEX

INDEX DIERVM DOMINICORVM, CHRISTOQVE SACROrum, in quibus Euangelicæ Lectiones Notis quibuſdam illuſtrantur.

PRAECEDVNT autem Notæ præmonitionum ſeu meditationum generalium,

Prima de congrua totius anni in feſtos dies diſtributione. pag. 1.
Altera de Dominicis diebus cum fructu celebrandis. 12
Tertia de proprio Aduentus tempore. pag. 27
Quarta de præcipuis perſonis in Aduentu piè conſiderandis. 33
Poſtrema de Iſaiæ vaticinio ad eundē Aduentum pertinētibus. 41

Sequuntur Aduentus Dominicæ cum ſuis Notis.

Prima, Matth. xxi. pag. 47
Secunda, Luc. xxi. 60
Tertia, Matth. xi. 71
Quarta, Ioann. i. 85
Ad Ferias Domini natalitias præambula & notæ. 99. & 105
In FERIIS CHRISTI *natalitiis, Luc. ij.* 125
Dominica infra Octauas Dominicæ natiuitatis, Luc. ij. 138
FESTVM *Circumciſionis Domini, Luc. ij.* 151
FESTVM *Epiphaniæ ſeu Dominicæ apparitionis, Matth. ij.* 162
cum eiuſdem Octaua ac Notis. 172
Dominica infra Octauas Epiphaniæ, Luc ij. 196
Dominica II. poſt Epiphaniam, Ioann. ij. 209
Dominica III. Matth. viij. 221
Dominica IIII. Matth. viij. pag. 233
Dominica V. Matth. xiij. 245
Dominica VI. Matth. xiij. 258
De Dominica vltima poſt Epiphaniam, Matt. xi. 271
Dominica Septuageſima, Matth. xx. 271
Dominica Sexageſima, Luc. viij. 285
Dominica Quinquageſima, Luc. xviij. pag. 299

Feria quarta Cinerum, ſeu in capite Ieiunij. Ioël. xi. & Matth. vi. pagina 311
Dominica I. Quadrageſima dicta Inuocauit, Matth.iiij. 324
Dominica II. Quadrageſima dicta Reminiſcere, Matth.xv. 339
Dominica III. Quadrag. dicta Oculi, Luc.xi. pag. 353
Dominic. IIII. Quadrag. dicta Lætare, Ioann.vi. 366
Dominic. V. Quadrag. dicta Paſsionis & Iudica, Ioann.viij. 380
Dominica vltima Quadrag. ſiue Palmarum, Matth.xxi. 393
In die cœnæ Domini, Ioann.xiij. pag. 407
Feria vi. Paraſceues, Ioann. xviij. & xix. Vbi & Notæ depræcipuis Chriſti Domini afflictionibus attexuntur. 427
De recto & Chriſtiano vſu diei Paraſceues. 439
De precibus cum ſancto die Paraſceues coniungendis. 447
Ad Paſchale FESTVM *introductio, cum Notis de Chriſti Domini Reſurrectione.* pag. 449
Dominica Reſurrectionis ſiue FESTVM *Paſchatis, Marc. xvi. cum ſuis Notis Octauæ feſti reſpondentibus.* 462
Feria ſecunda Paſchatis, Luc.xxiiij. pag. 487
Feria III. Paſchat. Luc.xxiiij. 502
Dominica I. poſt Paſcha quæ in Albis dicitur, Ioann.xx. 514
Dominic. II. poſt Paſcha, quæ Miſericordia nuncupatur, Ioann.x. pagina 531.
Dominic. III. quæ Iubilate dicitur, Ioann.xvi. 543
Dominica IIII. quæ Cantate dicitur, Ioann.xvi. 559
Dominic. V. quæ Vocem iocunditatis appellatur, Ioann.xvi. 573
In FESTO *Dominicæ Aſcenſionis, Marc.xvi.* 586. *cum Notis ad eiuſdem* FESTI *Octauam pertinentibus.*
Dominica VI. poſt Paſcha, ſeu infra Octauam Aſcenſionis Domini, Ioan.xv. & xvi. 613
Ad FESTVM *diem Pentecoſtes præambula & Notæ.* 628
In die FESTO *Spiritus ſancti ſiue Pentecoſtes. Ioan.xiiij.* 635. *cum feſti eiuſdem octauis per Notas explicatis.*
Feria ſecunda proximè poſt Pentecoſten, Ioann.iij. 669
Feria III. poſt Pentecoſten, Ioann.x. 684
DOMINICA *ſanctiſsimæ Trinitatis, Ioann.iij.* pag. 698

Feſtus

FESTVS DIES CORPORIS CHRISTI, cum Notis Octauam eius illuſtrantibus, & venerandum Euchariſtiæ Sacramentum declarantibus, Ioann. vi. pag. 715
Dominica prima poſt FESTVM TRINITATIS, Luc. xvi. pagina 759
Dominica II. poſt Trinitatis, Luc. xiiij. 777
Dominica III. poſt Trinit. Luc. xv. 791
Dominica IIII. poſt Trin. Luc. vi. 805
Dominica V. Luc. v. 821
Dominica VI. Matth. v. 836
Dominica VII. Marc. viij. 853
Dominica VIII. Matth. vij. 869
Dominica IX. Luc. xvi. 885
Dominica X. Luc. xix. 901
Dominica XI. Luc. xviij. 919
Dominica XII. Marc. vij. 933
Dominica XIII. Luc. x. 950
Dominica XIIII. Luc. xvij. 965
Dominica XV. Matth. vi. 980
Dominica XVI. Luc. vij. 998
Dominica XVII. Luc. xiiij. 1012
Dominica XVIII. Matth. xxij. 1027
Dominica XIX. Matth. ix. 1044
Dominica XX. Matth. xxij. 1058
Dominica XXI. Ioann. iiij. 1073
Dominica XXII. Matth. xviij. 1088
Dominica XXIII. Matth. xxij. 1104
Dominica XXIIII. Matth. ix. 1121
Dominica XXV. Matth. xiiij. 1136
De vltima Dominica, Ioann. vi. 1156

FINIS Lectionum Euangelicarum, quæ ſuis Notis in hoc Opere illuſtrantur.

Accedit demùm INDEX locorum, qui in ipſo contextu ſe paſſim offerunt.

AD CHRISTIANVM LECTOREM.

QVANDOQVIDEM præſens opus nullis æquè ac verbi diuini concionatoribus deſtinatur atque deſeruit, haud abs re fuerit, nos de illorum officio veteriq; more, nonnulla hoc loco præfari. Eſt ſanè munus hoc concionatoriū minimè nouum, ſed peruetuſtum, vt etiā Noë, qui ab Adam inter priſcos patres ſucceſſione fuit octauus, iuſtitiæ præco ab Apoſtolo Petro dicatur. Nec iſthuc eſt vulgare aut profanū, ſed ſi vllum aliud, ſublime, ſacrum, excellens, ſalutare, adeòque neceſſarium opus atque miniſterium in Eccleſia. In quo munere ſancti Prophetæ luxerunt, & ſanctiores Apoſtoli, vnà cum ſanctiſſimo Meſſia noſtro, qui verè λόγος, ſiue verbum exiſtit, ſe perquàm gnauiter, & cum fructu totius orbis maximo exercitârunt. Ac ſanè Chriſtus è terris cœlum conſcenſurus, & ſummum beneficium fidelibus ſuis relicturus, nouum hunc ordinem inſtituit, certoque ac inuiolabili mandato muniuit, inquiens: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Cuiuſmodi prædicatores Euangelici, vt reliqua ſileam, eximiis omninò priuilegiis cohoneſtantur; ex quibus præclari manârunt tituli, vt in ſacris litteris illi vocentur miſſi homines à Deo, legati Dei, miniſtri Chriſti, verbi Dei ſeminatores, diſpenſatores myſteriorum Dei, Dominicæ vineæ cultores, angeli Domini exercituum, prædicatores Euangelij pacis, Euangelium regni annunciantes. De horum inſtituto, quod ſatis laudari nunquàm poteſt, vnicuique illorum diuinum intonat oraculum: Clama, nè ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Ecce dedi verba mea in ore tuo, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Speculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Quid verò auguſtius illis promiſsionibus & commendationibus, quibus hunc cœtum maximorum teſtium ſuorum ſupremus orbis doctor exornat? Ecce ego

inquit, mitto vos ſicut agnos in medio luporum. Sicut miſit me pater,& ego mitto vos. Ego elegi vos,& poſui vos, vt eatis & fructum afferatis. Vos eſtis ſal terræ, vos lux mundi. Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit,me ſpernit. Qui recipit vos,me recipit. Hos ipſos ab omnibus non ſolùm audiri, ſed etiam ob cathedram in qua docent, præ cæteris honorari,& in pretio haberi poſtulat,etiamſi mores inculpatos non afferant, vt eorum non tam vita & ſanctitas, quàm officium & doctrina ſpectetur: Quanta illorum eſt dignitas,quibus vnicus finis & ſcopus proponitur, vt diuinæ maieſtatis gloriam & pereuntium animarum ſalutem ſua cura operáq; procurent? Quod quum faciunt, vt authori ſuo, & Angelis eius cùmprimis grati ſunt,ita & publicum Eccleſiæ commodum maximè promouēt,digni certè,quibus pij omnes Propheticis illis verbis acclament: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?

Et vetus quidem ſynagoga ſuos olim concionatores non parum honorabat, & ritibus quibuſdam externis reddebat pleriſque cōmendatiores. Præcedebant enim quidam in hoc delecti,vt tuba clangerent,ac populum excitarēt,nè quis neſciret adeſſe tempus non feriandi modò, ſed ſacrū etiam publicumq; conuentum inſtituendi, ob quem ſeſe omnes ordines ad ſacram ædem conferre, Deique ſummi verbum ſacratiſsimum coràm audire, ſuiſq; mandare animis oporteret. Aliquis igitur Eſdras,vtpote probatus Eccleſiæ miniſter & ſacerdos legitimus, adhibebatur, qui locum in Cathedra Moyſi ſibi aſsignatum teneret, ac ſacris de rebus è ſublimi loco diſſereret. Fidem certè merentur Ioſephus & Philo, qui diſertè ſcribunt, à Moyſe propheta hunc manaſſe morē, vt conciones apud Iudæos ſacris in locis, vbi frequens eſſet auditorium,& feſtis diebus, omnibusque ſabbathis publicè haberentur. Quid quòd in Euangelio legimus,Chriſtum dominum in templo & ſynagogis ita eſſe verſatum, vt per ſabbata populum inſtituerit, ſacrum præterea locum & tempus miraculis cohoneſtârit,ipſumque ſabbati diem benedi-

ctione Patris à principio ſanctum, (ſic enim Tertullianus loquitur) benefactione ſua effecerit ſanctiorem? Ac de Apoſtolis quidẽ conſtat, quod poſt acceptum Spiritum ſanctum nõ ſolùm in hoc ipſo Iudæorum more, ſed etiam in Chriſti magiſtri exemplo retinendo perſtiterint, quemadmodum variis in locis Euangeliſta Lucas exponit.

Nihil ergò mirum, noſtros quoq; maiores hanc piam conſuetudinẽ veluti per manus acceptam, ad nos porrò trãſmiſiſſe, eamq́; tot ſeculis vbiq; gentiũ obtinuiſſe, vt cùm indicta Eccleſiæ feſta celebrantur, ſuũ etiam illuſtrẽ locum habeant cõcionatores. Qui poſtq̃ ab Epiſcopis legitimè ſunt ordinati & ad docendũ idonei iudicati, cũ autoritate publicè prodeunt, ac honeſtè veſtiti, de fide ac pietate ſic diſſerũt, vt modeſtè ac reuerẽter ſublimi ex loco ab omnibus ordinibus exaudiantur. Proximũ eſt, & rationi ſanè cõſentaneũ, vt auditores diuino percepto ſemine, ad precandũ Deum boni fructus omnis autorẽ ſe conuertãt, ſuasq; illi preces & oblationes, ſicut & Paulus monuit, pro Magiſtratibus, aliisq; grauibus negotiis religioſè cõmendent. Hoc quippe non modò præſentis, ſed etiã veteris & naſcentis Eccleſiæ inſtitutũ eſt, quod inſignes Theologi, qui Apoſtolicorũ tẽporũ fuêre vicini, præſertim Iuſtinus ac Tertullianus, apertè cõfirmant, & nos paulò poſt pluribus euincemus. Vbi de induſtria præterimus varias & graues corruptelas, quę in hoc ſanctũ miniſteriũ paulatim irrepſerunt, & nunc quidẽ latiſsimè patent, multisq; perniciẽ grauiſsimã creãt. Ac eò magis ſummũ Deũ precari par eſt, vt ſacrã eiuſcemodi functionẽ, cui Satan maximè inuidet, à fœdis vitiis vindicare, gratasq́; ſibi & ſalutares nobis voces in deſerto clamantis deſtinare dignetur. Cõmunis enim atq; vtinam falſa multorum querela eſt, fidos, idoneos & peritos concionatores paſsim deſiderari, meſſem vbiq; gentium incultam deſertãq; iacere, & ex multis paucos reperiri, quales Chriſtus requirit, & iſthæc ætas poſtulat operarios, hominumq́ue piſcatores, qui Euangelico reti conuenienter vtantur, & Verbum virtute multa euangelizent.

IHS

CAPITA PRAEMONITIONIS SEV MEDITATIONIS,

IN DVAS DIVISA PARTES, NIMIRVM EO SPECTANTIA, VT TEMPORIS ET ANNI diſtributio (ſingulare donum DEI) rectius intelligatur, & dies feſti, cum vberiore pietatis fructu à fidelibus expendantur.

I.

CVM PRIMIS AVTHORI BONOrum omnium DEO, eiusq́; diuinæ ſapientiæ gratias agam, quòd inter alia beneficia mortalibus praſtita, iam inde ab orbe condito ſol, luna, dies, nox, hebdomada, menſis, æſtas, hyems, ſecundùm naturalem annui temporis reuolutionem & vicißitudinem, tàm pulchrè decurrant, & ad commodiorem humanæ vitæ vſum iucundam adferant vtilitatem, multumq́; fructum huic inferiori orbi, ſicut res ipſa quotidie docet, alternatione ſua præbeant. Omnia enim tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa, *poſtquàm videlicet mundi conditor Deus ſemel ita decreuit:* Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem: & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos. *In quem locum ſcribit * Baſilius Magnus: Tempora exiſtimamus Scripturam dicere quatuor viciſſitudines temporis, hyemis inquam, veris, æſtatis,*

Eccleſ. 3.
Geneſ. 1.
* Hom. 6. in Hexamero.

ac autumni: quorum periodus ordine miro ab ordinatiſſima proficiſcitur luminarium motione.] *Ac rurſus: Hæ temporum viciſſitudines, ait, hæ varietates Solis motiones conſectantes vitam nobis & quæ ad vitam ſunt neceſſaria, diſponunt ac adminiſtrant.*] *Quæ decora temporis conſtitutio nihil mirum, ſi Prophetam regium in admirationem rapuerit, ac nunc pios etiam rapiat, vt cum illo ex animo canant*: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine? omnia in ſapientia feciſti. * Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. *Vt enim præcedens dies, ita & ſuccedens nox authoris ſui magnificentiam prouidentiamq́ commendat, ac ſimul admonet, res mundi omnes omnibus ſeculorum ætatibus illi eſſe curæ, qui ad hominis vitam, incolumitatem, commodum ac temperamentum cuncta conſtanter ac prouidè moderatur. Quamobrem lætus & gratus ego illud modulabor*: Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. *Atque hæc perpetua dierum ac noctium viciſſitudo dici certè non poteſt, quantoperè non ſolùm hominibus, ſed feris etiam ac beſtijs conferat, quemadmodum idem Pſalmographus, ad laudem conditoris luculenter exponit. Vnde Caſſianus ſacris litteris conſonans dixit: Diuina ſapientia per Eccleſiaſten omni rei, id eſt, vniuerſis ſiue proſperis, ſiue quæ aduerſa putantur & triſtia, tempus eſſe proprium deſignauit, dicens: Omnibus tempus eſt, & tempus omni rei ſub cœlo.*]

II.

EXCITABIT me & illud ad nomen Dei altiſſimi celebrandum, quod res ipſa docet, huius optimi Patris in nos mortales beneficentiam ac ſapientiam ſingularem exiſtere, per quam tempus in Eccleſia fidelibus ex more diſpenſatur, atq́ ad varium pietatis vſum accommodatur. Vult enim certas & peculiares ferias inſtitui atq́ celebrari, in quibus eximia ipſius opera & infinita beneficia ſeriò in animum reuocemus.

MEMENTO, *inquit*, vt diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die, ſabbathum Domini DEI tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui eſt intra portas tuas. *Eſt enim tam lenis & indulgens hic legiſlator, vt licet hominem totum multis nominibus ſibi deuinctum ac obſtrictum teneat, qui ſacro eius cultui perpetuò vacet, tamen ſex dies ad operandum eidem homini largiatur, & vnum ſibi reſeruet Sabbathum, ac in eo etiam non modò religionis negotium ſedulò exerceri præcipiat, ſed ſinat inſuper domeſticam priuatamq́; quietem & commoditatem hominibus iumentisq́; conſtare. Inde quod Propheta regius toties repetit, hic ego iure dixerim: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.] Sumus enim populus in nomen, laudem & gloriam Dei, vt Hieremias loquitur, agglutinatus. Ego verò etſi Deum, vtpote magnum & laudabilem nimis, pro dignitate colere & venerari nequeam: tamen in hoc totus verſabor, vt modicam ſaltem partem temporis, quod ſtatutis ferijs circumſcribitur, ad honorem & cultum diuinum ſtudioſè conuertam, debitaq́; gratitudinis & obedientiæ ſpecimen tunc præbeam & oſtendam. Debet enim apud me valere diuinum oraculum;* Sabbatha mea cuſtodite, & ſanctuarium meum metuite: ego Dominus. *Ac iterum:* * Cuſtodiant filij Iſraël Sabbathum, & celebrent illud in generationibus ſuis.

Exod. 20. Pſal. 106. 117. Hierem. 13. Pſal. 47. Leuit. 19. * Exod. 31.

III.

NIHIL mihi commune ſit cum Iudaico Sabbatho & cum feſtis & ceremonijs Moſaicæ legis iam pridem per Chriſtum abrogatis, qui [a] *legis eſt finis, ac* [b] *Sabbathi Dominus, noſq́; in Chriſtianam aſſeruit* [c] *libertatem. Gloriabor igitur in* [d] *authore & conſummatore fidei noſtræ, de quo veriſſimè* [e] *Ioannes affirmat:* Lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt. *De illo*

a Rom. 10. b Matth. 12. c Ioan. 8. d Heb 12. e Ioan. 1.

teſtatur & Paulus, quod ſub lege ſit factus, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Etſi verò Ethnici Iudaicum Sabbathum, quod immeritò deriſerunt, vnà cum ſuis caremonijs morte Chriſti antiquatum ſit, manet tamen, & ad finem mundi vſque manebit Chriſtianum Sabbathum, mihi & fidelibus omnibus legitimè celebrandum. Etenim lex naturæ inuiolabilis exigit, certum aliquod tempus ſacris vſibus deputari, vt populus à negotijs corporisq; laboribus feriatus, Deum piè colat atque veneretur, illiq; pro acceptis beneficijs gratias agat peculiares. Gaudeo igitur tam decenter quàm vtiliter proſpectum eſſe Eccleſiæ, in qua non ſine ſummi numinis diſpenſatione diſtributio temporis facta eſt, dum aliam anni partem ſibi vendicat Aduentus, aliam Natiuitas, aliam Paſſio, Reſurrectio & Aſcenſio Chriſti Domini occupat. Certos enim dies habemus, qui ob redemptionis noſtræ myſteria religioni ſunt conſecrati, magnumq; pondus adferunt, vt ingentium beneficiorum à Chriſto perceptorum memoria fidelibus omnibus quotannis renouetur atque confirmetur. Ac veteris quidem ſynagogæ proceribus obtemperandum erat, mandantibus non ſolùm ſolemnes & in verbo Dei præſcriptas ferias obſeruari, ſed plures etiam feſtos dies, vti de templi dedicatione (Ioannes Encænia vocat) & de Iudith Heſte. victoria quotannis celebrari.

Cur ergo dubitem, tantundem, immo & plus authoritatis penes Eccleſiam Chriſtianam, eiusq; præpoſitos exiſtere, vt ſicut alia quæ ad Dei cultum & religionis augmentum ſpectant, ita dies etiam feſtos conſtituere, atq; à fidelibus colendos exigere poſſint? Cuiuſmodi inſtituta mihi tanto libentius amplectenda, & firmiùs retinenda ſunt, quantò certiùs conſtat Apoſtolos & Apoſtolicos viros eſſe, qui iam olim per Spiritum ſanctum inſtructi, præclaras id genus inſtitutiones ac traditiones induxerunt, cultumq; diuinum peculiaribus ferijs exornarunt, ac omnium ferè gentium populis commendarunt. Quæ res multiplicem attulit vtilitatem, nimirum vt Dei verbum crebrius prædicaretur & audiretur, maior cũctorum ordinum in externo cultu eſſet conſenſio & exercitatio, ſed & accuratiùs duraret ob

ſeruatio

ſeruatio illius Apoſtolici Canonis: OMNIA honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis. 1. Corint. 14

Cur igitur ego tam ſim vnquam inſulſus, vt à veneranda antiquitatis diſcedam veſtigijs, maximè cum Auguſtinus me doceat: Illa quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicut inquit, quod Domini Paſsio & Reſurrectio & Aſcenſio in cælum, & aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolennitate celebrantur.] Epiſt. 118. ad Ianuarium.

IIII.

QVI hodie nouandæ religioni ſtudent, nouas Eccleſiarum ſuarum formulas & ordinationes fingunt ac refingunt, cùm ſint non ſolùm in multis dogmatis, ſed hîc etiam Proteo mutabiliores ſemperq́ ad deſtruendū quàm ad ædificandum vehementiores. Horum ego vicem valde doleo, quòd non bono Spiritu ducti, tantùm ſanctiſsimis Eccleſiæ Patribus derogent, quantum ſibi vanè arrogant atque ſumunt in cauſa religionis. Vnde dies Chriſto Domino, eiusq́ ſacroſanctæ Matri & venerandis Apoſtolis, alijsq́ Sanctis eximijs iampridem dicatos ſuperbè contemnunt, quin etiam vbi poſſunt pro libidine ſua impiè abrogant, & è medio tollunt. Tantum enim illis eſt ſtudium, vt è ſacro non ſacrum faciant, perinde ac ſi cum antiquis Epicureis & Atheis dicere viderentur: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos à terra. *Ac de Caluinianis quidem hodiè graſſantibus conſtat, natalitium Chriſti diem adeò illis ingratum & aduerſum eſſe, vt feſtum hoc celeberrimum iuxta & antiquiſsimum multis in locis abolendum, & propoſita lege, ne quiſquam ferietur, prohibendum enixè procurent. Tum in eo conſpirant huius æui ſectarij, quod ignorent, aut nauſeabundi* Pſal. 74.

reſpuant Aduentum, Septuageſimam, Quinquageſimam, Quadrageſimam. quódq; ſimiles ferias quotannis recurrentes, & magno in pretio à maioribus noſtris habitas, vtiliterq; ſeruatas omninò auerſentur ac inſectentur. Ego verò à firmis Eccleſiæ columnis probatisq; Patribus me diuelli nunquam ſinam, vt cum illis inſaniam, qui non minus Græcæ quàm Latinæ Eccleſiæ morem, totq; ſeculis receptum vbiq; ferè gentium ordinem ſeditioſè perturbant, ac improbè violant. Qui feſtorum demolitores, immò & diuini cultus profanatores, pulchrè ſcilicet Philiſtæos Dei ſimul & Patriarcharum aduerſarios imitantur, quales inuidia ſimul & malitia peſſimis conſultoribus incitati, puteos à fidelibus magni patris Abrahæ ſeruis effoſſos, meris ruderibus terræq; aggeribus opplere non formidabant. Militant iſti certè in caſtris Licinij, qui Tyrannicè olim imperans, fœdum egit apoſtatam, & nefarias leges publicè propoſuit, vetans inter alia, ne viri cum mulieribus precationis cauſa in Catholicis Eccleſijs conuenirent, neue Presbyteri vel Epiſcopi mulierum aures ſacris præceptis imbuerent: ſatis enim illi, quemadmodum & noſtris Anabaptiſtis, fore viſum eſt, ſi populus in campis ſuburbanis ſuos conuentus haberet. Cuius Licinij impiam audaciam, & audacem impietatem fregit, qui tunc Imperator erat religioſiſſimus, & ad ſacra promouenda intentiſſimus Conſtantinus. Dolebo igitur, apertos Eccleſiæ hoſtes hoc ſacrilego ſeculo impunè progredi, vt non ſolùm Feſtis abrogandis, ſed profanandis etiam templis, omniq; religione ſpoliandis locis ſacris barbaricam præbeant operam, & ſancta ferè cum prophanis miſceant omnia. Reuixerunt enim velut cineres Euſtachianorum, quos iampridem Synodus Gangrenſis damnauerat, vt meritò in pijs communis excitetur luctus, & cum Hieremia plorantes dicamus: Viæ Sion lugent, eo quod non ſint qui veniant ad ſolennitatem. *Quod ſi ego paſtorum principem Chriſtum in ſuis Legatis Eccleſiæq; rectoribus loquentem hic non audio, quid niſi Sathanæ diuino cultui ſemper inuidenti & aduerſanti obſequor, Chriſtumq; ipſum contemno, cùm in Cathedra ſedentes non audio? dignus profectò, qui cum Eccleſiam non audiam, pro Ethnico ac publicano habear*

atq; damnetur. Nota eſt enim Domini ſententia: Si non audierit (frater) eos, dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, Matth. 18. ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.

V.

DEPLORABO & Catholicos re bona perperam vtentes, quandoquidem ex veteri more quidem, ſed ſine Spiritu & fructu feſtos dies tranſigunt, & quamuis corpore, non tamen animo rebus diuinis ſolennibusq; ſacris præſentes interſunt. Etenim grauiſſimi præcepti, Memento vt diem Sabbathi ſanctifices, Exod. 20. *obliuiſcuntur, nec ſecum expendunt, quàm ſeuerè Deus feſtorum violatores iam olim caſtigârit, & Num. 15. quantum interſit Eccleſiæ, vt fidelium religio & pietas iam ſacro Ezech. 20. loco & tempore ſplendeat. Quis verò pius non meritò lugeat, ve- Hierem. 17. terem diſciplinam cum Sabbathi ſanctificatione coniunctam tantopere concidiſſe, vt Chriſtiani Iudæis quantumuis impuris & perfidis, hac in parte ſceleratiores facti eſſe videantur? Minus enim honoris ac ſtudij feſtis diebus tribuunt, quando feneſtram omnem vulgo ad licentiam nequitiamq; patêre, ac ordines omnes petulanter peccare ſolenne eſt. Quid? hoccine Sabbathum ſit ſanctificare? ac non potiùs polluere? Nunquam enim ferè magis, quàm in celebratione feſtorum, honeſtatis ac pietatis ſepes & limites omnes tranſiliuntur: nunquam ſtudioſiùs inſanæ cupiditati, ventriq; ac laſciuiæ laxantur habenæ, vt non fructus quidem Spiritus appareant, ſed carnis opera, ſicut Apoſtolus vo- Galat. 5. cat, bonam ſacri temporis partem fœdè occupent, communiq; populus licentia diffluere videatur. Meritò igitur, cùm ob alia crimina, tum ob violationem Sabbathi Deum nobis iratum habemus, qui certè non minus Chriſtianum quàm Iudaicum populum Prophetica illa voce corripit:* Sabbatha mea violauerunt vehe- Ezech. 20. menter: dixi ergo vt effunderem furorem meum ſuper eos, & conſumerem eos. *Ac iterum:* Iniqui ſunt cœtus veſtri ca- Eſai. 1. lendas veſtras & ſolennitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens. *Rurſus:* Conuertam fe- Amos 4.

ſtiuitates veſtras in luctũ, & omnia cantica veſtra in planctũ. *Cæterùm ad pios & ſedulos feſtorum obſeruatores, quorum non adeò ingens eſt numerus, dulcis illa ſpectat conſolatio, & Euangelica verè promiſſio:* Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierũt Sabbatha mea, & elegerunt quæ ego volui, & tenuerunt fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus; nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.

VI.

CONFIRMABO animum ac voluntatem in diuino præcepto ac Eccleſiaſtico inſtituto, quod ab authore Spiritu ſancto vtique profectum accepimus, firmiter complectendo. Igitur ad ſacras ferias & ſedulò & reuerenter celebrandas illud etiam Propheticum ſumam: Venite ad me, audite, & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum. *Ac velut Apoſtolicam illam tubam audiam:* Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs: *me totum ad obedientiam hic præſtandam accingam. Eccleſiæ autem eademque Diui Ignatij vox eſt: Dies feſtos nolite inhonorare. Quare tunc ſeponam curas alias, & externas, quoad eius fieri poterit, occupationes exuitiam, nè meipſum impediam, vt fieri ſolet, in diuinis illis myſterijs, operibus ac beneficijs, maximè ad Chriſtum Dominum ſpectantibus, ritè ponderandis. Ibi ſingularem rationem habebo, vt tam venerandæ ſanctæque Matris ſenſum & affectum induam, eique me pro virili conformem. Illa modò gaudet, modò luget, aliquando mala deprecatur, vel de acceptis beneficijs lætè gratias agit, nimirùm in varios ſeſe transformans affectus, quales etiam in ſanctis [a] Apoſtolis, immò in [b] Chriſto capite noſtro luxiſſe, ac frequentes extitiſſe, ſcriptura diuina teſtatur. Ad hunc modum, quando Eccleſiæ ordo & inſtitutum requiret, alium atque alium pium affectum à Deo petam, & ſtudio quodam adiuncto præ me feram, vt iam ad pium gaudium, iam ad ſalutarem luctum, interdum ad ſingu*

iarum gratiarum actionem, vel ad communem orationem, aut iam deprecationem peculiari modo excitatus atque comparatus accedam. Nullum enim alimenti genus tàm opiparum ac pretioſum eſſe poteſt, quod non varietate ipſa delectet, quodq́; ſi ſemper æquale ſit, tædium non generet manducanti.

VII.

IN his quæ ad cultum Dei ſtatasq́; ceremonias pertinent, non ſat habebo Eccleſiæ Catholicæ obedire, cùm ſcriptum ſit: Ne dimittas legem matris tuæ, *verumetiam exemplo & verbo alios, ſi poſsim, impellam, vt iuxta eiuſdem Eccleſiæ mentem ac diſciplinam ſeſe componant, ſummum gratiſsimumq́; cultum, qui latria dicitur, diuinæ Maieſtati ſynceré perſoluturi. Non enim ſolum docemur:* Seruite Domino in timore & tremore: *ſed & illud ab eodem Propheta mandatur credentibus:* Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum: afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius. *Monet verò Baſilius, magno Domino gloriam & honorem afferri, quùm opera noſtra ſplendore probitatis hominum oculis irradiant, nosq́; ad Dei cultum alios prouocamus atque adducimus, vt ita per filios Pater glorificetur. Scribit inſuper Gregorius Theologus, quod omnia Deum laudent, eumq́; inenarrabilibus ac mutis etiam vocibus glorificare videantur. Hinc extat ſacer hymnus à tribus pueris in medijs flammis decantatus, & in Concilio quarto Toletano approbatus, in quo res multæ ratione, voce ſenſuq́; carentes, immò & creaturæ omnes ad ſummum Deum laudandum prouocantur. Omnis enim creatura, inquit Hieronymus, non voce, ſed opere laudat Dominum, quia ex creaturis conſequenter creator intelligitur, & in ſingulis operibus ac effectibus Dei magnificentia demonſtratur.*]

Prouerb. 1. & 6.

Pſal. 2.

Pſal. 28.

Homel. in Pſal. 28.

Dan. 3.

In cap. 3. Danielis.

Atque in hoc quidem totus ero, vt ſacra lectio, quam die feſto commendat nobis Eccleſia, ſeduló à me percipiatur, ac deinde in meditationem conuertatur. Nam & humano corpori non

confert cibus quamlibet pretioſus & exquiſitè paratus, niſi in ſtomachum traijciatur, ac probè digeſtus, ad varia ſeſe membra transfundat, eaq́ corroboret. Atqui ſacra lectio (animæ pabulum longè ſaluberrimum) optimi lectiſſimiq́ cibi gerit ſimilitudinem, ac veluti condimento eget ſedulæ meditationis, vt quod lectione quæritur, meditatione ipſa comparetur, ſi tamen precatio acceſſerit, quæ mentem Deo deuotam, & ſpiritualem cibum quaſi ſapidum reddit, eamq́ cœleſtem impetrat gratiam, quæ tùm ad amouenda mala, tùm ad conſequenda bona deſideratur. Fœlices porrò illi, qui cum precatione coniungunt nunquam ſatis laudatam contemplationem, per quam animus igne diuini amoris incenſus, velut extra ſe rapitur, & cum ſummo bono ſeſe mirabiliter vnit, ſæpè & cœleſtis vitæ guſtum & arrhabonem inexplicabilem obtinet, cùm ſit Manna illud abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Dabo igitur operam, vt hic deuotionis ignis, quem Chriſtus venit in terras mittere, vt arderet, ſi vnquam aliàs, tum maximè feſtis diebus in mea meditatione exardeſcat, & animæ meæ fundum cœleſti luce atque calore compleat. Ita enim mihi quoque cum Propheta dicere licebit: Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei & dèlectatús ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. *Ac rurſus*: Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis. *Et iterum*: Cor meum & caro mea exaltauerunt.

VIII.

Precabor à Deo gratiam ſingularem, vt omnis temporis in hac vita mihi conceſſi, & porrò concedendi curam ingentem habeam, ac meam quidem memoriam, intelligentiam ac voluntatem, ſi ad tempus vllum, certè ad ſtatas Eccleſiæ ferias velut diuinam ordinationem, applicem diligenter. Tunc enim Deum ipſum mihi proponam, velut ſuis hoc ſeriò demandantem: Vacate & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. *Ego verò velut ad rem negotij maximi conficiendam euocatus, ex animo dicam*: Lauabo in

bo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum
Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuerſa Pſal. 25.
mirabilia tua: In conſpectu Angelorum pſallam tibi: adora- Pſal. 173.
bo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo
ſuper miſericordia tua & veritate tua. *Neque ſolùm tunc lotus,*
ſed & nuptiali veſte velut ornatus (vniuerſa enim delicta ope- Prouer. 10.
rit charitas) prodire contendam magis vt placeam ſupremo regi,
ad cœleſte me conuiuium inuitanti atq; expectanti, ne alioquin
mihi quoq; dicatur: Amice, quomodo huc intraſti, non ha- Matth. 22.
bens veſtem nuptialem?

Orabo etiam me participem effici bonorum ſpiritualium, in quibus veteres Catholici circa huiuſmodi ferias religiosè verſati ſunt, & verè pij adhuc paſſim cum ſancta deuotione verſantur, nimirùm vt quod à me hac in parte negligitur, accuratiore aliorum ſtudio & vigilantia in Domino ſuppleatur atq; compenſetur. Non enim tam benefacta mea, quàm aliorum merita debeo
æſtimare, ac reliquos fideles mihi anteponere, velut cui locus in Luc. 14.
Dei regno infimus debeatur. Ad verum Salomonem Chriſtum
cum Saba regina proloquar: Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui 3. Reg. 10.
ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. *Ac rurſus*
Prophetam regium ſequens, vt me auguſta illa & felici commu-
nione ſanctorum conſoler, magna cum fiducia dicam: Particeps Pſal. 118.
ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata
tua. *Inprimis verò partem aliquam optabo mihi ex piorum beneſactis contingere, qui vera fide, ſpe & charitate nitentes, & ſacra Chriſtiana toto orbe peragentes, æternum Deum legitimè colunt, inuocant & adorant. Nec enim temerè teſtatur Spiritus*
ſanctus: Adorate Dominum in aula ſancta eius, *eo ipſo deſi-* Pſal. 28. & ibidem Baſilius.
gnans, prout locum Baſilius Magnus interpretatur, Deo gratum & homini ſalutare non eſſe cultum adorationis, ſi extra Eccleſiam, quæ ſancta Dei aula eſt, vel à Iudæis, vel ab hæreticis perficiatur. Vnde Pſalmographus alibi quoq; monet, Vota mea red-
dam in conſpectu omnis populi eius, *nimirum vt oſtendat ſa-* Pſal. 115.
crificia, vota & preces non niſi in medio Eccleſiæ offeri oportere, eodem Baſilio teſte.

ALTERA MEDITATIO SEV PRAEMONITIO GENERALIS DE DOMINICIS DIEBVS, TOTO ANno cum fructu celebrandis.

I.

INSIGNEM ſummi Dei bonitatem gratus amplector, cui viſum eſt per ſanctos Apoſtolos in Eccleſia conſtituere, vt Iudaicum Sabbathum è medio tolleretur, eiq́; dies Dominicus ſubrogaretur, atque ita ſeptimus hebdomadæ dies in octauum commutaretur. Ac Dominicus quidem ille dictus eſt, quòd in eo Chriſtus à mortuis reſurgens, verè ſe Deum & Dominum, vti nunquam anteà, declarârit, & eundem præclaris beneficijs mirè illuſtrârit. Confirmat & Auguſtinus Dominicum diem eſſe, quem Apoſtoli religioſa ſolennitate habendum ſanxerint: facit expreſſam eius mentionem Ioannes Apoſtolus, cum ſcribit ſe illo die fuiſſe in Spiritu: ornant illum Scriptores vetuſtiſſimi, inter quos [a] *Ignatium &* [b] *Iuſtinum Martyres numero, illumq́; eminentiſſimum & regalem appellant. De illo* [c] *Maximus hoc ſcriptum reliquit: Dominica ideò nobis venerabilis eſt atq; ſolennis, quia in ea Saluator, velut Sol oriens, diſcuſſis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit: at propterea ipſa dies ab hominibus ſeculi dies Solis vocatur, quod ortus eam ſol iuſtitiæ Chriſtus illuminet.] Hieronymus in hunc modum ſcribit: Quomodo Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet; ita inter cæteros dies hæc omnium dierum mater eſt. Hæc eſt dies quæ appellatur octaua: vnde & quibuſdam Pſalmorum titulis ſuperſcribitur pro octaua. Hæc eſt, in qua ſynagoga finitur, & Eccleſia naſcitur.] Quid igitur*

à Chri-

a Chriſtiano pectore magis fuerit alienum, quàm hunc clariſſimum ſemperq́ probatiſſimum in Eccleſia diem vel ignorare, vel prætermittere, cultuq́ peculiari non proſequi, quem Chriſtus tanti fecit, & Apoſtoli Apoſtoliciq́ viri, immò & orthodoxi omnes tot ſeculis, tantoq́ conſenſu vbique gentium cohoneſtarunt? Extat apud Clementem Romanum Iudaici Sabbathi & Dominici diei collatio in hunc modum deſcripta: Sabbathum eſt requies à fabricatione mundi, perfectio vniuerſi, legum inquiſitio, laus grati animi pro beneficijs in homines collatis Deo adhibita. Dominicus verò dies, his omnibus eſt præſtantior, vt qui repræſentet ipſum Mediatorem prouidentem, legiſlatorem, authorem reſurrectionis, primogenitum omnis creaturæ, Deum verbum, eundemq́ hominem ex Maria natum ſolum ſine coniunctione viri, ſanctè in vita verſatum, cruci affixum, ſub Pontio Pilato & mortuum, atque à mortuis ſuſcitatum.] Nec minus luculenter dixit Athanaſius: Sicut Deus prioribus temporibus Sabbathi diem ſeruari voluit in monumentum finis priorum: ita Domini cum diem veneramur, vt monumentum exordij ſecundæ reparationis, quando nempè Dominus reſurrexit, & veterem hominem renouauit & inſtaurauit.]

Lib. 7. Apoſtlicarum inſtitut. cap. 37.

Indictum illud: Omnia mihi tradita

II.

N*VLLVS dies Dominicus mihi præterlabetur, quo Chriſtiani Sabbathi ſanctificandi rationem à meipſo peculiarem non exigam, plus vt temporis ac operæ poſſim in cultu Dei tum interiore tum exteriore præſtando. Ac præcipuè quidem curabitur, vt in mentem reuocem triplex opus ſeu beneficium, quo beatiſſima Trinitas hominem totum ſibi ſuæq́ gratiæ prorſus hoc die deuinxit, opus nimirum, ſicut dici ſolet, creationis, redemptionis atque ſanctificationis. Etenim Dominicus dies erat, quo Pater æternus cælum & terram ex nihilo condidit, vt mundo initium daret, eumq́ diem Baſilius primum & primitias dierum luciq́ coætaneum diem appellat. Erat hic quoq́ dies, quo Chriſtus de virgine in Bethlehem natus, in lucem pro-*

Baſil. Homel. 2. in Hexame.

dijt

dijs, & iuxta Moyſi legem circumciſus, magnoq́; cum applauſu populi Rex Iſraël in Regia vrbe publicè ſalutatus, & quod longè præſtantius eſt, victor etiam à morte reſuſcitatus fuit, immò & ſeipſum vitæ ac mortis principem non ſine ſummo miraculo declarauit, iure vt ſuo hoc ſibi ſoli ſumat: Data eſt mihi omnis

8\. poteſtas in cœlo & in terra. * Ego ſum primus & nouiſſi-

1\. mus, & viuus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis & inferni. *Hoc ipſo die Spiritus ille ſanctus, qui fons eſt omnis gratiæ & ſanctitatis, congregatos vnà Chriſti diſcipulos donis admirandis copioſè compleuit ſimulq́; totam Chriſtianam Eccleſiam in æternum ſibi ſanctificandam, regendam, tuendamq́; ſuſcepit, vt in illa vſq́; maneat doctor atq́; rector. Quapropter cum Leone magno ad*

81\. *ſummam ſummi Dei gloriam profitebor: Tantis eſt hæc dies diuinarum diſpenſationum myſterijs conſecrata, vt quicquid à Domino eſt inſignius inſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumpſit exordium, in hac per Chriſti reſurrectionem & mors interitum, & vita ſumpſit initium. In hac Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam ſumunt, & inferendum vniuerſo mundo, ſacramentum*

. *regenerationis accipiunt. In hac ſicut Ioannes Euangeliſta teſtatur, cùm congregatis in vnum diſcipulis, clauſis ianuis ad eos Dominus introiſſet, inſufflauit & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. In hac deniq́; promiſſus à Domino Spiritus ſanctus aduenit. Ita cœleſti quadam regula inſinuatum & traditum nouerimus, in illa die celebranda nobis eſſe myſteria ſacerdotalia, in qua collecta ſunt omnia dona gratiarum.] Cum his non malè*

de e- *congruunt quæ apud Chryſoſtomum legimus, vbi præcipua Dei*

na & *dona quibus per Chriſti reſurrectionem potiti ſumus, ad diem*

one. *Dominicum refert ſicut hæc ipſa illius verba demonſtrant: Eo die deſtructus eſt infernus, extinctum maledictum, diſparuit peccatum, confractæ inferorum portæ captiuus factus eſt Diabolus, diuturnum bellum diremptum, conciliati Deo homines, noſtrumq́; genus ad priſtinam, immò ad maiorem rediijt digni*

tatem: viditq́ Sol inopinatum & admirabile illud ſpectaculum, quod homo factus eſt immortalis. Cogita igitur homo, inquit, quanta & qualia bona accepiſti hoc die, quantis malis es liberatus. Perditi eramus & reuiximus, inimici eramus & reconciliati ſumus.] Monet inſuper idem Chryſoſtomus Dominicum diem ſpirituali honore nobis eſſe colendum ac venerandum, vt qui totius humanæ naturæ natalitius poſſit appellari.

III.

HAEC aliaq́ multa & illuſtria Dei beneficia, quæ Dominicum diem cunctis mortalibus apprime commendant, me potenter incitabunt, vt illum valde charum & venerabilem habeam, eundem ſingulari laudatione & gratiarum actione proſequar, meq́ diuinis & adorandis illis tribus perſonis deuotum oſtendam. Huc ego meipſum incitans dicam: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſ- Pſal. 49.
ſimo vota tua. *Vbi autem eſt fides & ſpes, charitasq́ tua? Vbi reuerentia & obedientia ſupremo Numini debita, non tuo tantum ac mortalium, ſed etiam elementorum, beſtiarum & rerum omnium homini ceu principi ſubiectarum nomine?* Omnia enim, *vt Pſalmographus canit,* ſubieciſti ſub pedibus eius, mi- Pſal. 8.
nuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. *Ingens eſt profectò Dei beneficium in mundo creando, conſeruando atque gubernando. Maius adhuc in mundo per Filium redimendo, inſtaurando & ſanctificando. Maximum autem in humano genere, vt animo & corpore ſit beatitudinis particeps, tandem abſoluendo. Cur igitur anima mea illum bonorum omnium fontem, ſaluatorem & conſummatorem non colis? non amas? non celebras? ac intimè non complecteris? Quid eſt*

obſecro, quod munera illius præterita, præſentia & futura non
te afficiunt & excitant magis? Quin ſaltem illum obiurgantem
ch. 1. *audi*: Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus
ego ſum, vbi eſt timor meus, dicit Dominus exercituum?
38. *Cur ego mutus ac elinguis perſiſto, cùm laudent illum aſtra ma-*
tutina, ac tot miriades Angelorum non ſine metu nocte ac die
6. *illi concinant*, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus ex-
ercituum. Plena eſt omnis terra gloria eius. *Proinde illius*
diei præſtantia me non poterit non commouere, quem Propheta
in ſpiritu tantùm præuidens, ſanctaq; voluptate perfuſus, tàm
latè cantauit: Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus &
17. lætemur in ea. O Domine ſaluum me fac: O Domine benè
proſperare. *Et rectè ſcripſit Athanaſius, Deum tunc Solis in-*
d dictũ *ſtar exoriri, & vniuſcuiuſque animam illuſtrare. Sapit igitur Ec-*
a mihi *cleſia, cùm inter alia lætitiæ ſigna & cantica illam exultantis*
a ſunt. *vocem Dominico die depromit: Benedicamus Patrem & Filium*
cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula.
Et quoniam ego multis modis egeo diuina gratia & benedictio-
4. & *ne, hoc tam ſacro die vnà cum Rege Dauid procidam, adora-*
bo & plorabo. ſimulq; à ſumma æternaq; maieſtate rogabo il-
lud: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos De-
us, & metuant eum omnes fines terræ.

IV.

QVO maiora & excellentiora extant munera, nec Angelorum, nec hominum linguis vnquam explicanda, quibus æterna bonitas noſtram naturam hoc die cumulauit & extulit, eo vberiorem animi voluptatem capere, ac iuſtiorē lætitiam hoc ipſo die præ me ferre conabor. Siquidem apertè confitetur Eccleſia, in reſurrectione Domini cælum & terram lætari, omnemq; Dominicum diem non niſi lætis canticis & iucundis cæremonijs tranſigit, ieiunio autem & luctui nullum l

qui

cum relinquit. Hinc & Chryſoſtomus grauiter eos obiurgat, quibus olim libebat die Dominico ieiunia celebrare, ac illo etiam antiquior Tertullianus communi Orthodoxorum nomine palàm pronunciat: Die Dominico ieiunium nefas ducimus.] Nam & Clemens Romanus inter Apoſtolicas inſtitutiones illam reponit: Cunctis Dominicis diebus conuentus Eccleſiaſticos celebrantes lætitia fruimini: reus enim peccati erit, qui vllum diem Domini feſtum in mœſtitia egerit: lætari enim his diebus oportet, non autem lugere.] Quocirca ſi vnquam aliàs, hoc die vel maximè dictum & Catholicis obſeruandum eſſe ducam quod præcepit Apoſtolus: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. *Quod pium ſanctumq; gaudium Eccleſiæ cantica, quæ tunc reſonare ſolent, mihi confirmabunt, ſicut & Prophetica verba intimis animi mei ſenſibus complectenda renouabunt ac prouehent. Dicam enim & ego:* Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſraël, quæ largitus eſt eis ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum. *Sed & credentium omnium nomine, qui Chriſti beneficium amplectuntur, Iſaias hoc lætiſſimè vaticinatur:* Dicetis de die illa, Confitemini Domino & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius: Mementote quoniam excelſum eſt nomen eius. Cantate Domino quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in vniuerſa terra.

Oratione in Iudæos. Libro de corona militis

Lib. 6. cap. vlt.

Philipp. 4.

Iſai. 63.

Iſai. 12.

V.

CVM laus Dei ſit præclarum, nec ſatis prædicatum vnquam ſacrificium, quo ſublimis rerum opifex maximè delectatur (Sacrificium laudis, *inquit*, honorificabit me)*: ego hoc ipſum tantò ſtudioſiùs ac reuerentiùs quantò ſacratior hæc eſt dies, efferre curabo. Meminero igitur hoſtiam laudis, quæ pura & decora ſit, in primis exigi: quoniam ſpecioſa laus non eſt in ore peccatoris: quando Deus illi ipſi palàm exprobrat:*

Pſal. 49.

Pſal. 146.

Eccleſiaſt. 15.

probrat: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. Sic ergo ſacrificium diuinæ laudationis inſtituam, vt illud quod cordis contriti ſacrificium ab eodem Propheta dicitur, minimè prætermittam, ſed ad me quoque pertinere putem illam ſententiam: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum non deſpicies. *Cuius*
21. *quidem ſacrificij virtus quantoperè conferat pœnitenti, rex* [a] *Achab,* [b] *Petrus Apoſtolus ac peccatrix* [c] *Magdalena non obſcurè declarant. Prætereà illorum ſequar exemplum, qui cùm iuſti eſ-*
2. *ſent, vt* [a] *Moyſes,* [b] *Hieremias,* [c] *Baruch,* [d] *Daniel &* [e] *Eſdras,*
n. 9. *non modò ſua, ſed & aliena populiq; peccata confiteri ac deplo-*
i. 1. *rare neutiquam intermiſerunt. Et à Daniele quidem ita dictum accepimus:* Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. *Quare cùm idem Daniel ſua ſimul & populi peccata lugens confiteretur, & pro tota Eccleſia preces ardentes offerret, non Angelicam modò, ſed diuinam quoque conſolationem abundè percepit. Dabo igitur & ipſe operam, vt Dominico die partem ſolus, partim cum alijs Deum iratum precer, ac Propheticam illam ſententiam accuratè perpendam: Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: Idcirco tu inexorabilis es. Vbi laudatam illam Publicani ſubmiſſionem à meipſo exigam, viasq; meas ita recogitare contendam, vt ſuperioris hebdomadæ ſordes qualeſcunq; contractas dolenter expendam, nouaq; contritione & melioris vitæ propoſito diluam. Quod ſanè rectius fiet, ſi ego impuritatis meæ conſcius, ad miſericordiæ fontem Chriſtum lauandus recurram, & cum pœnitente Propheta ex animo dicam:* Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor: *Sicut nempè leproſi perfectam à Chriſto purgationem ſunt aſſequuti. Eſt enim hic fons patens domui Dauid & habitantibus in Hieruſalem, in ablutionem propoſitus, quemadmodum loquitur Zacharias. Sed & aqua*

ſacra

ſacra & luſtralis, qua Orthodoxi ex peruetuſto ſanctoq́ more tunc aſperguntur, me commonefaciet ablutionis & purgationis, quam in ſacro Baptiſmo ſemel accepi, quæq́ poſt Baptiſmum tantò diligentius & crebrius mihi adhibenda eſt, quantò longius à prima illa purgatione diſceſſi, quantoq́ maioribus vitiorum maculis veſtem meam candidam & in Baptiſmo concreditam deturpaui. Igitur ad Dominicum quoque diem referam, quod præcepit Apoſtolus: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei: *quodque Iacobus dixit:* Emundate manus peccatores, & purificate corda. *Eóque non grauabor exomologeſin facere, ſicut Cyprianus poſt * Tertullianum appellat, vt certior fiam de remiſſis mihi à Deo peccatis per claues Eccleſiæ, vtq́ illorum ſequar exemplum, qui primùm ab Apoſtolis inſtituti, veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos, vti Lucas meminit Euangeliſta.*

2. Corinth. 7. Iacob. 4. Sermon. 5. de lapſis. * Lib. de pœnitentia. Actor. 19.

VI.

RVRSVS *Dominico die mihi ſtudium precandi, & tempus meditandi augebo, de ſacris libentiùs loquar, legam & audiam, nonnunquam & ſacras ædes inuiſam. Nec enim à me alienum eſſe ducam, quod ſæculo ſuo cum pijs multis fecit diuus Hieronymus, diebus Dominicis templa religioſè petens, quemadmodum hæc eius verba teſtantur: Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circumire, crebroq́ cryptas ingredi.] Tum Iſaiam explanans meminit, quod orationes in Baſilicis Martyrum ex more celebrârit, licet idcirco Catholici à Vigilantianis deriderentur, quod ſacras*

Lib. 12. comment. in cap. 40. Ezech. In cap. 56. Iſai.

Diuorum reliquias publicè honorarent. Quicquid demum honorem cultumq́ ſummi Dei promouere & decorare poteris, id ad rectam Sabbathi ſanctificationem referre, atque ad meum officium pertinere mihi perſuaſum habebo. Quid enim eſt, quod religionis & gratitudinis ergò illi præſtare non conueniat, qui tanta in mortales munera contulit, nosq́ totos Dominico die ſibi vendicare, ſuoq́ cultui vacare vult maximè? Perinde ac ſi ille
Deuter. 5. *nunc quoq́ dicat:* Obſerua diem Sabbathi, vt ſanctifices eum, ſicut præcipit tibi Dominus Deus tuus. *Ac iterum:* Sabba-
Leuit. 19. tha mea cuſtodite, ego Dominus Deus veſter. *Et rurſus:*
Ezechiel. 20. Sabbatha mea cuſtodite, & ſanctuarium meum metuite. Ego Dominus. *Tum per Ezechielem:* Sabbatha mea ſanctificate, vt ſint ſignum inter me & vos: & ſciatur quia ego ſum Dominus Deus veſter.

VII.

PRætereà meminero veteris & perſancta conſuetudinis, qua Dominico die charitatem Chriſtianam declarat, & aliquam in fratres pauperes eleemoſynam expendi
1. Corin. 16. *poſtulat, quoad eius fieri poſsit. Etenim hac de re Paulus Apoſtolus quoq́ monet, cùm ſcribit de collectis, quæ vna ſiue prima, Dominica nempè die, in Sanctos conferebantur, quemadmodum Chryſoſtomus, Theophylactus & alij Paulinum locum interpre-*
In Apologetico & lib. de orat. *tantur. Et ſatis indicat Tertullianus, propoſitam olim in publico fuiſſe arcam, in quam fideles ſponte conferrent quaſi depoſita pietatis, vt de pueris, puellis, orphanis, ſenibus, naufragis vinctis & alijs egenis alendis benè mererentur. Eam verò beneficentiam tali tempori congruere Chryſoſtomus notat, nimirum*
Orat. 43. in epiſtola 1. ad Corinth. *vt in ſubſidium pauperum tunc erogetur aliquid ac reponatur, cùm Chriſtus adeò ſe liberalem & munificum orbi declarauit, maximaq́ in mortales beneficia contulit. Is etenim quùm ex inferis rediret, tot patrum millia, quos ex limbo tanquam carcere liberauerat, ſaluos ſecum ad ſuperos adduxit, ſuaq́ reſurrectionis gratia mirabiliter exhilarauit, ac præterea ſuos diſcipulos*

tunc ſæpius amanter inuiſit. Eoſdem poſtea, cum Pentecoſte cele- braretur, perquàm liberaliter Spiritu ſancto ita complexus, vt varijs linguis magnalia Dei publicè loquerentur, & ea præſta- rent, quæ Iudæi & Gentes ſatis non poterant admirari. quæq; ad fundandam Eccleſiam maximè pertinebant. Huc demum ſpectat ſolenne conuiuium & agape fratrum, ſiue fraterna dilectio, quem- admodum [a] Clemens, [b] Tertullianus & [c] Cyprianus meminerũt. Quocirca ſi vnquam aliàs, hoc die maximè tubam Apoſtolicam ſonare, & meas penetrare aures ita putabo: Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis ob- lationem & hoſtiam, DEO in odorem ſuauitatis. *Atq; vt Dominicus dies abundantiorem proximi charitatem à me impe- tret, non ſolùm corporalibus, ſed & ſpiritualib. miſericordiæ ope- ribus præſtandis inſiſtam: potiſſimùm vt omnes Eccleſiæ ordines, publicasq; cal mitates ardenti precatione ſummo Deo commen- dem, nec minus pro Eccleſiaſticis & Politicis Magiſtratibus, ſicut Apoſtolus præſcripſit, peculiariter vota faciam, ac preces meas ſimulq; communes Eccleſiæ offeram. Hunc precandi morem, qui ſatis extolli ac promoueri nequit, etiam cum primis Chriſti cul- toribus tenuit Tertullianus, & Clemens * Romanus ex Apoſtoli- ca traditione confirmat.*

[a] lib. 2. Apoſtol. conſtit. cap. 28.
[b] lib. ad Martyr. & in Apolog.
[c] lib. 3. ad Quirinum.
Epheſ. 5.

1. Tim. 2.

In Apologet.
* lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 10. 11. & deinceps.

VIII.

NOTABO è ſacris Concilijs ea pietatis officia, quæ Do- minico die fidelibus exercenda mandantur, vt illa ipſa velut à Spiritu ſancto tradita & commendata, ſedulò exequar. In Matiſconenſi Concilio ſecundo definitum hoc præcla- rè pronunciatur: Cuſtodite diem Dominicam, quæ nos denuò pe- perit, & à peccatis omnibus liberauit. Nullus veſtrum litium fo- mitibus vacet: nullus cauſarum actiones exerceat: nemo ſibi ta- lem neceſſitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Eſtote omnes hymnis & laudibus Dei animo cor- poreq; intenti. Si quis veſtrûm proximam habet Eccleſiam, pro-

Cap. 1.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

peret ad eandem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus & lachrymis afficiat. Sint oculi manusq́; veſtra toto illo die ad Deum expanſa. Ipſe eſt enim dies requietionis perpetuus, ipſe nobis per ſeptima diei vmbram inſinuatus noſcitur in Lege & Prophetis. Iuſtum igitur eſt, vt hanc diem vnanimiter celebremus, per quam facti ſumus, quod non fuimus. Fuimus enim antè ſerui peccati, ſed per eam facti ſumus filij iuſtitia. Exhibeamus Domino liberam ſeruitutem, cuius nos nouimus pietate de ergaſtulis liberatos erroris. Non quia hoc Dominus noſter à nobis expetit, vt corporali abſtinentia diem Dominicum celebremus, ſed quarit obedientiam, per quam nos, calcatis terrenis actibus, ad cœlum vſq; miſericorditer prouehat.] *Tum ſynodus Tiburienſis*

Canon.35. *poſtulat, fideles omnes diebus Dominicis & Feſtis à ſtrepitu forenſi, ſacularibus negotijs, litibus & contentionibus ſuperſedere, ne alioquin ſi ſecus fiat, iuſtus Deus illis iraſcatur, qui opus & cultum eius faciunt negligenter, quo tempore vigilijs & orationibus inſiſtere, Miſſas audire, oblationes offerre, ac ſoli Deo vacare oportebat. Prætereà in Concilio Agathenſi &* * *Aurelia-*

Canon.47. * Canon. 28. *nenſi ſanctè decernitur, vt fidelium quisq́; Miſſam Dominico die integram audiat, ſolennibus ſacris ſe non ſubtrahat, ſed in oratione perſeueret, neque ante ſacerdotis benedictionem è templo egrediatur. Cui decreto non malè reſpondet Canon decimus Apoſtolorum. Sed & Concilium Moguntinum luculenter præcipit:*

Canon.36. & 37. *Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decreuimus obſeruare, & à ſeruili opere abſtinere.*] *Sicut autem Apoſtoli ſacrifi-*

Actor.13 *cârunt, vti Lucas oſtendit: ita modum ſacrificandi commonſtrat* [a] *Iacobus,* [b] *Dionyſius,* [c] *Iuſtinus, vt alios Apoſtolicos viros prætermittam. Neq; Latini modò, ſed etiam Græci & Syri, aliaq́; vetuſtiſſimæ gentes Miſſa ſacrificium, ſiue Liturgiam in vſu perpetuo tenuerunt, multisq́; cæremonijs decorârunt. Et Apoſtoli qui-*

a In lyturgia. b de Eccleſiaſt. Hierarchia. c In Apolog. 2.

Lib. 3. Apoſtolic. conſtitut. cap.31. *dem, ſicut Clemens exponit, definiuerunt, vt fideles omnes conuenirent Dominico die ad agendum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Chriſtum affecit, atq; ad complendum dictum illud Propheticum, nempè,* In omni loco ſacrifi-

Malach. 1. catur & offertur nomini meo oblatio munda, quia ma-

gnum

gnum eſt nomen meum in genribus, dicit Dominus exercituum. *Nec ſolùm Clemens, ſed etiam Iuſtinus, Irenæus, Cyprianus, Euſebius, præter Latinos, hunc Malachiæ locum, qui ſacrificium Euchariſticum promittit, in medium adferunt, vt multi commonſtrârunt. Ac iterum Clemens diſertè ſcribit: Hic dies Dominicus tibi Domine Euchariſtiam pro vniuerſis offerre hortatur & iubet.] Vbi cærimonias etiam ſacrificio non defuiſſe veterum Liturgiæ declarant, & inter alios refert Tertullianus, quod ex more, ſtationum dies celebrarent, ad aram Dei ſtarent, reliqui aris adgenicularentur, nec ſolùm pro viuis, ſed etiam defunctis offerrent, & expanſis quog; manibus precarentur. Adhæc receptum erat moribus, die Dominico genu non flectere in ſignum reſurrectionis, per quam, vt Iuſtinus inquit, Chriſti beneficio & à peccatis & à peccatorum morte necata liberati ſumus: & ſacram quidem Euchariſtiæ oblationem & publicam gratiarum actionem tunc in templis à Clero & populo celebratam fuiſſe teſtatur. Mihi verò non ſuffecerit, ſacris precibus & concionibus, & ſacrificijs intereſſe ad hunc diem ſanctificandum, ſed præterea contendam, Chriſtum agnum immaculatum qui tollit peccata mundi, ſeq; præſentem ſiſtit in Euchariſtia, de altari petere ac ſumere perquàm reuerenter. Etenim Euchariſtiæ Sacramentum, quod & conuiuium Dominicum, non de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus, vt verbis vtar Tertulliani. Ac tanto quidem Chriſti amore priſci fideles flagrarunt, vt quoties Dominicam cœnam celebrarent, diebus verò Dominicis maximè, ad ſacram ſynaxin ſeſe conferrent. Hinc ille Canon extat Anacleti, Perfecta conſecratione omnes communicent, qui nolunt Eccleſiaſticis carere liminibus.] Quanquam hoc de præſentibus qui Epiſcopo miniſtrabant, præcipuè dictum eſſe videatur. Acquieſcam interim in ſapientiſſimi doctoris Auguſtini ſententia, cuius conſilium vtinam multi hodie amplecterentur. Quotidie, inquit, Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum & ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.]*

Lib. 7. cap. 37.

In Apologet. lib. de oratio. & lib. 2. ad vxorem. Item de corona militis.

Lib. quæſt. ad Orthodox. quæſt. 115.

Ioan. 1.

Lib. de coron. milit. & lib. 2. ad vxor.

Epiſt. 1.

Lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 53.

XI.

E Superioribus demum colligam, & ſeriò mecum animo reputabo, cur Eccleſiaſtico conuentui cùm aliàs, tum Dominico die libenter debeam intereſſe. Chriſtus quippe ſuos qui in ipſius nomine congregati ſunt, efficaciter viſitat atque benedicit, qui & Sabbathum vetus, vt Athanaſius meminit, in diem Dominicum tranſtulit. Libentius autem eo die Sacrum audiam, vt ineffabilis ſacrificij, quod incruentè, ſicut Cyrillus appellat, per ſacerdotem offertur, indignus ego particeps fiam. Eſt enim diui Cypriani ac totius Eccleſiæ communis & conſtans iſthac confeſſio: Ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis & calix benedictione ſolenni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemq́ proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens.] Celebrant Græci tremenda, vt ſæpè vocant, myſteria, & planè confitentur, ſanctos Angelos aſſiſtere altaribus, qui & ter adorandæ maieſtati reuerentiam adhibeant maximam. Nec vllum reperias diem, quem Chriſti & Domini diem cum Paulo rectiùs appellare poſſis, & in quo vltimum glorioſumq́ Chriſti Aduentum concinnius mediteris. Venit Chriſtus ex morte reſurgens, vt totus orbis meritò decantet: Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Veniet idem Chriſtus hoc ipſo (vt putant) die, ad viuos & mortuos iudicandos, quando magnus erit dies Domini, & videbunt omnes Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maieſtate. Erit enim ille cœleſtis iudicij dies, quo Chriſtus (omne* enim iudicium dedit illi Pater) pro ſuis quenq́ meritis aut honoret aut puniat, vt à Lactantio dictum eſt. Ergonè diem hunc niueo, vt aiunt, lapillo notarem, & ſingulari ſtudio religionis, nec minus ardenti fœlicitatis deſiderio tranſigerem, mentem huc aduocans maximè, vt duos fi-

dei articulos de reſurrectione carnis, & æterna vita propoſitos, mecum diligenter expendam?

O Sabbathum ex Sabbatho, vt more Prophetico loquar, Iſai 66.
quando reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſa- Luc.3.
lutare Dei. O Sabbathum delicatum, quod populo Dei Sabba- Iſai.58.
thiſmum perfectum adferet, quando electi omnes de morte Hebr.4.
corporis huius liberati, & ſicut aquilæ innouati, pennis aſſum- Iſai.40.
tis recentibus, mutabunt fortitudinem, ac ſimul in nubibus ob-
uiam Chriſto Regi rapientur in aëra, cum illo tam diu optata 1.Theſſ.4.
quiete perpetuò fruituri. Tunc enim electi omnes, vt Rupertus Lib.7. de diuin. offic. cap.13.
admonet, qui nunc poſt depoſitionem carnis vna & ſimplici
ſolius animæ beatitudine perfruuntur, ſicut in Apocalypſi legi- Apoc.6.
mus, quia data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, duplici, id eſt, cor-
poris & animæ fœlicitate remunerabuntur, ſicq́; binas perennis
gloriæ ſtolas accipient. O Sabbathum ſanctum, quum redem-
ti à Domino, ſedebunt in pulchritudine pacis, ac moleſtiæ om- Iſai.40.
nis expertes, miſericordias Domini, & melos Angelicum conſo-
nis vocibus in æternum dulciſſimè concinent. Tunc fugiet do- Apoc.21.
lor, luctus, clamor & mors: Sabbathumq́; feſtiuum celebrabi-
tur, in quo regis Auguſti in throno ſedētis magna vox latè perſo-
nabit: Ecce noua facio omnia. Qui vicerit, poſſidebit hæc,
& ero illi Deus: & ille erit mihi filius. *Quid verò tunc dile-* Ibidem.
cta & electa illa cohors, nimirum nuptiali illa veſte refulgens
vndique, ac de ſubactis hoſtibus perfectum triumphum repor-
tans? an non lætiſſimè cuncti concinent Alleluia: quoniam Apoc.18.
regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus
& exultemus, & demus gloriam eius: quia venerunt nu-
ptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe? *Quàm fœlix autem ea-*
dem vxor & ſponſa, quæ in cōmuni & amplo triumpho ſibi gra- Iſai.61.
tulans dicet: Gaudēs gaudebo in Domino, & exultabit ani-
ma mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, &
indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum deco-
ratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.
Proinde ſi vnquàm aliâs, certè Dominico die, qui fœliciſſimum

nec deſiturum vnquam Paſcha præſtabit, meritò leuabo caput in cœlum, & ob communem perfectamq́ redemptionem electorum, quæ certò certiùs appropinquat, fiduciaplenus, cum viro ſancto Iob dixero: Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum. *Hoc erit vtique maximum Sabbathum, non habens veſperam, Dominicus planè dies, velut octauus æternus, Chriſti reſurrectione ſimul & manifeſtatione ſacratus, neque ſolùm ſpiritus, verùm etiam corporis requiem quæ nunquam ceſſabit, Dei populo allaturus. Qua de re pluribus diſſerentem, ſi vacet, conſulam Auguſtinum. Quàm ſunt interim & miſeri & miſerandi, qui momentaneis huius vitæ bonis deliniti, ad fœlicem illum Sabbathiſmum non adſpirant, neque perueniunt, vt futura illa filiorum Dei gloria in ipſis quoque manifeſtetur. Hanc Paulus tanteperè deſiderabat, vt ingemiſcens diceret*: Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus.

Verùm hæc ſatis, & fortaſſe plus quàm ſatis, de Dominico die celebrando: nunc ad ipſum Aduentum Domini propiùs accedamus.

NOTAE

NOTAE MEDITATIONVM QVAE CVM ADVENTV DOMINI, VT VOCAMVS, CONGRVVNT.

I.

ERIT mihi hoc tempus idcirco cordi magis, quòd ſit totius anni ſequentis veluti veſtibulum & atrium, imago etiam veteris Synagogæ & priſcorum Patrum ſub lege degentium, atque ad Chriſti aduentum & gratiam tot ſeculis adſpirantium repræſentatio. Nullum eſt anni tempus accommodatius ad ſacroſanctum Dominicæ incarnationis myſterium, velut redemptionis humanæ exordium, omnibus omnium hominum ordinibus & ætatibus & mentibus commendandum, atque intimo cum ſenſu pietatis die noctéq; meditandum. Laudandi ſanè ſunt Germani vetuſtiores, qui cum viderent, aduentum & ortum Domini in menſem Decembrem incidere, nomen ei proprium indiderunt, Chriſtmonat à CHRISTO ipſo appellantes, quemadmodum & omne tempus hoc venuſto Aduentus nomine honorârunt, immò & den heiligen Aduent nuncupârunt, nimirùm vt ſicut in fide & religione

religione, ſic in cultu quoq; diuino ſanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ ſeſe conformarent. Volens prætereo, quàm ſapienter veteres orthodoxi hunc Aduentum pijs cæremonijs, lectionibus Propheticis & Euangelicis, canticis peculiaribus, ieiunijs frequentibus & precationibus ardntibus cohoneſtârint. Meipſum igitur incuſabo, ſi maioribus, matri, fratribus deſim in Aduentu vnà cum pijs omnibus religioſè auſpicando atque celebrando.

Quòd ſi ſcripturæ phraſim ſequimur, de Aduentu Do-
6. *mini capiemus, quoties audimus commendari nobis dies ſalutis, tempus acceptum, nouiſſimos dies, vel nouiſſimum tempus, ac etiam temporis plenitudinem. Quicquid enim in hac ſexta mundi ætate viuitur, tempus eſt reuelatæ ſalutis, & vſq; ad finem huius ſeculi durat, hodieq; nominatur iuxta illud:* Hodie ſi vocem eius audieritis, *quemadmodum Paulus iſtud hodie de tẽpore Chriſtiano interpretatur. Quid autem illo mundi ſtatu, qui Chriſti præceſſit aduentum, ſub globo lunari triſtius atq; funeſtius? Erat enim tunc ſeruitus, captiuitas, tenebræ, peccatum, nox & mera tyrannis Sathanæ. Cùm verò tot modis deſideratus ac neceſſarius Meſſias acceſſit, facta eſt manifeſtatio gloriæ Dei, & prædicatio gratiæ Chriſtianæ, vt miſeris omnibus liceat eſſe fœlices, & Sathanæ filij, qui modo Redemptori pareant, in benedictos Dei filios cooptentur.* Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Et Paulina vox eſt:* Apparuit gratia DEI Saluatoris noſtri omnibus hominibus, *qua nempè iuſtitiam conſequimur, & gratiæ efficimur cooperatores, vt nouo lumine*

illuſtrati, in noua vita ſecundùm ſpiritum ambulemus. Atque iſthæc aduentus Dominici ratio quam diximus, generalis eſt, cuius primariæ quidem tubæ Apoſtoli orbe toto extiterunt: tamen nihil hoc impedit, quo minus ex Eccleſiaſtico inſtituto & proprio quidem tempore noſtrum celebremus aduentum. Id enim ex priore illo veluti fonte manat, & nouam animi excitationem lucemq́ fidei ſuggerit, vt quod anno toto vix facimus, ſaltem ante natalem Domini cum ſpeciali Dei dilectione ac perfectiore ſtudio decentiùs faciamus.

II.

CERTA meditationum capita mihi proponam, in quibus crebrò verſer hoc tempore, nimirum vt in animum reuocem, quis & quantus ille ſit, cuius aduentum celebramus, vnde idem & quò, qua de cauſa, quando & quomodo veniat, cùm ad nos primùm accedit. Hæc enim omnia diuinis litteris de aduentu Domini conſideranda traduntur, ſuntq́ notatu digniſſima ijs, qui Chriſtum ſapientiæ & ſalutis omnis authorem ex animo quærunt & amant, vel ſaltem cum offenſo illo cupiunt reconciliari.

Quis igitur ille, cuius aduentũ anniuerſaria recolimus cõmemoratione? *Nempè promiſſum in paradiſo* Geneſ. 3.
ſemen mulieris tã potens, vt eo caput & imperium maledicti ſerpentis conteratur. Niſi Dominus exercituum hoc Iſai. 1.
ſemen nobis reliquiſſet, quaſi Sodoma fuiſſemus,

&

& quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. *Eſt hic verus il-
le Noe, in quo impletur vaticinium: Iſte conſolabitur
nos ab operibus & laboribus manuum noſtra-
2. 22. rum in terra, cui maledixit Dominus. *Eſt & ſemen
Abrahæ & poſteris eius promiſſum, in quo gentes omnes
18. benedicuntur. Eſt magnus Propheta de gente Iſraël, deq́ me-
dio fratrũ à Deo excitandus, quem omnes non minus quàm
Moyſen, ni prorſus pereant, debent audire. Eſt leo de tribu
Iuda, filius Dauid, rex & dominator in Iſraël. Eſt lumen
.23. & expectatio gentium, vnus ille Meſſias, cui poteſtatem &
37. honorem & regnum dedit Dominus, vt omnes populi, tribus
& linguæ ipſi ſeruiant obediantq́, cum ſit Rex regum, Do-
9. minus dominantium, Sanctus ſanctorum & princeps pacis.
Eſt Verbum quod erat in principio apud Deum, vnigeni-
tus Patris, plenus gratiæ & veritatis, hæres vniuerſorum
1. conſtitutus, primogenitus omnis creaturæ, in quo condita
ſunt vniuerſa in cælis & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Eſt
deniq́ primatum in omnibus tenens, quem omnes adorant
9. Angeli, cuius & ſacerdotium & regnum eſt ſempiternum.
Veniet deſideratus cunctis gentibus, inquit Aggæus, vel ſi-
cut Hebræi legunt, Veniet deſideratus omnium gentium.*

Vnde etiam ad nos? A ſummo cœlo egreſ-
ſio eius, *Dominator in Iſraël* egreſſus ab initio, à
diebus æternitatis. *Cum enim in ſinu Patris eſſet, exi-
.18. liens de cælo, à regalibus ſedibus venit.* Exiui, *inquit,*
.&1. a Patre, *de cælo nempe deſcendens, in quo apud Patrem*
. 8. *erat in principio,* cum eo cuncta componens, ante-
quam quicquam faceret. Nemo enim aſcendit in

cœlum

cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis [Ioan. 3.] qui eſt in cœlo.

Et quò ſe contulit? *In mundum hunc inferiorem ab* [Ioan. 1.] *ipſo conditum, vbi princeps mundi Sathan habebat imperi-* [Ioan. 12. Hebr. 2.] *um, & orbem vniuerſum ſeducebat. Huius mundi exilium* [Apoc. 12.] *& carcerem adijt, naturam humanam aſſumens.* Lux [Ioan. 3. & 1.] venit in mundum: *& quum in mundo eſſet, à mundo cognitus & receptus non eſt, ſed odio habitus, quia teſtimo-* [Ioan. 7.] *nium perhibuit de illo, quod opera illius mala eſſent.*

Qua de cauſa porrò venit? *Propter nimiam cha-* [Rom. 5. Tit. 3.] *ritatem & immenſam miſericordiam ſuam, vt humanum* [Luc. 1.] *genus miſerè afflictum, & in Sathanæ poteſtatem redactum* [Epheſ. 1.] *ſponte viſitaret, perditumq́ reſtitueret, factus ipſe non ſolùm homo, ſed Dei & hominum mediator, qui inimicos Deo* [1. Timoth. 2.] *Patri reconciliaret.* Dedit ſemetipſum pro nobis, [Tit. 2.] vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. *Venit vt paſtor ouem errantem requireret, &* [Luc. 15. & 19.] *ſicut Ioſue, exules amiſſæ patriæ reſtitueret. Venit, vt ſe-* [Ioſ. 21.] *dentes in tenebris & vmbra mortis ſummus ipſe Oriens illu-* [Luc. 1.] *minaret. Deus homo factus eſt, vt hominem plus quàm Angelum, immò quodammodo Deum, ſiue vt Petrus te-* [2. Petr. 1.] *ſtatur, naturæ diuinæ conſortem faceret ac exaltaret, noſq́* [2. Corinth. 8.] *iuſtitia Dei in ipſo efficeremur.*

Quando ad nos venire voluit? *Cùm adeſſet ple-* [Gal. 1. Rom. 1.] *nitudo temporis, poſt varias Dei promiſſiones Patribus fa- ctas, poſt varios typos de Meſsiæ aduentu editos, poſt multa longaq́ fidelium deſideria & ſuſpiria multis ætatibus*

profuſa.

profuſa. Venit tandem in poſtrema mundi iam ſeneſcen-
.10. *tis ætate, cùm lex naturæ & Moyſi ſuum tenuiſſent cur-*
ſum, neque vim ad iuſtificandum hominem præſtare poſ-
ſent, iamq́ peßimè haberet totum genus humanum, & vl-
tima mundi Monarchia, Auguſto imperante, penes Ro-
49. *manos exiſteret. Venit ſublato iam Regio ſceptro de Iuda,*
.3.1. *præſenteq́ Ioanne, qui tanquam præcurſor viam venienti*
11. *Meßiæ parauit, vt eſſent homines ad legem Euangelicam*
amplectendam promptiores.

Quod aduentus eius initium? quæ primordia? *Magnus Angelus Gabriel à ſummo Deo, velut Paranymphus futurus, è cœlo mittitur, qui cum Maria tot modis benedicta virgine, vt volens mater fiat Redemptoris, tranſigat. Illa vt incomparabilis Dei ſponſa, cœleſtibus monitis ſemper obſequens, conſentit & concipit, ſummo Deo Patre & beatiſsimo Spiritu ſancto, vt ſolus Dei filius homo fieret, cooperante, tota interim rerum natura ad ſummum hoc Dei opus*
.31. *atque miraculum obſtupeſcente. Sic è veſtigio, quod Angeli & homines non capiunt ſatis, Verbum fit caro, Deus humanam naturam aſſumit, Virgo illibata concipit Emmanuelem, conceptumq́ fœtum caſtiſsimo ventris ſui ſinu nouem geſtat menſibus, quoad virgo eundem in Bethlehem Iudæ pariat Emmanuelem.*

NOTAE DE DOMINA NOSTRA, EIVSQVE SPONSO IOSEPH ET GABRIELE ARCHANGELO, NEC NON puero Chriſto concepto, in Aduentu conſiderandæ.

I.

HOC ſacro tempore operam dabo, vt in Palæſtinam ſæpè peregrinatum eam, & in prouinciam Galilæam diuertam, ibiq́ oppidum Nazareth petam, in quo ædes Mariæ virginis cum Ioſeph ſponſo fortè habitantis, & iam è Spiritu ſancto prægnantis libenter inuiſam. Etenim quod Hieremias Propheta prædixerat, in hac ipſa completum eſſe conſtat: Creauit Dominus nouum ſuper terram: Fœmina circumdedit virum. *Eòdem referunt & illud Iſaiæ:* Habitabit iuuenis cum virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam. Hierem 31. Iſai. 62. *Contemplabor illam vt virgo erat regia, & ſicut magni Patriarchæ Abrahæ, ita & Dauidis principis filia lectiſſima, ipſis etiam ſanctis Parentibus Ioachim & Anna ſanctior, talemq́ inde ab initio vitam degens, qualis & Deo eſſet gratiſſima, & Dei Matri optimè congrueret. Spectabo illam, vt à mundi amore & carnis voluptate, mentiſq́ tumore ſemper alienam, & quæ caſtitatis, humilitatis ac virtutis omnis nunquam ſatis commendandum fuit*

ſtiſſimam, fœliciſſimam, nulli æquandam, & ſupra omnes decoram, maximamq́ virginem clariſſimè prædicat, eamq́ cunctos cælitum ordines excedentem. Sicut autem Ioannes Baptiſta in matris Elizabethæ vtero geſtatus, & necdum in lucem editus, Domini Deiq́ ſui matrem præſentem agnouit, & ex eius aduentu fructum cepit mirificæ ſanctificationis: ita ego, licet cum hoc Baptiſta nulla ſim ex parte conferendus, eandem Domini matrem mihi præſentem ſtatuam ac rogabo ſupplex, vt nouam purificationis & ſanctificationis gratiam menti meæ impetret, aduentumq́ filij ſui mihi & meis ſalutarem eſſe procuret. Certè cum Athanaſio dicere non intermittam: Recordare noſtri ſanctiſſima Virgo: intercede hera, & Domina, & regina, & mater Dei pro nobis.]

Ioan. 1.

In Euangeliũ de ſanctiſſima.

II.

ERIT mihi quoq́ commendatus Mariæ ſponſus Ioſeph, non minus mente quàm genere nobilis, verè iuſtus vir, & ſingularis amicus Dei. Teſtatur Chryſoſtomus, eum fuiſſe in omnibus præclarum, ac omnigena virtute inſignitum, qui ea quæ Patris ſunt, ex mandato diuino præſtiterit, ac ſupra legem ſapuerit, ſemper meditationi Prophetarum inhærens.] Commendat illum quoque Bernardus, vt fidelem ſeruum & prudentem, quem conſtituerit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, illumq́ in terris magni conſilij coadiutorem fidiſſimum. Igitur multis magniſq́ de rebus Ioſephus me

In breuiario Matthæi.

Homel. 2. de Maria virgine.

admonet

admonet ac inſtruit, maximè vt vocationi meæ in omni caſtitate & pietate ſeruiam, vtq; iuſti viri officium coràm Deo & hominibus præſtem, ſyncerè ſuũ cuiq; ius tribuens. Quæ iuſtitia verè Dauidis, immò & Dei filios alit, homines Angelicis moribus ſubijcit, & in cruce ipſa Ioſephos exercet. Ab eodem Ioſepho diſcam, cum in alijs rebus diuinis, tum in ſublimi myſterio incarnationis Chriſti, miſſas facere cogitationes humanas, nempè quomodo virgo ſine virili ſemine concipere, Dei Filium in vtero geſtare, ac demùm clauſa in lucem parere potuerit, vt pudicitiæ florem ſibi perpetuũ reſeruaret. Turbatur Ioſeph & angitur ad tempus, cùm videt ſuæ caſtiſſimæ virgini, quam cuſtodiendam acceperat, vterũ intumeſcere, velut ex incontinentiæ peccato prolem concepiſſet. Sed illius viri dubitatio erit mihi veræ fidei confirmatio, vt certò credam, ſicut & ille credidit Angelo affirmanti, fœtum hunc grauidæ virginis ex virtute maxima diuini Spiritus prouenire, & ſupernaturalem planè conceptum eſſe, quemadmodum Iſaias claris verbis prædixerat fore: Quod quidem apud Deum non ſit impoſſibile omne verbũ quicquid tandem caro & ratio in diuinis myſterijs cæcutiant, & nobis ſæpè falſa perſuadere conentur. Adeò verum eſt illud Prophetæ dictum: Niſi credideritis, non intelligetis.

III.

PRæterea mihi ſpectãdus magniq; faciendus eſt Angelus Gabriel, nouus vtiq; & illuſtris legatus, ampla cum poteſtate miſſus à ſummo Deo, adeoq; ſanctiſſ. Trinitatis nomine. Meminero, quã ille alacriter, lætè, reuerẽ

ter ac honorificè illam ſalutârit virginem, quæ more ſuo diuinis vacabat ſtudijs, & ſola cum ſolo Deo in ſecreto conclaui libentiſsimè colloquebatur. Ac Gabrielis quidem in ter ſacra virgine ſalutanda exemplum, quod hodie complures repudiant, ita mihi commendatum habebo, vt ſi anteà ſæpè, nunc multò magis in corde & ore meo repetam illud: AVE MARIA GRATIA PLENA. Benedicta tu in mulieribus.

Nec meo tantùm, ſed etiam cæleſtium & terreſtrium & eorum qui ſub terra ſunt nomine, verbis vtar Angelicis, idq; cum aliqua honoris ſignificatione, nec ſine officio pio gratulandi. Monet enim & Athanaſius, ſalutationis huius formulam cæleſtibus hierarchijs adeò gratam & receptam eſſe, vt magna cum voluptate & communi gaudio illa verba iterũ ac iterum decantent. Neq; dubitauero, mihi & pijs omnibus ad virgini Matri gratulandum cauſam grauem ſuppetere, quùm apertè liqueat plena, gaudij, pulchritudinis & fœlicitatis nunc in Deipara reperiri omnia, vt quam veluti ſuum parentem verus ille Salomon in ſummo honoris faſtigio collocauit, ideóq; illa delicijs affluere, & ſuper dilectum ſuum innixa eſſe dicatur.

Philipp. 2. Apoc. 6.
In Euang. de ſanctiſsima.
3. Reg. 2.
Cantic. 8.

IV.

IAM verò ad Chriſtum puerum in virgineo vtero latitantem, ſi ſapio, me ſtudioſè, ſed non ſine pudore ac timore conuertam, perinde ac ſi hoc mo

do dicerem : O Emmanuel Rex & Legifer noſter, expecta-
18. *tio Gentium & Saluator earum, obſecro ne iraſcaris, ſi lo-*
quar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis: quæ te
bonitas quæſo vicit, vt ſummus ſummo de cælo deſcendas, &
homo miſeros homunciones in hoc miſerando exilio ſponte
adeas ac inuiſas? Quid autem in cauſa eſt, quod tu omni-
um Dominus, nullo vel cælorum vel locorum ambitu com-
g. 8. *prehenſibilis, non ſolùm in hanc miſeriæ noſtræ abyſſum te*
ita demittas, ſed etiam tot menſibus in hoc virgineæ matris
tabernaculo velut incluſus latites? Itáne verbum caro fa-
ctus, teipſum adhuc contrahis & abſcondis? ac pauciſſimis
quidem in orbe notus? Quare quaſi colonus futurus
em. 14. es in terra, *vt cum Propheta loquar*, & quaſi via-
tor declinans ad manendum? Quare futurus es
velut vir vagus? *Quare demum poſt nouem menſes na-*
tus ad ætatem vſque virilem, & annos penè triginta in abdito
tranſiges, vt homines de te nihil fermè præclari, niſi vt de
. 6. *fabri filio, adeoque fabro ipſo, ſentire ac dicere videantur?*
Sed ita demùm ſermo tuus impletur, quo per Prophetam ve-
55. *rè dixiſti:* Non cogitationes meæ cogitationes ve-
ſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus.
Verè tu es DEVS abſconditus, DEVS Iſraël
Saluator.

V.

O Prægnans virgo mater, tot tantiſque gratiæ mune-ribus cumulata, & inter mulieres omnes benedicta, ac velut lilium inter ſpinas habenda, licet te ſolam

Domini

Domini ancillam agnoſcas: an ego miſerrimus non ſuſpiciam, non amem hanc tuam & ſummi filij tui ſubmiſſionem, & ſtudioſam in omnibus deiectionem? Utinam ego vetere homine poſito, tandem aliquando renaſcar, & vitam ſecundùm ſpiritum ordiar: veræ ſolidæq́; humilitatis fundamentis, quæ à te tuoq́; filio iacta ſunt, in imo collocatis. O ſi tuis adiutus precibus, illis Eccleſiæ filijs annumerari poſſim, qui ad ſanctam & fœlicem natiuitatem aſpirant, vt per filij tui aduentum ſecundùm ſpiritum regenerentur, quibuſcum & ego noua efficiar creatura. Ipſius enim (Dei) ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Epheſ. 2.

VI.

INSUPER ad ſanctum Chriſti natalem excipiendum, me Mariæ & Ioſeph, ſanctiſſimis coniugibus, quoad eius fieri poterit, conformare nitar. In illis animi & corporis integritas eximia relucebat: in illis fides de tanto myſterio firma vigebat, vtpotè quam ambo ex Angelicis verbis diuiniſq́; teſtimonijs abundè confirmatam haberent. Nec deerant flagrantes affectus, quos ad videndum & amplectendum Emmanuelem, in ipſis non minus quàm in alijs Patribus multis arſiſſe, quiuis intelligat. An non cum Iacobo Patriarcha ſuſpirando dicerent: Salutare tuum expectabo Domine? Geneſ. 49.
Et cum Moyſe: Obſecro Domine mitte quem Exod. 4.
miſſurus es. *Et cum Iſaia itidem:* Emitte agnum Iſai. 16.

84. Domine dominatorem terræ. *Atque cum Dauide:* 10. 8. Oſtende Domine nobis miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. *Vtique cum Prophetis, Regi-* .. & 1. *bus, iuſtis, & præcipuè cum Abraham & Simeone, coràm videre & excipere Meſſiam deſiderabant illum, qui perpetuò in domo Iacob regnaret, & in quo gentes omnes bene-* c. 22. *dicerentur. Ingens igitur & vehemens Mariæ & Ioſepho diuini partus & natalis Chriſti erat expectatio, vt per hoc* a. 1. *Salutare, quod illis commendârat Angelus, reſtitueretur Iſraël, illuminarentur gentes, & in melius omnia conuerterentur. Vtinam & ego, ſicut illi, tempus hoc fœlix, in quo viſitat nos Deus, & cogitationes pacis cogitat, fidei oculis apertis agnoſcam, tantoq; Redemptoris mei deſiderio flagrem, ac me totum ad illius aduentum ritè excipiendum in-* 2. *ſtruam, vt cum paſtoribus Bethlehemiticis & ipſe gaudeam de nato Saluatore, qui nobiſcum habitare, quin & ſe totum petentibus, quærentibus, pulſantibus offerre magnoperè gaudet. Vetuſtum eſt ſanè feſtum Hiſpanis, quod Expectationem beatæ Mariæ, ac etiam nomine Oliampridem appellant, nec longè ante Chriſti natalem celebrant, nimirùm vt populus etiam meminerit, cum eàdem ſacroſanctâ Virgine, in amabili fœliciſſimi partus expectatione verſari, & cum priſcis fidelibus tam diu promiſſi Meſſiæ in terras aduentum ex animo deſiderare.*

de dicijs *Ex quibus nemo non facilè perſpicit, Rupertum Tuitienſem rectè ſapienterq; hoc modo ſcripſiſſe: Tempus quod Dominicæ natiuitatis memoriam antecedit, ideò Aduentus nuncupatur, quia totus eius Eccleſiaſticus ordo, iuxta con-*

templa-

templationem aduentus Domini diſpoſitus eſt. Aduenire autem Dominus rectè dicitur, qui vbique eſt inuiſibili præſentia maieſtatis, dum aſſumto eo quod viſibile & noſtrum, viſibus carnis viſibilem ſe oſtendit. Quod tum factum eſt, quando Verbum (per quod omnia facta ſunt, quod erat in mundo, & mundus per ipſum factus eſt, ſed mundus eum non cognouit) caro factum eſt, vt viſibiliter habitaret in nobis. Ioan. 1.

NOTAE DE DIVINIS ORACVLIS PER EVANGELICVM PROPHETAM ISAIAM ANTE ANNOS FERE 800. PROditis, & ſacro Aduentus tempore ſubinde meditandis. Nam aliorum id genus vaticinia, quæ non niſi in IESV DEI & MARIAE filio completa ſunt, aduerſus perfidos Iudæos & impios hæreticos proferre nimis longum eſſet atque intempeſtiuum.

ERIT in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in monte montium (*venturus nempè Meſsias*) & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Iſai. 2.

.7. Ecce virgo concipiet & pariet filium: Et vocabitur nomen eius Emmanuel. *Hunc illuſtrem Prophetæ locum citat & Matthæus Euangeliſta.*
th.1.

. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. *Addit poſtea:* Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.

.19. Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem & propugnatorem qui liberet eos.

33 Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos.

42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedit ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet.

45. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul: ego Dominus creaui eum.

49. Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſraël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.

52. Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Et poſt:* Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valdè.

lite

Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum: quia quibus non eſt narratum de eo videbunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt. Ibidem.

Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. Videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Iſai. 61.

Ex eodem Propheta etiam atque etiam notabo priſcorum Patrum ac fidelium in expectando Meſsiæ vota & deſideria, tum ob diuturnitatem permoleſta: Spes enim quæ differtur affligit animam: *tum ob venientis perſonæ maieſtatem flagrantia, quod Chriſti præſentia nihil auguſtius & amabilius liceret excogitare. Unde in perſona illorum omnium dixit Iſaias:* Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes: a facie tua montes defluerent. *Atque hæc ipſa deſideria veterum, qui vt Stephanus loquitur, de aduentu Iuſti prænunciabant, ego tantò pluris faciam, quòd non obſcura ſint veræ fidei fiduciæq; argumenta, Deo vtiq; accepta, qui laborem & dolorem conſiderat, gemitumq; pauperum libenter exaudit: ſimulq; Meſsiæ nobilitatē & præſtantiam, qui legis Prophetarumq; finis ac ſcopus eſt, egregiè probent. Quorum Patrum velut perſonam ſuſtinens Eccleſia, & ſimul ad exoptatum promiſsi Meſsiæ aduentum nos excitans, cantica ex* Prouerb. 13. Iſai. 64. Actor. 7. Pſal. 9. Rom. 10.

Prophe-

Prophetarum vocibus pulchrè collecta depromit, atque vt magis præſentes afficiant animos, ea certis diebus repeti, & ſuauiter hoc modo in templis reſonare iubet.

O ſapientia, quæ ex ore altiſsim prodijſti, attingens à fine vſque in finem, fortiter ſuauiterq; diſponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

O Adonai & dux domus Iſraël, qui Moyſi in igneæ flammæ rubo apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

O radix Ieſſe, qui ſtas in ſignum populorum, ſuper quem continebunt Reges os ſuum, quem gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos: iam noli tardare.

O clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſraël, qui aperis & nemo claudit: claudis & nemo aperit: veni & educ vinctum è domo carceris, ſedentem in tenebris & vmbra mortis.

O Rex Gentium & deſideratus earum, lapiſq; angularis, qui facis vtraq; vnum: ſalua hominem quem de limo formaſti.

O Emmanuel, Rex & legifer noſter, expectatio Gentium & ſaluator earum: veni ad ſaluandum nos Domine Deus noſter.

Cæterùm ex huiuſmodi Patrum longis ſuſpirijs ac vehementibus deſiderijs, quæ ingentes angores, diuturnas ſollicitudines, multaſq; lacrymas illis crearunt, ſcitè colligit

Bernardus, & mecum ipſe perpendam, noſtram hoc tempore ſegnitiem ac ingratitudinem meritò reprehendi, quando ampliſsima exhibiti Redemptoris gratia minus nos ſponſi filios afficiat, quàm ſola eiuſdem promiſsio veteres veluti ſeruos, in ſumma illa legis obſcuritate, ac veluti nocte lugentes & expectantes, commouebat. Bernardi verba, ſi quis fortè requirat, hæc ſunt: Ardorem deſiderij Patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſsimè cogitans, compungor & confundor in memetipſo: & nunc vix contineo lachrimas, ita pudet teporis torporiſq́ miſerabilium temporum horum. Cui namq́ noſtrûm tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus ſanctis accenderat deſiderium promiſsio? Ecce enim quàm multi in hac eius, quæ proximè celebranda eſt, natiuitate gaudebunt, ſed vtinam de natiuitate, non de vanitate. Illorum ergo deſiderium flagrans, & piæ expectationis affectum ſpirat mihi vox iſta: Oſculetur me oſculo oris ſui.] *Quomodo igitur nos, vt Paulinis verbis vtar, effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, à priſcis illis Patribus tantoperè deſideratam, à primis fidelibus in ſummo pretio habitam, à viris Apoſtolicis toto orbe propagatam, à Chriſtianis populis magnificè prædicatam, ab omnibus Eccleſiæ ordinibus ſalutariter comprehēſam: quæ cum initium accepiſſet, enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, vt idem Apoſtolus loquitur, in nos confirmata eſt? Atq́ huc ſpectat, quod notauit Lactantius, vbi totum Eccleſiæ inſtitutū de hoc aduentu paucis, ſed commodis verbis complectitur, vt eam meritò repetamus: Deſcendens, inquit, de cœlo ſanctus ille Spi-*

Serm. 2. ſuper cantica.

Cantic. 1.
Hebr. 2.

Lib. 4. de vera ſapientia.

ritus

ritus Dei, ſanctam virginem cuius vtero ſe inſinuerat, elegit. At illa diuino Spiritu hauſto repleta concepit, & ſine vllo attactu viri repentè virginalis vterus intumuit.] *Ac iterum: Summus Deus ac parens omnium, cùm religionem ſuam transferre voluiſſet, Doctorem iuſtitiæ miſit è cælo, vt nouis cultoribus nouam legem in eo vel per eum daret.*] *Atque vt in hoc ingens Chriſti in carne aduentantis beneficiũ Eccleſiæ Chriſtianæ non minus neceſſarium quàm ſalutare eſſe credamus, multos ſacræ ſcripturæ locos adducit Lactantius, & ex illis rectè colligit, Prophetas omnes denunciaſſe de Chriſto, fore aliquando, vt ex genere Dauid corporaliter natus conſtitueret æternum templum Deo, quod appellatur Eccleſia, & vniuerſas Gentes ad religionem Dei veram conuocaret. Hæc (Eccleſia) eſt, inquit, domus fidelis, hoc immortale templum, in quo ſi quis non ſacrificauerit, immortalitatis præmium non habebit. Cuius templi & magni & æterni, quoniam Chriſtus fabricator fuit, idem neceſſe eſt habeat in eo ſacerdotium ſempiternum.*]

DOMI

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

EVANGELIVM hoc nobis depingit partim ſolennem & regalem Chriſti in vrbem Hieroſolymorum ingreſſum, partim Apoſtolorum in aſina & pullo adducendo obedientiam, partim commune populi ſtudium, paratumque obſequium in ſuo Meſsia excipiendo ac publicè celebrando. Etſi autem iſthæc hiſtoria non hoc anni tempore, ſed prope feſtum Paſchatis geſta eſt, tamen in plurimis Eccleſijs non temerè huic Dominicæ accommodatur. Multa enim & præclara de Chriſti in carnem, vt vocant, aduentu conſideranda, ac præſertim illud inſigne Zachariæ vaticinium meditandum proponit, quod ab omnibus Euangeliſtis repetitum cernimus: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuetus, &c.] Et ſanè Chriſtus, vt Hieroſolymam die Palmarum, ita inde ab initio ſui ortus in hunc mundum affectus venit, non vtique terribilis ac metuendus, non exactor ac iudex, ſed Rex planè manſuetus, humilis, pauper, ac ſimul amabilis, immo & lacrymans, vt Sion, hoc eſt, Iudæorum Synagoga tam gratioſo Regis aduentu meritò exhilaretur. Venit prætereà ſedens ſuper aſinam & pullum, vt ſe comitantes in templum adduceret, hoc ipſo typo nimirùm adumbrans, quod vtrumque populum, Iudæorum & Gentium ſibi ſubiecturus, & in vna

Zach. 9. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

profuſa. Venit tandem in poſtrema mundi iam ſeneſcentis ætate, cùm lex naturæ & Moyſi ſuum tenuiſſent curſum, neque vim ad iuſtificandum hominem præſtare poſſent, iamq́ peßimè haberet totum genus humanum, & vltima mundi Monarchia, Auguſto imperante, penes Romanos exiſteret. Venit ſublato iam Regio ſceptro de Iuda, præſenteq́ Ioanne, qui tanquam præcurſor viam venienti Meßiæ parauit, vt eſſent homines ad legem Euangelicam amplectendam promptiores.

Quod aduentus eius initium? quæ primordia? *Magnus Angelus Gabriel à ſummo Deo, velut Paranymphus futurus, è cœlo mittitur, qui cum Maria tot modis benedicta virgine, vt volens mater fiat Redemptoris, tranſigat. Illa vt incomparabilis Dei ſponſa, cœleſtibus monitis ſemper obſequens, conſentit & concipit, ſummo Deo Patre & beatißimo Spiritu ſancto, vt ſolus Dei filius homo fieret, cooperante, tota interim rerum natura ad ſummum hoc Dei opus atque miraculum obſtupeſcente. Sic è veſtigio, quod Angeli & homines non capiunt ſatis, Verbum fit caro, Deus humanam naturam aſſumit, Virgo illibata concipit Emmanuelem, conceptumq́ fœtum caſtißimo ventris ſui ſinu nouem geſtat menſibus, quoad virgo eundem in Bethlehem Iudæ pariat Emmanuelem.*

NOTAE DE DOMINA NOSTRA, EIVSQVE SPONSO IOSEPH ET GABRIELE ARCHANGELO, NEC NON puero Chriſto concepto, in Aduentu conſiderandæ.

I.

HOC *ſacro tempore operam dabo, vt in Palæſtinam ſæpe peregrinatum eam, & in prouinciam Galilæam diuertam, ibiq́ oppidum Nazareth petam, in quo ædes Mariæ virginis cum Ioſeph ſponſo fortè habitantis, & iam è Spiritu ſancto prægnantis libenter inuiſam. Etenim quod Hieremias Propheta prædixerat, in hac ipſa completum eſſe conſtat:* Creauit Dominus nouum ſuper terram: Fœmina circumdedit virum. *Eòdem referunt & illud Iſaiæ:* Habitabit iuuenis cum virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam. *Contemplabor illam vt virgo erat regia, & ſicut magni Patriarchæ Abrahæ, ita & Dauidis principis filia lectiſſima, ipſis etiam ſanctis Parentibus Ioachim & Anna ſanctior, talemq́ inde ab initio vitam degens, qualis & Deo eſſet gratiſſima, & Dei Matri optimè congrueret. Spectabo illam, vt à mundi amore & carnis voluptate, mentiſq́ tumore ſemper alienam, & quæ caſtitatis, humilitatis ac virtutis omnis nunquam ſatis commendandum fuit*

Hierem 31.
Iſai. 62.

ſtiſſimam, fœliciſſimam, nulli æquandam, & ſupra omnes decoram, maximamq́ virginem clariſſimè prædicat, eamq́ cunctos cœlitum ordines excedentem. Sicut autem Ioannes Baptiſta in matris Elizabethæ vtero geſtatus, & necdum in lucem editus, Domini Deiq́ ſui matrem præſentem agnouit, & ex eius aduentu fructum cepit mirificæ ſanctificationis: ita ego, licet cum hoc Baptiſta nulla ſim ex parte conferendus, eandem Domini matrem mihi præſentem ſtatuam ac rogabo ſupplex, vt nouam purificationis & ſanctificationis gratiam menti meæ impetret, aduentumq́ filij ſui mihi & meis ſalutarem eſſe procuret. Certè cum Athanaſio dicere non intermittam. Recordare noſtri ſanctiſſima Virgo: intercede hera, & Domina, & regina, & mater Dei pro nobis.]

Ioan. 1.

In Euangeliũ de ſanctiſſima.

II.

ERIT mihi quoq́ commendatus Mariæ ſponſus Ioſeph, non minus mente quàm genere nobilis, verè iuſtus vir, & ſingularis amicus Dei. Teſtatur Chryſoſtomus, eum fuiſſe in omnibus præclarum, ac omnigena virtute inſignitum, qui ea quæ Patris ſunt, ex mandato diuino præſtiterit, ac ſupra legem ſapuerit, ſemper meditationi Prophetarum inhærens.] *Commendat illum quoque Bernardus, vt fidelem ſeruum & prudentem, quem conſtituerit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, illumq́ in terris magni conſilij coadiutorem fidiſſimum. Igitur multis magnisq́ de rebus Ioſephus me*

In breuiario Matthæi.

Homel. 2. de Maria virgine.

admonet

admonet ac inſtruit, maximè vt vocationi meæ in omni caſtitate & pietate ſeruiam, vtq́; iuſti viri officium coràm Deo & hominibus præſtem, ſyncerè ſuū cuiq́; ius tribuens. Quæ iuſtitia verè Dauidis, immò & Dei filios alit, homines Angelicis moribus ſubijcit, & in cruce ipſa Ioſephos exercet. Ab eodem Ioſepho diſcam, cum in alijs rebus diuinis, tum in ſublimi myſterio incarnationis Chriſti, miſſas facere cogitationes humanas, nempè quomodo virgo ſine virili ſemine concipere, Dei Filium in vtero geſtare, ac demùm clauſa in lucem parere potuerit, vt pudicitiæ florem ſibi perpetuū reſeruaret. Turbatur Ioſeph & angitur ad tempus, cùm videt ſuæ caſtiſſimæ virgini, quam cuſtodiendam acceperat, vterū intumeſcere, velut ex incontinentiæ peccato prolem concepiſſet. Sed illius viri dubitatio erit mihi veræ fidei confirmatio, vt certò credam, ſicut & ille credidit Angelo affirmanti, fœtum hunc grauidæ virginis ex virtute maxima diuini Spiritus prouenire, & ſupernaturalem planè conceptum eſſe, quemadmodum Iſaias claris verbis prædixerat fore: Quod quidem apud Deum non ſit impoſſibile omne verbū quicquid tandem caro & ratio in diuinis myſterijs cæcutiant, & nobis ſæpè falſa perſuadere conentur. Adeò verum eſt illud Prophetæ dictum: Niſi credideritis, non intelligetis.

ta
ter

III.

PRætereà mihi ſpectādus magniq́; faciendus eſt Angelus Gabriel, nouus vtiq́; & illuſtris legatus, ampla cum poteſtate miſſus à ſummo Deo, adeoq́; ſanctiſſ. Trinitatis nomine. Meminero, quā ille alacriter, lætè, reuerē-

ter ac honorificè illam ſalutarit virginem, quæ more ſuo diuinis vacabat ſtudijs, & ſola cum ſolo Deo in ſecreto conclaui libentiſsimè colloquebatur. Ac Gabrielis quidem in ter ſacra virgine ſalutanda exemplum, quod hodie complures repudiant, ita mihi commendatum habebo, vt ſi anteà ſæpè, nunc multò magis in corde & ore meo repetam illud: AVE MARIA GRATIA PLENA. Benedicta tu in mulieribus.

Nec meo tantùm, ſed etiam cæleſtium & terreſtrium & eorum qui ſub terra ſunt nomine, verbis vtar Angelicis, idq; cum aliqua honoris ſignificatione, nec ſine officio pio gratulandi. Monet enim & Athanaſius, ſalutationis huius formulam cæleſtibus hierarchijs adeò gratam & receptam eſſe, vt magna cum voluptate & communi gaudio illa verba iterũ ac iterum decantent. Neq; dubitauero, mihi & pijs omnibus ad virgini Matri gratulandum cauſam grauem ſuppetere, quùm apertè liqueat plena, gaudij, pulchritudinis & fœlicitatis nunc in Deipara reperiri omnia, vt quam veluti ſuum parentem verus ille Salomon in ſummo honoris faſtigio collocauit, ideoq; illa delicijs affluere, & ſuper dilectum ſuum innixa eſſe dicatur.

Philipp 2. Apoc. 6.

In Euang. de ſanctiſsima.

3. Reg. 2.

Cantic. 8.

IV.

IAM verò ad Chriſtum puerum in virgineo vtero latitantem, ſi ſapio, me ſtudioſè, ſed non ſine pudore ac timore conuertam, perinde ac ſi hoc mo

Domini ancillam agnoſcas: an ego miſerrimus non ſuſpiciam, non amem hanc tuam & ſummi filij tui ſubmiſſionem, & ſtudioſam in omnibus deiectionem? Utinam ego vetere homine poſito, tandem aliquando renaſcar, & vitam ſecundùm ſpiritum ordiar: veræ ſolidæq́ humilitatis fundamentis, quæ à te tuoq́ filio iacta ſunt, in imo collocatis. O ſi tuis adiutus precibus, illis Eccleſiæ filijs annumerari poſſim, qui ad ſanctam & fœlicem natiuitatem aſpirant, vt per filij tui aduentum ſecundùm ſpiritum regenerentur, quibuſcum & ego noua efficiar creatura. Ipſius enim (Dei) ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Epheſ. 2.

VI.

INSUPER ad ſanctum Chriſti natalem excipiendum, me Maria & Ioſeph, ſanctiſſimis coniugibus, quoad eius fieri poterit, conformare nitar. In illis animi & corporis integritas eximia relucebat: in illis fides de tanto myſterio firma vigebat, vtpote quam ambo ex Angelicis verbis diuiniſq́ teſtimonijs abundè confirmatam haberent. Nec deerant flagrantes affectus, quos ad videndum & amplectendum Emmanuelem, in ipſis non minus quàm in alijs Patribus multis arſiſſe, quiuis intelligat. An non cum Iacobo Patriarcha ſuſpirando dicerent: Salutare tuum expectabo Domine? Geneſ. 49.
Et cum Moyſe: Obſecro Domine mitte quem Exod. 4.
miſſurus es. *Et cum Iſaia itidem:* Emitte agnum Iſai. 16.

Domine dominatorem terræ. *Atque cum Dauide:* Oſtende Domine nobis miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. *Vtique cum Prophetis, Regibus, iuſtis, & præcipuè cum Abraham & Simeone, coràm videre & excipere Meſsiam deſiderabant illum, qui perpetuò in domo Iacob regnaret, & in quo gentes omnes benedicerentur. Ingens igitur & vehemens Mariæ & Ioſepho diuini partus & natalis Chriſti erat expectatio, vt per hoc Salutare, quod illis commendârat Angelus, reſtitueretur Iſraël, illuminarentur gentes, & in melius omnia conuerterentur. Vtinam & ego, ſicut illi, tempus hoc fœlix, in quo viſitat nos Deus, & cogitationes pacis cogitat, fidei oculis apertis agnoſcam, tantoq́ Redemptoris mei deſiderio flagrem, ac me totum ad illius aduentum ritè excipiendum inſtruam, vt cum paſtoribus Bethlehemiticis & ipſe gaudeam de nato Saluatore, qui nobiſcum habitare, quin & ſe totum petentibus, quærentibus, pulſantibus offerre magnoperè gaudet. Vetuſtum eſt ſanè feſtum Hiſpanis, quod Expectationem beatæ Mariæ, ac etiam nomine Oliampridem appellant, nec longè ante Chriſti natalem celebrant, nimirùm vt populus etiam meminerit, cum eâdem ſacroſancta Virgine, in amabili fœliciſsimi partus expectatione verſari, & cum priſcis fidelibus tam diu promiſsi Meſsiæ in terras aduentum ex animo deſiderare.*

Ex quibus nemo non facilè perſpicit, Rupertum Tuitienſem rectè ſapienterq́ hoc modo ſcripſiſſe: Tempus quod Dominicæ natiuitatis memoriam antecedit, ideò Aduentus nuncupatur, quia totus eius Eccleſiaſticus ordo, iuxta contempla-

templationem aduentus Domini diſpoſitus eſt. Aduenire autem Dominus rectè dicitur, qui vbique eſt inuiſibili præſentia maieſtatis, dum aſſumto eo quod viſibile & noſtrum, viſibus carnis viſibilem ſe oſtendit. Quod tum factum eſt, quando Verbum (per quod omnia facta ſunt, quod erat in mundo, & mundus per ipſum factus eſt, ſed mundus eum non cognouit) caro factum eſt, vt viſibiliter habitaret in nobis. Ioan. 1.

NOTAE DE DIVINIS ORACVLIS PER EVANGELICVM PROPHETAM ISAIAM ANTE ANNOS FERE 800. PROditis, & ſacro Aduentus tempore ſubinde meditandis. Nam aliorum id genus vaticinia, quæ non niſi in IESV DEI & MARIAE filio completa ſunt, aduerſus perfidos Iudæos & impios hæreticos proferre nimis longum eſſet atque intempeſtiuum.

ERIT in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in monte montium (*venturus nempè Meßias*) & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Iſai. 2.

Ecce virgo concipiet & pariet filium: Et vocabitur nomen eius Emmanuel. *Hunc illuſtrem Prophetæ locum citat & Matthæus Euangeliſta.*

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. *Addit poſtea:* Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.

Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem & propugnatorem qui liberet eos.

Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos.

Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedit ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet.

Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul: ego Dominus creaui eum.

Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſraël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.

Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Et poſt:* Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde.

Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum: quia quibus non eſt narratum de eo videbunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt. Ibidem.

Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. Videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Iſai. 61.

Ex eodem Propheta etiam atque etiam notabo priſcorum Patrum ac fidelium in expectando Meſsia vota & deſideria, tum ob diuturnitatem permoleſta: Spes enim quæ differtur affligit animam: *tum ob venientis perſonæ maieſtatem flagrantia, quod Chriſti præſentia nihil auguſtius & amabilius liceret excogitare. Unde in perſona illorum omnium dixit Iſaias:* Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes: a facie tua montes defluerent. *Atque hæc ipſa deſideria veterum, qui vt Stephanus loquitur, de aduentu Iuſti prænunciabant, ego tantò pluris faciam, quòd non obſcura ſint veræ fidei fiduciæq; argumenta, Deo vtiq; accepta, qui laborem & dolorem conſiderat, gemitumq; pauperum libenter exaudit: ſimulq; Meſsiæ nobilitatē & præſtantiam, qui legis Prophetarumq; finis ac ſcopus eſt, egregiè probent. Quorum Patrum velut perſonam ſuſtinens Eccleſia, & ſimul ad exoptatum promiſsi Meſsiæ aduentum nos excitans, cantica ex* Prouerb. 12. Iſai. 64. Actor. 7. Pſal. 9. Rom. 10.

Prophe-

Prophetarum vocibus pulchrè collecta depromit, atque vt magis præſentes afficiant animos, ea certis diebus repeti: & ſuauiter hoc modo in templis reſonare iubet.

O ſapientia, quæ ex ore altiſsimi prodijſti, attingens à fine vſque in finem, fortiter ſuauiterq; diſponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

O Adonai & dux domus Iſraël, qui Moyſi in igneæ flammæ rubo apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

O radix Ieſſe, qui ſtas in ſignum populorum, ſuper quem continebunt Reges os ſuum, quem gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos: iam noli tardare.

O clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſraël, qui aperis & nemo claudit: claudis & nemo aperit: veni & educ vinctum è domo carceris, ſedentem in tenebris & vmbra mortis.

O Rex Gentium & deſideratus earum, lapiſq; angularis, qui facis vtraq; vnum: ſalua hominem quem de limo formaſti.

O Emmanuel, Rex & legifer noſter, expectatio Gentium & ſaluator earum: veni ad ſaluandum nos Domine Deus noſter.

Cæterùm ex huiuſmodi Patrum longis ſuſpirijs ac vehementibus deſiderijs, quæ ingentes angores, diuturnas ſollicitudines, multaſq; lacrymas illis crearunt, ſcitè colligit

Bernardus, & mecum ipſe perpendam, noſtram hoc tempore ſegnitiem ac ingratitudinem meritò reprehendi, quando ampliſsima exhibiti Redemptoris gratia minus nos ſponſi filios afficiat, quàm ſola eiuſdem promiſsio veteres veluti ſeruos, in ſumma illa legis obſcuritate, ac veluti nocte lugentes & expectantes, commouebat. Bernardi verba, ſi quis fortè requirat, hæc ſunt: Ardorem deſiderij Patrum ſuſpirantium Christi in carne præſentiam frequentiſsimè cogitans, compungor & confundor in memetipſo: & nunc vix contineo lachrimas, ita pudet teporis torporiſq; miſerabilium temporum horum. Cui namq; noſtrûm tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus ſanctis accenderat deſiderium promiſsio? Ecce enim quàm multi in hac eius, quæ proximè celebranda eſt, natiuitate gaudebunt, ſed vtinam de natiuitate, non de vanitate. Illorum ergo deſiderium flagrans, & piæ expectationis affectum ſpirat mihi vox iſta: Oſculetur me oſculo oris ſui.] *Quomodo igitur nos, vt Paulinis verbis vtar, effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, à priſcis illis Patribus tantoperè deſideratam, à primis fidelibus in ſummo pretio habitam, à viris Apoſtolicis toto orbe propagatam, à Chriſtianis populis magnificè prædicatam, ab omnibus Eccleſiæ ordinibus ſalutariter comprehēſam: quæ cum initium accepiſſet, enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, vt idem Apoſtolus loquitur, in nos confirmata eſt? Atq; huc ſpectat, quod notauit Lactantius, vbi totum Eccleſiæ inſtitutū de hoc aduentu paucis, ſed commodis verbis complectitur, vt eam meritò repetamus: Deſcendens, inquit, de cælo ſanctus ille Spi-*

Serm. 2. ſuper cantica.

Cantic. 1.

Hebr. 2.

Lib. 4. de vera ſapientia.

ritus

ritus Dei, ſanctam virginem cuius vtero ſe inſinuerat, elegit. At illa diuino Spiritu hauſto repleta concepit, & ſine vllo attactu viri repentè virginalis vterus intumuit.] Ac iterum: *Summus Deus ac parens omnium, cùm religionem ſuam transferre voluiſſet, Doctorem iuſtitiæ miſit è cælo, vt nouis cultoribus nouam legem in eo vel per eum daret.*] Atque vt in hoc ingens Chriſti in carne aduentantis beneficiũ Eccleſiæ Chriſtianæ non minus neceſſarium quàm ſalutare eſſe credamus, multos ſacræ ſcripturæ locos adducit Lactantius, & ex illis rectè colligit, *Prophetas omnes denunciaſſe de Chriſto, fore aliquando, vt ex genere Dauid corporaliter natus conſtitueret æternum templum Deo, quod appellatur Eccleſia, & vniuerſas Gentes ad religionem Dei veram conuocaret. Hæc* (Eccleſia) *eſt*, inquit, *domus fidelis, hoc immortale templum, in quo ſi quis non ſacrificauerit, immortalitatis præmium non habebit. Cuius templi & magni & æterni, quoniam Chriſtus fabricator fuit, idem neceſſe eſt habeat in eo ſacerdotium ſempiternum.*]

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

EVANGELIVM hoc nobis depingit partim ſolennem & regalem Chriſti in vrbem Hieroſolymorum ingreſſum, partim Apoſtolorum in aſina & pullo adducendo obedientiam, partim commune populi ſtudium, paratumque obſequium in ſuo Meſsia excipiendo ac publicè celebrando. Etſi autem iſthæc hiſtoria non hoc anni tempore, ſed prope feſtum Paſchatis geſta eſt, tamen in plurimis Eccleſijs non temerè huic Dominicæ accommodatur. Multa enim & præclara de Chriſti in carnem, vt vocant, aduentu conſideranda, ac præſertim illud inſigne Zachariæ vaticinium meditandum proponit, quod ab omnibus Euangeliſtis repetitum cernimus: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuetus, &c.] Et ſanè Chriſtus, vt Hieroſolymam die Palmarum, ita inde ab initio ſui ortus in hunc mundum affectus venit, non vtique terribilis ac metuendus, non exactor ac iudex, ſed Rex planè manſuetus, humilis, pauper, ac ſimul amabilis, immo & lacrymans, vt Sion, hoc eſt, Iudæorum Synagoga tam gratioſo Regis aduentu meritò exhilaretur. Venit prætereà ſedens ſuper aſinam & pullum, vt ſe comitantes in templum adduceret, hoc ipſo typo nimirùm adumbrans, quod vtrumque populum, Iudæorum & Gentium ſibi ſubiecturus, & in vna

Zach. 9. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

fide Eccleſiaq; conſociatum, in templo pacis æterno fœliciter coniuncturus eſſet. Huc ſpectat cumprimis illuſtre magni Patriarchæ Iacob vaticinium, de aduentu Meſſiæ, quod ille ſub mortem ſuam coram duodecim filijs ita recitauit: NON auferetur ſceptrum de tribu Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio Gentium,] (ſiue vt Chaldæi legunt, Meſsias) Addit eveſtigiò: Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam.] Vbi Iacob mẽtionem facit de pullo & aſina, ſicut & Zacharias in Euangelio citatus: vtrumque locum Iuſtinus Martyr contra Iudæos vrget, vt probet, præſentis Meſsiæ ſignum euidens eſſe Iudæorum & Gentium conuerſionem. Iudæos enim qui legem à Prophetis impoſitam geſtant, per aſinam clitellatam, Gentes autem per pullum indomitum ſignificari.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. XXI.

IN illo tempore, cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Betphage ad montem oliueti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: Soluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus &c. ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullum, &

impoſuerunt ſuper eum veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij autem ramos cædebant de arboribus & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna fili Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam.

MIRABOR, inter Chriſtum Dominum & mundi principes tàm longum eſſe diſcrimen. Hi cum primùm in regiam vrbem aliquam ingrediuntur, vt ſuam potentiam ac dignitatem ſubditis comprobent, multum ſplendoris, pompæ, oſtentationis & faſtus præ ſe ferunt, nec ſine armis & militari ſatellitio & equis phaleratis prodeunt. Chriſtus verò Iudçæ metropolin adiens, vbi Rex declarandus erat, regium apparatum omnem negligit, & inſigne præbet ſpecimen ſpontaneæ demiſſionis, miræ manſuetudinis, ac perpetuæ benignitatis. Nam & vili aſina vectus, & diſcipulorum pauperum comitatu contentus, in publicum ſponte procedit, ac licet interim amaras fundat lachrymas, & communem totius populi ſortem deploret, tamen rex Iſraël agnoſcitur, ac pro illo publicè ſalutatur. Hæccine ſatis ſunt ad me commonefaciendum, vt Chriſti Domini humilem, placidum & manſuetum aduētum agnoſcam immò & intimo complectar affectu? Talem illius ad-

uentum Iſaias & Zacharias, alijque ſacri Prophetæ prædixerunt, nec alium experti ſunt Iſraëlitæ, qualem & venerandi Apoſtoli orbe toto prædicarunt: *Vidimus* inquiunt, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Ac iterum: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Vtinam verò anima mea ſit germana, nec ſurda filia Sion, quæ ſacris ſiue Propheticis, ſiue Apoſtolicis intenta vocibus, vana, exotica & peregrina reſpuat omnia, de rebuſque puris ac ſpiritualibus curet maximè. Scio enim quis protulerit: *Quæ ſurſum ſunt quærite: vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Cùm ſancta illa ſponſa frequenter dicere ſatagam: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* O me fœlicem, ſi & norim & amplectar hunc manſuetiſſimi Dauidis filium, & eũdem Agnum Dei benigniſſimum de cœlo miſſum, nobiſque protenſo velut digito à Ioanne Baptiſta monſtratum, atque vt mundi peccata tolleret aduentantem. Is neque ad nos homunciones venire voluit, niſi blandiſsimi pueri ſpeciem ac indolem aſſumpſiſſet, ne quiſquam ipſius conſortium reformidaret, ac perpetuum vitæ candorem oſtendit, vt cunctorum ſibi animos ac beneuolentiam conciliaret.
Diſcite à me, inquit, *quia mitis ſum & humilis corde.* Proinde ſi de Chriſto rege & Meſsia, quòd venerit, mihi gloriandum putabo, illius etiam ingenium, modeſtiam atque manſuetudinem diligam & exprimam, à ſuperbiæ & arrogantiæ ſpiritu maximè alienus. Nihil enim illo humilius atque ſimplicius, qui cùm ſummus eſſet, ſe omnium nomine infimum fecit, ac, ſicut Paulus loquitur, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus. Quare CHRISTI Canonem mihi ſemper commendatum habebo: *Filius hominis venit non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* Et illum: *Venit filius hominis quærere & ſaluum facere, quod perierat.*

Væ

Væ interim ciuibus Hieroſolymitanis, quibus Chriſti aduentus in ruinam potiùs quàm reſurrectionem poſitus fuit, quandoquidem cùm illos Oriens ex alto viſitaret, hoc ſuæ viſitationis tempus dùntaxat leuiter ac perfunctoriè agnouerunt, nulloque fructu ſolido complexi ſunt. Ego duce Spiritu corroboratus, fidem & conſtantiam præſtabo maiorem, vt à Rege Chriſto ſemel ſuſcepto me nunquam diuelli ſinam, ſed datam illi fidem perpetuò ſeruem; ne ſim alioquin ex illis, quos Euangelium temporales appellat, quoniam ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quare vt alij verbis aut factis Chriſti Eccleſiæq; maximè offendantur, ego cum Apoſtolo Petro magnanimiter dicam: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei viui.* Sed & cum Paulo ingenuè profitebor: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Scio cui credidi, & certus ſum; quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* Nec vllus eſt Meſſias alius, cuius aduentum Eccleſia Catholica tot celebrauit ſeculis, ac celebrat etiamnum, præterquàm Dei & Mariæ filius, vnus idemq; mediator ac redemptor, ſed & fidei noſtræ author atq; conſumator Chriſtus Ieſus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Quoties autem ſacram de more Liturgiam celebramus, quæ ante tempus Antichriſti non abolebitur, hunc ipſum Regem Iſraël & Dauidis filium velut ad nos venientem excipimus Orthodoxi, & exceptum non modò fide, ſpe & charitate, ſed cultu etiam externo publicè honoramus, illique inuitis Eccleſiæ hoſtibus omnibus cum Iſraëlitis ac eorum pueris accinimus palàm: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.* Hunc honorem & cultum, quem Siriaca & Græcanica, non minus quàm Latina vero Chriſto iam pridem defert Eccleſia, noui ſectarij tàm ægrè concedunt, quàm illum olim Iudaici Phariſæi in die Palmarum CHRISTO attribui permoleſtè tulerunt, & in cantantibus paruulis per ſummam inuidiam reprehenderunt. Videntes enim Principes

Luc. 2.
Luc. 1.
Matth. 13.
Ioan. 6.
Rom. 8.
2. Timoth. 1.
Heb. 12.
Rom. 9.
Dan. 11.

Sacerdotum & Scribæ, quòd pueri in templo clamarent, Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt & dixerunt ei: Audis quid iſti dicant? Ieſus autem dixit eis, Vtique nunquid legiſtis, *Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* ſicut Matthęus commemorauit.

Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via.
Ac de facto diſcipulorum Chriſti,

CERTO credam, & olim credentibus licuiſſe, ac nunc etiam licere, vt in cultu Dei quædam ſpontè ac iniuſſi faciant, quæ cultores ipſos DEO ſummo commendent. Nam reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius, cùm de ſui gregis primogenitis, deque adipibus eorum offerret. Deinde patriarcha Noë, cùm nullum Dei præceptum extaret, altare Domino ædificauit, & ſuper illud munda obtulit holocauſta, Deo tam grata, vt Moyſes affirmet: *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Neque tacet ſcriptura, cur Abraham magnus patriarcha ingentes à Deo acceperit promiſſiones: eò nempè quòd obedierit ille voci Dei, eiuſque præcepta & mandata, ſicut & cæremonias legeſque ſeruauerit. Habent prætereà in Dei verbo laudem Dauid & Salomon, qui Moſaicæ legis ritibus non contenti, diuinum cultum auxerunt, nouaq; ſacra poſteris celebranda piè condiderunt, & in templo quidem ornando atq; amplificando mirificè laborârunt. Vna vtriuſque patris & filij mens erat atque ſententia: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Nota ſunt & opera pœnitentium Niniuitarum, quæ licet diuinitùs illis præcepta non eſſent, tamen hoc diuinæ ſcripturæ teſtimonio decorantur: *Vidit Deus opera eorum*, nimirùm in ſeuero ieiunio, vilitate ſaccorum, conſtanti oratione, ſimulq; prauæ vitæ integra conuerſione. Quare nec otioſum videri debet, quod Hieroſolymitani ciues, ſimulq; Apoſtoli hoc loco deſcribantur, qui multa tentârint atque perfecerint ad ſuum in Chriſtum amorem apertè prodendum, atque ad nos etiam

ſubmo-

ſubmouendos, vt eius gloriæ quæ Chriſto debetur, inprimis cupidi ac ſtudioſi eſſe gaudeamus. Etſi enim illi, qua fide & mente ſingula inſtituerent, non ſatis exploratum habebant, tamen non prorſus errabant, quod cœli terræq; principem & monarcham externis rebus ac quibuſdam ritibus honorare contenderent, vtpote quando arbores vltrò conſcendunt, ramos amputant, veſtes exuunt, & in via ſternunt, flores deportant, aſinam tegunt, ſe ordine conſequuntur, & ſiue magni, ſiue parui Chriſtum publicè concelebrant, & in templum vſque deducunt, à feſtiuis interim ac honorificis laudibus in illo itinere non abſtinentes. Nec dubium, quin ijdem diuino quodam ſpiritu afflati, tantum laudis & honoris, quantum anteà nunquam, Chriſto tribuerint: quandoquidem ſicut Lucas diſertè commemorat, cœperunt omnes turbæ deſcendentium gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus quas viderant virtutibus dicentes: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo & gloria in excelſis.* Quæ omnia me iure commonefacient, vt ſi vſquam aliàs, in cultu certè diuino meam in Chriſtum reuerentiam atque gratitudinem non modò priuatim, ſed & publicè teſtatam faciam, nullumq; omninò pudori ac timori locum relinquam. Etenim hic verè dixeris illud quod ſcriptum eſt: *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis: maior enim eſt omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis.* Pulchrum eſt in hac publica ſupplicatione locum vel inter paruulos adipiſci, de quibus paruulis & Chriſtus ipſe teſtatur: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum.* His paruulis reuelat Pater ſua myſteria. Nec minus pulchrum eſt, quoſdam ab Apoſtolis paruulos, nouaſq; Dei creaturas effici, vt Hoſianna publicè perſonent, dignaſq; Deo laudes offerant & exſoluant iuxta illud: Per ipſum offerimus hoſtiam laudis ſemper Deo. Ac omnibus quidem ætatibus verum eſt, Chriſto ſuos infantes, lactentes ac paruulos exiſtere, quales Petrus Apoſtolus nos eſſe

Luc. 19.

Eccleſ 43.

Matth. 19.
Matth. 11.

Heb. 13.

1. Petr. 2.

 flagitat,

flagitat, ex quorum ore ſuam & perfectam ipſe laudem magis magiſq; colligat atq; perficiat, ſed ita, vt ſimul interim deſtruat inimicos atq; calumniatores, qui Chriſto & ſponſæ eius Eccleſiæ obſtrepere nunquam deſiſtunt.

Habeo itidem quam notem ac diſcam in Apoſtolis Domini obedientiam, eamq; cum ſancta ſimplicitate coniungendam, & maleuolorum inuidia ſemper exercendam. Etenim hi diſcipuli, vt Chriſti Domini mandatum expleant, ad alienum iumentum ſoluendum & adducendum ſeſe comparant, licet mandantis ipſius animum nondum exploratum haberent. Tam probè didicerant illud, quod ſuperbus ille rex Saul à Samuele nunquam diſcere potuit: *Melior eſt obedientia quàm victima*: quodque Salomon optimè tradidit: *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. Obſeruabo & illud in diſcipulis, quod vtrique iumento (aſinæ & pullo) ſuas veſtes imponant, vt ita commodiùs ſedeat Dominus, & illi ſuum miniſterium decentius obeant. Per hæc autem veſtimenta quid aliud putem deſignari, præterquàm inſtituta, decreta, & traditiones primorum Chriſti diſcipulorum? hæc enim ad cultum Dei amplificandum, & ad Eccleſiæ miniſterium commendandum, vim ac authoritatem obtinent ſingularem. *Qui illa ipſa ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis*, ſicut de ſe ſuique ordinis hominibus Paulus luculenter affirmat. Vnde Lucas non temerè teſtatur, eundem Paulum & Barnabam in eo ſtudioſè verſatos eſſe, vt fidelibus præciperent cuſtodire dogmata, quæ ab Apoſtolis & ſenioribus fuerant Hieroſolymis edita atque definita. Nec obſcurus ille Canon eſt, qui ſemper valuit & valebit in Eccleſia: *State fratres, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrã*. Id quod Baſilius Magnus magis illuſtrans, perſpicuè dixit, ſicut & ego nunq̃ non meminiſſe debeo: Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio recipimus, quæ vtraq; eandem

ad

ad pietatem vim habent, & nemo ijs contradicit, qui vel ſaltem modicam Eccleſiaſticarum legum experiētiam habet.] Et iterum: Apoſtolicum arbitror eſſe, etiam in non ſcriptis traditionibus perſeuerare.] Cap. 29.

Benedictus qui venit in nomine Domini; deq́; noſtra in Chriſtum gratitudine debita.

DIGNI ſunt profectò Iſraëlitæ, quos obſeruem, magniq́ue faciam: tam multa & præclara præſtant obſequia in Chriſto Domino excipiendo, laudando atque deducendo. Quid aliud quæſo prudentius ac decentius facerent, ad ſe veros & germanos Abrahæ filios fide ac re ipſa declarandos? De Abraham quidem patriarcha Chriſtus ipſe teſtatur: *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: & vidit, & gauiſus eſt.* Meritò igitur me nunc pudeat ac pigeat, ſi ego his Iſraëlitis ignauior, tanti Regis aduentum non excipio, & exceptum non ardenti gaudio complector, illique ſummas non ago gratias, ſicut illi quidem plurima beneficiorum & miraculorum repetitione facta gratias egiſſe ſcribuntur. Quid quod ille de ſummo cœlo deſcendens, ſe ad nos viliſſimos vſq; demiſit, & ad alienigenas vltrò venit, ſeq; adhuc nobis indignis offert humaniſſimè? Nec omnibus tantùm, ſed & ſingulis, quoties exoptamus, eſſe vult hoſpes, ſponſus, medicus, doctor, ſaluator, amicus, frater, & quid non? *Deliciæ meæ*, inquit, *eſſe cum filijs hominum. Ego diligentes me diligo: & ſi qui manè vigilant ad me, inuenient me. Ego ſum Lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ergóne incogitantiã, ſegnitiem ac duritiem meam ipſe deplorẽ, quod multis modis expectatus, & hactenus inuitatus, non probis Iſraëlitis ac ſynceris Abrahæ filijs conſocior, vt optimo maximoq; Regi

Ioan. 8.
Luc. 19.
Prouer. 8.
Ibidem.
Ioan. 8.
Ioan. 12.
Apoc. 22.
Matth. 11.

obuiam eam, illumq; mihi reddam intimè familiarem? Quoties ſurdis velut auribus pulſantem illum tranſeo, neq; ſuauiſsimam vocem illius audio: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Cur demens illum non redamo, qui ſolus mihi præſtare poteſt omnia? illum non laudo & celebro, qui ſummum & æternum bonum exiſtit? Quare ſupplex Chriſto factus, die ac nocte non repeto, quod me per Zachariam Baptiſtæ parentem docuit Spiritus ſanctus: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ?* Augebo igitur in me ſpiritum gratitudinis, vt Abrahæ & Patrum priſcorum vigor in me frigido reuireſcat, & ego aliqua ex parte ingenuos imiter Iſraëlitas, qui ſe obuios ad Chriſtum excipiendum cumulatim effundunt. Ex his Andreas ille fuit, qui cum primùm de præſente Meſsia cognouiſſet, ne ſolus tanto theſauro potiretur, ſuum fratrem Simonem non ſine ardenti zelo ad Chriſti familiaritatem adduxit. Nec diſsimilis quidem Philippus & ipſe Galilæus, vt qui de Chriſti aduentu factus certior, continere ſe non potuit, quin tanti Euangelij captus dulcedine, communis fructus & gaudij conſortem redderet Nathanaëlem, ideoq; in verba illa prorumperet: Quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetæ, inuenimus Ieſum à Nazareth. Mirum ſanè dictu, veteres Prophetas in præſentem Meſsiæ aduentum intuentes, non ſibi tantùm, ſed nobis etiam tantoperè gratulari voluiſſe, neque nos incredibili illorum ardore ac ſtudio ad Chriſtum amandum magis accendi, atque indies commoueri. Parum igitur aut nihil nos pungunt ac penetrant illa Prophetica vel dicta, vel ſpicula: *Exulta, iubila, canta filia Sion.* [a] *Tempus requirendi Dominum,* [b] *cùm venerit qui docebit vos iuſtitiam.* [c] *Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Domini.* [d] *Eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum,* vt alia id genus permulta ad diuinam Chriſti charitatem nos inflammantia prætermittam.

Meminero igitur, hoc tempus acceptabile, & hos dies ſalutis, ſicut Paulus appellat, nouo obſeruare ſtudio, vt non modò Chriſtum in lege & Prophetis promiſſum, iamq; nobis certò certius exhibitum fide percipiam, ſed etiam credendo exultem, lætitia inenarrabili & glorificata, nihil hæſitans de fide, fideique fine, qui animæ meæ ſalus æterna eſt, vnà cum electis & obedientibus omnibus conſequendo, quemadmodum princeps docuit Apoſtolorum. Quem Chriſtum ego non ſolùm corde ac ore coram amicis ipſiſq; hoſtibus Eccleſiæ confitebor, verùm etiam Chriſtianæ iuſtitiæ officijs clàm palamq; ſanctificabo, ſicut idem Apoſtolus verbis illis oſtendit: *Dominum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe & fide.* Potiſsimùm verò adlaborabo, vt ne quod Iſraëlitæ pro ſuo merito iampridem audierunt, in me quoque competat, Chriſto illis publicè redarguente: *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Hypocritæ faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?* Cuiuſmodi hypocritis aggregandi ſunt, qui cœci & manu tentantes ab Apoſtolo Petro dicuntur, quoniam vacui & ſine fructu in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione verſantur: quiq; ſecundùm Paulum Deum ore confitentur, factiſq; negant, quùm ſint ad omne opus bonum reprobi. Ab horum conſortio me ſubducam ſedulò, ne fidem otioſam mortuamq; conſecter, illiſq; conformer, de quibus Ioannes Euangeliſta teſtatur: *Ex principibus multi crediderunt in illum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerũt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*

2. Corinth. 6.
1. Pet. 1.
1. Pet. 3.
Luc. 6.
Luc. 12.
2. Pet. 1.
Tit. 1.
Iacob. 2.
Ioan. 12.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt cum Catholico clero & populo ſacrum tempus Aduentus fœliciter ordiar, illudq; iuxta Eccleſiæ inſtitutum cum fructu tranſigam.* Hora enim eſt iam nos (*qualeſcunq; demum ſumus*) ſurgere. Nox præceſsit; dies autem appropinquauit, *prout Apoſtolus Doctor gentium per omnes clamat Eccleſias.*

Rom. 13.

DEINDE *rogabo Dominum, vt ad ſanctificandum hoc tempus paſſim abyciantur & ſupprimantur opera tenebrarum, quæ & carnis opera Paulo dicuntur, & Dei regnum excludunt, ſicuti commeſſationes, ebrietates, laſciuiæ, impudicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ & ſectæ. Nam & vetus Eccleſiæ diſciplina exigit, vt ad vanitatem, luxum & ventrem ſpectantia, ſicuti nuptiæ, choreæ, voluptates, ludicra, vanaq́; ſpectacula, ex quibus multorum malorum ſeges proficiſcitur, hoc tempore intermittantur. Pro his autem pœnitentiæ & charitatis opera tanquam arma lucis, ex profeſſo à Dei filijs aſſumuntur, perinde ac ſi præceptum illud Apoſtolicum recens inculcetur:* Probate quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. *Quæ nos ua Eccleſiæ purificatio per Chriſti præcurſorem Baptiſtam olim adumbrata, Chriſtianos ordines omnes ad puriorem vitam excitat & impellit, nimirùm vt ineffabilem aduentus Domini fructum & diuinas Chriſti virtutes facilius participemus, quin etiam Chriſtum ipſum iuſtitiæ ſtolam induamus. Hic autem Chriſtum induit, prout Ambroſius docet, qui ſe ab omni errore & turpitudine ſeparauerit, ne in conuiuio nuptiarum ſine veſte eius inuentus, & turpiter abiectus, tenebris mancipetur. Exutis enim veterem hominem, in nouitate vitæ manendum eſt.*]

ORABO *inſuper pro cunctis infidelibus, quibus vera mundi lux Chriſtus nondum illuxit, & pro Eccleſiæ Catholicæ aduerſarijs in petram ipſam Chriſtum impingentibus, maximè quòd ſacri temporis huius, & venerandæ antiquitatis, diuiniq́; cultus propter Chriſtum in templis inſtituti rationem omnem ſuperbè contemnant: tantum abeſt, vt ordinis & politiæ religionisq́; cura & diſciplina tangantur. Ac tantò magis ego me ad hoc pium Eccleſiæ inſtitutum applicabo, nouumq́; mihi ſtudium indicam orandi, meditandi, legendi, aliaq́; ſaluti meæ viciniora ſectandi, perinde ac ſi ad me propriè ſpectaret illud:* Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis. *Proinde non modò deteſtans dum incredulitatis & peccati ſomnum, ſed & quemlibet repre-*

henſibilem

henſibilem ignorantia, negligentia ac inertia torporem mihi prohiberi, maioremq́ ſolitò ſpiritualis diſciplinæ diſtrictionem à me flagitari putabo, veluti Salomonem ipſum ſubinde increpantem audiam: Vſquequo piger dormies? vſquequo de ſomno conſurges? Parum inquam, dormies, modicum dormitabis. Prouerb. 24.

Prætermiſſis autem Aduentus noſtri concionatoribus, qui apud veteres multi & præclari extiterunt, illuſtrem doctorem Auguſtinum duntaxat attingam. Is ante mille annos de huius temporis ratione diſſeruit, & inter alia ſub finem concionis ita ſuos monuit auditores: Hoc admonuimus fratres, vt quia natalis Domini imminet, tanquàm ad nuptiale & cœleſte conuiuium, ab omni luxuria alieni, & bonis operibus adornati, nos per Chriſti adiutorium præparemus, eleemoſynas pauperibus erogemus, iracundiam vel odium, velut venenum, de cordibus noſtris reſpuamus. Caſtitatem fideliter conſeruate, ad conuiuia veſtra frequentius pauperes reuocate, ad vigilias maturius ſurgite, in Eccleſia ſtantes aut orate aut pſallite: verba otioſa aut ſæcularia nec ipſi proferre, & eos qui proferre volunt caſtigate. Pacem cum omnibus cuſtodite, & quos diſcordes agnoſcitis, ad concordiam reuocate. Hæc ſi fideliter Chriſto adiuuante volueritis implere, & in hoc ſæculo ad altare Dominicum ſecura conſcientia poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem fœliciter peruenire.] Atq; ita quidem veteres de Aduentu cuius & Chryſoſtomus meminit, ſunt philoſophati, vt ex illo quaſi paraſceuen facerent ad natalem Domini, ſacramq́ue ſynaxin dignè ab omnibus excipiendam. Huc & crebræ conciones inſtituebantur, & varia pietatis exercitia, ſimul & fraternæ charitatis opera populo commendabantur.

Sermon. 2. de tempore.



DOMINICA II. ADVENTVS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

TRISTISSIMA ſigna huius mundi finem Chriſtiq; ad iudicium extremum aduētum proximè ante ceſſura, hoc loco deſcribuntur. Horribiles mutationes tunc fient in cœleſtibus ſimul & terreſtribus creaturis, vt hinc mali omnes timore maximo concutiantur, ſimulq; propter imminentes perpetuæ damnationis pœnas grauiſſimè diſcrucientur. Nunquam id verius elucebit quod
Pſal. 111. ſanctus Propheta fore prædixit: Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.] Præterea in hoc Euangelio habent boni & electi mirificam conſolationem, quandoquidem futura mundi conſummatio, & extremi iudicij dies incomparabile illis creabit gaudium, ac nouam pariet fœ-
Matth. 25. licitatem. Cùm enim viuorum ac mortuorum iudex Chriſtus, vt orbem totum iudicet, in ſede maieſtatis ſuæ ſederit, iuſti perfectam animi & corporis liberationem aſſequentur, ac iudicem adeò ſibi propitium ſentient, vt ab eo ceu benedicti patris ad æternum Dei regnum poſſidendum ſuauiter inuitentur, perpetuoq; cooptentur. Nam in ſingulis electis illam ſententiam compleri ne-
Iacob. 1. ceſſe eſt: Beatus vir qui ſuffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEVS diligentibus ſe. Vnus igitur & idem eſt diuini iudicij dies, qui damnandis terrorem ac luctum acerbiſsimum, electis autem conſolationem & gloriam vbertimam adferet, omnibus interim creaturis

ſanctorum libertatem quodammodo ſuſpirantibus, ſanctiſq; ipſis ad ſupremam illam filiorum Dei gloriam maximè adſpirantibus, ſicut Paulus ipſe teſtatur. Atque huc demùm referri poteſt, quod Iuſtinus & Hyppolitus Martyres comprobant, Chriſti Domini aduentum in ſacris litteris duplicem commemorari, priorem quidem ſecundùm carnem, qui abiectus fuit, eò quòd ille humilis coram mundo apparuit: poſteriorem verò ad extremum illud iudicium verè glorioſum & ſplendidum, quando veniet idem è cœlis cum potentia, cum Angelis, & gloria Patris. Proinde ſicut præcedens Dominica priorem illum aduentum nobis commendauit, & per Zachariam Prophetam in Euangelio propoſitum comprobauit: ita præſens Dominica de poſteriore aduentu nos admonet, quem Chriſti verba in Euangelio ſequenti apertè commonſtrant. Eoque magis probandum eſt Eccleſiæ inſtitutum, quæ de illo priore nunc ſæpè cantat ex Iſaia: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: de hoc autem poſteriore aduentu ſubinde repetit Zachariæ vaticinium, Ecce Dominus veniet, & omnes ſancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna. Hic docendi ordo admonet, vt aduentum vtrumque nobis meditandum ſuſcipiamus, neque ſolùm in fide, verùm etiam in timore Chriſti hoc tempore confirmemur.

Apolog. 2
Rom. 8.
Oration. de conſummat. mundi.
Matth. 21.
Ioan. 7.
Zach. 14.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ. XXI.

IN illo tempore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in Sole, & Luna & Stellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, nam virtutes cælorum mouebuntur: Et tunc*

videbunt

videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem, Videte ficulneam & omnes arbores: cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, & in terris preſſura gentium.

NON modò Chriſti Domini gratiam & miſericordiam mihi promiſſam lætus amplectar, ſed & iuſtitiam tanti iudicis in Euangelicis litteris propoſitam reformidabo. Idem enim Chriſtus vti ad ſe conuerſis eſt perbenignus, & ampliſsima pollicetur & offert, ita ingratis ac ſine timore peccantibus iratum ſe, ac in puniendo valde ſeuerum exhibet. Quid illo dicto lenius ac blandius: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos? Quid rurſus illo ſeuerius? *Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Ingentem præbet con-

ſolationem atque fiduciam: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: Petite & accipietis.* Sed rurſus terrificum illud haberi debet: *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis. Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Delectat planè ſuauis illa promiſsio: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: Omne quod venit ad me non eijciam foras.* Sed rurſus iure pios abſterret, cùm audiunt: *Omne cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multùm, plus petent ab eo: Reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Quare mihi ſatis non erit, in Chriſtum gratiæ plenum, qui humiliter in hunc modum venerit, noſterque propiciator eſſe ac ſaluare omnes cupiat credere: ſed præterea fidem meam circa ſecundum eius aduentum, quo potenter & in maieſtate veniet, totique orbi terrorem ingentem adferet, & ſecundùm opera ſua quemlibet iudicabit, etiam atque etiam exercebo. De quo poſteriore aduentu Chriſtus ipſe nunc & ſæpè aliâs diſſerit, vtpote verax Propheta, qui de ſignis terrificis ſub mundi finem, ſuumq; iudicium apparituris, & cum iudicio ipſo coniunctis ſic vaticinatur, vt cuncti audientes, maleque ſibi conſcij, meritò extimeſcant. Etenim Sol & Luna (præcipua mundi lumina) cum planetis, ſtellis alijsque mundi ſignis mirabiliter obſcuratis terrorem maximum ingerent. Aër corruptus peſtes & morbos grauiſſimos paſſim excitabit. In mari & fluminibus inſolitæ tempeſtates & inundationes mortales plurimos perdent. Terræmotus crebri & vehementes, domos, arces, turres & ciuitates euertent innumerabiles. Cœlum & terra terribili fragore reſonabunt, elementa demum cum creaturis omnibus tam horridum aſpectum induent, tantumque luctum quantum antea nunquam, cunctis excitabunt mortalibus, vt verè dicatur: *Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & iræ furoriſq; ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.*

Ioan. 16. Matth. 5. Matth. 12. Matth. 11. Ioan. 6. Luc. 12. Matth. 16. Matth. 24. & 25. Luc. 12. & 16 Ioan. 5. Marc. 13. Luc. 21. Iſai. 13. Ioël. 3. Iſai. 13.

Tunc

Tunc videbunt Filium hominis venientem in maieſtate.

SI TOTVS mundus tremet & cohorreſcet, ſi virtutes Angelorum commouebuntur, ſi omnes tribus terræ plangent, ſi ſancti & cum Deo reconciliati ſæpè expaueſcunt, cùm illam aduentantis Iudicis maieſtatem, extremiq; iudicij ſeueritatem tantùm animo ſecum reputant: cur ego miſer, qui coràm eodem tremendo Chriſti tribunali vel inuitus aſſiſtam, omniſque vitæ meæ anteactæ rationem exactam reddam, cur inquam, ob huius tremendi iudicij certiſſimam denunciationem & firmiſſimam fidem non totus concutior, ac ſæpenumero contremiſco? An non Spiritus ſanctus per Ioëlem luculenter affirmat: *Magnus dies Domini, & terribilis valdè: & quis ſuſtinebit eum?* Niſi hunc diem Iob ſanctus extimuiſſet, non vtique illa ſollicitudinis plena verba prodidiſſet: *Quid faciam, cũ ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Ac rurſus alibi: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Nec dubitat Hieronymus de ſeipſo teſtari: Ego cunctis peccatorum ſordibus inquinatus diebus ac noctibus opperior, cum tremore reddere nouiſſimum quadrantem. Sciebat enim Apoſtolicam ſententiam: *Terribilis eſt expectatio iudicij, & horrendum incidere in manus Dei viuentis, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Quibus & illud conſonat: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Statimq; ſubiungit: *Scientes ergo timorem Domini hominibus ſuademus.* Neque tacet princeps Apoſtolorum: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* nimirùm cùm iudex ille ſcrutabitur Hieruſalem in lucernis, ipſaſque hominum iuſtitias iudicabit. Etenim vt nullum bonum irremuneratum, ita & malum nullum im-

punitum relinqui poteſt ab eo, qui orbem in æquitate iudi-
caturus eſt, vt ſuum cuique vel præmium, vel ſupplicium Matth. 25.
perpetuum decernatur.

Væ igitur mihi ad voces Propheticas & Apoſtolicas ob-
ſurdeſcenti, ſi inſtar phrenitici, tam multos & irrefutabiles
huius poſtremi aduentus præcones ac teſtes non audiam
& obſeruem. Quid obſecro certius eſt Orthodoxo, quàm
iuſtum iuſti Dei iudicium imminere, quod nullus queat ef-
fugere, quodq; in his qui præſunt, duriſſimum fiat? Quis
Chriſtianus de illo fidei articulo ab Apoſtolis tradito ſub- Sapient. 6.
dubitet, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos? Quod
Ioannes ſic etiam clariùs reddidit: *Ecce venit cum nubibus,* Apoc. 1.
& videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt, & plan-
gent ſuper eum omnes tribus terræ. Atque hæc de poſtremo
iudicio fides etiam Iudæis immota conſtitit, tamq; diu in or-
be durauit, vt etiam Enoch vir primi ſeculi, & ab Adam ipſo
ſeptimus in hunc modum docuerit: Ecce veniet Dominus
in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, vt
reliqua prætermittam, quæ ab Apoſtolo Iuda repetuntur. In epiſtola.
Clamat & Iob: *Scitote eſſe iudicium,* eiuſque iudicij diem Ioël Iob. 19
& Sophonias præter alios Prophetas deſcribunt ampliſſi- Ioël. 2 & 3.
mè. Quocirca miſerandam illorum ſortem deplorabo, qui Deut. 32.
tametſi de terribili Chriſti iudicio & eius effectu veritatem Iſai. 29.
Catholicam confiteantur, tamen ex recta fide nullum ferè Malach. 4.
fructum percipiunt, ſed adeò licenter & ſecurè peccant, per-
inde ac ſi nulla Dei iuſtitia, nullum Chriſti iudicium, nullæ
peccatorum pœnæ poſt mortem homini expiandæ ſuper-
eſſent. Etenim *quia non profertur citò contra malos ſententia,* Eccleſ. 8.
vt & Salomon ſuo queſtus eſt ſeculo, *abſque timore vllo filij*
hominum perpetrant mala, & lætantur cùm malè fecerint, in Prouerb. 2.
rebus peſſimis exultantes. Facta enim eſt compluribus ex
mala voluntate libido, & cùm libidini ſeruiunt conſuetu-
do, dumq; conſuetudini non reſiſtunt, peccandi quædam
obduratur neceſſitas, vt & diuina & humana iuſtitia con-
temnatur. Quid quod in pleriſque Chriſtianis tanta ingenij

iudiciſque apparet peruerſitas, nullam vt benefactorum ac
meritorum rationem habeant,,ſed illi cum Atheis & ſentire
ac dicere videantur: *Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolu-*
mentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus
Malach. 3. *triſtes coràm Domino exercituum?* ſicut hoc impiorum ge-
nus Propheta deſcripſit. Nec poteſt illorum numerus iniri,
qui omnis diuini timoris expertes, in bonis dies ducunt ſu-
os, & in puncto ad inferna deſcendunt, quemadmodum in-
Iob. 21. ſanos huius ſeculi filios vir ſanctus depinxit. Nihil autem
ambigam, longè grauius Dei iudicium illis imminere, qui
ex malitia & peruicacia potiùs quàm ex fragilitate & igno-
rantia Deum ſummum offendunt, ac ſanctas eius leges
tranſgrediuntur. Etenim mentiri non poteſt, qui luculen-
ter nobis in Euangelio affirmauit: *Ille ſeruus qui cognouit*
Luc. 12. *voluntatem Domini ſui, & ſe non præparauit, & non fecit ſecun-*
dùm voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cogno-
uit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

EGO verò vt maiorem & certiorem ex fide diuini iudi-
cij fructum capiam, ſæpè in animum reuocabo, diem illum
Philipp. 1. Chriſti, vt Paulus vocat, non ita procul abeſſe, quando-
& 2. quidem pleraque ſigna de fine mundi & aduentu CHRI-
STI, ſicut in ſacris literis prædicta legimus, bona ex parte
ſe nobis ob oculos offerunt, ipſiſque ſenſibus percipiun-
tur. Qua de re alibi plenius diſſeremus. Deinde Scriptura
Apoc. 1. ipſa nos ita loqui docet: *Tempus propè eſt. Nouiſſima hora*
Ioan. 2. *eſt. Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit.* Accedit quod Chriſtus
Iacob. 5. Matth. 24. fideles crebrò ac ſeriò admonet non ſolùm de generali,
Marc. 13. ſed etiam particulari, vt vocant, iudicio expectando, per-
Luc. 12. inde ac ſi quiſque noſtrum quotidie ad tribunal Chriſti iu-
dicis ſit euocandus atque ſiſtendus. Vnde à Paulo etiam
Galat. 6. dictum eſt: *Vnuſquiſque onus ſuum portabit. Vnuſquiſque*
Rom. 14. *noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo.* Sed & ipſa iudicis Chri-
Apoc. 3. ſti vox eſt: *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, &*
neſcies qua hora veniam ad te. Quod Chriſti iudicium tantò
mihi debet eſſe commendatius, quantò dies ac hora illius

cuique

cuique manet incertior, ſumma Dei ſapientia prouidè nobiſcum agente, vt ſi fidi ſerui eſſe velimus, ad heri noſtri aduentum excipiendum vigilantiam, precationem, & ſobrietatem nunquam non adhibeamus. *Videte*, inquit, *vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus eſt.* Ex quibus omnibus colligam, ad verum ac proprium vſum fidei de Chriſti iudicio pertinere, vt ſingularem in me timorem excitem, quoniam is initium eſt ſapientiæ, virtutum retinaculum, & cuſtos beatitudinis, ſine quo nec poſſit homo iuſtificari. Nam & Chriſtus ipſe non fruſtrà mandauit fidelibus: *Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*, quemadmodum in ipſo extremi iudicij die hanc poteſtatem publicè coram omnibus mortalibus declarabit. Adhæc familiaris erit mihi huius iudicij meditatio, vt cum Pſalmographo dicere poſſim: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Indiget enim vetus homo tali pædagogo, qui illum à mundi curis, carniſque voluptatibus vel nolentem auocet, atque animum ad Chriſti aduentum efficiat alacriorem ac paratiorem. Vt hinc etiam moneat ſapiens: *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Sicut & Eccleſiaſtes grauiſſimè dixit: *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.*

Luc. 12. Marc. 13. Prouerb. 1. Eccleſ. 1. Matth. 10. Matth. 25. Pſal. 118. Eccleſ. 7. Eccleſ. 12.

Leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

QVAM *bonus Deus Iſraël his qui recto ſunt corde?* quàm beati ſunt ſerui, quos dies ille Domini reperiet vigilantes? quàm ſe Chriſtus benignum, liberalem ac lætum oſtendet electis, qui vnà cũ Paulo certamen bonum in hoc certãt ſtadio, & in omni vocatione fidem integram ſeruant? His enim ꝓmiſſam iuſtitiæ coronam donat, quam iuſtus ipſe iudex & agonotheta ſuis probatis militibus, & aduentum ipſius diligentibus in illa die cumulatiſſimè reddet: Sic enim ſpopõdit qui mentiri non poteſt, nec fallere: *Eſto fidelis vſq. ad mortem:*

Pſal. 72. Matth. 24. 2. Tim. 4. Apoc. 2.

& dabo tibi coronam vitæ. Perinde ac ſi dicat, Deleui quod commiſiſti: ſerua quod præcepi, vt habeas quod promiſi. Erro alioquin turpiter ac perniciosè, ſi cum ſectarijs nouis vaniſque Iudæis promiſſiones & præcepta Dei ſeparo, & eas nudè apprehendo, nec obſeruo conditiones annexas, quemadmodum de agenda pœnitentia, de obedientia, charitate, patientia exercitanda. Scriptum eſt enim: *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hoc fac & viues. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me: non eſt me dignus. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Qui non diligit, manet in morte.* Proinde quod regius Propheta cantauit, nos etiam Chriſto largiri poſſumus & debemus: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruertêris.* Piorum autem & iuſtorum, quos Chriſtus coronabit, proprium eſt, in carne ſine carne viuere, & calcatis terrenis amare cœleſtia, neque ſicut pecudes ſolent, humi repere, ac ſenſuum oblectamenta ſectari, ſed leuare capita, ſurſum erectos tenere animos, & in cœlis quodammodo habitare, dum ad promiſſa illa cœli gaudia & æternæ patriæ præmia cum Apoſtolis prorſus aſpirant. Hinc illa vox Chriſtum ducem in via crucis inſequentium: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Cùm autem is apparuerit, quantumuis electi hîc abiecti videantur, ac pauperes viuant & inglorij, tamen ſimiles erunt Capiti, & vbi eſt Dominus, illic & miniſtri manebunt, habituri, vt Petrus aſſerit, hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſſibilem, atque in cœlis conſeruatam. *Si enim filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur, & ſi non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulemus,* vt Paulinis verbis vtamur. Quid autem optabilius atque iucundius obſecro, quàm Chriſtum ſic ſibi deuinctum habe-

re, vt

re,vt ſit idem nobis ampliſſimis benefactorum remunerator, & ſimul in anima & corpore, ſaluator perfectiſſimus, immò & Deus omnia in omnibus: *Ego*,inquit,*protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Hæc illa ſpes eſt & ſacra fiduciæ anchora, quæ non confundit electos, nec ſolùm in laborando eos alacres, ſed etiam in cruce & morte ipſa ſecuros ac lætos reddit. Norunt enim, quàm verè dictum ſit illud: *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*, quodque ab Apoſtolo traditur: *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cur igitur ego cum viro, qui ſecundùm cor Dei erat, & ſicut oliua florebat in domo Domini, non frequenter & ex animo dico: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Ego in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua. Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt.* Ioanne Apoſtolo dignum eſt ſanè præceptum, quod ego menti meæ ſemper infixum geram. Sicut docuit vos (Chriſtus) manete in eo: Et nunc filioli manete in eo: Et cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius] Nec diſſimilis eſt eiuſdem commonitio alibi tradita: Ecce prædixi vobis vt in die Domini non confundamini.]

1. Cor. 15. Gen. 15. Hebr. 6. Rom. 5. Iſai. 64. 1. Cor. 2. Rom. 8. Pſal. 41. 16. 118. 1. Ioan. 2. In epiſt. 2.

PRECABOR *Chriſtum, viuorum ac mortuorum iudicem, vt mihi tùm ex mortali vita migranti, tùm in extremo die reſurgenti propitius eſſe dignetur. Quarè cum Propheta regio ſæpè dicam:* Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo. *Sed & cum tota Eccleſia precabor: Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi ſunt & terra, dum veneris iudicare ſeculum per ignem. Hic enim dies eſt, quem Sophonias Propheta ſic deſcripſit, vt ſit dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, in qua fortes etiam affligantur, vtque iuxta Petrum iuſti ægrè ſaluentur.*

Pſal. 142. Soph. 1. 1. Pet 4.

ROGABO *inſuper* DEVM *immortalem pro plerisque mundi filijs & Epicureis (proh dolor) ita viuentibus, ac ſi nulla*

obuiam eam, illumq; mihi reddam intimè familiarem? Quoties ſurdis velut auribus pulſantem illum tranſeo, neq; ſuauiſsimam vocem illius audio: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Cur demens illum non redamo, qui ſolus mihi præſtare pôteſt omnia? illum non laudo & celebro, qui ſummum & æternum bonum exiſtit? Quare ſupplex Chriſto factus, die ac nocte non repeto, quod me per Zachariam Baptiſtæ parentem docuit Spiritus ſanctus: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ?* Augebo igitur in me ſpiritum gratitudinis, vt Abrahæ & Patrum priſcorum vigor in me frigido reuireſcat, & ego aliqua ex parte ingenuos imiter Iſraëlitas, qui ſe obuios ad Chriſtum excipiendum cumulatim effundunt. Ex his Andreas ille fuit, qui cum primùm de præſente Meſsia cognouiſſet, ne ſolus tanto theſauro potiretur, ſuum fratrem Simonem non ſine ardenti zelo ad Chriſti familiaritatem adduxit. Nec diſsimilis quidem Philippus & ipſe Galilæus, vt qui de Chriſti aduentu factus certior, continere ſe non potuit, quin tanti Euangelij captus dulcedine, communis fructus & gaudij conſortem redderet Nathanaëlem, ideoq; in verba illa prorumperet: Quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetæ, inuenimus Ieſum à Nazareth. Mirum ſanè dictu, veteres Prophetas in præſentem Meſsiæ aduentum intuentes, non ſibi tantùm, ſed nobis etiam tantoperè gratulari voluiſſe, neque nos incredibili illorum ardore ac ſtudio ad Chriſtum amandum magis accendi, atque indies commoueri. Parum igitur aut nihil nos pungunt ac penetrant illa Prophetica vel dicta, vel ſpicula: *Exulta, iubila, cânta filia Sion.* [a] *Tempus requirendi Dominum,* [b] *cùm venerit qui docebit vos iuſtitiam.* [c] *Domus Iacob, venite & ambulemus in lumine Domini.* [d] *Eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum,* vt alia id genus permulta ad diuinam Chriſti charitatem nos inflammantia prætermittam.

Meminero

Meminero igitur, hoc tempus acceptabile, & hos dies ſalutis, ſicut Paulus appellat, nouo obſcruare ſtudio, vt non modò Chriſtum in lege & Prophetis promiſſum, iamq; nobis certò certius exhibitum fide percipiam, ſed etiam credendo exultem, lætitia inenarrabili & glorificata, nihil hæſitans de fide, fideique fine, qui animæ meæ ſalus æterna eſt, vnà cum electis & obedientibus omnibus conſequendo, quemadmodum princeps docuit Apoſtolorum. Quem Chriſtum ego non ſolùm corde ac ore coram amicis ipſiſq; hoſtibus Eccleſiæ confitebor, verùm etiam Chriſtianæ iuſtitiæ officijs clàm palamq; ſanctificabo, ſicut idem Apoſtolus verbis illis oſtendit: *Dominum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe & fide.* Potiſsimùm verò adlaborabo, vt ne quod Iſraëlitæ pro ſuo merito iampridem audierunt, in me quoque competat, Chriſto illis publicè redarguente: *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Hypocritæ faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?* Cuiuſmodi hypocritis aggregandi ſunt, qui cœci & manu tentantes ab Apoſtolo Petro dicuntur, quoniam vacui & ſine fructu in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione verſantur: quiq; ſecundùm Paulum Deum ore confitentur, factisq; negant, quùm ſint ad omne opus bonum reprobi. Ab horum conſortio me ſubducam ſedulò, ne fidem otioſam mortuamq; conſecter, illiſq; conformer, de quibus Ioannes Euangeliſta teſtatur: *Ex principibus multi crediderunt in illum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerũt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*

2. Corinth. 6. | 1. Pet. 1. | 1. Pet. 3. | Luc. 6. | Luc. 12. | 2. Pet. 1. | Tit. 1. | Iacob. 2. | Ioan. 12.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt cum Catholico clero & populo ſacrum tempus Aduentus fœliciter ordiar, illudq; iuxta Eccleſiæ inſtitutum cum fructu tranſigam.* Hora enim eſt iam nos (*qualeſcunq; demum ſumus*) ſurgere. Nox præceſsit, dies autem appropinquauit, *prout Apoſtolus Doctor gentium per omnes clamat Eccleſias.* Rom. 13.

DEINDE *rogabo Dominum, vt ad ſanctificandum hoc tempus paſſim abÿciantur & ſupprimantur opera tenebrarum, quæ & carnis opera Paulo dicuntur, & Dei regnum excludunt, ſicuti commeſſationes, ebrietates, laſciuia, impudicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ & ſectæ. Nam & vetus Eccleſiæ diſciplina exigit, vt ad vanitatem, luxum & ventrem ſpectantia, ſicuti nuptiæ, choreæ, voluptates, ludicra, vanaq́ ſpectacula, ex quibus multorum malorum ſeges proficiſcitur, hoc tempore intermittantur. Pro his autem pœnitentiæ & charitatis opera tanquam arma lucis, ex profeſſo à Dei filÿs aſſumuntur, perinde ac ſi præceptum illud Apoſtolicum recens inculcetur:* Probate quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. *Quæ nos ua Eccleſiæ purificatio per Chriſti præcurſorem Baptiſtam olim adumbrata, Chriſtianos ordines omnes ad puriorem vitam excitat & impellit, nimirùm vt ineffabilem aduentus Domini fructum & diuinas Chriſti virtutes facilius participemus, quin etiam Chriſtum ipſum iuſtitiæ ſtolam induamus. Hic autem Chriſtum induit, prout Ambroſius docet, qui ſe ab omni errore & turpitudine ſeparauerit, ne in conuiuio nuptiarum ſine veſte eius inuentus, & turpiter abiectus, tenebris mancipetur. Exutis enim veterem hominem, in nouitate vitæ manendum eſt.*]

Galat. 5.
Epheſ. 5.
Luc 3.
Matth. 22.
Epheſ. 4.
Coloſſ. 3.

ORABO *inſuper pro cunctis infidelibus, quibus vera mundi lux Chriſtus nondum illuxit, & pro Eccleſia Catholica aduerſarÿs in petram ipſam Chriſtum impingentibus, maximè quòd ſacri temporis huius, & venerandæ antiquitatis, diuiniq́ cultus propter Chriſtum in templis inſtituti rationem omnem ſuperbè contemnant: tantum abeſt, vt ordinis & politiæ religionisq́ cura & diſciplina tangantur. Ac tantò magis ego me ad hoc pium Eccleſiæ inſtitutum applicabo, nouumq́ mihi ſtudium indicam orandi, meditandi, legendi, aliaq́ ſalutis meæ viciniora ſectandi, perinde ac ſi ad me propriè ſpectaret illud:* Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis. *Proinde non modò deteſtans dum incredulitatis & peccati ſomnum, ſed & quemlibet repre-*


Epheſ. 5.

henſibilem

henſibilem ignorantiæ, negligentiæ ac inertiæ torporem mihi prohiberi, maioremq́; ſolitò ſpiritualis diſciplinæ diſtrictionem à me flagitari putabo, veluti Salomonem ipſum ſubinde increpantem audiam: Vſquequo piger dormies? vſquequo de ſomno conſurges? Parum inquam, dormies, modicum dormitabis. Prouerb.24.

Prætermiſſis autem Aduentus noſtri concionatoribus, qui apud veteres multi & præclari extiterunt, illuſtrem doctorem Auguſtinum duntaxat attingam. Is ante mille annos de huius temporis ratione diſſeruit, & inter alia ſub finem concionis ita ſuos monuit auditores: Sermon.2.de tempore. Hoc admonuimus fratres, vt quia natalis Domini imminet, tanquàm ad nuptiale & cœleſte conuiuium, ab omni luxuria alieni, & bonis operibus adornati, nos per Chriſti adiutorium præparemus, eleemoſynas pauperibus erogemus, iracundiam vel odium, velut venenum, de cordibus noſtris reſpuamus. Caſtitatem fideliter conſeruate, ad conuiuia veſtra frequentius pauperes reuocate, ad vigilias maturius ſurgite, in Eccleſia ſtantes aut orate aut pſallite: verba otioſa aut ſæcularia nec ipſi proferre, & eos qui proferre volunt caſtigate. Pacem cum omnibus cuſtodite, & quos diſcordes agnoſcitis, ad concordiam reuocate. Hæc ſi fideliter Chriſto adiuuante volueritis implere, & in hoc ſæculo ad altare Dominicum ſecura conſcientia poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem fœliciter peruenire.] Atq; ita quidem veteres de Aduentu cuius & Chryſoſtomus meminit, ſunt philoſophati, vt ex illo quaſi paraſceuen facerent ad natalem Domini, ſacramq́ue ſynaxin dignè ab omnibus excipiendam. Huc & crebræ conciones inſtituebantur, & varia pietatis exercitia, ſimul & fraternæ charitatis opera populo commendabantur.

DOMI-



DOMINICA II. ADVENTVS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

TRISTISSIMA ſigna huius mundi finem Chriſtiq;
ad iudicium extremum aduẽtum proximè antecel-
ſura, hoc loco deſcribuntur. Horribiles mutationes tunc
fient in cœleſtibus ſimul & terreſtribus creaturis, vt hinc
mali omnes timore maximo concutiantur, ſimulq; pro-
pter imminentes perpetuæ damnationis pœnas grauiſ-
ſimè diſcrucientur. Nunquam id verius elucebit quod
Pſal. 111. ſanctus Propheta fore prædixit: Peccator videbit & ira-
ſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium pec-
catorum peribit.] Præterea in hoc Euangelio habent
boni & electi mirificam conſolationem, quandoquidem
futura mundi conſummatio, & extremi iudicij dies in-
comparabile illis creabit gaudium, ac nouam pariet fœ-
Matth. 25. licitatem. Cùm enim viuorum ac mortuorum iudex
Chriſtus, vt orbem totum iudicet, in ſede maieſtatis ſuæ
ſederit, iuſti perfectam animi & corporis liberationem
aſſequentur, ac iudicem adeò ſibi propitium ſentient, vt
ab eo ceu benedicti patris ad æternum Dei regnum poſ-
ſidendum ſuauiter inuitentur, perpetuoq; cooptentur.
Nam in ſingulis electis illam ſententiam compleri ne-
Iacob. 1. ceſſe eſt: Beatus vir qui ſuffert tentationem; quoniam
cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam re-
promiſit DEVS diligentibus ſe. Vnus igitur & idem
eſt diuini iudicij dies, qui damnandis terrorem ac lu-
ctum acerbiſsimum, electis autem conſolationem &
gloriam vberrimam adferet, omnibus interim creaturis

ſanctorum

ſanctorum libertatem quodammodo ſuſpirantibus, ſanctiſq́; ipſis ad ſupremam illam filiorum Dei gloriam maximè adſpirantibus, ſicut Paulus ipſe teſtatur. Atque huc demùm referri poteſt, quod Iuſtinus & Hyppolitus Martyres comprobant, Chriſti Domini aduentum in ſacris litteris duplicem commemorari, priorem quidem ſecundùm carnem, qui abiectus fuit, eò quòd ille humilis coram mundo apparuit: poſteriorem verò ad extremum illud iudicium verè glorioſum & ſplendidum, quando veniet idem è cœlis cum potentia, cum Angelis, & gloria Patris. Proinde ſicut præcedens Dominica priorem illum aduentum nobis commendauit, & per Zachariam Prophetam in Euangelio propoſitum comprobauit: ita præſens Dominica de poſteriore aduentu nos admonet, quem Chriſti verba in Euangelio ſequenti apertè commonſtrant. Eoque magis probandum eſt Eccleſiæ inſtitutum, quæ de illo priore nunc ſæpè cantat ex Iſaia: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: de hoc autem poſteriore aduentu ſubinde repetit Zachariæ vaticinium, Ecce Dominus veniet, & omnes ſancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna. Hic docendi ordo admonet, vt aduentum vtrumque nobis meditandum ſuſcipiamus, neque ſolùm in fide, verùm etiam in timore Chriſti hoc tempore confirmemur.

Apolog. 2
Rom. 8.
Oration. de conſummat. mundi.

Matth. 21.

Ioan. 7.

Zach. 14.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ. XXI.

IN illo tempore, dixit IESVS *diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in Sole, & Luna & Stellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, nam virtutes cælorum mouebuntur: Et tunc*

videbunt

ſolationem atque fiduciam: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: Petite & accipietis.* Sed rurſus terrificum illud haberi debet: *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis. Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Delectat planè ſuauis illa promiſsio: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: Omne quod venit ad me non eijciam foras.* Sed rurſus iure pios abſterret, cùm audiunt: *Omne cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multùm, plus petent ab eo: Reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Quare mihi ſatis non erit, in Chriſtum gratiæ plenum, qui humiliter in hunc modum venerit, noſterque propiciator eſſe ac ſaluare omnes cupiat credere: ſed præterea fidem meam circa ſecundum eius aduentum, quo potenter & in maieſtate veniet, totique orbi terrorem ingentem adferet, & ſecundùm opera ſua quemlibet iudicabit, etiam atque etiam exercebo. De quo poſteriore aduentu Chriſtus ipſe nunc & ſæpè aliâs diſſerit, vtpote verax Propheta, qui de ſignis terrificis ſub mundi finem, ſuumq; iudicium apparituris, & cum iudicio ipſo coniunctis ſic vaticinatur, vt cuncti audientes, maleque ſibi conſcij, meritò extimeſcant. Etenim Sol & Luna (præcipua mundi lumina) cum planetis, ſtellis alijsque mundi ſignis mirabiliter obſcuratis terrorem maximum ingerent. Aër corruptus peſtes & morbos grauiſſimos paſsim excitabit. In mari & fluminibus inſolitæ tempeſtates & inundationes mortales plurimos perdent. Terræmotus crebri & vehementes, domos, arces, turres & ciuitates euertent innumerabiles. Cœlum & terra terribili fragore reſonabunt, elementa demum cum creaturis omnibus tam horridum aſpectum induent, tantumque luctum quantum antea nunquam, cunctis excitabunt mortalibus, vt verè dicatur: *Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & iræ furoriſq́ ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.*

Ioan. 16. Matth. 5. Matth. 12. Matth. 11. Ioan. 6. Luc. 12. Matth. 16. Matth. 24. & 25. Luc. 12. & 16 Ioan. 5. Marc. 13. Luc. 21. Iſai. 13. Ioel. 3. Iſai. 13.

Tunc

Tunc videbunt Filium hominis venientem in maieſtate.

SI TOTVS mundus tremet & cohorreſcet, ſi virtutes Angelorum commouebuntur, ſi omnes tribus terræ plangent, ſi ſancti & cum Deo reconciliati ſæpè expaueſcunt, cùm illam aduentantis Iudicis maieſtatem, extremiq; iudicij ſeueritatem tantùm animo ſecum reputant: cur ego miſer, qui coràm eodem tremendo Chriſti tribunali vel inuitus aſſiſtam, omniſque vitæ meæ anteactæ rationem exactam reddam, cur inquam, ob huius tremendi iudicij certiſſimam denunciationem & firmiſſimam fidem non totus concutior, ac ſæpenumero contremiſco? An non Spiritus ſanctus per Ioëlem luculenter affirmat: *Magnus dies Domini, & terribilis valdè: & quis ſuſtinebit eum?* Niſi hunc diem Iob ſanctus extimuiſſet, non vtique illa ſollicitudinis plena verba prodidiſſet: *Quid faciam, cū ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Ac rurſus alibi: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Nec dubitat Hieronymus de ſeipſo teſtari: Ego cunctis peccatorum ſordibus inquinatus diebus ac noctibus opperior, cum tremore reddere nouiſsimum quadrantem. Sciebat enim Apoſtolicam ſententiam: *Terribilis eſt expectatio iudicij, & horrendum incidere in manus Dei viuentis, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Quibus & illud conſonat: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Statimq; ſubiungit: *Scientes ergo timorem Domini hominibus ſuademus.* Neque tacet princeps Apoſtolorum: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* nimirùm cùm iudex ille ſcrutabitur Hieruſalem in lucernis, ipſaſque hominum iuſtitias iudicabit. Etenim vt nullum bonum irremuneratum, ita & malum nullum im-

punitum relinqui poteſt ab eo, qui orbem in æquitate iudi-
caturus eſt, vt ſuum cuique vel præmium, vel ſupplicium Matth. 25.
perpetuum decernatur.

Væ igitur mihi ad voces Propheticas & Apoſtolicas ob-
ſurdeſcenti, ſi inſtar phrenitici, tam multos & irrefutabiles
huius poſtremi aduentus præcones ac teſtes non audiam
& obſeruem. Quid obſecro certius eſt Orthodoxo, quàm
iuſtum iuſti Dei iudicium imminere, quod nullus queat ef-
fugere, quodq; in his qui præſunt, duriſſimum fiat? Quis
Chriſtianus de illo fidei articulo ab Apoſtolis tradito ſub- Sapient. 6.
dubitet, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos? Quod
Ioannes ſic etiam clariùs reddidit: *Ecce venit cum nubibus,* Apoc. 1.
*& videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt, & plan-
gent ſuper eum omnes tribus terræ.* Atque hæc de poſtremo
iudicio fides etiam Iudæis immota conſtitit, tamq; diu in or-
be durauit, vt etiam Enoch vir primi ſeculi, & ab Adam ipſo
ſeptimus in hunc modum docuerit: Ecce veniet Dominus
in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, vt
reliqua prætermittam, quæ ab Apoſtolo Iuda repetuntur. In epiſtola.
Clamat & Iob: *Scitote eſſe iudicium,* eiuſque iudicij diem Ioël Iob. 19
& Sophonias præter alios Prophetas deſcribunt ampliſſi- Ioël. 2 & 3.
mè. Quocirca miſerandam illorum ſortem deplorabo, qui Deut. 32. Iſai. 29.
tametſi de terribili Chriſti iudicio & eius effectu veritatem Malach. 4.
Catholicam confiteantur, tamen ex recta fide nullum ferè
fructum percipiunt, ſed adeò licenter & ſecurè peccant, per-
inde ac ſi nulla Dei iuſtitia, nullum Chriſti iudicium, nullæ
peccatorum pœnæ poſt mortem homini expiandæ ſuper-
eſſent. Etenim *quia non profertur citò contra malos ſententia,* Eccleſ. 8.
vt & Salomon ſuo queſtus eſt ſeculo, *abſque timore vllo filij
hominum perpetrant mala, & lætantur cùm malè fecerint*, in Prouerb. 2.
rebus peſſimis exultantes. Facta enim eſt compluribus ex
mala voluntate libido, & cùm libidini ſeruiunt conſuetu-
do, dumq; conſuetudini non reſiſtunt, peccandi quædam
obduratur neceſſitas, vt & diuina & humana iuſtitia con-
temnatur. Quid quod in pleriſque Chriſtianis tanta ingenij

iudiciſque apparet peruerſitas, nullam vt beneſactorum ac meritorum rationem habeant,, ſed illi cum Atheis &ſentire ac dicere videantur: *Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus*
Malach. 3. *triſtes coràm Domino exercituum?* ſicut hoc impiorum genus Propheta deſcripſit. Nec poteſt illorum numerus iniri, qui omnis diuini timoris expertes, in bonis dies ducunt ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, quemadmodum in-
Iob. 21. ſanos huius ſeculi filios vir ſanctus depinxit. Nihil autem ambigam, longè grauius Dei iudicium illis imminere, qui ex malitia & peruicacia potiùs quàm ex fragilitate & ignorantia Deum ſummum offendunt, ac ſanctas eius leges tranſgrediuntur. Etenim mentiri non poteſt, qui luculenter nobis in Euangelio affirmauit: *Ille ſeruus qui cognouit*
Luc. 12. *voluntatem Domini ſui, & ſe non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

EGO verò vt maiorem & certiorem ex fide diuini iudicij fructum capiam, ſæpè in animum reuocabo diem illum
Philipp. 1. & 2. Chriſti, vt Paulus vocat, non ita procul abeſſe, quandoquidem pleraque ſigna de fine mundi & aduentu CHRISTI, ſicut in ſacris literis prædicta legimus, bona ex parte ſe nobis ob oculos offerunt, ipſiſque ſenſibus percipiuntur. Qua de re alibi plenius diſſeremus. Deinde Scriptura
Apoc. 1. Ioan. 2. Iacob. 5. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 12. ipſa nos ita loqui docet: *Tempus propè eſt. Nouiſſima hora eſt. Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit.* Accedit quod Chriſtus fideles crebrò ac ſeriò admonet non ſolùm de generali, ſed etiam particulari, vt vocant, iudicio expectando, perinde ac ſi quiſque noſtrum quotidie ad tribunal Chriſti iudicis ſit euocandus atque ſiſtendus. Vnde à Paulo etiam
Galat. 6. Rom. 14. Apoc. 3. dictum eſt: *Vnuſquiſque onus ſuum portabit. Vnuſquiſque noſtrùm pro ſe rationem reddet Deo.* Sed & ipſa iudicis Chriſti vox eſt: *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.* Quod Chriſti iudicium tantò mihi debet eſſe commendatius, quantò dies ac hora illius

cuique

cuique manet incertior, ſumma Dei ſapientia prouidè nobiſcum agente, vt ſi frugi ſerui eſſe velimus, ad heri noſtri aduentum excipiendum vigilantiam, precationem, & ſobrietatem nunquam non adhibeamus. *Videte*, inquit, *vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus eſt.* Ex quibus omnibus colligam, ad verum ac proprium vſum fidei de Chriſti iudicio pertinere, vt ſingularem in me timorem excitem, quoniam is initium eſt ſapientiæ, virtutum retinaculum, & cuſtos beatitudinis, ſine quo nec poſſit homo iuſtificari. Nam & Chriſtus ipſe non fruſtrà mandauit fidelibus: *Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*, quemadmodum in ipſo extremi iudicij die hanc poteſtatem publicè coram omnibus mortalibus declarabit. Adhæc familiaris erit mihi huius iudicij meditatio, vt cum Pſalmographo dicere poſſim: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Indiget enim vetus homo tali pædagogo, qui illum à mundi curis, carniſque voluptatibus vel nolentem auocet, atque animum ad Chriſti aduentum efficiat alacriorem ac paratiorem. Vt hinc etiam moneat ſapiens: *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Sicut & Eccleſiaſtes grauiſſimè dixit: *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.*

Luc. 12.
Marc. 13.
Prouerb. 1.
Eccleſ. 1.
Matth. 10.
Matth. 25.
Pſal. 118.
Eccleſ. 7.
Eccleſ. 12.

Leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

QVAM *bonus Deus Iſraël his qui recto ſunt corde?* quàm beati ſunt ſerui, quos dies ille Domini reperiet vigilantes? quàm ſe Chriſtus benignum, liberalem ac lætum oſtendet electis, qui vnà cũ Paulo certamen bonum in hoc certãt ſtadio, & in omni vocatione fidem integram ſeruant? His enim ꝓmiſſam iuſtitiæ coronam donat, quam iuſtus ipſe iudex & agonotheta ſuis probatis militibus, & aduentum ipſius diligentibus in illa die cumulatiſſimè reddet: Sic enim ſpopõdit qui mentiri non poteſt, nec fallere: *Eſto fidelis vſq. ad mortem:*

Pſal. 72.
Matth. 24.
2. Tim. 4.
Apoc. 2.

& dabo tibi coronam vitæ. Perinde ac ſi dicat, Deleui quod commiſiſti: ſerua quod præcepi, vt habeas quod promiſi. Erro alioquin turpiter ac perniciosè, ſi cum ſectarijs nouis vaniſque Iudæis promiſſiones & præcepta Dei ſeparo, & eas nudè apprehendo, nec obſeruo conditiones annexas, quemadmodum de agenda pœnitentia, de obedientia, charitate, patientia exercitanda. Scriptum eſt enim: *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum.* *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hoc fac & viues. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me: non eſt me dignus. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Qui non diligit, manet in morte.* Proinde quod regius Propheta cantauit, nos etiam Chriſto largiri poſſumus & debemus: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruertèris.* Piorum autem & iuſtorum, quos Chriſtus coronabit, proprium eſt, in carne ſine carne viuere, & calcatis terrenis amare cœleſtia, neque ſicut pecudes ſolent, humi repere, ac ſenſuum oblectamenta ſectari, ſed leuare capita, ſurſum erectos tenere animos, & in cœlis quodammodo habitare, dum ad promiſſa illa cœli gaudia & æternæ patriæ præmia cum Apoſtolis prorſus aſpirant. Hinc illa vox Chriſtum ducem in via crucis inſequentium: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Cùm autem is apparuerit, quantumuis electi hîc abiecti videantur, ac pauperes viuant & inglorij, tamen ſimiles erunt Capiti, & vbi eſt Dominus, illic & miniſtri manebunt, habituri, vt Petrus aſſerit, hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſſibilem, atque in cœlis conſeruatam. *Si enim filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur, & ſi non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulemus,* vt Paulinis verbis vtamur. Quid autem optabilius atque iucundius obſecro, quàm Chriſtum ſic ſibi deuinctum habere, vt

Matth. 4. Matth. 19. Luc. 10. Matth. 10. 1. Ioh. 3. Pſal. 17. Philipp. 3. 1. Ioan. 3. Ibidem. Ioan. 12. 1. Petr. 1. Rom. 8.

re,vt ſit idem nobis ampliſſimis benefactorum remunerator, & ſimul in anima & corpore, ſaluator perfectiſſimus, immò & Deus omnia in omnibus: *Ego*, inquit, *protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Hæc illa ſpes eſt & ſacra fiduciæ anchora, quæ non confundit electos, nec ſolùm in laborando eos alacres, ſed etiam in cruce & morte ipſa ſecuros ac lætos reddit. Norunt enim, quàm verè dictum ſit illud: *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*, quodque ab Apoſtolo traditur: *Non ſunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cur igitur ego cum viro, qui ſecundùm cor Dei erat, & ſicut oliua florebat in domo Domini, non frequenter & ex animo dico: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Ego in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Ioanne Apoſtolo dignum eſt ſanè præceptum, quod ego menti meæ ſemper infixum geram. Sicut docuit vos (Chriſtus) manete in eo: Et nunc filioli manete in eo: Et cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius] Nec diſſimilis eſt eiuſdem commonitio alibi tradita: Ecce prædixi vobis vt in die Domini non confundamini.]

1. Cor. 15.
Gen. 15.
Hebr. 6.
Rom. 5.
Iſai. 64.
1. Cor. 2.
Rom. 8.
Pſal. 41. 16. 118.
1. Ioan. 2.
In epiſt. 2.

PRECABOR *Chriſtum, viuorum ac mortuorum iudicem, vt mihi tùm ex mortali vita migranti, tùm in extremo die reſurgenti propitius eſſe dignetur. Quarè cum Propheta regio ſæpè dicam:* Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo. *Sed & cum tota Eccleſia precabor: Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi ſunt & terra, dum veneris iudicare ſeculum per ignem. Hic enim dies eſt, quem Sophonias Propheta ſic deſcripſit, vt ſit dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, in qua fortes etiam affligantur, vtq; iuxta Petrum iuſti ægrè ſaluentur.*

Pſal. 142.
Soph. 1.
1. Pet 4.

ROGABO *inſuper* DEVM *immortalem pro pleriſq; mundi filijs & Epicuræis (proh dolor) ita viuentibus, ac ſi nulla*

diuini iudicij, futuræq́; vitæ & gehennæ perpetuæ cura commoueantur. Tantum abeſt, vt parati eſſe poſſint ad tremendum Chriſti iudicium ſiue particulare, ſiue generale ſubeundum. Rogabo igitur, vt ſine omni timore peccantes, & in ſtatu damnationis viuentes, ad ſuorum nouiſſimorum memoriam reuocentur, & ſi non amore, ſaltem timore ad offenſum Deum conuertantur, veroſq́; de peccatis commiſſis pœnitentiæ fructus in Eccleſia præſtent.

ADHAEC *petam ardentes pœnitentiæ concionatores nobis à Deo dari, qui duros peccatorum animos concutiant, eoſq́; ſalutari diuini iudicij metu ac terrore vulnerent. Nam & Paulus Apoſtolus de futuro iudicio ita diſſeruit, vt Fœlix præſes Ethnicus audito illo fuerit tremefactus, & Ionæ Prophetæ concio tantum apud Niniuitas effecit, vt ex timore illi ad pœnitentiam conuerterentur. Vnde rogat etiam Propheta Dominum:* In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. *Nam* qui ſine timore eſt, *Sapiente teſte,* non poterit iuſtificari.

QVONIAM verò non modò præſens Euangelium, ſed ſcriptura etiam omnis de poſtremi iudicij die loquitur, vt qui benè beatèq; viuere cupiunt, frequentem eius memoriam in animo ſeruent, valdè mihi commendatum habebo dictum Sapientis: *In die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum.* Deinde quod Baſilius magnus notauit, etiam atque etiam rememorabo, vt qui Propheticam ſententiam tractans: *Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos:* de iudicio extremo grauiter ita concionatur: Cùm te appetitus inuaſerit peccandi, velim cogites horribile illud & intolerabile Chriſti tribunal, in quo præſidebit iudex in alto & excelſo throno: aſtabit autem omnis creatūra ad glorioſum illius conſpectum, contremiſcens. Adducendi etiam nos ſumus ſinguli, eorum quæ in vita geſſerimus, rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrârint, terribiles quidam & deformes aſſiſtent Angeli, igneos vultus præ ſe ferentes, at-

que ignem ſpirantes, ea re propoſiti & voluntatis acerbitatem oſtendentes, nocti vultu ſimiles propter mœrorem & odium in humanum genus. Adhæc cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, & ignem carentem ſplendore, vrendi quidem vim habentem, ſed priuatum lumine: deinde vermium genus venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque vnquam ſaturitatem ſentiens, intolerabiles dolores corroſione ipſa infigens. Poſtremò quod ſuppliciorum omnium grauiſſimum eſt, opprobrium illud & confuſionem ſempiternam. Hæc time, & hoc timore inſtructus, animam à peccatorum concupiſcentia tanquam freno quodam reprime. Sic ille Baſilius.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

IOANNES Baptiſta in Herodiano carcere concluſus, duos diſcipulos ad Chriſtum Iudæis concionantem ablegat, qui de vero Meſsia percunctentur. His ita reſpondet Chriſtus, vt præſentibus miraculis, quæ tunc palàm patrabat, ſe Meſsiam ipſum eſſe non obſcurè declaret. Luc. 7.
Deinde coram turba Iudæorum qui aderant, eundem Ioannem eximiè laudat, vtpote ab officio, conſtantia & veſtitus auſteritate. Hæc ſumma eſt ſequentis Euangelij, quod Aduentui quidem noſtro pulchrè quadrat. Nam ille nobis proponitur in doctrina & vita conſiderandus, qui ſanctos vates omnes eiuſdem Aduentus nuncios præcelluit, ſanctus etiam priuſquam natus, quique

Meſsię aduentum in carnem & ad iudicium luculentius, quàm quiſquam alius, commendauit & viſit, ſuum vt honorem Domino Ieſu vnico Redemptori ac orbis iudici clariſsimè aſſereret atque vindicaret. Prudenter autem Chryſoſtomus monet, qua de cauſa Ioannes hoc loco diſcipulos mittat, Chriſtumque Dominum conſuli cupiat. Ioannes ait, in carcere ſciens, ſe iam in exitu conſtitutum, volebat diſcipulos ſuos Chriſto adiungere, tanquàm ſi prouidus pater moriens filios ſuos conſignet fideli tutori. Deſiderabat enim viuens plenam fidem videre diſcipulorum, eoſque in Chriſto perfectos, vt iucundius moreretur. Et ſicut Ioannes in prima quidem facie per diſcipulos ſuos interrogabat Chriſtum: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? ſic & Chriſtus in prima quidem facie renunciabat dicens: Ite, & dicite Ioanni, &c. reuera autem ad diſcipulos eius loquebatur. Auguſtinus ſenſum hîc myſticum ſequitur, vt Ioannes, qui diſcipulos mittit ad Chriſtum, typum gerat, veteris legis, velut concluſę carcere quodam ignorantiæ, & indigentis vera luce doctrinæ, gratiæque Chriſti. Præmittitur ergo inquit, lucerna antę ſolem, ſeruus ante Dominum, amicus ante ſponſum, præco ante iudicem, vox ante Verbum. Et ideò de ſeipſo dicit. Ego vox clamantis in deſerto, quia verbi annũciator & prædicator erat.] Ex Chriſti quidem verbis hoc loco recitatis, quibus Iudæi & increduli omnes haud parùm erudiuntur, idem Ioannes tum propter meritum vitæ, tum ob doctrinæ officium ingentem habet commendationem, ac Prophetis antefertur. Idē à Chryſologo non temerè dicitur ſchola virtutum, magiſter vitæ, ſanctitatis forma, norma iuſtitiæ, virginitatis ſpeculum, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, fidei diſciplina, maior homine, par Angelis, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, Domini teſtis, ac præcurſor Chriſti iudicis.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. XI.

CUM audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittẽs duos de diſcipulis ſuis: ait illi: Tu es qui vẽturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis, Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? ſed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quàm Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt:

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam,
qui præparabit viam tuam
ante te.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittit duos de diſcipulis ſuis, ac de Ioannis eiuſdem vinculis.

Malach. 3. MAGNVS reuera Ioannes, & omni exceptione maior, quem non modò Malachias Propheta, ſed & Chriſtus ipſe publicè multiſq; modis commendauit: Eſt ille verò lucerna ardens & lucens, Propheta & plus quàm Propheta: Eſt miſſus à Deo Angelus, quo maior vel ſanctior inter natos mulierum nemo ſurrexit: Eſt de quo idem Dominus luculenter aſſeruit: *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſq; nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & lex vſq; ad Ioannem prophetauerunt.* Rectè igitur Tertullianus eundem Ioannem inter vetera & noua limitem quendam, Gregorius autem Nazianzenus veterum nouorumq; medium ſiue mediatorem conſtitutum appellat. Eoq; mihi magis vſui erit præſens Euangelium, quod iterum de ſacro aduentus inſtituto admonet, quando non modò dictum Ioannem huius aduentus clariſſimum teſtem, ſed etiam eius diſcipulos de hoc aduentu dubitantes, in medium profert. Nec minus obſcuritatis atque caliginis in plurimis Iudæis hærebat, qui ſub Ioanne neq; Chriſtum verum Meſſiam, neq; ſalutarem eius aduentum fide firma percipiebant, vt idcirco illorũ nomine haud iniuria Chriſtus interrogetur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* qui nempè ſit promiſſum Abrahę ſemen, in quo gentes omnes benedicentur, inclytuſq; Rex & filius Dauid, quem

Ioan. 5. Matth. 11. Ibidem. Lib. 4. contra Marcioniſtas. Oratione funebri in Athanaſ. Matth. 11. Luc. 7. Geneſ. 22. Pſal. 88. & 131.

noſtri

noſtri maiores ad reſtituendũ Iſraël tot ſeculis expectârunt. Hierem 23.

HAE mihi cauſam ſuggerent, vt ex animo gratias agam clementiſſimo Deo, qui ſuos Prophetas inde ab initio ad Ioannem Baptiſtam vſq;, ſicut illuſtriſſimum ita poſtremum etiam teſtes miſit, eoſq; venturi Meſsiæ fidos eſſe prænuncios voluit. *Non* enim *faciet Dominus Deus verbum*, ſi vati Amos credimus: *niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas*, per quos nunquam non populum ſuum fideliter erudiuit. Deinde illorum in Eccleſia Doctorum dolebo vicem, qui perinde ac Ioannes, quantumuis in Domini meſſe accuratè laborent, ſuumque officium ſtrenuè obeant, tamen parum proficiunt apud auditores. Ex horum ergo perſona veriſſimè dicitur: *Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Vnde cum Ioannes Euangeliſta de Chriſti tractaret aduentu, ſummamq; hominũ ingratitudinem innuere vellet: *In mundo erat*, inquit, *& mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Adhæc alijs veræ lucis filijs, qui cum fide Chriſtum receperunt, ex animo gratulabor, quòd hominem à Deo miſſum Ioannem, ac illius nuntiatum de lumine Chriſto teſtimonium ſint libenter amplexi, ſeq; totos Agno Dei tradiderint, qui tollit peccata mundi & aduentu ſuo complet omnia, nec fuit ferè quiſquam, in quo tanta fidei lux, tantumq; deſiderium huius aduentus, quantum in eodem Ioanne, primũ appareret. Hic etenim nondum in lucem editus, & materno Elizabethæ vtero cõcluſus, non modò Meſsiæ ac Domini ſui in virgine concepti præſentem cognouit aduentum, ſed etiam iam tum præ gaudio ſubſilijt, atq; in illius occurſum prodire geſtiuit, vt quod voce nõ poterat, nouo ſenſu & ineffabili gaudio demonſtraret. Idem velut terreſtris Angelus à Deo delectus, & in ſua eremo vaſta mirabiliter conſtitutus, vocem clariſsimam ac efficaciſsimam edidit, qua cunctos non omninò ſurdos ad Chriſti Regis cognoſcendum aduentum excitauit, primuſq; regnum cœlorum pœnitentibus promittere non dubitauit.

Amos 3. Iſai. 53. Ioan. 12. Ioan. 1. Ioan. 1. Luc. 1. Matth. 3. Marc. 1.

Proinde

Proinde meum eſſe munus ducam, vt hunc Ioannem nunquam ſatis laudatum Prophetam, ac velut incomparabilem doctorem aduentus lætus admittam, & ſicut lectiſſimum diuini ſpiritus organum excipiam reuerenter, meque probatioribus eius diſcipulis diligenter adiungam. Habet enim Ioannes non paucos imbecilles, tardos, moroſos atq; difficiles diſcipulos ac auditores, quibus non adeò fidei placeat ſimplicitas, quàm contendendi ac diſceptandi libido arrideat.
Ioan. 3. *Rabbi,* inquiunt, *qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptiƷat, & omnes veniunt ad eum.* Nec erant illis diſsimiles Iudæi, ad hæſitandum quàm ad credendum vſque procliuiores, vt hinc Chri-
Ioan. 10. ſtum circumdantes dicerent: *Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm.* At verò mihi curandum eſt, vt in rebus fidei carnis mundique iudicio locum nullum concedam, ſed in obſequium Chriſti intellectum
2. Cor. 10. omnem veluti captiuum redigam, & in ſuſcepta quidem fide perſiſtam immobilis. Expectent ac ſomnient, quam diu velint, ſuum Chriſtum Iudæi, adeò quidem dementes ac ſtolidi, vt pro Meſsia ferè arripiant, quicquid inter Prophetas vel Heróes vident excellere, ac maieſtatem aliquam præ ſe ferre. Vnus Ioannes Baptiſta mihi pluris erit, quàm ingens & incredula Iudæorum caterua, cùm ſciam illum ampliſsimis diuini Spiritus dotibus, & certiſsima vitæ ſanctimonia, ſimulque irrefutabili ſcriptorum maximorum teſtimonio nobis commendari. Cum hoc ipſo magiſtro con-
Ioan. 1. iungam diſcipulum, eumque ſpectatiſsimum Andream, qui antea in ſchola Ioannis verſatus, Chriſto Domino ſe totum addixit, nec ſolùm Simoni germano fratri, ſed & nobis omnibus hoc nunquam abolendum teſtimonium tradi-
Ioan. 1. dit: *Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus.*

IAM verò quod ad Ioannis vincula pertinet, mirabor vetus ac deteſtãdum mundi ingenium, qui ſui ſemper ſimilis, in optimos quoſq; graſſatur, illoſq; immani odio pſequitur.

Quid inter natos mulierum quæſo inculpatius? quid modeſtius, caſtius, religioſius, conſtantius? quid in ſpiritu ardentius, in victu abſtinentius, in cultu corporis ac pœnitentia ſeuerius, in Doctorum ordine magis vulgo celebratum? Fuit enim ille ſemper, ſicut prædixerat Angelus, coram Domino magnus, & Spiritu ſancto repletus ex vtero matris. Contemnit tamen illum ingens turba hominum, & audet publicè calumniari, Dæmonium habet. Accedit & Herodes rex, aut tyrannus potius, præclarè quidem de illo ſentiens, ſed iuſtam eius reprehenſionem non ſuſtinens, atque idcirco illum in tetrum carcerem conijcit, & ſanctum Prophetæ docentis officium planè ſupprimit. Quid quod inceſta pellex Herodias extremam illi necem meditatur, & filiam ſubornat meretriculam, quæ vt dignum laſciuia ſua præmium ferat, haud poteſt niſi præciſo Ioannis Baptiſtæ capite crudelem explere libidinem? Ergóne hoc ſummi Dei iudicium cum admiratione cogitem, quandoquidem vt Propheta dixit: *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo.* Fuerunt & ſunt, eruntque ſemper multæ tribulationes iuſtorum, quos velut aurum in igne probari, & vrendo magis magiſque ſplendeſcere neceſſe eſt. *Omnes* enim *qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patientur*, Apoſtolo teſte. Quocirca hoc ego Ioannis exemplo incitatus, meam in cruce patientiam confirmabo. *Qui enim non eſt tentatus quid ſcit?* ſimulque ſanctum iuſtitiæ zelum illo duce induam, qui magnatum iras, obſcurum carcerem, dura vincula, funeſtamque mortem tuendæ veritatis ſtudio alacriter ſuſtinet, ſeque beatum arbitratur, quoniam propter iuſtitiam ab impijs indignè crudeliterque tractatur, quando publicum Regis adulterium publicè corrigit, reipſa declarans quod à Paulo præceptum eſt Eccleſiaſtæ. *Peccantem coràm omnibus argue, vt & cæteri timorē habeant.* Eſt enim hoc iuſti officium planè proprium, ſicut ſapiens docuit: *Vſq; ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Idem & Salomon aſſerit: *Iuſtus quaſi Leo confidens abſq; terrore*

Luc. 1.
Matth. 11.
Marc. 6.
Matth. 14.
Iſai. 57.
Pſal. 33.
2. Timoth. 3.
Eccleſ. 34.
Matth. 5.
1. Tim. 5.
Eccleſ. 4.
Prouerb. 28. & 12.

rore

rore erit, & non contriſtabit illum, quicquid ei acciderit. Meritò igitur me pudeat, quòd Ioannis neque innocentiam neque patientiam mihi magis habeam familiarem, & illam beatitudinem verè non expetam, de qua ſcriptum eſt: *Beatus vir* Iacob. 1. *qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam Deus promiſit diligentibus ſe.*

Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, deq; Ioannis diſcipulis.

MEAM confirmabo fidem in Chriſtum Dominum, Iſai. 35. qui ſuum aduentum certis & irrefutabilibus indicijs, ſicut Iſaias prædixerat, liquidò comprobauit. Eidem ex animo gratias agam de tot tantiſq; miraculis palàm editis ad ſuam doctrinam Euangelicam orbi adſtruendam, vtpote qui, vt Luc. 24. illi aiebant, vir potens erat in opere & ſermone coram Deo & omni populo. His miraculis commotus Nicodemus apertè Chriſto fatetur, omneſq; ſapientes fateri neceſſe eſt, *Rabbi* Ioan. 3. *ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Væ igitur omnibus, qui aduentum Domini firmiſsimis teſtimonijs confirmatum non agnoſcunt, & gratioſum hoc diuinæ viſitatio- Luc. 4. nis tempus, ac annum Domini acceptum gratis animis non amplectuntur. In illos enim Chriſti oratio competit: Ioan. 10 & 15 *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Sicut & illa: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Illud porrò admirabilius, Chriſtum non modò per ſe, ſed poſt mortem quoque per ſuos tam ſtupenda ede- Matth. 10. Luc. 9. Ioan. 14. re miracula toto ferè orbe terrarum. Dedit enim ſuis diſcipulis, primiſque fidelibus virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, ſuiſque miraculis maiora patrarent. Idemque Chriſtus non ſolùm per ſanctos viuos, ſed etiam defunctos, eorumque reliquias miracula multa operari, & infinita orbi conferre beneficia non deſinit: ſicuti vel inuitis Arianis Græci Latiniq; Patres Pſal. 47. confitentur, & innumeri homines experiuntur. *Mirabilis*

enim Deus in ſanctus ſuis, quemadmodum & in Propheta Eliſæo, licet defuncto, ſeſe potentem oſtendit. Igitur quæ ſalus nobis per Chriſtum obtigit, eam ſignis & portentis, varijſq; virtutibus & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſicut Paulus oſtendit, potenter confirmatam habemus. 4. Reg. 13. Eccleſ. 48. Hebr. 2.

Erit mihi quoque cordi, quod Chriſtus hoc loco aſſerit: Pauperes euangelizantur, & optabo ex animo, in horum pauperum albo recenſeri, de quibus alibi traditur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Propter hos idem Chriſtus exultat in Spiritu ſancto, Deoq; Patri lætus gratias agit, quandoquidem illis, vti paruulis atq; pauperibus, magna reuelantur myſteria, quæ alioquin mundi ſapientibus atq; prudentibus abſconduntur. Vnde apud Lucam & hoc affirmat: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me euangelizare pauperibus.* Ego verò mihi tantò magis metuam, quantò minus Euangelicæ ſimplicitatis atq; modeſtiæ domi meæ ſuppetet, vt hiſce medijs diuina gratia & ſapientia mihi communicetur. Etenim ſicut Salomon aſtruit, *vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia. Simplicitas iuſtorum diriget eos.* Nam & Deus ipſe, qui ſapientiam præſtat paruulis, hoc diſertè promiſit: *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Cæterùm in Ioannis diſcipulis, qui cum Chriſto Domino colloquuntur, illud inprimis vitium fugere diſcam, ne vlli hominum vel magiſtrorũ atq; magnatum me nimis fauentem & addictum præbeam. Vt enim Hieremias affirmat: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Et Paulo quidem illi carnales & ſecundũ hominem ambulare dicũtur, qui humanis ducti affectibus, inter ſe contentiones & æmulationes exercent, atq; in hominibus inaniter gloriantur, neq; de omnibus ſyncerè & candidè iudicãt, ſicut illa Chriſti requirit ſententia: *Nolite iudicare ſecundũ faciẽ, ſed iuſtũ iudicium iudicate.* Quarè nulla mihi ſit pars cũ hiſce diſcipulis in cenſendo tàm moroſis & iniquis, vt magiſtrũ Matth. 5. Matth. 11. Luc. 4. Prouer. 11. Pſal. 18. Iſai. 66. Hierem 17. 1. Corin. 3. 2. Cor. 11. Ioan. 7.

ſuum

ſuum obſcurari vereantur, Chriſtique gloriam inclareſcere dolcant, ciuſque verbis & operibus, quibus tunc Euangelium ad Dei gloriam illuſtrabatur, offenduntur magis quam delectantur atq; corriguntur. Digni erant igitur quos Chriſtus vnà cum ſimilibus alijs hoc dicto verberaret: *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Nec ſolùm Iudæi & Capharnaitæ, ſed etiam infideles ac hæretici hoc proprium tenent, vt quæ benè dicta, ſcripta & facta ſunt, in ſuam perniciem ſæpè deprauent, vtq; inſtar araneorum, ex bonis floribus præſens venenum depromant ac augeant. In eo quidem ego maximè laborabo, vt rebus per ſe bonis ad offenſionem atque perniciem nunquam abutar: mala verò in bonum ſtudiosè conuertam, & ſi poſſim, arte ac ratione corrigam. Hoc enim ſummi æternique boni eſt proprium, peſſima etiam in optima conuertere, nihilq; mali permittere, niſi & bona quędam ex illis eliciantur, ac Deum ipſum diligentibus in bonum omnia cooperentur. Monent me prætereà hi diſcipuli, nullum præbere locum hæſitationi atq; tentationi, ſi qua in fide ac religione ſuboritur. Etenim quoniam hi nimium ſibi ſumunt, neque in ſimplicitate cordis quærunt Dominum, & carnis potiùs quàm ſpiritus iudicio fidunt, à Chriſti & Euangelij negotio fiunt magis alieni, vt etiam Apoſtolis palàm obtrectent. Vnde quantò frequentius ac vehementius de fide hoc quo certatur, quantoque plures nouandæ & corrumpendæ fidei ſtudio vacant (mira enim hominum libido eſt de ſacris contendendi) tanto magis ego pectus meum in puritate fidei conſolidabo, illudq; aduerſus omnes nouæ falſæque fidei ventos irruentes præmuniam ac defendam. Nam in fœdam illam tempeſtatem, proh dolor, incidimus, de qua orthodoxum præmonuit Paulus: *Mali homines & ſeductores proficiunt in peius, errantes & in errorem mittentes. Tu vero permane in his quæ didiciſti & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris.* Vnde alibi quoque admonet, receptum fidei ac doctrinæ genus non eſſe mutan

dum

dum & ſerio imperat: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Galat. 1.

Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

MAGNOPERE deſiderabo, vt Chriſti Domini verbis & Euangeliſtarum teſtimonijs, quæ ad Ioannem Baptiſtam ſpectant, ſuum apud me conſtet pondus, illaque mihi fructum adferant ſalutarem. Nihil enim ambigam prorſus, quin eiuſmodi dicta & facta non ſolùm Iudæis, Anachoretis & Eccleſiaſticis, verumetiam cuiuſcunque ordinis Chriſtianis vſum multiplicem conferant, iuxta illud: *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Rom. 15. Docet igitur me præclara Ioannis hiſtoria, vt meam in Eccleſia vocationem qualemcunque honeſtam conſequar, retineam & ornem, atque in ea ſemper Deo hominibuſque probatus eſſe contendam, nulli grauis, ſed amabilis ac vtilis omnibus. Docet in Dei Agnum & Meſsiam vnicum credere, veramq; fidem apertè ac fortiter profiteri, nec ſolis Dei promiſsis, Patrumque meritis fidere, ſed & vita & obedientia me filium Abrahæ comprobare. Docet, carnis voluptates & communes hominum cupiditates non alere, ſed reprimere & caſtigare, ciborum lautitias contemnere, victus ac veſtitus aſperitate gaudere, neque ſecundùm carnem, ſed iuxta ſpiritum ambulare. Docet, virtutis cauere iactantiam, & externa ſpecie probitatis non gloriari, ſed omnem animi ſubmiſsionem, vitæq; modeſtiam colere. Docet non inſultare, ſed condolere peccantibus, & aliorum ſceleratorum onera ferre, ac ſi liceat, de illis benè mereri, eorumque ſalutem procurare, quemadmodum ille publicanos, milites ac meretrices ad veram pœnitentiam informauit, omneſque dignos pœnitentiæ fructus facere monuit diligenter. Luc. 3. Docet, non ſolùm in filium Dei credere, & credentes habere vitam æternam, Ioan. 3. ſed etiam bonis vacare operibus fidei, charitatis, iuſtitiæ aliarumque virtutum, vt idcirco dicat, ſicut confirmauit &

Matth. 3. & 7. Chriſtus: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Quid multis? Ioannes inde à materno vtero eximiè ſanctus, & maximis diuini ſpiritus donis ornatus ita ſe comparauit, vt ſicut ab Angelo fuerat prænuntiatum, multorum corda conuerteret, plebemque Domino perfectam pararet, nec ipſe minora præſtaret, quam ab alijs omnibus deſideraret. Luc. 1.

PROINDE multis nominibus habeo ingemiſcere, intimèque dolere, quòd à præclara Ioannis doctrina & diſciplina, quam ille moribus & exemplis perpetuò exornauit, tam procul abſim, vt meritò me vitæ meæ pœniteat ac tædeat, vtque Baptiſtæ diſcipulus eſſe vel dici non merear. Vbi quæſo frequens oratio, & ſeuera ieiunatio, qualem ille ſuos diſcipulos docuit, & vnà cum illis obſeruauit? Scio quis dixerit: *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed ſanctam hanc vim ipſe mihi ac veteri homini non infero, vt Ioannis huius collega, & violentus regni cœleſtis inuaſor aut prædo videri poſſim. Nec expendo Hieronymi ſententiam: Niſi vim feceris, regnum cœlorum non capies.] Promiſſum à Ioanne præmium, quod mihi cum electis Angelis in cœlo contingat expeto: ſed annexum pœnitentiæ laborem ac ſtudium, quo ſeipſum innocens Ioannes afflixit, prorſus defugio ac exhorreo. Vbi præterea non poſſum hanc noſtram ætatem longè corruptiſſimam, & ſceleribus omnibus inquinatiſſimam non deplorare, in qua peccandi illecebra maxima impunitas viget, & profanæ, impiæ, diabolicæque voces, vt anteà nunquàm, paſſim vulgò ſparguntur, nimirùm ſeruum eſſe hominis arbitrium, fato regi omnia, à Deo non curari opera, confeſſionem & pœnitentiam non exigi, ſed hominem ſola fide iuſtificari atque ſaluari, Dei præcepta ſeruari non poſſe, neque ſecundùm illa Chriſtum in extremo iudicio iudicaturum, vt alios id genus peſtilentes errores, cum Ioannis noſtri doctrina moribuſque pugnantes, hic mittos faciam. Demum ſaluti meæ rectiùs conſultum iri putabo, ſi Deus

Matth. 9.

Matth. 11.

In epiſtola ad Euſtochium.

meis votis annuat, vt Ioannem aliquem velut fidum impe- trem pædagogum, qui me diuini timoris expertem concu- tiat, me dormientem excitet, nimiumque ſecurum ad benè ac beatè viuendum vrgeat ac impellat. Quod enim Ioannes olim apud ſuos diſcipulos multoſque auditores effecit, idipſum apud me & amicos meos procurari deſiderabo, vt animi noſtri ſale ſpirituali adſperſi, ad gratiam Euangelicam præparentur, noſtraq; vinea fidi coloni opera poſthac ſedulò excolatur.

PRECANDVS *mihi Deus pro ſancta fidei dono in his confirmando & augendo, qui perinde ac arundines, vel ſicut Paulus inquit, vti paruuli fluctuantes, nouæ falſæq; doctrinæ ventis circumaguntur, quia ſuper Petram fundati non ſunt, & ſicut Chriſtus ait, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Epheſ. 4. Matth. 7. Luc. 8.

PRAETEREA *pro diuini verbi concionatoribus rogabo Dominum, vt ſuum in Eccleſia munus obeant, legitimè vocati ac miſſi, rectaq; per oſtium ingreſſi, quemadmodum Aaron & Baptiſta legitimam vocationem atq; miſſionem habuerunt.* Hebr. 5. Ioan. 1. *Precabor eiſdem prædicatoribus gratiam, vt doctrina ſimul & vitæ integritate inſtar Ioannis floreant, adeoq; lucernæ intus ardentes, foruſq; lucentes, & ſicut Apoſtolus vocat, vti luminaria in medio nationis prauæ & peruerſæ, luceant & ſplendeant. Si enim Eccleſia vnquam alias, nunc horum miniſterio & opera velmaximè indiget: tanta eſt bonorum operariorum penuria in vaſtiſſima meſſe.* Ioan. 5. Philipp. 2.

ORABO *etiam, vt pænitentiæ doctrina Ioanni maximè familiaris, & in qua plurimũ ille valuit, hodie maiori in pretio habeatur, ac diligentiore ſtudio ab omnibus ordinib. excolatur. Nam res ipſa docet, ardentes pænitentiæ tum præcones, tum auditores atq; cultores paſſim deſiderari, quantumuis ingens peccatorũ cataclyſmus ſupra modum exundârit. Peculiariter autem rogabo, ſimul & curabo, ſi poſſim, vt patres & matresfamilias ad pænitentiam capeſſendam ſe dociles præbeant, quin & ſuos domeſticos*

hoc tempore verbo & exemplo inuitent promeriantq;. Nam & Ioannes diſcipulos mittens ad Chriſtum, non tam ſui quàm illorum ægrotorum, qui à Chriſto medico ſpiritualiter curarentur, rationem ſibi habendam eſſe duxit.

VNVM & præclarum locum adſcribam ex Chryſoſtomo, qui non ſolùm Ioannis pœnitentiam ob oculos ponit, ſed etiam illius imitationem à nobis exigit, quando in hunc modum grauiſſimè concionatur: Si Ioannes in omni vitæ ratione mundiſſimus, cœloque ipſo clarior, & Prophetis celſior, quo nullus hominum maior fuit, quique tantùm apud Deum familiaritate gaudebat, ad omnem tamen patientiam durabat laborum, ſatis altè deliciarum fluxa deſpiciens, atque ad omnem ſe vitæ rigorem coarctans: quam nos ſatisfactionē adferre poterimus, quibus poſt tot Chriſti beneficia, poſtque mille noſtrorum onera peccatorum, ne minimam quidem partem illius caſtigationis imitamur: ſed commeſſationibus & potationibus dediti, ac peregrino odore fragrantes, vel potius fœtentes, nihilque à theatralibus fœminis diſcrepantes, & noſmetipſos eneruantes vndique ac vndique relaxantes, in prædam diaboli præparamur.] Tum paulò poſt: Abſiſtamus, inquit, ab hac fluida diſſolutaque vita. Nequeunt enim omninò, nequeunt aliquando in vnum, & confeſsionis lachrimæ & corporis conuenire voluptates. Et hæc vos doceat beatus Ioannes, & cibo ſuo & habitu, & habitaculo. Quid igitur? inquies: ad huius tu vitæ aſperitatem nos imperas coarctari? Non impero planè, ſed ſuadeo: quod ſi facitis, etiam laudo. Sin verò iſtud vobis impoſsibile iudicatis, ſaltem in vrbibus conſtituti, pœnitentiæ operam monſtremus. Etenim iam iudicium aſsiſtit in ianuis: quod ſi adhuc eſſet procul, nec ſic quidem oportebat agere ſecuriùs: ſiquidem generalem illum mundi finem vniuſcuiuſq; noſtrum vitæ finis imitatur. Hactenus ex Chryſoſtomo.

Hom. 10. in Matth.

Iacob. 4.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

TANTVS erat ſplendor nominis, vitæ, doctrinæ & baptiſmi Ioannis, vt pro Chriſto à Iudæis penè omnibus haberetur, vtque ad videndum & audiendum eum innumeri homines vndique confluerent. Igitur & Iudaicus magiſtratus ad eundem ſolennem miſit legationem, ſuaque cum illo conſilia communicanda duxit. Eiuſmodi legationis meminit quoque Chriſtus, Iudæis hoc obijciens: Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.] Quid autem tali tantoque teſte, quem ad Iudæos miſit, & per Malachiam promiſit Deus, fide dignius poteſt deſiderari? præſertim cùm ille palàm & conſtanter Meſsiæ perſonam & munus defugiat, ſolique Domino Ieſu largiatur. Nec mirum, Iudæos de aduentu ſui Meſsiæ tunc ſollicitos extitiſſe, cùm rumor percelebris magis magiſq; increbreſceret, tot ſeculis promiſſum expectatumque Meſsiam longiùs abeſſe non poſſe, quando ſceptrum de tribu Iuda ſublatum, & ad Herodem alienigenam translatum eſſe conſtaret: quando & prædictæ Danielis hebdomadæ compleri, communi omnium iudicio exiſtimarentur. Ioannes interim apertè pronunciat, Meſsiam ipſum, de quo tanta erat vulgi contentio, in medio Iudæorum verſari, ac ſe illius miniſtrum agere, baptizando ſcilicet atque docendo, licet ipſe cum illo collatus, viliſsimi ſeruuli vel mancipij inſtar eſſet, quicquid demùm de ipſo alij vel dicerent, vel fingerent. Qua-

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Malach. 3.

Dan. 9.

rè hoc Ioannis teſtimonium & miſſa Iudæorum legatio noſtrum etiam aduentum illuſtrat, magnamque ſimul Chriſto conciliat authoritatem. Hunc Ioannes facit Dei filium ante ſe factum, immò & Verbum illud æternum, ac ſimul Agnum Dei huc deſtinatum, vt immaculatus mundi peccata tollat, ac immundos homines in Spiritu ſancto baptizet, quique vt ſponſus, cuius ipſe foret amicus, cum ſponſa Eccleſia, ſecundùm carnem ſit copulatus. Adiungit & illud: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.] Quæ omnia hoc modò concludit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, (ſiue Iudæus videlicet, ſiue Gentilis) non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.] At verò ne priorem illum Domini aduentum, omni gratia vtique redundantem, vrgere tantùm videatur, poſteriorem etiam, qui plenus eſt iuſtitia, hoc ſermone luculenter inculcat: Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.] Præclara hæc prorſus elogia, quæ perfectum Chriſti Redemptoris & Iudicis cognitionem confirmant, & tali præcone ſponſique amico digna ſunt, noſque potenter in vera Meſsiæ venientis fide corroborant. Quoniam autem hoc Euangelium de Ioannis baptiſmo meminit ſæpè, cauendus in primis eſt error veterum ac nouorum Donatiſtarum, qui inter hunc ipſum & Chriſtianum Baptiſmum non diſtinguũt, quaſi par vis ac efficientia vtriuſque ſit conſtituenda. Etſi enim ſcriptum legimus, quod Ioannes baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum prædicârit, tamen vt diſertè monet Hieronymus, Ioannis baptiſma non tàm peccata dimiſit, quàm baptiſma fuit in remiſsionem peccatorum, id eſt, in futuram remiſsionem, quæ eſſet poſtea per ſanctificationem Chriſti ſubſequutura. Vt enim antea præcurſor Domini ipſe, ſic & baptiſma eius præuium Dominici baptiſmatis fuit.] His conſonant Chryſoſtomus ac Theophylactus, cùm Ioannis baptiſmo remiſsionem peccatorum adimunt, ac docent, per illum

homines ad Chriſti baptiſmum verè perfectum inſtructos ac præparatos fuiſſe. Quamobrem Ioannes ipſe teſtatus eſt: Ego baptizaui vos aqua: ille veró baptizabit vos Spiritu ſancto. | Marc. 1. Matth. 3. Ioan. 1.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Ioan. 1.

IN illo tempore, Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti eius. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem.

LAVDANDI ſunt hactenus Iudaicæ Synagogæ principes, quòd ſolennem legationem ex Eccleſię miniſtris collectam non ad alium, quàm ad celebrem ſanctumq; doctorem Ioannem inſtituant, eumque in cauſa ſpirituali, quæ nimirùm perſonam Meſſiæ & nouum ritum baptizandi tangit, conſulant, præſertim vt graues motus in populo præuertant, omnemque in religione perturbationem amoliantur, cùm iam alij aliter de Ioanne & Chriſto ipſo ſentirent ac publicè loquerentur, omnes verò Meſſiæ tempus adeſſe perſuaſum haberent. Nec eſt diſſimile, quod Herodes rex feciſſe legitur, qui vt Meſſiæ patriam certiùs cognoſceret, ſolos adijt & conſuluit Sacerdotes, à quibus veritatem ipſam demùm probè fuit edoctus. Dolebo igitur, à pleriſque primoribus & magiſtratibus hodie nimiùm dormitari, planeq; conſilium prauum inſtitui, quandoquidem longè aliò, quàm ad Ioannem & Sacerdotes mittere ſoleant, & idcirco ſubortas de fide contentiones & controuerſias magno cum Reipublicæ detrimento augeant potiùs quàm minuant & extinguant. Atqui ſummo ſapientiſſimoque Deo viſum eſt, iudicium de religione manere debere non penes principes vel politicos aut populares, ſed penès ſacerdotes Leuiticos, q de doctrina religionis cognoſcant, iuxta illud: *Interroga Sacerdotes legem.* Et per Moyſem præcepit Deus populo: *Quæres ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcunq; dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* Confirmat eandem ſententiam

Malachias

Malachias, per quē iubet Spiritus ſanctus, non ex alio quàm Sacerdotis ore diuinam legem requiri. Sic enim loquitur: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Igitur Synagoga vetus nunquam non ſuos habuit ſacerdotes & antiſtites, quos vti diuinæ ſcripturæ ac voluntatis interpretes, ſanæque fidei doctores reuerēter agnoſceret, ac fideliter ſequeretur, quoſque Chriſtus etiam ipſe ſuo tempore honorauit. Nec temerè factum eſt, quòd Paulus Apoſtolus reuelatione diuina monitus, Hieroſolymam aſcenderet, & Euangelium à ſe prædicatum cum Eccleſiæ columnis ſiue primarijs Apoſtolis conferret, ne fortè ſi ab illorum doctrina vel conſuetudine diſcederet, in vacuum curreret aut cucurriſſet. Sciebat enim Deo gratum, & Eccleſiæ neceſſarium eſſe ordinem in religione, ac in ipſis quoq; miniſtris ac doctoribus conſenſum doctrinæ conſtare oportere, vt fidei vnitas atque ſtabilitas retineatur. Nam apud ſectarios nullus dogmatum conſenſus inuenitur, vt qui diſcordibus inter ſe animis & vocibus tumultuantur, ac velut in diſſono choro ſuam quiſq; canit cantionem. Quo circa idem Apoſtolus dicere non veretur, Epiſcopos (nimirùm Orthodoxorum antiſtites) à Spiritu ſancto ad regendam Chriſti Eccleſiam, inſtitutos, nec ſolùm Apoſtolos, Prophetas & Euangeliſtas, verùm etiam paſtores & doctores à Chriſto ipſo datos & relictos eſſe ad ſanctorum conſumationem, quibus fideles obedire ac ſubiacere, & cum quibus pacem habere debeant. Meum igitur ac omnium Chriſti ouium ad æternam ſalutem conſequendam hoc proprium ac perpetuum eſſe munus debet, vt ſicubi in cauſa fidei dubitemus, vel de ſenſu veræ ſcripturæ quid certiùs cognoſcere cupiamus, non Eccleſiæ hoſtes vel deſertores, non politicos magiſtratus, nec profanos homines, ſed illos cōſulamus, audiamus & ſequamur, qui ſuper cathedram conſtituti ſedent, & cum Ioanne legitimè vocati ac miſſi, Catholicæ præſunt Eccleſiæ. Etenim de his fideles mandatum Chriſti habent irrefutabile: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.*

Malach. 2.
Matth. 23.
Gal. 2.
Actor. 20.
Epheſ. 4.
Hebr. 13.
1. Theſſ. 5.
Matth. 23.
Matth. 23

Quarè Chriſtus etiam Eccleſiæ ſuæ doctores ac præpoſitos compellans, ſeriò ſanciuit. *Qui vos recipit, me recipit. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Qua de re multa & præclara ſcribit Chryſoſtomus, grauiter in illos inuehens, qui ſuos paſtores & ſacerdotes in ordinem redigere, & excellenti dignitate ſpoliare non erubeſcunt. Atq; inter cætera pronuntiat: Hoc malorum omnium cauſa eſt, quòd rectorum authoritas perijt, nulla illis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus. Qui honorat ſacerdotes, Deum quoq; honorat: qui verò ſacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur, vt in Deum ipſum aliquando contumelioſus euadat.]

Tu quis es? Non ſum.

QVANTO rarior apud homines eſt in dictis factiſq; conſtantia, tantò laudabilior Ioannes Baptiſta exiſtimari meretur, quòd in vera fide, fideiq; doctrina & confeſsione firmus tanquam petra & rupes perſtiterit, nec minus in vita & moribus perpetuò ſibi ſimilis ac ſtabilis fuerit, vt nulla ex parte pro arundine à quoquam haberi queat. Proinde nec potentium fauores & honores oblati, nec applauſus populi, nec Herodis ira & vincula inuictum illius animum labefactarũt, atq; à veritatis & iuſtitiæ officio deflectere vnquàm potuerunt. Hoc Ioannis exemplum addet mihi calcar ad çquabilitatem comparandam, vt in vtraq; fortuna ſubeunda me conſeruem irreprehenſibilem, atq; ita meos moderer affectus, ne rebus proſperis inſolenter extollar, neq; aduerſis frangar atq; deijciar, ſed ſemper mea ſorte contentus, dicam cum Apoſtolo: *Ego didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare, ſatiari & eſurire, abundare & penuriam pati, omnia poſſum in eo qui me confortat.* Deinde ſicut Ioannes vnam & eandem fidei doctrinam atq; confeſsionem prodit ac retinet ita mihi quoq; faciundum putabo, ne quicquam cum illis commune habeam, qui ſunt cum Galatis in doctrina inſtabiles, vel ſicut Chriſtus appellat, temporales, paruu-

liqúe

liquefluctuantes, quoniam omni vento doctrinæ in nequitia hominum circumferuntur. Apoſtolica enim & neceſſaria fidelibus eſt regula: *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Optimum enim eſt gratia ſtabilire cor.* Eoque magis Deum precabor, vt det nobis, ſicut precatur & Paulus, idipſum ſapere, & vno ore honorificare Patrem, ita vt non ſint in nobis ſchiſmata, ſimus autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia. Tales erant vtique primi Chriſtiani mirè cõſentientes, de quibus Lucas aſſerit: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*: vnde nec diſpar fidei profeſsio apud illos poterat reperiri, cùm ſic ab Apoſtolis inſtituti eſſent, vt vnitatem ſpiritus in vinculo pacis ſollicitè conſeruarent, vtq; vnius corporis & ſpiritus integritatem vbiq; præſtarent. Rurſus hîc à Ioanne diſcam, vt monitus de mea fide rationem reddere, nullo periculi metu, vel humano pudore me impediri ſinam, ſed veritatem ſiue coram amicis, ſiue apud inimicos liberè profitear, ſicut ille qui dixit: *Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* Atque hoc eſt, quod Apoſtolus Petrus à nobis exigit, inquiens: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe & fide.* Etenim quanti ſit periculi abnegatio, ſuppreſſio vel reticentia Chriſtianæ veritatis, vbi res ipſa poſtulat ingenuam profeſsionem, ſatis illa Chriſti prodit oratio: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre qui in cœlis eſt. Et qui erubuerit me & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, quùm venerit in maieſtate ſua & Patris & ſanctorũ Angelorum.* Quarè cum Paulo fidenter dicam: *Non erubeſco Euangelium. An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.*

Matth. 13. Epheſ. 4. Hebr. 13. Rom. 14. 1. Corin. 1. Actor. 2. Epheſ. 4. 1. Cor. 12. Pſal. 118. 1. Pet. 3. Matth. 10. Luc. 9. Rom. 1. Gal. 1.

NOTABO & illud in Ioanne, quod is ab Angelo, Malachia & Chriſto ipſo multis nominibus prædicatus & ornatus, veras etiam hominũ laudes ſibi delatas repudiat, & inter alios inſigniores titulos, quos meritus erat, duntaxat vocis

Luc. 1. Malach. 3. Ioan. 5. Luc. 7.

clamantis

clamantis nomen ſubmiſſum agnoſcit & vſurpat. Nec eſt illi diſſimilis Iob, præclaro Dei teſtimonio decoratus, quòd nempè in tantis opibus homo maneret ſimplex & rectus, timensq; Deum, & à malo recedens, quiq; nullum alium in terra ſibi parem haberet. Quàm verò idem ille de ſe ipſo abiectè ſentit ac loquitur, quùm ſe facit folium quod vento rapitur,& ſtipulam ſiccam agitatam, quin etiam putredinem mox conſumendam, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea? Igitur à Ioanne & Iob, ſicut & ab Abraham aliiſq; ſanctis viris, quibus perpetuũ cum arrogantia certamen fuit addiſcam, me ipſum non ſolùm in vitijs commiſſis, ſed etiam in præſentibus benefactis deprimere, ac perfectæ humilitatis & modeſtiæ ſpecimen præ me ferre. Scriptũ eſt enim: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Obſeruabo igitur, quando arrogantiæ ſpiritus multorum radix malorum, vel blandiens aſſentator, quo multi etiam boni deprauantur, id mihi ſuggerit, *Tu quis es?* nimirum ad criſtas erigendas, quoniam ab alijs nempè iuſtus & inſignis exiſtimer, vel certè non inferior æqualibus habear. Tùm ego veluti ſuperbus Adæ filius, meipſum comprimam ac deprimam ſtudioſè, perinde ac iniecta manu dicerem: *Quid ſuperbis terra & cinis? Abominatio Domini eſt omnis arrogans. Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Repetam & Dauidicum illud: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Nam piæ quidem conſcientiæ nihil ſecurius atq; conſultius eſſe ducam, quàm in benefactis etiam Dei iuſtitiam reuereri, & cum Dauide teſtari: *Imperfectum meum viderunt oculi mei*, illudq; dictum Iob mihi ſumam: *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd nõ parceres delinquenti.* Docet igitur & Ioannes, vt cum magnus coram Deo fuerim, me tamen magnum eſſe neſciam, immò me CHRISTI ſeruum prorſus indignum abiectumque mancipium æſtimem, & ſicut Paulus fecit, me primum ſummumq; peccatorem ſtatuam. Ita enim cum viro ſancto mihi ſentiendum eſt:

Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et ſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. Iob. 9.

Dirigite viam Domini.

ETSI ſine Deo Deiq́ue gratia nihil à nobis præclarè vel inſtitui, vel perfici poſsit, vnde Ioannes ipſe dixit: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo:* Ioan. 3. tamen & illud cum Paulo fatendum eſt, nos Dei adiutores & cooperatores eſſe, & fideles in eo qui ipſos confortat, poſſe & præſtare Deo grata, ſibiq; verè ſalutaria, vt piè confidentes & ſanctè audaces dicant: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini qui fecit cælum & terram. In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Non derelinques præſumentes de te, ſed de ſua virtute gloriantes humilias.* Requirit itaque Ioannes à ſuis auditoribus, immò à fidelibus omnibus multa & magna, totius autem prædicationis ſummam & epitomen in eo conſtituit: *Dirigite ſeu parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Huic regulæ aureæq́ue doctrinæ me totum accomodabo, præſertim natali Domini iam imminente, & meritò huc incitante, vt Spiritum ſanctum in electo organo ſuo loquentem & clamantem audiam diligenter. Vbi ego primum notabo nihil noui à Ioanne proferri, ſed Iſaiæ verba multo antè dicta repeti, ac ſimul Hieremiæ ſententiam illam confirmari: *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra.* Væ igitur mihi, ſi fingo laborem in præcepto, ac ignauiæ meæ inanem prætexo fucum, dum in veteri peccato vel errore perſiſto, & pœnitentiam agendam procraſtino, neque ſtatim ad meliorem frugem viamq́ue Domini redeo ſiue conuertor. Sic enim & alibi diuinum oraculum pronunciat: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſè, & diſcite benefacere: quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.* Hæc autem omnia Ioannes vno

1. Corin. 3. Pſal. 123. Pſal. 107. Eccleſ. 2. Iudith. 6. Ioan. 1. Iſai 40. Hier. 7. & 26. Iſai. 1.

illo

illo verbo complexus eſt, Dirigite viam Domini, vel ſicut apud Iſaiam legit interpres: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Ezechiel Propheta ſic loquitur: *Cum ſe auerterit impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam: ipſe animam ſuam viuificabit.* Præterea mihi obſeruandus eſt ordo verborum, quibus Ioannes vtitur in officio prædicandi, initiò quidem à pœnitentia ſumpto, quando ab omnibus citra diſcrimen poſtulat: *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum.* Sicut enim nondum regeneratis ad remiſsionem peccatorum Deique gratiam conſequendam Baptiſmus eſt neceſſarius, ita poſt Baptiſmum lapſi egent pœnitentia, fruſtraque virtutibus alijs vacant, niſi primùm per pœnitentiam, veluti ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam, Deo & Eccleſiæ reconciliantur. Nec Ioannes tantùm, ſed & Chriſtus Dominus pœnitentiæ fuit ſerius prædicator, ac de ſe ipſo aſſeruit palàm: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam,* ſuiſque diſcipulis dedit in mandatis, vt in ipſius nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum annunciarent. Hinc à Petro etiam Apoſtolo dictum eſt: *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.*

Iſai. 40. Ezech. 18. Matth. 3. Luc. 5. Luc. 24. Actor. 3.

IVSTVM igitur dolorem capiam, quòd hodie tam multi aduerſus Ioannis inſtitutum ac ſpiritum de fide tantùm doceant, & euangelicæ pœnitentiæ virtutem & ſacramentum reſpuant, ac velut Syrenes, ſuis delicatis vocibus & canticis hoſpites & quoſcunque aduenas ſopire, immò & ſopitos deuorare videantur. Sunt enim ex illis qui loquuntur placentia, & de quibus Deus ipſe in hunc modum queritur: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Pios autem & ſapientes laudabo maiores, qui neceſſariam pœnitentiæ doctrinam & exercitationem vrſerunt ſedulò, & tres eius partes ſiue actiones, nempe contritionem, confeſſionem ac ſatisfactionem (Gregorius peccati vindictam vocat)

Iſai. 30. Thren. 2. In lib. 1. Regum.

confir-

confirmârunt, qui prætereà non ſolùm interiorem, ſed etiam exteriorem, nonnunquam publicam & ſolennem pœnitentiam exegerunt. Sciebant etenim permagni referre, vt fructus pœnitentiæ digni agerentur in Eccleſia, morbiſque grauibus non leuia remedia applicarentur, & ſuus conſtaret vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Egit igitur publicam pœnitentiam Theodoſius Imperator, egit Fabiola nobilis matrona, ſicut & fidei deſertores, qui à Cypriano & Paciano introducuntur. Ego verò mihi maximè diſplicebo, quòd Ioannis & Prophetarum conciones de pœnitentia propoſitæ, in me frigeant, neque tam ſint efficaces, vt luctum intimum exprimant, veræque conuerſionis fructum operentur. Quò grauius ego Deum offendi, eò magis diuina illa voce terrebor: *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo: niſi pœnitentiam egeris.* Apoc. 2. Nec dubium eſt ad lapſos & relapſos omnes pertinere, quod per Prophetam Ioëlem imperat Deus: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu.* Ioël. 2. Notabo etiam & amouebo illa obſtacula, quæ me à conſcientiæ puritate, à Dei dilectione, à proximi charitate, ſanctæq; pœnitentiæ officio remorantur: ea verò ſtudia, quæ ſaluti meæ ſunt viciniora, ſectabor. Etenim quantò Meſsias præſtantior ac ſanctior naſcitur, quantoq; aduentus eius gratioſior, magiſq; ſalutaris eſt benè paratis animis, tantò cultius & inſtructius illi hoſpitium apparabo, ne alioquin Rex regum quem adorant & Angeli, ad impurum velut ſtabulum declinare cogatur. Vnde cum Propheta precabor: *Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum.* Pſal. 118. Et rurſus illud repetam: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit.* Pſal. 83. Exiſtimabo, ſi vnquam anteà, nunc ad finem huius Aduentus mihi maximè vigilandũ, & penſum pietati augẽdum eſſe, non ſolùm Eccleſia, ſed & Spiritu ſancto omnes & ſingulos ita commonefaciente: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Iacob. 4. *Si quis emũdauerit ſe ab iſtis* (carnis ac 2. Timoth. 2.

ſpiritus inquinamentis) *erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire munditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Rom. 6.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro afflictis hodie Catholicis religionis ergô, vt ne terriculamentis, periculis atque ſupplicijs vllis deterriti, ab orthodoxa fide contra hæreticos profitenda deſiſtant, ſed potius vt ſanctam Ioannis libertatem atque conſtantiam in fide vindicanda & adſtruenda æmulentur. Scriptum eſt enim*: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. *Quæ fidei & confeſsionis integritas, ſicut in ſacris Martyribus, ita etiam in glorioſo ſene Mathathia refulſit, quùm nec blandis amicorum hortationibus, nec ſæuis aduerſariorum minis & propoſitis pœnis locum præbuit, ſed pro fide patrijsq. legibus mortem acerbam ſibi eligendam putauit.* Ego, *inquit*, & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum. Propitius ſit nobis Deus: non eſt nobis vtile relinquere legem & iuſtitias Dei. Rom. 10. 1. Mach. 2.

ORABO *inſuper pro amicis & reliquis Orthodoxis vbiq. gentium conſtitutis, vt viam Domino nunc parent maximè, ac ſingulari ſtudio pietatis inſtructi, imminentem Chriſti natalem dignè excipiant, ideoq. ſanctis Eccleſiæ ſacramentis vtantur. Is enim vel præcipuus eſt vſus ac fructus ex Aduentus inſtituto capiendus, vt ſalutaris Sacramentorum perceptio ad remiſsionem peccatorum neceſſaria, in populo ſubſequatur, idq. à fidelibus obtineatur, quod precatur Eccleſia in hunc modum: Deus qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas, præſta vt Vnigenitum tuum, quem Redemptorem læti ſuſcipimus, venientem quoque iudicem ſecuri videamus Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum.*

INVOCABO *& Virginem matrem, vt fida eius interceſſione gratiam Dei conſequar, ad aptum hoſpitium in me naſciturо Meſsiæ præparandum. Huc materno illius exemplo excitabor, quæ grauida facta per Spiritum ſanctum, in magna erat*

expectatione ſacri partus, illumq; meritò videre geſtiebat, quem certò ſciret natiuitate ſua non modò Iſraëli, ſed etiam toti orbi maximè profuturum. Vnde illa non ſine ſingulari fide, ſpe, charitate, aliiſq; donis Dei longè magis quàm nos æſtimare poſſumus, ad hunc noui Regis filijq; ſui ortum ſeſe, vti nulla mater alia ſedulò præparabat. Nec enim ignorabat ſcriptum eſſe: *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* Tum de ſapientia æterna legimus, facilè illam videri ab his qui diligunt eam, & inueniri ab his qui quærunt illam. *Præoccupat enim eos, qui ſe concupiſcunt vt illis ſe prior oſtendat.* Eccleſ. 2. Sapien. 6.

ET quoniam ſancti Patres, vt ad Chriſti natalem piè celebrandum moueant magis populum, ſimilitudine Regis vel principis ad menſam, vel ad natalem ſuum ornandum inuitantis hoſpites, libenter vtuntur, non grauabor D. Auguſtini verba repetere, quibus eundem in modum diſſerit, atq; ad feſtum imminens pulchrè Chriſtianos hortatur: Licet, inquit, nos omni tempore bonis operibus ornatos ac ſplendidos eſſe conueniat, præcipuè tamen in die natalis Domini ſicut in Euangelio ipſe dixit, lucere debent hominibus opera veſtra. Conſiderate quæſo fratres, quando aliquis homo potens aut nobilis natalem aut ſuum aut filij ſui celebrare deſiderat, quanto ſtudio ante plures dies, quicquid in domo ſua ſordidum inuenerit, ordinat emundari, quicquid ineptum & incongruum proijci, quicquid vtile & neceſſarium præcipit exhiberi. Domus etiamſi obſcura fuerit, dealbatur, pauimenta ſcopis mundantur, & diuerſis reſperſa floribus adornantur. Quicquid etiam ad lætitiam animæ & corporis delicias pertinet, omni ſolicitudine prouidetur. Vt quid iſta fratres chariſsimi, niſi vt dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in natalitio tuo aut filij tui, quanta & qualia præparare debes ſuſcepturus natalē Domini tui? Si talia præparas morituro, qualia præparare debes æterno? Quicquid ergo non vis inueniri in domo tua, quantùm potes, labora, vt De Aduentu Domini. Matth. 5.

non inueniat Deus in anima tua. Certè ſi te Rex terrenus,
aut quicunque paterfamilias ad ſuum natalitium inuitaret,
qualibus veſtimentis ſtuderes ornatus incedere, quàm no-
uis vel nitidis, quàm ſplendidis, quorum nec vetuſtas, nec
vilitas, nec aliqua fœditas oculos inuitantis offenderet? Ta-
li ergo ſtudio, in quantum præuales, Chriſto auxiliante con-
tende, vt diuerſis virtutum ornamentis anima tua compo-
ſita, ſimplicitatis gemmis, & ſobrietatis floribus adornata, ad
ſolennitatem Regis æterni, id eſt, ad natalem Domini Salua-
toris cum ſecura conſcientia procedat, caſtitate nitida, cha-
ritate ſplendida, eleemoſynis candida. Chriſtus enim Do-
minus ſi te ita compoſitum, natalitium ſuum celebrare co-
gnouerit, ipſe per ſe venire, & animam tuam non ſolùm vi-
ſitare, ſed etiam requieſcere, & in perpetuum in illa dignabi-
26. & turhabitare, ſicut ſcriptũ eſt: *Et habitabo in illis, & inambu-*
.6. *labo.* Et iterum: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: Si quis ſurrexerit*
3. *& aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cũ illo, & ille mecum.*
. de *cum.* Nec ſunt diſſimilia quæ idem Auguſtinus alibi profert,
re. vt populum excitet ad feſtum hoc celeberrimum benè pur-
gatis & paratis animis excipiendum. In natali enim Domini,
inquit, fratres dilectiſſimi, quaſi in nuptijs ſpiritalibus ſpon-
4. ſæ ſuæ Eccleſiæ Chriſtus adiunctus eſt. Tunc veritas de ter-
. ra orta eſt, tunc iuſtitia de cœlo proſpexit, tunc proceſsit
ſponſus de thalamo ſuo, hoc eſt, verbum Dei de vtero virgi-
nali. Proceſsit enim cum ſponſa ſua Eccleſia, id eſt, huma-
nam carnem ſuſcepit. Ad iſtas ergo tam ſanctas nuptias in-
uitati, & ad conuiuium Patris, & Filij, & Spiritus ſancti in-
traturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et
ideò mundemus quantùm poſſumus cum Dei adiutorio,
corda ſimul & corpora noſtra, vt cœleſtis ille inuitator nihil
in nobis ſordidum, nihil fœdum, nihil obſcurum, nihil ocu-
lis ſuis deprehendat indignum. Hæc ergo fratres dilectiſsi-
mi, non tranſitoriè, ſed cum ingenti timore debemus atten-
dere: inuitati enim ſumus ad nuptias, vbi nos ipſi, ſi benè a-
gimus, ſponſæ erimus. Atq; hactenus ille Auguſtinus.

PRAE-

PRAEAMBVLA ET ADMINICVLA QVAEDAM AD FERIAS DOMINI NATALITIAS RELIGIOSIVS CElebrandas.

SI MIHI & Catholicis incumbit, vt religioſè noſtrum tranſigamus Aduentum, eiuſdem ſanè finem, Chriſti nempè feſtum natalitium, reuerenter excipere, digneq́; celebrare debemus. Hoc ipſum enim feſtum eſt ex primarijs in Eccleſia receptum, tamque vetuſtum, vt inde ab initio Chriſtianiſmi fuerit inſtitutum, tàm inſuper iucundum, vt omnes ætates & ordines fidelium recreet, ac mirificè conſoletur. [a] *Chryſoſtomo feſtorum metropolis, &* [b] *Auguſtino ſancta, deſiderabilis, glorioſa, & ſingularis ſolennitas dicitur, ob eam nempè natiuitatem, quæ per ſe ſancta eſt & illibata, mundo honorabilis, amabilis hominibus, ob ſacri myſterij profunditatem vix Angelis peruestigabilis, & vndique admirabilis, vt quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, vt Bernardi verbis alludamus. Et ſanè quemadmodum cum ad nos redit Sol vere nouo,*

a In oratione de S. Philogonio.
b Sermon. 2. de tempore.

Serm. 1. in vigil. natalis.

omnia viuere incipiunt, terra parturit, arbores frondibus veſtiuntur, inferioris mundi facies innouatur ac reuireſcit: ſic adueniente ad nos per incarnationem Sole iuſtitiæ Chriſto, tota mundi facies ſpiritualiter innouata eſt, totaq; Eccleſia quotannis hoc tempore innouatur. Unde quod Euangelicus Propheta Iſaias eſt vaticinatus, nunquam impletum eſſe magis videtur: Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda. *Quod feſti gaudium* [a] *Leo magnus confirmans: Non eſt, inquit fas locum eſſe triſtitiæ, vbi natalis eſt vitæ.*] *Sicut &* [b] *Ambroſius dixit: Lætitia quanta eſt, quantuſq; concurſus, quando Imperatoris mundi celebrandus eſt natalis?*] *Qui natalitius ſimul & lætiſſimus Domini Regis & Redemptoris noſtri dies, vt maiorem mihi fructum adferat, certò inprimis apud me conſtitutum habebo, ampliſſima diuinæ gratiæ munera & priuilegia in eo recondi, illaq; offerri omnibus, qui Catholica fide & bona voluntate præditi, cæleſtis miſericordiæ fores ſibi cupiunt reſerari. Hinc Angelus magnum gaudium, quod propter natum Saluatorem non ſolis Iudæis, ſed omni populo futurum eſſet, vti præco lætiſſimus, Dei nomine annuntiauit. Quo magis ego ſanctum hoc tempus religioſè obſeruare, ac ſedulò ſanctificare nitar, certus maiorem gratiæ vbertatem his, qui huc ſe accuratiùs comparauerint, diuinitùs communicari.* Habenti enim dabitur, & abundabit. *Nullus profectò fuit aut eſſe poteſt Princeps auguſtior ac liberalior, qui ſuos & immenſos theſauros auidiùs ac pleniore manu diſpenſare gaudeat, præterquàm*

Iſai. 32.

a Serm. 5. de Chriſti natiuit.

b Ambroſius ſermon. 14.

Luc. 2.

Matth. 25.

natus

natus Rex regum Chriſtus, qui ſuum natalem rectè celebrantibus fratribus propenſiſſimè fauet, maximaq; largitur chariſmata.

Proderit interim illud mihi, quùm ad precationem accedam, vt Angelos veluti per choros & turmas diuiſos, atq; ad pſallendum & orandum mirabiliter incenſos, mihi ob oculos ponam, eiſq; me licet indignum, ad diuinæ maieſtatis natiq; pueri cultum offerendum adiungam, perinde ac ſi cum Propheta dicerem: In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes voluntatem eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. Pſal. 137. & 102.

Proderit, ſiue comedam aut bibam, ſiue ſomnum adeam vel finiam, nati dulciſſimi pueri IESV *primùm meminiſſe, ad illum vehementer adſpirare, circa illum velut theſaurum meum vnicum, ſtudioſè verſari, perinde ac ſi hoc modo illum affarer: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum, qui de cælo deſcendit, quem virgo peperit, Emmanuel noſter? Vbi eſt quem diligit anima mea, tantoperè à Patribus in limbo expectatus, toties in veteri lege promiſſus, à tot Prophetis denuntiatus, tàm illuſtribus figuris ac typis præſignatus: tàm flagrantibus priſcorum fideliũ votis expetitus, ob quem venturum & ipſe Pater credentium Abraham in ſpiritu exultauit?* Ioan. 8 *O ſæculum aureum, ab illo Abrahæ ſemine inchoatum, in quo gentes omnes benedicuntur.* Geneſ. 12. & 22. *Vbi flos & fructus è ſtirpe tàm ſancta prodiens?* Iſai. 11. *ſecundùm illud vatici-*

cinium: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. *Et per eundem Prophetam prædictum fuit:* In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis. *Vbi ſpecioſus ille præ filijs hominum, quo nullus vnquam nobilior & auguſtior filius apparuit? cui tàm præclara competant nomina, vt dicatur admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, & princeps pacis, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, immò & paruulus, deſiderium tuum, gaudium tuum, ſalus tua, verus ille Salomon & Rex pacificus, cuius vultum terra deſiderat vniuerſa. Hunc paruulum natum, hunc filium datum diligit anima mea: huic ſeruire & viuere anhelat: ſit nomen eius in ſecula benedictum. Bone Ieſu tuis fratribus & ſororibus me patiaris adſcribi, de quibus ipſe aiebas:* Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. *Vtinam tu in me, atque in omnibus, ac præſertim in Eccleſia tua magis magiſque glorificeris. Per ſanctam natiuitatem tuam mei quæſo miſerearis, & ſicut Sol oriens, qui illuminas omnem hominem, mentis meæ tenebras diſcute, frigidumque hoc pectus ardore diuini amoris incende. Proderit demum, vt ſi charitatis vel humilitatis patientiaué opus aliquod mihi perficiendum ſit, de Ioſepho mediter, eiuſque ſimplicitatem & alacritatem induam, & vnà cum illo ipſo ad pueri Ieſu gloriam gaudens referam omnia, velut & ipſe in Bethlehemitico ſtabulo conſtitutus, tàm bono hero Ioſepho adhærèam, atque in humilitate non ficta ſubſeruiam. Quibus de rebus poſtea copioſiùs.*

Quod

Quod ad precationis commodum locum attinet, cum non alium quàm Bethleem Iuda, vnà cum paſtoribus quotidie quæram, Chriſtumq́ puerum in præſepi poſitum, & faſcijs inuolutum adorabo, à Matre quoq́ ſanctiſſima rogaturus, ne à ſacro ſtabulo, niſi cum accepta Filij benedictione, inanem me abire permittat. Quare cũ D. Hieronymo dicam: Ego diuerſorij Bethlehemitici, & præſepis Domini amator ſum, in quo virgo puerpera Deum fudit infantem.] Nec ſolus Hieronymus, ſed & nobiles multũq́ laudatæ viduæ Paula & Marcella hoc loco ſibi ſedem fixerunt, ac rus Bethlehemiticum Romanis opibus atq́ delicijs prætulerunt, & præſepe hoc Domini magna coluerunt religione. Unde cum eadem Paula in ſpecu Saluatoris fuiſſet ingreſſa, ac ibi ſacrum Uirginis diuerſorium vidiſſet & ſtabulum, in quo agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepè Domini ſui, mixtis gaudio lachrimis ita loquebatur: Salue Bethlehem, domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cælo deſcendit. Salue Ephrata regio vberrima atq́ καρποφόρος, (id eſt fertilis ſiue frugifera) cuius fertilitas Deus eſt. De te quondam Michæas vaticinatus eſt: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit princeps in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. In te natus eſt princeps qui ante luciferum genitus eſt, cuius de Patre natiuitas omnem excedit ætatem.] Quid? quod Imperator Conſtantinus & ſancta eius mater Helena non ſolùm Bethlehem in magno pretio habuerunt, ſicut & ab alijs plurimis factum eſt, verùm etiam locum tàm ſacrum, & multorum religione

In epitaphio Fabiolæ & Paulæ.

Vide Hieronymum cũ ad Euſtochium ſcribit de matris epitaph.

Iſai. 1.

Mich. 5.

Pſal. 109.

gione celebratum, eximÿs monumentis & regalibus ornamentis cohoneſtare curârunt, quemadmodum præter alios hiſtoricos [a] Euſebius & [b] Socrates meminerunt.

His adiungi poſſunt ſpirituales affectus, & pÿ gemitus, tùm orationes, vt vocant, eiaculatoriæ, ſicut & ſelecti probatiq́ hymni, vel recepta cantica, quibus iampridem Orthodoxi pulcherrimo puero IESV, *& eius lætiſſimæ matri in omnibus penè linguis gratulantes, libenter vtuntur. Nec dici facile poteſt, quantam voluptatē & conſolationem tot ſeculorum fideles ex his ipſis ferÿs perceperint, ac nūc etiam paſſim percipiant. Ideoq́ media nocte ſurgunt, & ad templum propensè concurrunt, vt vnà cum paſtoribus Dominum recens natum reuerenter inuiſant, ſuæq́ viſitationis tempus agnoſcant, nec minus cum Angelis Deo ſummo gloriam tribuant. Verùm nimis longum, & à noſtro inſtituto alienum foret, iſthæc minutim perſequi, quæ licet muni ſapientibus inſipida, immò & ridicula & puerilia videantur (deridetur enim iuſti ſimplicitas) tamen ad ſpiritualem, vt ſic dicam, renaſcentiam ſpectant, & paruulis Euangelicis lacte ſpirituali fouendis conferunt, tantò vtiq́ gratiora* DEO, *quantò ex puriore, ſimpliciore & ardentiore piorum pectore proficiſcuntur. Talibus enim paruulis* IESVS *paruulus vel maximè delectatur: cum huiuſmodi ſimplicibus eſt ſermocinatio eius.*

NOTA

NOTÆ AD FERIAS NATALITIAS, DIESQVE OCTO RELIQVOS PROPIVS PERTINENTES.

I.

De Patre cœleſti donante Filium.

VERSABOR circa æternum & immenſum amorem DEI *Patris nos homunciones ter miſeros, immò & inimicos damnationem æternam meritos adeò diligentis, vt Filium ſuum vnigenitum, quo nihil maius habet & charius, huic mundo quamuis impio & peruerſo, poſt multa promiſſa offerret donaretq́ gratis, neq́ ſolùm in hominis, ſed infantis etiam tenerrimi forma natum proponeret omnibus mortalibus, nullo quidem excepto, amplectendum & perpetuò poſſidendum.* Quos enim præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui: vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Quod verò beneficium ac munus quæſo cum hoc ipſo conferri, quod feſtum poſt hominum memoriam rectiùs à mortalibus omninò celebrari poteſt, præterquàm in laudem & gloriam tanti Largitoris? O igitur* Rom. 8.

grauem & inexcuſabilem, meritoq́; damnandam ingrati tudinem noſtram, talem ſi Patrem incredibiliter amantem, & in Chriſto donantem omnia, nos velut ſaxei & adamantini homines, non æſtimare, non reſpicere, non colere, nec redamare curemus. Certè nos ingratos ille coram cunctis creaturis meritò accuſet, grauiſſimeq́; puniat, ſuo iure illud exprobrans: Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? *Hîc verè in Chriſtianum ingratum, tantæq́; charitatis immemorem dixeris:* Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. *Stat interim dilecti ſententia:* In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit DEVS in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexeri mus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro pecatis noſtris.

II.

DE DEO FILIO NATO.

Salutis ac redemptionis meæ baſim in eo conſtituã, vt Chriſti Domini vtramq́; natiuitatem, diuinam & humanam, ſyncerè confitear, nimirùm Athanaſii magni regulam irrefutabilem, planeque auream ſequens, quæ per totam Eccleſiam tot ſeculis decantatur. Eſt fides recta, inquit, vt credamus & confiteamur, quia

Dominus

Dominus noſter IESVS *Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus: perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Aequalis patri ſecundùm diuinitatem: minor patre ſecundùm humanitatem.*]

Utramq; natiuitatem diſertè confeſſi ſunt [a] *Petrus,* [b] *Ioannes &* [c] *Thomas Apoſtoli, ſicut &* [e] *Paulus affirmans:* Qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit. *Quemadmodũ enim Chriſtus in prima natiuitate ſpiritali* ἀμήτωρ *fuit: quia ſine officio matris à ſolo Deo Patre generatus eſt: ita in ſecunda natiuitate carnali* ἀπάτωρ *fuit: quoniam ſine Patris officio, virginali vtero procreatus eſt, vt mediam inter Deum & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem imbecillemq; naturam quaſi manu ad immortalitatẽ poſſet educere, vt Lactantij verbis vtamur. Quocirca Dei filius ſine matre de Patre genitus, idemq; filius hominis ſine patre de matre natus, hunc diem ſacroſanctum nobis conſecrauit, diuina natiuitate inuiſibili, humana viſibilis, & vtraq; mirabilis, quando tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo. Quantũ igitur illi debeo, qui cùm nullius egeret, & bonis omnibus abundaret, æternoq; Patri æqualis eſſet, ſummus cum ſummo illo condens & adminiſtrans omnia, tamen ſemetipſum adeò exinaniuit, humanam vt naturã indueret, ac ſuæ diuinæ inſeparabiliter copularet, idemq; frater meus & caro mea factus ſit. Cuius quidẽ infantis erga mortales fauor, charitas, beneuolentia fuit incredibilis, nec aptius explicare poſſe videtur, quàm verbis Propheti*

a Matth. 16.
b Ioan. 1.
c Ioan 20.
e Philipp. 2.

Lib. 4. de vera ſapientia.

Pſal. 18.

Ioan. 1.
Philip. 2.
Hebr. 2.

cu

cis, quæ Deus ipſe apud Ezechielem ſuauiſſimè loquitur in Ezech. 37.
hunc modum: Percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis DEVS, & ipſi erunt mihi populus. Et ſcient Gentes, quia ego Dominus ſanctificator Iſraël, cùm fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. *Proinde diuina & humana natura in vnam Christi perſonam cocunte, ipſoq́ Mediatore Dei & hominum ad nos placidiſſimè accedente, qui pax noſtra factus eſt, habeo ſanè, cur vnà cum Angelis orbi gratulantibus maiorem in modum exultem, & Propheticum illud ſubinde decantem,* Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: *vtq́ Dauidicum illud repetam:* Lætentur cœli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.

1. Tim. 2. Epheſ. 2. Iſai. 9. Pſal. 95.

III.

De Virgine puerpera.

QVAM magna fecerit Deus Mariæ puerperæ, & quidem in hac natiuitate, id verò mihi non leuiter expendendum eſt. Sanè vti pura illa concepit, ſic & pura peperit filium, à communi mulierum maledicto, vt in peccatis conceptos liberos cum dolore pariant, prorſus immunis. Fuit enim illi conceptio ſine damno pudoris, fuit partus ſine ſenſu doloris, immò cum ingenti coniun- Geneſ. 3.

ctus gaudio, vt in Deo ſalutari ſuo tunc etiam Mariæ ſpiritus exultârit. Non eguit obſtetrice in hoc ſuo puerperio, quæ corpore nunquam languens, integris manebat viribus, nec ſolùm in partu, & poſt partum immaculata, ſed etiam de cœlo vbere pleno lactabat infantulum. O mater, ô nutrix & cuſtos talis tantiq́ thesauri admiranda, quæ prima videret & adoraret ſuum mundiq́ ſaluatorem: quæ tam dulce pondus & pignus geſtaret, tam amanter exoſcularetur, maternoq́ iure poſſideret ac regeret. Nulla puerpera delicias pares, tantumq́ voluptatis percepit, nedum in ſtabulo apud beſtias, & circa præſepe, id eſt, in extrema paupertate potuit experiri. Nulla genitrix tam ſapiens in dictis, factis & euentibus omnibus circa ſuum puerulum accuratius ac religioſius obſeruandis. Maria enim conſeruabat omnia hæc, *vt Lucas affirmat*, conferens in corde ſuo, *nihil vt ſcilicet otioſum abire ſineret tam grauis & ſedula meditatrix. Verè Martha citra culpam ſollicita, & æquè Magdalena ſanctè otioſa, quæ per omne puerperium non tàm ſibi quàm Filio vixit, & quietem animi maximam in illis maternis curis & obſequijs aſſiduè conſeruauit. De illa Cyprianus hoc modo: Non habuit difficiles nixus & parturigines. Maria genitrix & obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, porrigit mamillam, totum negotium plenum gaudio. Nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam repetijt pœnarum vſuram.] Nec dubium, quin amoris & doloris lacrymas vberes & frequentes funderet: amoris inquam tùm naturalis, tum ſpiritualis, quas Filio tam augusto, ſpeciosó*

Luc. 2.

Sermon. de Chriſti natiuitate.

cioſo, nobili, amabili, diuino debebat: doloris autem, quas Iudaicæ gentis, quin etiam totius orbis ingratitudo exprimebat, quùm dictum Ioannis eſſe veriſſimum experiretur: In propria venit, & ſui eum non receperunt. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. *Quis non condoleat huic mulieri inter omnes benedictæ, & in oppido peregrino apud ignotos tàm durè inhumaniterq́ tractatæ? Partui proxima non habet quô diuertat, ſed hoſpitibus alijs qui tunc frequentes aderant, locum dare, & omni diuerſorio excluſa, in ſtabulum ad beſtias confugere cogitur. Nullus huius grauidæ miſeretur, quæ rerum aſpera inopia & vrgenti penuria premitur. Nec habet vbi genitum iam infantulum collocet, quem idcirco faſcijs inuolutum duro præſepi debuit imponere. Hæccine virgineum ac maternum Mariæ pectus pungerent ac vulnerarent? dum apertè cernit nec ſui, nec Filij, neq́ charitatis in ſumma neceſſitate rationem haberi, ſed ſæua bruma, denſis tenebris, miraq́ barbarie plena eſſe omnia, fidemq́ & charitatem prorſus extinctam iacere. Cur igitur non admirer, & cum Bernardo dicam: O beata ſola inter mulieres benedicta, & non maledicta, ſola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. O verè nouitas inaudita, virgo peperit, & poſt partum inuiolata permanſit: Fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore. Iam ſecurus expecto promiſſam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conſeruata per eum eſt incorruptio etiam in matre ſua.*]

Ioan. 1.

Sermon. 4. in vigil. natalis Domini.

Quis

IV.

Quis fructus ex conſideratione Virginis matris colligendus.

REQUIRIT à me ſacratiſſima Virgo, vt ſibi gaudenti congaudeam, lætéq; gratias agam præpotenti, qui tam multa & magna ipſi ex millibus electæ per Gabrielem prædixit, & per natum Filium præſtitit. Hinc & anima eius iure magnificauit Dominum, & ſpiritus eius in DEO *ſalutari ſuo gratulabundus exultauit, tantò vtiq; pleniùs & cumulatiùs, quantò fructus Virginalis vteri nobilior, & partus mirabilior, & puerperium auſpicatius ac purius fuit. Quod gaudium inter alia eius mirifica, nec ſatis laudata vnquàm gaudia non parùm excellit, totiq; mundo ſanctè gaudendi & gratulandi materiam ampliſſimam præbet. Quarè in Mariæ perſona, quæ nos ad gratulandum excitet, conſtanter illud cantat Eccleſia: Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: quia qùum eſſem paruula, placui altiſſimo, & de viſceribus meis genui Deum & hominem. Prætereà ſi Deus tot tantiſq; prærogatiuis Mariam ornauit & extulit propter inſignem caſtitatē, quoniam ex voto virginitatem ante omnes amplexa eſt, virgo concepit Emmanuelem, virgo illum ſine grauamine geſtauit in vtero, ſine dolore, ſine iactura pudoris peperit, & cum eâdem virginitate glorioſam, cunctiſq; ſeculis prædicandam coniunxit fœcunditatem: nonnè cum*

Auguſtino

Serm. 7. & 6. in natali Domini.

Auguſtino à nobis iure dicatur: Diligamus præ omnibus caſtitatem, quia vt placere hanc ſibi Chriſtus oſtenderet, pudicitiam vteri virginalis elegit. Sancta Maria credidit, ſancta concepit, ſanctior efficitur poſt partum. Extitit ipſi virgini Filius qui erat ſponſus: ipſe genitus, qui erat genitor.] *Requirit præterea inſignis mater, vt iuſti doloris lacrymas, à quibus nec illa ſibi temperauit, hiſce ferijs quamlibet lætis adiungam, eò quòd pleriq; , ſicut ſocordes & dormitantes Bethlehemitæ, natum ſibi Saluatorem nec curent, nec ſentiant, ideoq; cæci manentes, lumen exortum in tenebris non comprehendant. Rebus ergo terrenis prauiſq; cupiditatibus dediti, quo ſeipſos magis amant, & turpius gratiam omnem excutiunt, & pacem ab Angelis nuntiatam haudquaquam experiuntur. Igitur etiamnum, proh dolor, illud Chriſti dictum obtinet:* Lux venit in mundum, & dilexerunt homines plus tenebras quàm lucem. *Et ſecundùm Simeonis terribile vaticinium, natus hic puer licet lumen gentium & Iſraëlis gloria verè dicatur, & eſſe debeat, tamen non omnibus in reſurrectionem, ſed multis etiam in ruinam, atque in ſignum contradictionis poſitus manet.*

Pſal. 111.

Ioan. 3.

Luc. 2.

V.

Mariam in partu virginem perſeueraſſe.

Vide Auguſt. lib. 1. contra Iulian.

NON modo Manichæi & Iouinianiſtæ iam pridem damnati ab Eccleſia hæretici, ſed etiam noſtri ſæculi Caluiniſtæ tàm ſunt impuri ac impij,

vt per-

vt perpetuam virginis matris in partu integritatem audeant inficiari: perinde ac ſi Chriſtus naſcens, virgineas matris portas recluſerit, & illa ſui corporis lege pateſacta pepererit. Mihi verò conſtans Eccleſiæ Catholicæ fides retinenda eſt, quam à ſanctis & venerandis Patribus, veluti per manus traditam, ſemperq; defenſam accepi. Probat hanc ipſam integritatem Ambroſius, quoniam Iſaias dixerit: Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. *Non enim concepturam tantummodo virginem, ſed & parituram virginem dixit. Quæ potuit virgo concipere, potuit virgo generare: cùm ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur. Sed ſi doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium:* Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. *Probat itidem ex Propheta Ezechiele, vbi is agit de porta clauſa principi, quæ ad orientem reſpicit, nec aperitur, viro per illam tranſeunte. Quæ eſt hæc porta, inquit idem Ambroſius, niſi Maria? ideò clauſa quia virgo. Porta igitur Maria per quam Chriſtus intrauit in hunc mundum, quando virginali vſus eſt partu, & genitalia virginitatis clauſtra non ſoluit. Manſit intemeratum clauſtrum pudoris, & inuiolata integritatis durauere ſignacula, quùm exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus ſuſtinere non poſſet.] Et Origines Ambroſio antiquior ita ſcripſit: Virgo genuit & virgo permanſit. Mater filij facta eſt, & caſtitatis ſigillum non perdidit. Quare? quia non homo iſte tantùm qui videbatur, ſed vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat.] Conſonat Euſebius*

Epiſt. 81.

Iſai. 7. Matth. 1.

Luc. 1.

Ezech. 44.

Lib. de inſtit. virgin. cap. 7.

Homel. 1. ex varijs locis.

el. in il- ba: Ecce bonum & iucũdum.

el. de ſu Do-

ione de ſu Chri Simeo-

Apolog. nmach. logo 2.

30. ad Vo & lib. ciuitate cap. 8. non. 1. ciuitate ni. ap. 2.

Emiſſenus. Quia, inquit, corruptionis iniuria non fuit in conceptu, ideò integritas perſeuerauit in partu. Nemo ex virgine nato Filio calumnietur gloriam tantæ parentis. Quam cœleſtis puer non perrupit, dum concipitur, non potuit violare dum naſcitur.] *Nec diſſentit Gregorius Nyſſenus, à quo ſcribitur: Non prius apertã vuluam virginalem aperuit, ſignacula virginitatis illæſa conſeruans, etiam poſt proceſſum admirabilem. Aequè luculenter dictum eſt à Cyrillo Hieroſolymitano: Solus Chriſtus citra vllam virgineorum clauſtrorum offenſionem in lucem editus eſt. Accedunt his* [a] *Hieronymus,* [b] *Theodoretus ac alij de Chriſto teſtantes, quòd ex clauſo matris vtero ſit primùm egreſſus, ſicut ſeruatis integris monumenti ſignaculis reſurrexit, & deinde clauſis oſtijs ad diſcipulos venit. Ut omittam interim* [a] *Auguſtini,* [b] *Leonis &* [c] *Bedæ verba, quibus hæc ipſa Deiparæ integritas, non ſolùm in conceptu, ſed etiam in partu Filij comprobatur. Tantoq; magis ego diuinum hoc venerabor miraculum, quod Iudæi, Ethnici & hæretici ſenſu carnis inflati ſimul & obcæcati capere non poſſunt, vt credant nempè Chriſtum naſcendo non minuiſſe, ſed ſacraſſe & auxiſſe matri decus Virginitatis, illiq; inde gloriam incomparabilem adſtruxiſſe, vt illa caſtitatem Deo ſanctè promiſſam non ſolùm ante partum, ſed etiam in partu & poſt partum integrè conſeruârit. De hac ſola cum vniuerſa confitebor Eccleſia: Quæ & vnigenitum tuum ſancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Talis enim partus decebat Deum, qui matrem ſuam*

ſingula-

ſingulari in cœleſtibus donaturus gloria, peculiari in terris præmuniret gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta, vt Bernardi verbis vtamur.

VI.

De nati infantis exemplo.

C*ERTO mihi perſuadebo, nullum ſpectaculum hoc tempore iucundius, ac homini Chriſtiano ſalutare magis, quàm* IESVM *paruulum in Bethlehem, poſſe proponi atque conſiderari.* Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: *idemque tot ſæculis ardentiùs quàm credi poſſit, à plurimis deſideratus. Proinde cùm benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei apparuerit, & ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos facere venerit, quo pacto quiuis vel de Patris, vel de Filij bonitate diffidat, ſuamque in Deum ſpem non corroboret ac augeat vehementer? Spera in Dominum, quiſquis tibi vel perditus vel incurabilis planè videris, quoniam apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Venit ad nos infimos ille ſummus, & in tanta humilitate atque paupertate venit, vt & Angelici chori inauditæ ſubmiſſionis demirentur exemplum. Vixdum enim natus nuditatem corporis, rerum omnium indigentiam, frigus, lachrimas, hoſpitij vilitatem, & lectuli aſperitatem vltrò ſubit, totus matris paret imperio, ſine qua neque infantilia moueret membra, neque caperet edulium, neque ſui corporis compos eſſe vellet. Et eſt ille tamen qui ſuos æquales infantes omnes vincit generis amplitudine, membrorum teneritate,*

Iſai. 9.

Tit. 2. & 3.

Pſal. 129.

complexionis nobilitate, vultus pulchritudine, omni demum puritate, virtute & perfectione, quiq; ſolus dicere queat:
Pſal. 40. Meus eſt orbis terræ & plenitudo eius. *Ergone illum redamem, eiuſq; ſeruitio me totum addicam, qui ſola charitate commotus, adeò ſe mihi tradidit & impendit, vt illum infantem & fratrem meum videre poßim atq; com-*
Ioan. 1. *plecti?* Verbum *enim* caro factum eſt, & habitauit in nobis, *blandißimi pueri natura & forma ſuſcepta, quo nihil ſanè mitius, benignius, amabilius reperiri & conſpici*
2. Cor. 8. *poteſt. Cùm diues eſſet, propter nos factus eſt pauperrimus, è ſummo ſe minimum fecit, velut omnis dignitatis, quam inde ab æterno habuit & amittere non poteſt, oblitus eſſet. Quid multa? ſic mundum prorſus immundum dilexit*
Ioan. 3. DEVS, *non Prophetam aut Angelum, ſed vnigenitum ſuum, non ex parte ſed totum largiens, qui humilis infantis habitum indueret, ſeq; ad vagitus, lachrimas, famem, ſitim & reliquas id genus miſerandas ærumnas mortalium de-*
Hebr. 4. *mitteret, vt inde à primo ortu per omnia fratribus, peccato excepto, aßimilaretur. Video interim ac miror, quomodo Legislator ſuum obſeruet edictum, quòd Iſraëlitis hoc modo tra-*
Deut. 15. *ditum legimus:* Omninò indigens & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus DEVS tuus in terra. *En tibi Dominum Legis ac Regem Iſraëli-*
2. Cor. 8. *tarum, qui cùm diues, adeoq; bonorum omnium author & largitor eſſet, propter nos egenus, rerumq; omnium indigens factus eſt, nullus vt mendicorum & pauperum egentior ac miſerabilior natus eſſe videatur. Sed & matrem inopem, & pro nutricio patre fabrum elegit, atq; omnibus vitæ commo-*

ditatibus

ditatibus ſeſe abdicauit, vili tugurio, immò iumentorum putido ſtabulo, in quo naſceretur contentus, nec alium requirens lectum, quàm horridum præſepe, in quo faſcijs ligatus iaceret, frigeret ac lachrimaretur. An non crucem amat ac ſtudioſè amplectitur tenerrimus puer, qui ſuæ natiuitati tempus aſperrimæ hyemis & intempeſtam noctem aſſignat, locum verò ſui ortus non in hoſpitio, ſed in via publica, & inter iumenta & ſtramina deputat? Tam verum eſt quod ipſe prædixerat: Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans, in inuolumentis nutritus ſum. *Ac iterum per alium Prophetam teſtatus fuerat:* Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: ego mendicus ſum & pauper, *quodq; idem ipſe ore ſacro poſtea comprobauit:* Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. *Sed ô me ſurdaſtrum, qui Dominum meum de cunis docentem non audio: ô ingratum, qui tanto medico ſalutis medicamenta & remedia multa monſtranti non obſequor: ô inſipientem, qui iſthæc prima ſummi Regis inſignia, nimirùm innocentiam, humilitatem, manſuetudinem, paupertatem, patientiam non maioris facio, neq; ſtudioſius colo, vt hic puer & mihi cedat in reſurrectionem, & ego ſignum verum menti impreſſum geram de nato mihi Saluatore, iuxta dictum illud Angelicum: Et hoc vobis ſignum:* Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

Sapient. 7.

Pſal. 87. & 39.

Matth. 8.

Luc. 2.

Ibidem.

VII.

De conſiderandis in hoc feſto Angelis.

MULTUM profectò debemus beatis Angelis, qui niſi excellenti charitate flagrarent, & de procuranda hominum ſalute ſolliciti eſſent, vltrò de cœlo in terram adeò frequentes non deſcenderent, totą modis Chriſti nobis natalem in terris non cohoneſtarent. Primi hoc myſterium euangelizant mortalibus, ex quibus non niſi abiectos opiliones ad audiendum Euangelium deligunt, eisą locum Dominicæ natiuitatis oſtendunt, nec minus factis quàm dictis ſuam in nos pœna dignos beneuolentiam, nouamą lætitiam orbi comprobant: toti ſe demum in Dei Opt. Max. laudes effundunt, ſimulą in conſolandis miſeris, in prædicanda pace, in natali ſui noſtrią Regis celebrando ſtudioſè verſantur. Quare hos fidos Dei miniſtros
Genel. 40. Marc. 6. *ducesą noſtros imitabor, vt non Pharaonis aut Herodis, ſed Regis mei ac Monarchæ omnium natalem auguſtiſſimum venerer, eumą hymnis & lætitiæ documentis omnibus concelebrem. Adhæc ne ab Angelorum exemplo diſcedam, fraternæ pacis concordiaą ſtudium augebo, ſpiritualem lætitiam præ me feram, de nato paruulo libenter & cogitabo & loquar, illudą melos Angelicum in corde & ore frequenter habebo:* Gloria in altiſsimis Deo, & in
Luc. 2. terra pax hominibus bonæ voluntatis. Alleluia. *Ubi cœleſtes illi ſpiritus & gloriam ſummo Deo (tanti muneris ob natum Mediatorem authori) certatim decantant, & pacem amabilem hominibus conſortio Angelico reſti-*

tuendus optant ac nuntiant, illis quidem mortalibus præci, puè gratulantes, qui à peccatis auerſi, bonam, integram, ſanctamq́; voluntatem adferunt & oſtendunt, neque minus fraternæ pacis & concordiæ ſunt ſtudioſi. Nam & cum illis ſocietatem pacis Angelici ſpiritus habere feſtinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis ineſſe conſiderant, vt cum Gregorio Magno loquamur. In Euangelium de natiuitate Domini

VIII.

De Bethlehemiticis paſtoribus.

NEC inuitus gratulabor Bethlehemiticis paſtoribus, noctu in campo excubias agentibus, quos tanto beneficio affecit DEVS, vt omnium Iudæorum fœliciſſimi, & velut primi Chriſtiani poſſint exiſtimari. Etenim de nato in orbe Meſſia primum Euangelium audiunt, & Doctorem habent non hominem, ſed Angelum: nec ſolùm credunt, ſed etiam obediunt, ſuamq́; obedientiam Chriſti viſitatione declarant, & acceptam gratiam alijs vltrò communicant, vt in DEVM grati, & erga proximum benefici meritò habeantur. Non enim ſunt otioſi ſpectatores infantis, neque frigidi auditores Euangelij, nec inuidi myſteriorum occultatores, qui veritatem DEI in iuſtitia detineant, ſed reuelatum ipſis arca- Rom. 1. num, quod alijs mundi ſapientibus abſcondebatur, intimis Matth. 11. animi ſenſibus comprehendunt, maximaq́; fide complectuntur: tùm diuino lumine collustrati perficiunt, vt noua

lux ipſis patefacta magis ac magis apud alios inclareſcat. Tantò præterea cum fructu veritatem multis aperiunt, vt iuſta tanti beneficij & miraculi admiratio in audientium animis excitetur, & DEVS *à multis iure glorificetur. Sic enim habet Euangeliſta:* Reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes DEVM in omnibus, quæ audierant & viderant. *Ac iterum:* Omnes qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. *Tam ſeduli, tàm grati fuere paſtores, qui nobis inſuper futuros Eccleſiæ paſtores ac magiſtros Apoſtolos adumbrant, quùm diuinitùs illuſtrati, mirabiliter ex rudibus & indoctis ſapientes ac Theologi ſubitò euaſerint, ac Euangelium prædicârint. Ab his ego diſcam, alijs dormientibus ſæpè vigilare, labori manuum vacare, mundi ſapientiam pro ſtultitia deputare, Angelos mihi amicos conciliare, cœleſtibus monitis parere, ſacra perueſtigare myſteria, ſenſus & vires omnes ad Dei cultum amoremq; transferre, & pro data mihi gratia fidam alijs opem exhibere. Diſcam præterea, quod omnis ſapientiæ caput eſt, Chriſtum vnum cunctis quæ amantur & expetuntur bonis, anteponere, tantumq; theſaurum cupidè ac ſtudioſè, vt apud me maneat, conſeruare. Quamobrem hoſce paſtores Bethlehemiticos, qui Chriſtiani ſpiritus primitias acceperunt, ob oculos mihi proponam, ac velut illorum in Chriſto quærendo ſocius dicam:* Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. *Nec diſsimilis cohortatio eſt, qua ſe mutuò filij Dei ad perfectiora prouocât, iuxta Prophetam*

phetam ita loquentes: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. *Tum iterum*: Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. Iſai. 2.

IX.

De Ioſepho Mariæ ſponſo.

EST hic caſtiſſimus & integerrimus Mariæ ſponſus & cuſtos, idemq; fidiſſimus Ieſu nutritius pater, ac ſanè dignus, cuius frequentem & venerandam ego memoriam non in Aduentu ſolùm, ſed hoc etiam tempore cuſtodiam. Is obedientiæ officium præbens, vel media hyeme in Bethlehem proficiſcitur, ſuumq; cenſum pendit, vt Cæſaris edicto ſatisfaciat. Idem nato in Bethlehem puero non ſedet otioſus, ſed præſenti inopia & rei familiaris anguſtia commotus circumcurſitat, & ex animo ſatagit, matri ſimul & puero fidum præſtare procuratorem, ſicut DEVS *hoc illi munus proprium demandârat. Iam verò quàm crebrò quàm amanter ille Chriſtum puerum ſpectare, de illo cogitare ac loqui, quin ſenſus & operas omnes ad eius miniſterium conferre (dicam & ſomniare) non ſine maxima voluptate ſolebat? Vbi enim theſaurus Ioſeph, ibi cor, & oculus & ſenſus omnis eius haud dubiè verſabatur. Nec deerat vera fides, quùm ab Angelo iam antea inſtructus, tot miracula & myſteria præſens contemplaretur. Accedebat & amor feruidus, & reuerentia lætitiaq; ſingularis, quam &* Matth. 1.

noua ſanctaq; puerpera conſideratio non poterat non au-
gere. An non Lucas perſpicuè dixit, quod Ioſeph pater 2.
eius & mater erant mirantes ſuper his quæ de puero dice-
bantur? nimirùm iam increbreſcente rumore de Angelis
in aëre viſis, & in campo auditis, de paſtoribus primis to-
tius hiſtoriæ teſtibus atque præconibus, de miro pueri de-
core atque ſplendore, vt qui etiam infans diuini aliquid præ
44. *ſe ferre videretur, præ filijs hominum vtiq; ſpecioſus atque*
nel.1.in ſos. *gratioſus. Quis ambigat obſecro verum id eſſe, quod* [a] *Origenes*
m 2. de virgi- *&* [b] *Bernardus planè confirmant, hunc Ioſeph ita Virginem,*
vt Dei matrem & Dominam ſuam, & pudicitiæ caſtitatisq;
omnis exemplar ſuſpexiſſe atque coluiſſe? qui certè non
potuit non paratus eſſe, vt tali coniugi per omnia inſer-
uiret. Cur non opto ac ſtudeo eam mihi dari fidem, volun-
tatem, induſtriam, ſedulitatem, obſeruantiam, patientiam,
charitatem? vt parte ſaltem ex aliqua viro tàm ſolerti
quàm religioſo conformer, in quo tot tantæq; virtutes eluce-
bant, & quaſi perpetuæ comites erant in ſuſcepto mune-
re gnauiter obeundo, & in difficilibus peregrinationibus,
quæ deinde conſequutæ ſunt, ritè conficiendis. Quarè a-
morem Chriſto & matri eius debitum, vnà cum Ioſeph, præ-
ſtare moror? Nonne propter Chriſtum membra eius officio-
sè tractabo? aut ſaltem lauabo pedes Domini mei? cer-
tus quoduis miniſterium vel infimis fratribus præſtitum,
etiam ad Chriſtum caput pertinere, & ſingulari æternaq;
mercede penſari? Non enim mentitur veritas ita promit-
i. 25. *tens:* Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feci-
ſtis. Quiſquis vnum ex paruulis receperit in no

mine

eo, me recipit. Quicunque potum dederit
ninimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm
ne diſcipuli, amen dico vobis, non perdet
em ſuam. Matth. 10.

X.

De primo Chriſti hoſpitio.

ULLUM hoſpitium æquè ac Bethlehem Iudæ, ciuitas Dauid, vtpote primum Chriſti hoſpitium mihi arridebit: in hac dilecta domo & patria pri cundi Dauidis nunc maximè commorabor: hic panis quo veſcar, hic ſcholam ſapientiæ in qua, mihi propoſitam eſſe ducam. Deſignauit hanc nobis Angelus: in hac ſchola paſtores, aliiq; ſan. ſophantes plurimùm profecerunt. Diſcam igitur in em, quàm verè dixerit Propheta: Quis ſicut Do- Pſal. 112.
Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia
t in cœlo & in terra? *Et quod alibi legimus:* Quā- Eccl. ſ. 3.
nus es, humilia te in omnibus: *quodq; Chriſtus nunciauit:* Diſcite à me, quia mitis ſum & hu- Matth. 11. & 18.
orde. *Ac rurſus:* Quicunque humiliauerit ſe, ſi-
ruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum.
præterea in Bethlehem, ſapientiam non commo- Iob. 28
terræ ſuauiter viuentium, neque eam in domibus Luc. 7.
ac delicijs luxuq; diuitum, ſed potius in paupertatis is, in aſperitate vitæ, in mundi opumq; contem-ſui odio & voluntatis propriæ abdicatione repe-Pudebit me, hoc Bethlehemiticum Chriſti hoſpi-m paucis eſſe charum ac familiare, vt qui negle

ctis

ctis humanæ vitæ commodis, in omni ſimplicitate & humi-
litate Domino ſeruiant, atq; hac regia via tendentes, veram
ſapientiam aſſequantur. Dolebo mihi non magis eſſe cordi
crucis amorem ac ſtudium, quùm tamen hac velut teſſe-
ra & ſymbolo quodam diuinæ prædeſtinationis & perpe-
tuæ ſalutis, agnoſcantur electi, maximeq; coram Deo &
Angelis eius refulgeant, qui Chriſti velut ſtigmata non
6. *grauatim aſſumunt, & cum Paulo gerunt in corpore pa-*
.13. th. 8. *tienter.* Non enim eſt ſeruus maior Domino ſuo,
qui alieno ac vili hoſpitio contentus, non habet vbi caput re-
clinet, ſuumq; corpuſculum vt innocentiſſimum, ita & te-
nerrimum in via crucis apud Bethlehemitas primùm ſatis
.3. *inclementer exercet. Propoſuit enim illum Pater non ſolùm*
th. 1. .13. *propitiatorem, qui ſaluum faciat populum ſuum à pecca-*
h. 2. *tis eorum, verum etiam exemplar, ducem & vexilliferum,*
9. *quem fideles perinde ac milites vſq; aſpiciant, & præeuntem*
pro virili ſequantur, etiamſi per viam crucis gradiendum
ſit. Sic enim & ipſe docuit: Qui non accipit crucē ſuam,
th.10. & ſequitur me, non eſt me dignus. *Diſcam iterum in*
Bethlehem, non modo ſanctam paupertatē, ſi res ita poſtulet,
colere, ſed & pauperum viliumq; perſonarū conuictu ac fa-
miliaritate gaudere, quādo Rex meus inde ab initio non ma-
gnates ac diuites, ſed ſordidos & abiectos opiliones ortus ſui
th. 5. *conſcios reddidit, illisq; velut ſelectis amicis, per Angelum in-*
:. *uitatis primùm ſe cognoſcendum & amplectēdum præbuit,*
eo ipſo confirmans, pauperum & ſimplicium Euangelium
6. & 7. *ac regnum cœlorum proprium eſſe.* Pauperes enim
euangelizantur. *Diſcam cum paruulo* IESV *flere*

lubentius,

lubentius, quàm cum inſano vulgo ridere: diſcam ſilere ſtudioſius, quàm loqui, ac tacendi quidem tempus proprium ac longum obſeruare. In ſilentio enim & ſpe erit fortitudo veſtra. *Diſcam demùm ſeruire omnibus, atq; in illorum qui præſunt, arbitrio & poteſtate me totum ſtatuam & relinquam, vt velut paruulus ex matris nutu pendere, nullamq; de me ſollicitudinem gerere videar: memor illius:* Amen dico vobis, quicunque non accipit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud. *Quid enim ſtudij, quid reuerentiæ ac obedientiæ Chriſto Domino, ac deinde maioribus non debeo? cùm Paulus hoc ſeruis atq; mancipijs iniungat, vt cùm timore ac tremore ſuis Dominis obediant ac miniſtrent in omni ſimplicitate cordis, atq; ita Dei voluntatem ex animo faciant.*

Iſai. 30.

Marc. 10. Luc. 18.

Epheſ. 6. Coloſſ. 3.

IN FERIIS CHRISTI NATALITIIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

LVCAS Euangeliſta Virgini Deiparæ, vt putant, familiaris, ſicut ex eius ore ſacro percepit, ita ſolus perſcripſit multa myſteria, tùm ad huius matris perſonam, tùm ad Filij conceptionem, ortum & pueritiam maximè pertinentia. Quòd ergo Chriſtum Dominum ex Virgine natum in Bethlehem recolimus. (hoc enim totius feſti

natalicij fundamentum eſt) nemo rectiùs quàm ex Luca perceperit: tàm diſertè ille circumſtantias admirandæ, puræ, ſanctæque huius natiuitatis omnes exponit, nimirùm de tempore, loco, modo & propalatione partim ab Angelis, partim à paſtoribus facta, ne quicquam ad ſummum hoc nati Chriſti myſterium reuelandum & illuſtrandum pertinens, poſsit deſiderari. Etſi verò idem Lucas diuinam Chriſti natiuitatem, quæ ab Euangeliſta Ioanne ex profeſſo tractatur, in hoc Euangelio non deſcribit, tamen hoc ſatis indicat, quem Maria primogenitum in tempore peperit, illum ipſum eſſe à Patre genitum in æternitate, eumq́; ſimul & primogenitum & vnigenitum cenſeri oportere. Et ne quenquam primogeniti nomen offendat, notat poſt Hieronymum Theophylactus, primogenitum vocari eum, qui primò naſcitur, etiamſi nullus poſtea ſequatur. Nec dubium eſt, Mariam & Ioſeph (ſanctiſsimos caſtiſsimosq́; coniuges) ex Angelo & Spiritu ſancto intus habitante didiciſſe, hunc ipſum puerum eſſe Filium altiſsimi, nec modò ſanctum, ſed & mundi ſanctificatorem, & idcircò IESVM diuinitùs appellatum. Nihil ergo mirum, quòd illi, vt Auguſtinus & Ambroſius comprobant, eundem puerum ad venerandum illud præſepe adorârint, quemadmodum & de Angelis piè opinari debemus, cùm de illorum officio Spiritus ſanctus dixerit: Adorate eum omnes Angeli Dei. Nam & Apoſtolus Paulus hunc locum Chriſto attribuit, eumque Deum eſſe probat, quùm ſit ille Rex, quem iuxta dictum hoc Propheticum adorent Angeli, ſiue cœleſtes illi ſpiritus, qui Angelorũ nomine comprehenduntur. Quod adorandi officium ſi propriè ac ſtrictè accipiatur, nulli planè ſanctorum deferri debet, vt quibus duliæ tantùm veneratio (ſicut vocant) debeatur. Eccleſia verò ſuam de adorando paruulo mentem illo vetuſto cantico ſatis explicat: Dies ſanctitatis illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum, quia hodie deſcendit lux magna ſuper terram, Alleluia. Sicut nempè Magi Chriſtum paruulum adorârunt.

IN IISDEM FERIIS EVANgelium Lucæ ſecundo.

EXIIT edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eâdem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas DEI *circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentium:* GLORIA IN ALTISSIMIS DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum*

eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſq; Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt, & de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes DEVM *in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA FESTVM ET EVANGELIVM.

Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.

Ioan. I.

FIRMA in primis fide complectar, & aduerſus Iudæos, Mahometanos, hæreticos, impioſq; omnes confitebor incomprehenſibile Dominicæ incarnationis myſterium, quod Ioannes tonitrui filius & ſublimis Aquila mirabiliter prodidit, nos omninò certos reddens, CHRISTVM IESVM plus quàm hominem, & omni creatura præſtantiorem, omni tempore & ſæculo antiquiorem, ipſumque vitæ, lucis, ſapientiæ & virtutis omnis principium, fontem & cauſam inde ab æterno extitiſſe, vnicum illud à Patre ſuo ſempiterno prodiens Verbum, cui dictum eſt: *Filius meus es tu: ego hodie genui te:* vel ſicuti alibi

Pſal. 2.

loqui-

loquitur: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Vnde Chriſti perſona Paulo dicitur ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ Dei, & hæres moderatorq; omnium conſtitutus, per quem facta ſunt & ſæcula, Angelis omnibus excellentior; quoniam videlicet natura ſit Deus, eiuſdem cum Patre diuinitatis, ſubſtantiæ, virtutis atque maieſtatis. De hoc ſolo verè dixeris: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Pſal. 109. Hebr. 1. Sapien. 7.

AEQVALI fide percipiam & retinebo alterum vereq; aureum Ioannis dictum, quo nihil miſeris mortalibus ſuauius & amabilius eſſe poteſt: *Verbum caro factum eſt.* Ita verò impij & execrandi coarguuntur errores mentientium, Filium DEI in carnem conuerſum, vel ante Mariam, & inde ab æterno carnem ſiue animam humanam aſſumſiſſe, tum ex matre corrupta hominem procreatum eſſe, quemadmodum Athanaſius & Cyrillus annotârunt. Rectè autem Iſaias in hoc myſterium intuens dixit, *Generationem eius quis enarrabit?* Diuinam enim ſolus Pater agnoſcit, qui hunc Filium ſine initio & ſine genuit, illumq; ſolus nouit: humanam verò ſola virgo mater, vt nemo alius intellexit, intimeq; perſenſit, quando ſine viro, ſine ſemine, ſine peccato Verbum Patris carne ſua induit, & quem vniuerſus orbis non capit, ſola cepit, & ſine dolore peperit, non ſolùm ineffabili, ſed etiam incomprehenſibili modo. Ad hanc fidem confirmandam valebit, ſi adſcribam verba D. Fulgentij de hoc ſummo myſterio differentis, vt illud contra tetros multorum hæreticorum errores purum integrumq; ſeruemus. Sic autem ſcribit: Ioannes illud verbum carnem factum aſſerit, quod Deum eſſe ſuperius memorauit: vt oſtenderet, eundem verum Deum ex Patre, qui eſt homo verus ex homine. Proptereà verò mediator DEI & hominum CHRISTVS IESVS ab Apoſtolo prædicatur. Nam quia DEVS erat Verbum, in eo quod DEVS totum hominem ſuſcepit pro nobis, verbum caro factum eſt, & habitauit in vobis. Verbum vtiq; caro factum eſt, in eo quod eſt vna in Chriſto DEI hominiſq;

In epiſt. ad Epict. In 1. cap. Ioã. Iſai. 53. Matth. 11. Lib. 1. ad Traſimundum regem. 1. Tim. 2.

miniſq; perſona: habitauit autem in nobis, quia in Chriſto
vera totaq; permanet diuina humanaque ſubſtantia. Pro-
pter hanc in Chriſto vnitatem perſonæ,& inconfuſam veri-
tatem diuinæ humanæq; ſubſtantiæ, vnus idemq; Chriſtus
& puer ab Iſaia dicitur, & Filius, ac DEVS pariter prædica-
9. tur. Sicut inquit, Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt no-
bis, cuius principium ſub humeros eius, & vocabitur no-
men eius admirabilis, conſiliarius, DEVS, fortis. In vno
Chriſto non ſunt duæ perſonæ, vt alius puer,& alius DE-
VS.] Nihil ergo mirum, quod pij omnes huius inexplica-
bilis myſterij ſublimitate reuerentiaq; commoti, ad ſummi
numinis laudem excitantur, totq; iam ſeculis obſtupeſcen-
tes, hoc publicè cum Eccleſia profitentur: O admirabile
commercium, creator generis humani animatum corpus
ſumens de Virgine, naſci dignatus eſt: & procedens homo
ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem.

EGO verò hac ipſa Eccleſiæ Catholicæ confeſſione, velut ſacra anchora confirmatus, ad nullam rem aliam hoc tempore me ſtudioſiùs comparabo, præterquàm ad hoc tantum myſterium & beneficium contemplandum: in eo venerando & prædicando ſollicitè verſabor, meq; ad illud intimè complectendum ſæpiùs excitabo. Quarè hunc diuinum infantem, velut in præſepi aut ſinu matris poſitum, non ſine fidei oculis intuebor, atque illum adorabundus ita compellabo: Vnde hoc mihi, vt æternus DEI Filius, author atque conſeruator omnium, quem cœlum & terra comprehendere non poſſunt, ad me veniat infantis aſſumta natura? Vnde inquam, hoc mihi, vt mundi monarcha, idemque Rex Angelorum frater meus efficiatur, atque adeò ſeipſum deijciat, vt noſtri generis miſerias & ærumnas, quarum perpetuus eſt tenor, vltrò ſubire, vitæque ſuæ primordia inter beſtias, & cum lachrimis, neque ſine ſumma paupertate,& pauciſſimis notus, auſpicari dignetur? Quantos verò labores ac dolores ille per omnem vitam exantlandos ſibi propoſitos habet, vt mea & aliorum Adæ filiorum

peccata

peccata meritaſque pœnas in ſe transferat ac expiet? ſuum etiam ſacroſanctum ſanguinem, vt iræ filios Patri cœleſti reconciliet, paratus profundere. O quantum illi debeo, qui DEVS exiſtens & permanens, homo ac limus eſt factus, vt me cinerem & puluerem ſplendori priſtino reſtituat, & vile mancipium Satanæ ad ſummam & æternam pro uehat dignitatem? Verè apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri DEI, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed qui ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, quùm perpetuum exitium promereremur. Nonne igitur hunc mediatorem & redemptorem redamem? hunc ſalutis meæ authorem ac vindicem venerer ac prædicem: huius voluntati ac miniſterio me iuſtè conſecrem, ac totus impendam? vt propter illum abnegans impietatem omnem & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè, ac piè tantiſper viuam, quoad in hoc degam ſeculo. Quocirca totus huic paruulo qui DEVS & homo exiſtit, me totum offeram ac tribuam: quin & alios ad eius cultum & amorem excitans, cum Pſalmographo dicam: *Venite, adoremus & procidamus ante* DEVM, *ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.* Tit. 2. Pſal. 94.

EXPENDAM & accuratiùs illa verba: *Verbum caro factum eſt*, caro inquam, infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens: omnis operis ac laboris impatiens, caro de qua ſcriptum eſt: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Nec modò Verbum caro factum eſt, ſed etiam inter nos & in nobis habitauit, ſuam apud nos vitam auſpicans in ſtabulo & præſepi, fundens vagitus & lachrimas. O miram ergo duritiam cordis mei, quando tàm viuo & expreſſo amatæ humilitatis, patientiæ pœnitentiæque exemplo non commoueor, neque illi conformor in reformatione ſpiritus mentis meæ. Opus eſt maiore ſtudio humilitatis, quæ fundamētum eſt cuſtoſq; virtutum, & quę ſola noſtras ſaluare animas poteſt. Quid magis indignum, quid de- Iſai. 40.

ſtandum amplius,quid grauius puniendum,quàm vt videns DEVM cœli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis profectò impudentiæ eſt, vt vbi ſeſe exinaniuit Maieſtas, vermiculus inflerur & intumeſcat. Hoc igitur eſt propter quod exinaniuit ſe formam ſerui accipiens, qui in forma DEI, Patri æqualis erat: ſed exinaniuit maieſtate & potentia, non bonitate & miſericordia. In primis igitur curauero, id quod præclarè à Bernardo dictum eſt, ſæpiùs in mentem reuocare: Quanti te fecit DEVS, ex his quæ pro te factus eſt agnoſce, vt appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quantò enim minorem ſe fecit in humanitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate,& quantò pro me vilior,tãtò mihi charior eſt. Aduerte homo, quod limus es: & non ſis ſuperbus; & quia Deo iunctus es, & non ſis ingratus.

Tranſeamus vſq; Bethlehem, & videamus hoc Verbum quod factum eſt.

RVSTICANORVM paſtorum ſiue opilionum ſanctàm induam ſimplicitatem,& ex animo deſiderabo,vt cum his paruulis & mihi de IESV paruulo reueletur myſterium, quod mundi ſapientes,& ſui magis quàm Dei amatores vel non capiunt, vel inaniter credunt. Non ſat habent boni paſtores ingens de ortu Meſſiæ myſterium ab Angelo audire, ſed illud relicta ſui gregis cura propiùs cognoſcere ſtudent, quod in Bethlehem proprijs fidei oculis ſedulò contemplantur, & reuerenter ſuſpiciunt, palamq; alijs annunciant, vt Chriſti,velut vnici omnium Saluatoris,ortus,& Angelorum de illo teſtimonium compluribus innoteſcant. Igitur ab his ego paſtoribus multa iam antè commemorata diſcam, inprimis autem oblatam cœleſtis gratiæ lucem, non tardè,nec oſcitanter amplecti,in Bethlehem cum illis diuinè philoſophari, meam in Chriſtum natum fidem,ſpem & charitatem augere atq; ſtabilire. Docent me inſuper,quàm verè dictum ſit illud: *Voluntatem timentium ſe faciet Dominus,*

quodq;

quodq́; Sapiens admonet: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum.* (Sapien. 1.) Monent prætereà, ad verè fideles pertinere, quod à Rege Dauid dictum legimus: *Narrantes laudes Domini & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit.* (Pſal. 77.) Prætereà teſtatum nobis faciunt, diligentibus DEVM & quærentibus Chriſtum, præſertim ſimplicibus & obedientibus, cuncta proſperè ſuccedere. His enim diuinum promittit oraculum: (Rom. 8. Prouerb. 8.) *Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Poſtremò ſi paſtores ſola adhuc natiuitate Domini cognita, reuerſi ſunt glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant (Bedæ verbis vtor:) (In Euangelio de natiuitate Domini.) quantò magis oportet nos, qui totam incarnationis illius ſeriem ex ordine cognouimus, qui ſacramentis illius imbuti ſumus, in omnibus gloriam eius ac laudem non ſolùm verbo, ſed etiam factis prædicare, neque vnquam obliuiſci, quod ideò DEVS homo natus eſt, vt nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuæ diuinitatis renaſcendo reficeret?

Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.

GRATVLABOR ſanctiſſimæ Virgini, ac incomparabili matri fœliciſſimum partum, vt quæ ſalua virginali pudicitia, ſicuti dictum eſt, non modò ſine omni dolore, ſed etiam cum ineffabili gaudio eum, quem ſine corruptione conceperat, ſalua integritate peperit mundi redemptorem. Nullo obſtetricum eguit adminiculo, quæ tam vegeta & integra viribus vſq; manſit, vt ſuum infantem faſcijs inuoluere, in præſepio reclinare, ſuper illũ excubias agere, immo & diuinũ adorare myſteriũ ſine vllo negotio poſſet. Quarè mirabor huius nouæ & inauditę puerperę conditionẽ, quòd ſine languore ac laſſitudine, cui pariẽtes alię ſunt obnoxię, ſimul

matrem, nutricem & obſtetricem egerit, quodq; præſenti ſemper animo, ac flagranti ſtudio agilis & alacris ea præſtiterit obſequia, quæ à matre filio poſſunt ac debent impendi. Eſt ſanè incredibile, quantoperè illa recens natum paruulum, vtpote plus quàm hominem, à ſe cognitum reuereretur, quàm ardenter amaret, quàm ſollicitè geſtaret, lactaret, inuolueret, quàm amanter eundem amplecteretur & exoſcularetur. Beata verè inter mulieres & genitrices omnes, quæ non ſolùm huius ter ſanctæ natiuitatis fructus dulciſſimos primùm experta eſt: verum etiam de tanto beneficio ſibi, nobis, filio ac DEO Patri vt lætiſſimè, ita & pijſſimè voluit ac potuit gratulari. Neque minùs mirabor, hanc ipſam adeò ſacri puerperij laboribus occupatam, ſimul egregiam agere contemplatricem, ac piorum perfectorumque omnium, qui ſacra contemplantur, veluti magiſtram & ſpeculum exiſtere. Etenim quæcunq; verba perceperat, quaſcunque res geſtas aſpexerat, in pectoris ſui ſcrinio venerando recondit, ſæpè ac multum expendit, & cum literis quoque Propheticis confert, ita vt non ſolùm in contemplationem, ſed & in admirationem diuinæ ſapientiæ ex dictis & factis omnibus raperetur. Quid ergo mihi, niſi vt hoc Mariæ ſequar exemplum, facere cõuenit, ſi cum fructu quidem Chriſti natalem celebrare contendam? Opus eſt profectò non vulgari puritate atque integritate, quoniam Chriſtus apud impudicos & carnales neq; naſcitur nec educatur, ſed mundum & floridum requirit lectulum, in quo cubet. *Lectulus*, inquit, *noſter floridus*. Opus vigilantia & ſolicitudine, quæ non in Bethlehemiticis nimiùm ignauis ac dormitantibus, ſed in Maria & Ioſeph excubias agentibus reperitur. *Beatus* enim *homo*, ait, *qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei*. Opus inſuper gratitudine, grataq; veneratione & adoratione, qua nobis Maria & Angeli præluxerunt, vt maximo DEI beneficio cumulati, in agendis gratijs haudquaquàm ceſſemus. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit*. Opus denique non ſolùm audire,

ſed

ſed etiam ſecundùm virgineæ matris exemplum cuſtodire verbum DEI, vt veluti in fertili agro conditum creſcat, fructumque multiplicem ac maturum proferat. *Quomodo enim deſcendit imber, & nix de cælo, & illùc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſeminanti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo*, inquit Dominus: *non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in i'is ad quæ miſi illud.* Iſai 55.

Ergóne tam durus, tàm ingratus ac ſtupidus manebo, vt hoc natalitio tempore, cum electis Angelis, cum Maria matre, cum laudatis paſtoribus, beatiſſimæ Trinitati non gratias agam? non pacem optem omnibus? non bonæ voluntatis argumenta declarem, & indicia præ me feram? Væ mihi, ſi Prophetæ vocem clariſſimè reſonantem non perſentiam. *Exulta*, inquit, *& lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Germanis DEI filijs me adiungam, qui omnium ferè gentium linguis hoc feſtum exornant, laudeſque diuinas in eo priuatim & publicè celebrant, ſuum vt ardorem ac ſtudium ſanctum oſtendant, ad Meſſiam recens natum, vt cupidiſsimè excipiendum, ita & iucundiſſime amplectendum, & amantiſsimè oſculandum. Etenim pro eo quod noſter habet interpres: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus*, ſicut Propheta grauiſsimè monet, complures ex Hebræo rectè vertunt, Oſculamini filium. Oſculi autem nomine ſingularis quidam exigitur amoris affectus, quo credentes omnes erga Chriſtum humanæ ſalutis vindicem ac parentem ardere, ſuamq; gratitudinem ac ſingularem zelum declarare conuenit, quando ille *tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendum viam ſuam.* Is etiam perbenignè promiſit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.*

Iſai. 12. Pſal. 2. Pſal. 18. Ioan. 14.

PRECANDVS *mihi Deus pro Magiſtratibus, vt publis*

cæ pacis inducendæ ac promouendæ rationem maximam habeant. Natus eſt enim princeps pacis, vt illum vocat Iſaias, neque ſub alio quàm Auguſto verè pacifico Cæſare in orbem prodire voluit, pacem nobis per Angelos nuntians, immò & pax ipſa nobis effectus, illudq́ implens vaticinium: Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, *quemadmodum & Iſaias & Michæas fore prædixerant. Niſi verò pax Eccleſiæ conſtituatur atque conſeruetur, fieri non poteſt, vt fideles pro ſummo incarnationis Dominicæ beneficio, commodè & iucundè gratias agant, lætos conuentus inſtituant, hocq́ feſto dignum gaudium publicè concelebrent.*

ORABO *& pro ignorantibus atque in fide errantibus plurimis, vt veritatis ac ſapientiæ diuinæ luce cum paſtoribus colluſtrentur, atque vti oues vagantes ſub Chriſto nato paſtore, ſicut illum promiſit Ezechiel, in vnum ouile colligantur, collecti autem in eandem fidei doctrinæq́ Catholicæ normam conſpirent. Adhæc quoniam bona pars Catholicorum diuini amoris ac timoris expers, adhuc ſecurè peccat, Chriſtiq́ præceptis & exemplis improbè aduerſatur, etiam atq́ etiam rogabo Dominum, vt ex his plerique conuertantur, fiantq́ homines bonæ voluntatis.* Cor enim durum malè habebit in nouiſſimo, & qui amat periculum, in eo peribit. Cor verò ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus, *vt ab Eccleſiaſtico rectè docemur. Cæterum quod Angelus pacem optat ac nuntiat, etiam ſic accipi poteſt, vt pacis nomine, ſicut Hebrææ linguæ proprietas docet, bona omnia mortalibus congruentia deſignentur. Vbi verò ſuam quis voluntatem ſectatur, & non ex Dei lege ac voluntate viuit, illic exulare Chriſtus cogitur, cuius locus in pace factus eſt, quiq́ ſuis teſtatur:* Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

DEMVM *pro vniuerſo fidelium cœtu precabor, vt omni vetuſtate poſita, cum Chriſto paruulo quaſi renaſcatur, & ſecundùm ſpiritum renatus, in ſua quiſque vocatione perfectiorem vitæ rationem nouo quodam ſtudio arripiat ac proue hat. Quarè ſa-*

rè ſapienter facit Eccleſia, quæ tot ſæculis hoc die frequenter ſic Deum inuocat: Concede quæſumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet.

VNUM *verò, cum multi ſuppetant, Eccleſiaſten dabo natalitium, qui tanti feſti vſum & fructum doceat luculenter: atque is eſt Leo verè magnus in hunc modum diſſerens: Agamus gratias, dilectiſſimi, Deo Patri per Filium eius in Spiritu ſancto, qui propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos, miſertus eſt noſtri: & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, vt eſſemus in ipſo noua creatura, nouumq́; figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus ſuis, & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renuntiemus operibus] Ac iterum idem præclarè ſic admonet: Quiſquis Chriſtiano nomine piè & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iuſto perpende iudicio. Tibi enim quondam abiecto, tibi extruſo paradiſi ſedibus, tibi per exilia longa morienti, tibi in cinerem & puluerem diſſoluto, cui iam non erat ſpes vlla viuendi, per incarnationem Verbi poteſtas data eſt, vt de longinquo ad tuum reuertaris authorem, recognoſcas parentem, liber efficiaris ex ſeruo, de extraneo proueharis in filium: vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei ſpiritu renaſcaris, & obtineas per gratiam quod non habebas per naturam Laudate igitur Deum dilectiſſimi in omnibus operibus eius atque iudicijs. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis & partus; reformationis humanæ ſacrum diuinumq́; myſterium ſancto atq́; ſincero honorate ſeruitio. Amplectamini Chriſtum in noſtra carne naſcentem, vt eundem Deum gloriæ videre mereamini in ſua maieſtate regnantem, qui cum Patre & Spiritu ſancto, manet in vnitate Deitatis in ſæcula ſæculorum.*

Sermon. 1. de hac ſolennitate.

E Sermon. 2 eiuſdem authoris.

DOMINICA INFRA OCTAVAS DOMINICAE NATIVITATIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

QVAE ſequuntur Euangelia, ex D. Luca ferè petuntur, & Chriſti Domini pueritiam pulchrè nobis expendendam proponunt, neque minùs ad Chriſtianam pueritiam, quæ totius Eccleſiæ perpetuum eſt ſeminarium, ritè formandam ſeruiunt. Quod ſi complures è ſenioribus Simeones & Annas, ac itidem ex coniugibus Ioſephos & Marias, Zacharias & Elizabethas haberet Eccleſia, procul dubio longè rectiùs quàm hodie fieri ſolet, cum iunioribus & pueris, cum ſenioribus & coniugibus paſsim ageretur. Elegantem adſcribam locum ex Irenæo, qui docet Chriſti Redemptoris aduentum & iunioribus & ſenioribus vtilem ac ſalutarem fuiſſe, quando ita ſcribit: Omnes venit per ſemetipſum ſaluare, omnes inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes & paruulos, & pueros, & iuuenes, & ſeniores. Ideò per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, ſanctificans infantes, in paruulis paruulus, ſanctificans hanc ipſam habentes ætatem, ſimul & exemplum illis pietatis effectus, & iuſtitiæ & ſubiectionis. Iuuenibus iuuenis, exemplum iuuenibus fiens, & ſanctificans Domino. Sic & ſenior in ſenioribus, vt ſit perfectus magiſter in omnibus, non ſolùm ſecundum expoſitionem Deitatis, ſed ſecundùm ætatem ſanctificans ſimul & ſeniores, exemplum ipſis quoq; fiens, deinde & vſq; ad mortem perue-

...contra ...nt.cap.

nit, vt ſit primogenitus ex mortuis, ipſe primatum tenens in omnibus.]

Ac bene ſanè habet, natum nobis Meſsiam non ſolùm ab illuſtri Propheta, ſed etiam à laudabili Propheriſſa, atque ita à virili ſimul & fœmineo ſexu, in templo publicè prædicari, vt ex ore duorum irrefutabilium teſtium, Iudaica & hæretica perfidia fortiſsimè coarguatur, quando vtrique naturæ Chriſti impiè contradicitur. Vides hîc prę terea Chriſtianam pietatem in Chriſto ipſo fundari, & à veris Eccleſiæ miniſtris confirmari, ſed in paucis interim ſenioribus, maioribus, coniugibus & virginibus elucere, ſuamque declarare virtutem, vt glorificetur Deus, & Eccleſia ædificetur. Fœlices illi, quibus natus Meſsias non in ruinam, ſed in reſurrectionem eſt poſitus. Venit enim Chriſtus (Irenæi verbis vtor) in ruinam non credentium, quibus maiorem ruinam quàm Sodomorum & Gomorrhæorum comminatur. Venit in reſurrectionem credentium & facientium voluntatem Patris eius, qui in cœlis eſt. Cæterùm de venerando ſene Simeone, quem tantoperè Lucas prædicat, Cyrillo Hieroſolymitano & Epiphanio credere pareſt, verum illum ſacerdotem extitiſſe, cùm in templo ſanctis coniugibus Ioſeph & Mariæ benediceret, ſicut in lege ſacerdotibus præſcribebatur. Nec eſt quod quenquam offendat Lucæ ſententia, quæ Chriſtum puerum non ſolùm ætate, ſed etiam gratia profeciſſe ſubindicat. Etſi enim idem Chriſtus conceptus non minùs quàm natus, paruus æquè ac magnus, & infans vti vir, ſapientia perfecta pollebat & gratia, tamen in illa profeciſſe dicitur, non ſecundùm quod erat, ſicuti Bernardus notat, ſed ſecundùm quod alijs in corpore apparebat, quùm à principio ſemper plenus fuerit Spiritu ſancto, eumq; ad menſuram non acceperit, à quo veluti capite omnis gratia in corpus, eiuſq; membra omnia deriuatur. Gregorius Nazianzenus habet in hunc modùm: Ieſus proficiebat, non quòd incrementum aliquod acciperet (quid enim perfectis à principio perfectius fuit?) ſed quòd hæc paulatim detegebantur & apparebant, videlicet ſapientia & gratia. Quarè ſicut hic

Lib. 5. contra Valentin.

Leui. 12.

Luc. 2.

Homel. 2. ſuper Miſſus eſt.
Iſai. 11.
Ioan. 3.
1. Cor. 12.
Epheſ. 4.
Serm. 8.

puer, (formandæ omnis pueritiæ ſpeculum) ætate ac robore viribuſque magis ac magis creſcebat, ita & eius ſapientia, quam experimentalem vocant, paulatim illuſtrior apparebat, & apertiùs cognoſcebatur.

EVANGELIVM EIVSDEM
Dominicæ. Lucæ 2.

ERANT Ioſeph & Maria mater IESV *mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſer, hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua erat vſq; ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc, ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui exſpectabant redemtionem Iſraël. Et vt perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo.*

NOTÆ

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam.

CVMPRIMIS mihi renouabo dulcem memoriam recens nati Redemptoris,& optabo illum vnà cum Maria & Ioſeph cognoſcere ſimul & amare, quin etiam res à puero tàm præclarè geſtas mecum admirari. Dicam igitur cum Pſalmographo: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine? omnia in ſapientia feciſti. Mirabilia opera tua, ideò ſcrutata eſt ea anima mea.* Potiſſimùm verò me ſeriò conuertam ad illum,quem Lucas hoc loco deſcribit Simeonem,eumq; ſenem iuſtum, & Prophetam Euangelicum, qui ſuam de Chriſto cognitionem ac fidem verbis perſpicuis declarauit. Etenim in templo Hieroſolymitano oblatum Mariæ filium reuerenter excepit, ſuiſq; brachijs lætè complexus eſt, ac ſtatim illum præclaris ornauit titulis: qui nulli prorſus alij niſi ſoli Meſſiæ, competere poſſunt. Nam publicè teſtatus eſt,illum ipſum eſſe Mundi ſaluatorem,lumen gentium, & gloriam Iſraël,ac proinde vnicum orbis Mediatorem,Redemptorem,ac Saluatorem, antea quidem promiſſum & expectatum, nunc autem exhibitum ac manifeſtatum,initio tantæ ſalutis in Hieruſalem facto. Confirmat igitur per Chriſtum natum adeſſe tempus, vt electi omnes cum Rege Dauide cantare poſſint: *Notus in Iudæa Deus: in Iſraël magnum nomen eius. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.* Sed enim quantò plura mihi de Chriſto ſcire & credere quàm huic Simeoni contigit? neque tamen illius oculis tantum theſaurum contemplor, nec iiſdem amoris ſtringo brachijs, neque propter hoc ſummum bonum exulto in Spiritu ſancto, nec mundũ & terrena faſtidiens, ad ſolum illud totus adſpiro,vt cum hoc ſene & Paulo Apoſtolo mihi vſurpare poſſim:

Pſal. 103.
Pſal. 118.
Pſal. 75.
Pſal. 97.

Propter

Propter Chriſtum arbitratus ſum omnia vt ſtercora. Infælix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius?

Neque verò ſat eſt Simeoni blanda & dulcia de Chriſto concionari, vt homines conſoletur, qui vt iuſti ſaluiq; reddantur, tantùm DEI miſericordiæ Chriſtiq; meritis credant atque fidant. Eundem enim Chriſtum, quem DEI ſalutare dixerat, multis non ſolùm in reſurrectionem, ſed etiam in ruinam natum ac poſitum eſſe commonſtrat, multis inquã, tum Ethnicis, tùm Iſraëlitis. Etſi enim vt Iacobus affirmat: *Deus intentator malorum eſt, ipſeq́ neminem tentat*, ac nullius omninò mali author eſſe poteſt, tamen ſicut res ipſa confirmat, ea mundi eſt malitia, vt ſine criminibus & ſcandalis non viuatur, vtq; complures oblato Chriſti Redemptoris beneficio clam palamq; abutantur, immò verò maior illorum ſemper ſit copia, qui Chriſto & eius Eccleſiæ libentiùs contradicant, quàm obedire parati ſint. *Stultorum* enim *qui ſapientiam atq; doctrinam deſpiciunt, infinitus eſt numerus*, & paucis anguſta, plurimis verò ſpacioſa via quæ ad perditionem ducit, arridet. Vnde dixit & Paulus: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Hinc iam ſequitur miſeranda electorum raritas, quàm in ſpiritu præuidens Iſaias aiebat: *Offendent* (*ex habitantibus Hieruſalem*) *plurimi & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur.* Quamobrem Chriſtus etiam ipſe de ingrato ac damnando mũdo queritur: *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Vbi ſingularem ego dolorem capiam, cùm adeò multos hac ætate videam Chriſti Domini & Chriſtianæ Eccleſiæ aduerſarios atq; perſequutores, quemadmodum Iudæos, Tartaros, Mahometanos, hæreticos ac ſchiſmaticos manifeſtos, quibus velut in meridiana luce cæcutientibus, ſuaſq; denſas tenebras mordicùs conſectantibus, non aufert ſed auget potiùs Chriſtus damnationem æternam. Horum nomine ab impijs dicitur DEO: *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei, & quid nobis*

bis prodeſt, ſi orauerimus illum? Reſpondet autem his contemptoribus æterna ſapientia: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit.* Proucrb. 1. Stant interim immotæ ſententiæ: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Matth. 18. *Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Ioan. 3. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Hebr. 11.

DOLEBO inſuper vicem illorum, quibus etiam in vera Eccleſia perſiſtentibus, Chriſtus hucuſq; lapis eſt offenſionis & petra ſcandali, ſicut Petrus appellat, 1. Petr. 2. vel ſignum contradictionis, vt Simeon loquitur. Luc. 3. Multorum enim Chriſtianorum tanta eſt peruerſitas, vt Chriſti gratia ſibi oblata vti, per ignauiam, otium & luxum prorſus negligant, atq; ita velut ſteriles ac putres arbores in horto Eccleſiæ perſeuerent, ſed ſuo tempore, diuini iudicij falce præſcindendæ. Etenim *ſi quis in me non manſerit*, vt Chriſtus ipſe teſtatur de infructuoſis, *mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ioan. 15. Peiores verò ſunt alij, qui Chriſtianam vocationem ſuam tetris criminibus contaminant, & ſiue occultè, ſiue manifeſtè peccent, nullum ſacræ pœnitentiæ locum tribuunt, vt poſt lapſum DEO & Eccleſiæ reconcilientur. Libet enim illis, vt Paulus ait, Gal. 5. ſecundùm carnem viuere, carniſq; operibus incumbere, & cupiditatem charitati anteferre, vt vix vllam conſcientiæ rationem habere videantur. De quibus omnibus apertè loquitur Apoſtolus Petrus: 2. Pet. 2. Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Prouer. 26. Canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti. Proinde quantò plures hoc impuriſſimo ſæculo extra veram Eccleſiæ arcam degunt, vel in ipſa arca indignius ſeſe gerunt, vt ſine timore peccantes, in ira DEI moriantur, tantò illi acerbius mihi boniſque omnibus cum Hieremia Propheta deplorandi ſunt, quãdo-

quidem

quidem Chriſtus non ſolùm à Iudæis, ſed etiam ab alijs gentibus reprobatus, verè factus eſt lapis confringens & conterens, ſicuti Prophetæ loquuntur.

MIHI verò illûc eſt maximè contendendum, vt quoad licet, me Chriſti Domini verbo & exemplo ſtudioſè conformem, ne contra ſtimulum calcitrare, & præſenti lumini rebellare videar. *Ego* enim *ſum lux mundi*, inquit Dominus: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Deinde cauebo prorſus, ne in verbo Dei ſcandalum patiar, quod quidem ex Catholicæ Eccleſiæ ſenſu atq; conſenſu acceptum, purè conſeruabo. *Beatus* enim *eſt*, inquit Chriſtus, *qui in me non fuerit ſcandalizatus.* Nonne verba mea bona ſunt cum eo, qui recta graditur? Adhæc ſuper eundem Chriſtum tanquàm lapidem viuum, electum, honorificatum, ſicut Petrus Apoſtolus exigit, & ſuper ſanctam fidem omnis iuſtitiæ fundamentum, quemadmodum Iudas docet, meipſum ſuperædificabo, vt fiam & ipſe domus ſpiritualis, & offeram Deo ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Demùm ſolicitè ac ſæpè precabor, vt accepta Chriſti cognitio atque fides in me non maneat infructuoſa, & ita Chriſti iram ac odium in me concitet, quemadmodum illis accidit omnibus, qui (Paulo teſte) Chriſtum ore quidem confitentur, virtute autem & opere abnegant, ſed potiùs vt cum timore & tremore meam ſalutem operer, ſciens Chriſtum eiuſq; beneficium non prodeſſe ad ſalutem alijs, niſi veris ac viuis Eccleſiæ membris, Chriſtoq; capiti obtemperantibus. Nam & Paulus docet, Chriſtum non omnibus credentibus, ſed ſibi obſequentibus factum eſſe cauſam ſaluris æternæ, & Deum ſine ſanctimonia videri non poſſe mortalibus.

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.

VENERABOR & amabo Virginem matrem ſacratiſſimam, tùm ob alia multa, quæ ſatis in illa & de illa nequeunt prædicari, tùm ob ingentes animi eius angores, ac frequentes

tes dolores nullis quidem verbis explicabiles, qui hoc loco præacuti gladij cor virgineum penetrantis nomine per Simeonem deſignantur. Ferrum ſanè acutum, & animam eius pertranſiens fuit, cùm cerneret Bethlehemitas & Iudæos alios tàm cœcos, vt natū præſentemq; Meſſiam ſuum non agnoſcerent, beſtijs etiam ingratiores, alios verè vnà cum Herode hoſtiliter eundem puerum inſectantes, vt idcirco triſte exilium in Aegypto fuerit ſubeundum. Nec ſine magno animi dolore Chriſtum amiſſum quæſiuit, & peracto triduo inuenit in templo diſputantem: quem præterea in Euangelij prædicandi officio deſatigari, & à multis indignè tractari, adeoq; à magnatibus ad atrocia ſupplicia per ſummam iniuriam rapi, non potuit illa non moleſtiſſimè ferre, quæ Filium præ cæteris amauit & amare debuit plurimùm. Quos autem æſtus atq; cruciatus illa in partu diuino effugit, eoſdem ſub cruce filij ſui cumulatè perſenſit ac pertulit, ita vt ſupra modum afflicta, prædictum Simeonis gladium in corde ſuo ſæuientem, ſicut nemo alius, experiretur. Hinc illud à Sophronio ſcriptum legimus: Beata Dei genitrix, quia in ea parte paſſa eſt quæ impaſſibilis habetur, ideò (vt verum fatear) quia ſpiritualiter & atrociter paſſa eſt, gladio compaſſionis Chriſti plus quàm martyr fuit. Quoniam enim plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius pertranſiret & poſsideret uis ad teſtimonium eximiæ dilectionis]Conſonat his Rubertus apertè pronuntians, Mariam in pariendo omnem euaſiſſe dolorem, ſed eum abundè ſubijſſe, cùm pendentem & morientem in cruce filium aſpiceret: tunc enim illam præ omnibus matribus fuiſſe mulierem oppreſſam triſtitia, noſtramq; omnium matrem effectam eſſe.

Iſai. 1. Matth. 2.

Luc. 2.

Serm. de aſſumtione Virginis.

Lib. 13. comment. in Ioannem.

DISCAM interim hoc Virginis matris exrmplo, & me afflictum, & mœrentes alios conſolari, quantumuis crucem acerbam & præter meritum ſuſtineam. Nam illa omnium innocentiſsima, & virtutibus ornatiſsima, ſanctiſsimaq; virgo, gladium ſpiritualem maximi doloris, & crucem acerbiſ-

ſimam perferre debuit, ſicut Simeon in templo illi prænunciârat. Vnde quod Angelus de Tobia protulit, huic etiam largiri debemus: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probâret te.* Sicut & illud: *Multæ tribulationes iuſtorum,* hos enim velut aurum in igne probari, & per pœnam ad gloriam perduci neceſſe eſt. Eadem rurſus me admonet tùm lætitiæ tùm doloris & commiſerationis humanæ, vt à pijs huiuſmodi affectibus non ſim alienus, ſed ſciam ſuo loco ſimul gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Hoc enim officium eſt Chriſtianæ charitatis proprium, & erga proximos nunquam non exercendum, vt dilectio noſtra, ſicut Paulus loquitur, ſit ſine ſimulatione, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra corporis: ſi verò membrum vnum gloriatur, cætera etiam membra congaudeant. Nihil verò dubium, ingens & admirandum Deiparæ gaudium, ex lætis laborum Chriſti, & Apoſtolorum ſucceſſibus perſæpè proueniſſe, illamq; ob ſingularia DEI munera percepta illud ſubinde repetiuiſſe: *Magnificat anima mea Dominum.* Quæ inſuper cùm Euangelij profectum impediri, & ab hoſtibus varia pericula naſcenti primùm Eccleſiæ obijci cerneret, non poterat de prædicto ſibi gladio non meminiſſe, & cum Propheta dicere: *Bonum mihi quia humiliaſti me*: *Fiat Domine voluntas tua*: Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto: Quantumuis ergo dura & triſtia multa irruant (*militia enim eſt vita hominis ſuper terram*;) tamen in ſtatione mea perſiſtam & conſtantem in Chriſtum amorem cum Domina noſtra præſtare ſatagam, nulla vt doloris acerbitas, hoſtium ſæuitia, aut tentationum vis me vnquàm à diuina lege obedientiaq; & iuſtitia ſancta diuellat ac ſeparet. Præſtat in cruce cum Maria Chriſto commori, quàm ſine Chriſto cum diuite epulone in hoc mundo florere, & mundi copijs omnibus abundare. Apoſtolica enim doctrina eſt, quæ ſemper obtinet: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Si commortui ſumus, & con-*

uiuemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. Iubet ergo Paulus nos in diſciplina ſiue caſtigatione Domini perſeuerare, ac diuinam expectare conſolationem, quæ licet ad tempus differatur, probatis tamen certo certius obuentura ſit. *Quem interim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem accipit.* Hebr. 12.

Hæc vidua erat vſq; ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.

ANNA iſthæc Phanuelis filia, ſimulq; Prophetiſſa, vidua erat verè Euangelica, cuius mores ita ſpectabo, vt me ab illius confeſſione, pietate, ieiunijs, obſecrationibus, omniq; diuino cultu procul abeſſe cum dolore perpendam. Nec enim ſolùm illa ex nobili & illuſtri genere procreata, ſed diuino etiam ſpiritu afflata Prophetiſſa commendabatur omnibus, quæ illibatum virginitatis candorem vſque ad matrimonium, & in ipſo coniugio fidem erga maritum inconcuſſam ſemper ſeruauerat: quæ prætereà licet in ipſa vigenti ætate coniuge orbaretur, tamen vnico viro contenta vſq; manſerat, & eo vſq; ſuam vidualem caſtitatem protraxerat, vt annos octoginta quatuor in illa perageret. Adhæc velut mundo carniq; mortua, ne otioſam fuiſſe ſuſpicemur, templo ſe dedicarat victimam, ſimulq; corpus quotidiano ieiunio, & animum precibus & obſecrationibus die nocteq; offerre ac tradere ſponte conſueuerat. Rectè igitur Ambroſius illam facit viduam, quæ ſit viuida religione, effœta corpore, cui & diuerſorium eſſet in templo, & colloquium in prece, & vita in ieiunio. Scribit etiam de illa Hieronymus: Quia ab adoleſcentia vſque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus ſuſtinuerat, & non recedebat de templo DEI, diebus ac noctibus inſiſtens ieiunijs & obſecrationibus, idcircò meruit gratiam ſpiritualem, & nuncupari filia vultus DEI.] Phanuel enim in lingua noſtra vultum DEI reſonat. Quarè non modò illa vidua, ſed omnium quoq; vi-

Lib. de bono viduitatis.

In epiſt. ad Furiam de viduitate ſeruanda.

duarum Euangelicarum excellens fuit ſpeculum & rarum exemplar, de quibus nempè à Paulo dictum legimus. *Viduas honora, quæ veræ viduæ ſunt*, hoc eſt, quæ omni filiorum & amicorum auxilio deſtitutæ, ſuis manibus laborare non poſſunt, vel quia paupertas illas debilitat, vel ætas conficit, & quarum ſpes omnis in Deo ſita eſt, quum interim ſecundas nuptias reſpuant. Eiuſcemodi viduas Eccleſia primitiua frequentes habebat, atque ſic honorabat, vt eas gratis alendas ſuſciperet, ac illarum neceſsitati per Diaconos prouideret.

VBI nouos ego ſectarios admirabor, qui & virginalem & vidualem caſtitatem nullo in precio habent, quantumuis à Paulo ſcribatur: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit: & qui non iungit, melius facit.* Ac rurſus de vidua pronuntiat, *Beatior erit, ſi ſic permanſerit.* Prætereà veræ pietatis opera, quæ Lucas in hac vidua prædicat, tantùm non ſordent aduerſarijs, quoniam ſcilicet nullum Dei præceceptum in verbo expreſſum habeant, neque ad cultus Deo gratos pertinere videantur. Atqui contrarium planè Lucas indicat, quum notat, Annam talibus victimis ieiuniorum & precationum coluiſſe Deum nocte ac die, vt hinc etiam alij ſic verterint locum: Non diſcedebat de templo, ieiunijs ac precationibus ſeruiens. Eſt & illa euidens impoſtura, quod noui doctores Annæ deprauant ieiunium, illudq; non aliud niſi vitæ ſobrietatem, victuſq; parſimoniam, & ab omni peccatorum genere abſtinentiam velint agnoſcere. Quaſi verò vlla fidelium ætas fuerit ab hoc generali ieiunio libera, neque ſatis è ſcriptura conſtet, aliam & propriam ieiunandi rationem ac diſciplinam tùm in veteri, tùm in noua lege pijs ſemper eſſe ſeruatam, ſicut & illa Dei vox abundè comprobat: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu & planctu*, vt interim de [a] Chriſti, [b] Moyſi, [c] Eliæ & [d] Apoſtolorum ieiunio ſileam. Sed valeant cum nouo ſuo ieiunio, blandi ſubdoliq; doctores, quibus nihil aſperum placet, & qui omnem ſancti ieiunij abſtinentiæ, pœnitentiæ, caſtitatis ac pietatis veteris conſuetudinem habent exoſam,

iamq; in ſuis Eccleſijs è medio ſuſtulerunt, nihil vt ferè cum hac Anna & probatis Sanctorum aliorum operibus & inſtitutis commune habere videantur.

CAETERVM quibus armis in ſua vocatione Anna cum ingenti laude pugnauit, mihi quoque & omnibus, præſertim ſacrum cœlibatum amantibus, pugnandum eſſe cenſebo, vt aduerſus Aſmodæi ſiue diaboli machinationes carniſque illecebras, nunquàm ſatis laudatus theſaurus pudicitiæ conſeruetur atque illuſtretur. Etenim vt Paulus docuit: *Vidua quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* Etſi enim illa mundo viuere ac florere vegeta videatur, dum nihil non carni licenter indulget, tamen à Chriſto Domino, quem ſecreta non fallunt, pro mortua deputatur. Hoc eſt, carne viuens, mortua eſt ſpirittu, Hilario teſte. Atque vt idem Paulus alibi de renatis omnibus loquens teſtatur: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Quarè non ſolùm huius Annæ, ſed etiam dicti Apoſtoli ſequar exemplum, qui vt ſuum cœlibatum, ad quem hortatur & alios, integrum cuſtodiat, nec orandi, nec ieiunandi finem facit, clareq; pronunciat: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*: Ac alibi rurſus affirmat: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.* Idem prætereà ſicut Chriſtianas viduas, quæ in ſuſcepto cœlibatu purè perſiſtunt, beatiores facit, ita & alias, quæ caſtitatem Deo Eccleſiæque promiſſam violant, fidemque primam irritam faciunt, æternæ damnationi ſubiicit. Vnde fidus Auguſtini ſectator Fulgentius ita ſcripſit: Quiſquis ſeipſum caſtrauerit propter regnum cœlorum, & in corde ſuo continentiam vouerit, non ſolùm ſi mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam ſi aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, ſecundùm Apoſtoli ſententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.]

1. Tim. 5.
In Pſal. 67.
Rom. 8.
1. Cor. 7.
2. Cor. 6.
1. Cor. 9.
Galat. 6.
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.
In lib. de fide ad Petrum, cap. 6.

HVIVS autem Annæ tanquam germana ſoror fuit Paula Romana, verè ſpectabilis & ſancta vidua, quæ corpuſculi ſui infirmitatem incredibili abſtinentia & duplicatis

ieiunijs contraxerat, quæ inſuper exceptis diebus feſtis vix oleum in cibo caperet, & hoc ſecum in ore voluere conſueuerat: *Subijcio corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne alijs prædicans, ipſa reproba inueniar.* Et: *Bonum eſt vinum non bibere, & carnem non manducare.* Ac iterum: *Humiliaui in ieiunio animam meam.* In languoribus autem & crebra infirmitate dicebat: *Quando infirma ſum, tunc fortis ſum.* Eadem ſibi tàm duram indixerat diſciplinam, vt ad caſtitatis lauream aſſequendam, & ad pœnitentiam in Palæſtina exercendam hos canones obſeruaret: Affligendum corpus quod multis vacauit delicijs. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda. Quæ viro & ſeculo placui, nunc Chriſto placere deſidero.] quemadmodum de illa Hieronymus ad Euſtochium virginem ſcribit.

PRECANDVS *eſt mihi Deus tùm pro infidelibus, tùm pro hæreticis omnibus in tot ſectas hodie diſſectis, qui vix vnquàm antea in Chriſto, Chriſtiq́; verbo & Eccleſia grauius offenſi fuerunt, ac magis alios etiamnum offendunt vbiq; gentium. In his impletur Simeonis, immò & Chriſti vaticinium, quo prædictum eſt:* Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. *Ac iterum*: Tunc ſcandalizabuntur multi. *Et Paulus adhuc euidentius*: Mali homines & ſeductores, *inquit*, proficient in peius: errantes & in errorem mittentes.

ORABO *etiam ſapientiam & gratiam mihi neceſſariam dari à* IESV *paruulo, vt ſecundùm ſpiritum in homine interiore grandeſcam, & eas virtutes, quæ vocationi meæ imprimis congruunt, præſertim verò ſimplicitatem & obedientiam, magis ac magis indies aſſequar. Vt enim Euangelium aſtruit,* puer IESVS creſcebat & confortabatur ſpiritu: & proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.

ADHAEC *Deum inuocabo pro viduali & cælibe, monaſticoq́; ſtatu reformando, præſertim vt plures viri ac mulieres in*

*Eccleſia ſecundùm normam perfectioris Chriſtianiſmi, & ex more veteris Eccleſiæ ex animo ſeruiant Deo. Petam nobis viduas dari, quæ mundo ſunt mortuæ, vereq; ſpirituales, vt Iudith victricem, Annam hanc Phanuelis filiam, Paulam & Marcellam Romanas, Monicam Auguſtini matrem, Reginam Vngaricam Eliſabetham, aliasq; ſimiles pio ſtudio æmulentur. Clemens Romanus exemplum huius Annæ repetit, fuſiusq; tractat * Ambroſius.*

Lib. 3. conſtit Apoſtol. cap 1.

* Lib. de viduis.

IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI.

Sequentis Euangelij Argumentum.

DE Chriſti Domini circumciſione, deque noua ter ſancti nominis IESV impoſitione, ac ſimul prima Dominici ſanguinis effuſione monet nos hic breuiter Euangeliſta: Pulchrè autem ab hiſce myſterijs, quæ & legis veteris finem, & ſacri Euangelij principium innuunt, nouum annum ordimur, Chriſtum nempè ſalutis humanæ fontem & authorem ſpectantes, & longè quidem fœliciùs, quàm veteres idolorum fecere cultores, qui præſentem diem ſiue Calendas Ianuarias profanis epulis, omnique luxu & deteſtanda ſuperſtitione more ſuo peſsimo celebrârunt, aut potiùs cōtaminârunt. Quod cùm ferre non poſſet præclarus Chriſti martyr Almachius, cultum & furorem ethnicum illis verbis increpauit: Hodie octauæ Dominici diei ſunt: ceſſate à ſuperſtitionibus idolorum, & à ſacrificijs pollutis. Vbi certè nō attinet repetere de myſterio circumciſionis, quod his quidem verbis extulit Cyprianus: Inter omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil circumciſione ſolenni-

Serm. de ratione circumciſ.

us antiqua celebrauit religio, nec tantùm in Hebræos, ſed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit.] Nec obſcurum eſt circumciſionis vſum & præceptum ante Moyſen extitiſſe, quoniam DEVS legem circumciſionis etiam magno Patriarchæ Abraham eiuſque filijs præſcripſit: & Chriſtus ipſe contra Iudæos diſſerens, illud affirmauit: Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus.] Tum de abrogata circumciſione Paulus clariſsimè pronunciat: Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legi faciendæ. Eoq; magis nobis gloriandum eſt in Chriſto Saluatore, qui Iudæos & Gentes à veteri, dura & carnali circumciſione, ſicut & à toto iugo Moſaicæ legis non ſine profuſo ſanguine liberauit, quique pro illa circumciſione ad labem originalem tollendam ſacrum baptiſmi lauacrum inſtituit, ſolamque circumciſionem ſpiritualem à renatis exigit. Auguſtinus perſpicuè docet, circumciſionem in originalis peccati remedium, & in ſpiritualis circumciſionis ſymbolum Iudæis à DEO tributam & impoſitam eſſe. Spiritualis autem circumciſio, quam à Iudæis & Moyſes poſtulauit, toties nobis commendatur, quoties diuina ſcriptura loquitur de mortificatione membrorum, de crucifigenda carne, de caſtigando corpore, de caſtrando ſeipſo, de odio & abnegatione ſui, ac de regno cœlorum per viam anguſtam & vi quadam obtinendo. Cæterum de ſacroſancto IESV nomine prædixit [a] Abacuc Propheta, ſicut & [b] Eſdras ab [c] Ambroſio citatus, & Rabbinus Haccados, quem citat [d] Galatinus, immò & Sibylla Erithrea, vt [e] Auguſtinus annotauit. Certè [f] Angelus cum Ioſeph in ſomnis colloquens, diuinam Chriſti naturam ſignificat, cum affirmat, ipſum IESV nomine appellandum, quia populum ſuum ſaluum faciat à peccatis, quem ſuo nempè ſanguine, vt nemo alius redempturus, & in ſuum regnum vendicaturus eſſet. Prophetæ paſsim hunc ipſum IESVM ſalutem, ſalutare & ſaluatorem appellant.

EVANGELIVM EIVSDEM Feſti Lucæ ſecundo.

POSTQVAM conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius IESVS, *quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in vtero conciperetur.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo.

PVER IESVS ſiue apud Nazarenos in matris vtero concipiatur, ſiue in Bethlehem terra Iuda naſcatur, ſiue iuxta ritum Iudaicum circumcidatur, ſiue in templo etiam Hieroſolymitano offeratur, legitima ſemper obſeruat tempora, nec ſuſtinet quicquam circa ſe præpoſterè, & ſine certo Patris conſilio ac præcepto effici. Vnde rogatus aliquando vt patraret miraculum, apertè reſpondit: *Nondum venit hora mea*, quemadmodum Ioan. 2. & alibi dixit: *Tempus meum nondum impletum eſt.* Igitur non Ioan. 7. ſine peculiari prouidentia contigit, vt annis ferè triginta priuatam & obſcuram vitam degeret, & quadraginta dies in deſerto ieiunaret, ac quatriennium non integrum conſumeret in munere concionandi. Oportuit, ſicut idem ipſe Luc. 24. teſtatus eſt, Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & ita intrare in gloriam ſuam, quemadmodum & ſpiritus in Prophetis prænuntiârat eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones,

ita nihil etiam pretioſius atq; irrecuperabilius fingi poteſt, cuius vſura mihi ac mortalibus omnibus ad benè beatèque viuendum non ita diu conceditur. Proinde multùm aduigilabo, vt in hac vita breui redimam tempus, illudq́; in opere bono conſumam iuxta illud Apoſtolicum: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Eſt nunc tempus quo fruimur acceptabile: ſunt dies qui offeruntur, ſalutis ac ſalutiferi, annum Domini acceptum tenemus, ſed breui elapſurum, quo vniuerſis acclamatur: *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt.* Cur igitur, ſi ſapimus, cum Chriſto eiuſq́; matre ad vnguem non obſeruemus præſcripta & deſtinata nobis tempora? *Laſciuus & imprudens non ſeruabit tempus*, inquit Eccleſiaſticus. *Qui autem agunt omnia cum conſilio reguntur ſapientia*, teſte Salomone. Quid multis? *Fili ſine conſilio nihil facias: & poſt factum non pœnitebis.*

Ephe. 5. Gal. 6. 2. Corin. 6. Luc. 4. Iſai 55 Eccleſ. 10. Prouer. 13. Eccleſ. 32.

Notabo inſuper, quod Chriſtus vix dies octo natus, auguſto Ieſu nomine voluit inſigniri, ſed ex tenerrimo corpuſculo ſacroſanctum ſanguinem profundēs, & ex hoc diro vulnere tùm ſibi ſenſum grauiſsimi cruciatus percipiens, tùm optimæ fidiſſimæque matri ſingularem quendam compaſſionis, vt ſic dicam, gladium porrigens. Cùm enim hic puer incredibili erga nos amore flagraret, non ei ſufficere poterat, quod in lucem mox editus lacrimas funderet, grauiq; rerum penuria premeretur, ſed non multò pòſt circumciſus ſuum quoq́; ſanguinem, hoc eſt, redemtionis humanæ pretium cœleſti Patri pro nobis offerre curauit, qui vel vnica ſui ſanguinis guttula totū mundū poterat offenſo Deo reconciliare. Præluſit igitur hoc facto, & adumbrauit cruentum ſacrificiū, quod pro expiandis mortaliū criminibus erat in cruce immolaturus. Etenim *verè languores noſtros ipſe tulit, & infirmitates noſtras ipſe portauit. Ipſe dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo* Ita verò nos ille docet

Iſai. 53. Apoc. 1.

inde

inde à prima ætate non horrere, ſed ferre crucem, & fideles pijs adſueſcere laboribus, ſanctumque pœnitentiæ iugum non grauatim amplecti. *Qui enim delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum*, vt Salomon affirmat, *poſteà ſentiet eum contumacem. Bonum autem eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Bonum præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*, vt Propheta Hieremias admonet.

Prouer. 29. Thren. 3.

Ut circumcideretur puer.

ETSI hic paruulus ſtatim ab ipſa conceptione purus, perfectus & innocens fuit, vt idcirco Petrus illum agnum immaculatum appellet, tamen noſtra cauſa voluit petrino cultro circumcidi, ac in tenera carne ſua durum & cruentum accipere vulnus, quod certò tanto grauius illi quàm æqualibus contigit, quantò ipſe maiore iudicio ſapientiaq; præſtabat omnibus mortalibus. *Factus enim eſt ſub lege*, immò ſeipſum veteri legi ſubiecit, *vt eos qui ſub lege erant redimeret*, nimirùm de ſubiectione legis, ſimulq; filios faceret adoptiuos, vel qui ſtatum reciperent adoptionis, vt è ſeruis filij facti, in æternam ſuccederent hæreditatem. Quid mirum, inquit Bernardus, ſi caput pro membris accepit curationem, & ſi pro nobis dignatus eſt circumcidi, pro quibus dignatus eſt mori? Ego verò non ſat habebo de hac ipſa Chriſti circumciſione, quæ propter nos à iugo legis veteris eximendos vtique facta eſt, gloriari, ſed obſeruabo, quibus in rebus circumciſionem verè Chriſtianam (proprium electorum ſignaculum) mihi debeam adhibere, nimirùm in corpore, ſenſibus & membris omnibus, quando ſpiritui Chriſti & rationis dictamini, animæque profectui aduerſantur. Etenim paruulus noſter non modò circumciſionem accepit, & ſimul veterem illam, quæ in membro vno fiebat, & Iſraëlitas omnes obligabat, abrogauit, verùm etiam nouæ circumciſionis legem, quæ Chriſtianos frenaret & in officio contineret, induxit, ſuoque populo

1. Pet. 1. Galat. 4. Serm. 3. de circumciſ.

impoſuit,

impoſuit, quem non niſi circumciſum amat atque ſaluat, ita vt omnis incircumciſus, ſicut ab Ezechiele dictum eſt, Dei ſanctuarium atque tabernaculum non ingrediatur. Quarè nunc etiam præceptum illud in veteri lege traditum obtinet: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Ac inprimis, ſi meæ ſaluti conſultum velim, prouidero, vt cor meum circumcidam & purgem, quoniam ex eo quaſi ſeminario malorum omnia genera, quæ & Deum offendunt & conſcientiam polluũt, proficiſcuntur. *Nam & quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & coinquinant hominem. Ex abundantia cordis os loquitur,* vt Chriſtus ipſe pronuntiat. Cùm autem Deus cordium circumciſorum ſit inprimis amicus, valdè mihi commendatum habebo ſanctum & neceſſarium ſtudium ſpiritualis circumciſionis, ideoque bellum perpetuum indicam cupiditatibus, propenſionibus & affectibus prauis, à quibus me grauiùs infeſtari ſentio, vt hiſce tanquam peccati omnis radicibus in corde intimè reſidentibus magis magiſq́; liberer: funditùs enim hæc ſentina & ſanies nequit extirpari. Cuius circumciſionis velut typus erat vetus illa Iudæis iniuncta circumciſio, quæ lapideis cultris ex imperio Domini à Ioſue facta eſt, priuſquàm populum in promiſſam terram induceret, eaq́; peracta dixit ille: *Hodie Dominus abſtulit à vobis opprobrium Aegypti.* Quis autem noſter Ioſue obſecro, niſi Chriſtus exiſtit? qui ad cœleſtem hæreditatem, id eſt, terram viuentium pijs omnibus promiſſum aditum patefecit, noſq́; ſpirituali circumciſione circumcidit, cùm gratiam contulit, per quam cupiditates diuini amoris gladio excindere, & veterem hominem mortificare poſſemus. *Spiritum meum*, inquit, *ponam in medio veſtrûm, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Ac iterum: *Dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iuſtitiam meam cuſtodiant, faciantq́, ea.* Similis planè promiſsio, & æquale pactum Dei cum noui teſtamenti populo, qui legem diuinam

Ezech. 44.
Hierem. 4.
Matth. 15. & 12.
Geneſ. 17.
Ioſ. 5.
Ezech. 36. & 11.

in viſceribus cordium inſcriptam habiturus ſit, extat apud Prophetam Hieremiam, locumq́; illis Chriſtianis applicat Apoſtolus gentium. Nihil ergo mirum quod idem Paulus à Iudæis Chriſtianos ita diſcernat: *Circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis.* De quo Paulo Cyprianus etiam dicere non veretur: Corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, non tamen circumcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinarijs motibus opponens cauterium, vſque adeò corpus ſuum redigens in ſeruitutem, vt diceret, *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

Hierem. 31. v. 24. Hebr. 8. & 10. Coloſſ. 2.

Serm. de ratione circumciſ.

Gal. 2.

HIC præterea dolebo, diſciplinam ſanctæ veræque circumciſionis, quam DEI verbum, Chriſti ſpiritus, Apoſtolorum doctrina, Sanctorum mores & ratio ipſa commendant ac exigunt, in omnibus hominum ordinibus hodie neglectam contemptamque iacere, & pro ea regnare paſſim effrenem concupiſcentiam, inſanaſque veteris hominis dominari cupiditates, dum velut redundantes ac luxuriantes vitis noſtræ ramos nullo ſtudio reſecamus atque præſcindimus. Hinc tam multi, proh pudor, carnales & inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus, & Deus venter, & gloria in confuſione eſt, ſicut Paulus appellat atque deplorat. Hinc & cordibus & auribus complures incircumciſi, ſicut à Stephano nuncupantur, qui Spiritui ſancto reſiſtunt, & quoniam in carne ſeminant, de carne metunt quoq; corruptionem. Quò magis aduigilabo, ne corpori meo in morem ſerui contumacis laſciuienti nimiùm indulgeam, ſed illud potiùs vi quadam comprimam, & in ſingulis ſenſibus affectus improbos circumcidam. Surdis enim auribus mihi tranſeundæ non ſunt Apoſtolicæ voces, quæ tàm ſeriò, tàm grauiter credentes omnes admonent: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Exſpoliantes veterem hominem cum actibus ſuis. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini:*

1. Cor. 3. Philipp. 3.

Actor. 7.

Gal. 6.

Coloſſ. 3.

ſi autem

ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs: aut ſicut Hieronymus legit, recrucifixerunt carnem ſuam cum paſſionibus, vel vt alijs placet, affectibus ſuis. Tantoque magis mihi diſplicebo, vtpote in ſchola ſanctæ circumciſionis tàm malè verſatus, & qui procul abſum ab illo ſtatu electorum, quos vera perfectaque circumciſio in reſurrectione vltima mirificè decorabit. Vnde ad nouum annum fœliciter auſpicandum mihi proponam nouum ſtudium in obſeruando præcepto de cordis & corporis circumciſione, vt quicquid cor polluit, & in meo corpore ſcandalizat, peccandiq́; auget licentiam, id mihi præſcindam atq; tollam. Habeo & quos æmuler duces præeuntes, ſicut Eliam Prophetam, Ioannem Baptiſtam, Iacobum & Paulum Apoſtolos, Iudith & Annam viduas, quibus hoc ſtudium circũciſionis fuit familiare, eosq́; Deo chariſſimos reddidit. Tum illos omnes amabo & colam, qui ſpiritu facta carnis mortificant, & ſeſe propter regna cœlorum vltrò caſtrant, Chriſtique mortificationem & ſtigmata ſemper in ſuo corpore circumferunt, vt & vita Iesv in ipſorum corporibus manifeſtetur. Meminero demùm, quod etiam Lactantius notat, inter carnis & cordis circumciſionem multùm intereſſe, quùm illa Iudæis ſoluenda præſcribatur, hæc verò à Chriſto ſic tradatur, vt legem æternam ſecum adferat.

Rom. 8. Gal. 5.

Deuter. 10. Hierem. 4. Matth. 18. Marc. 9.

Rom. 8. Matth. 19. 2. Corin. 4.

Lib. 4. de vera ſapient. cap. 17.

Vocatum eſt nomen eius Iesvs.

Inter omnia nomina, quæ proferri aut fingi poſſunt, ego Iesv nomini vſque primas deferam, quoniam illud eſt ſuper omne nomen, quod ab excellentiore quadam & Angelica natura de cœlo in terras adferri, primumq́; ſanctiſſimæ Virgini & ſponſo eius integerrimo Ioſeph manifeſtari debuit, quodq́; inde ab æterno ſummus Devs ſibi delegit, & vnigenito ſuo decreuit imponere. Quid Iesv nomine mihi & pijs omnibus vnquàm dulcius ac gratioſius eſſe poſſit? quod priſci Patres tot ſeculis exſpectaue-

Philip. 2. Luc. 1. Matth. 1.

ſimam perferre debuit, ſicut Simeon in templo illi prænuntiârat. Vnde quod Angelus de Tobia protulit, huic etiam largiri debemus: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probâret te.* Sicut & illud: *Multæ tribulationes iuſtorum,* hos enim velut aurum in igne probari, & per pœnam ad gloriam perduci neceſſe eſt. Eadem rurſus me admonet tùm lætitiæ tùm doloris & commiſerationis humanæ, vt à pijs huiuſmodi affectibus non ſim alienus, ſed ſciam ſuo loco ſimul gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Hoc enim officium eſt Chriſtianæ charitatis proprium, & erga proximos nunquam non exercendum, vt dilectio noſtra, ſicut Paulus loquitur, ſit ſine ſimulatione, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra corporis: ſi verò membrum vnum gloriatur, cætera etiam membra congaudeant. Nihil verò dubium, ingens & admirandum Deiparæ gaudium, ex lætis laborum Chriſti, & Apoſtolorum ſucceſſibus perſæpè proueniſſe, illamq; ob ſingularia DEI munera percepta illud ſubinde repetiuiſſe: *Magnificat anima mea Dominum.* Quæ inſuper cùm Euangelij profectum impediri, & ab hoſtibus varia pericula naſcenti primùm Eccleſiæ obijci cerneret, non poterat de prædicto ſibi gladio non meminiſſe, & cum Propheta dicere: *Bonum mihi quia humiliaſti me*: *Fiat Domine voluntas tua*: Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto: Quantumuis ergo dura & triſtia multa irruant (*militia enim eſt vita hominis ſuper terram*), tamen in ſtatione mea perſiſtam & conſtantem in Chriſtum amorem cum Domina noſtra præſtare ſatagam, nulla vt doloris acerbitas, hoſtium ſæuitia, aut tentationum vis me vnquàm à diuina lege obedientiaq; & iuſtitia ſancta diuellat ac ſeparet. Præſtat in cruce cum Maria Chriſto commori, quàm ſine Chriſto cum diuite epulone in hoc mundo florere, & mundi copijs omnibus abundare. Apoſtolica enim doctrina eſt, quæ ſemper obtinet: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Si commortui ſumus, & conuiuemus*

Marginalia: Tob. 12. — Pſal. 33. — Eccleſ. 2. — Rom. 12. — Rom. 12. — 1. Cor. 12. — Luc. 1. — Pſal. 118. — Matth. 26. — 2. Cor. 12. — Iob. 7. — Luc. 16. — Actor. 14. — 2. Tim. 2.

uiuemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. Iubet ergo Paulus nos in diſciplina ſiue caſtigatione Domini perſeuerare, ac diuinam expectare conſolationem, quæ licet ad tempus differatur, probatis tamen certo certius obuentura ſit. *Quem interim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem accipit.* Hebr. 12.

Hæc vidua erat vſq; ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.

ANNA iſthæc Phanuelis filia, ſimulq; Propheτiſſa, vidua erat verè Euangelica, cuius mores ita ſpectabo, vt me ab illius confeſſione, pietate, ieiunijs, obſecrationibus, omniq; diuino cultu procul abeſſe cum dolore perpendam. Nec enim ſolùm illa ex nobili & illuſtri genere procreata, ſed diuino etiam ſpiritu afflata Prophetiſſa commendabatur omnibus, quæ illibatum virginitatis candorem vſque ad matrimonium, & in ipſo coniugio fidem erga maritum inconcuſſam ſemper ſeruauerat: quæ prætereà licet in ipſa vigenti ætate coniuge orbaretur, tamen vnico viro contenta vſq; manſerat, & eo vſq; ſuam vidualem caſtitatem protraxerat, vt annos octoginta quatuor in illa perageret. Adhæc velut mundo carniq; mortua, ne otioſam fuiſſe ſuſpicemur, templo ſe dedicarat victimam, ſimulq; corpus quotidiano ieiunio, & animum precibus & obſecrationibus die nocteq; offerre ac tradere ſponte conſueuerat. Rectè igitur Ambroſius illam facit viduam, quæ ſit viuida religione, effœta corpore, cui & diuerſorium eſſet in templo, & colloquium in prece, & vita in ieiunio. Scribit etiam de illa Hieronymus: Quia ab adoleſcentia vſque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus ſuſtinuerat, & non recedebat de templo DEI, diebus ac noctibus inſiſtens ieiunijs & obſecrationibus, idcircò meruit gratiam ſpiritualem, & nuncupari filia vultus DEI.] Phanuel enim in lingua noſtra vultum DEI reſonat. Quarè non modò illa vidua, ſed omnium quoq; vi-

Lib. de bono viduitatis.

In epiſt. ad Furiam de viduitate ſeruanda.

duarum Euangelicarum excellens fuit ſpeculum & rarum exemplar, de quibus nempè à Paulo dictum legimus. *Viduas honora, quæ veræ viduæ ſunt,* hoc eſt, quæ omni filiorum & amicorum auxilio deſtitutæ, ſuis manibus laborare non poſſunt, vel quia paupertas illas debilitat, vel ætas conficit, & quarum ſpes omnis in Deo ſita eſt, quum interim ſecundas nuptias reſpuant. Eiuſcemodi viduas Eccleſia primitiua frequentes habebat, atque ſic honorabat, vt eas gratis alendas ſuſciperet, ac illarum neceſsitati per Diaconos prouideret.

VBI nouos ego ſectarios admirabor, qui & virginalem & vidualem caſtitatem nullo in precio habent, quantumuis à Paulo ſcribatur: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit: & qui non iungit, melius facit.* Ac rurſus de vidua pronuntiat, *Beatior erit, ſi ſic permanſerit.* Prætereà veræ pietatis opera, quæ Lucas in hac vidua prædicat, tantùm non ſordent aduerſarijs, quoniam ſcilicet nullum Dei præceceptum in verbo expreſſum habeant, neque ad cultus Deo gratos pertinere videantur. Atqui contrarium planè Lucas indicat, quum notat, Annam talibus victimis ieiuniorum & precationum coluiſſe Deum nocte ac die, vt hinc etiam alij ſic verterint locum: Non diſcedebat de templo, ieiunijs ac precationibus ſeruiens. Eſt & illa euidens impoſtura, quod noui doctores Annæ deprauant ieiunium, illudq; non aliud niſi vitæ ſobrietatem, victuſq; parſimoniam, & ab omni peccatorum genere abſtinentiam velint agnoſcere. Quaſi verò vlla fidelium ætas fuerit ab hoc generali ieiunio libera, neque ſatis è ſcriptura conſtet, aliam & propriam ieiunandi rationem ac diſciplinam tùm in veteri, tùm in noua lege pijs ſemper eſſe ſeruatam, ſicut & illa Dei vox abundè comprobat: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu & planctu,* vt interim de [a] Christi, [b] Moyſi, [c] Eliæ & [d] Apoſtolorum ieiunio ſileam. Sed valeant cum nouo ſuo ieiunio, blandi ſubdoliq; doctores, quibus nihil aſperum placet, & qui omnem ſancti ieiunij abſtinentiæ, pœnitentiæ, caſtitatis ac pietatis veteris conſuetudinem habent exoſam,

iamq; in ſuis Eccleſijs è medio ſuſtulerunt, nihil vt ferè cum hac Anna & probatis Sanctorum aliorum operibus & inſtitutis commune habere videantur.

CAETERVM quibus armis in ſua vocatione Anna cum ingenti laude pugnauit, mihi quoque & omnibus, præſertim ſacrum cœlibatum amantibus, pugnandum eſſe cenſebo, vt aduerſus Aſmodæi ſiue diaboli machinationes carniſque illecebras, nunquàm ſatis laudatus theſaurus pudicitiæ conſeruetur atque illuſtretur. Etenim vt Paulus docuit: *Vidua quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* Etſi enim illa mundo viuere ac florere vegeta videatur, dum nihil non carni licenter indulget, tamen à Chriſto Domino, quem ſecreta non fallunt, pro mortua deputatur. Hoc eſt, carne viuens, mortua eſt ſpirittu, Hilario teſte. Atque vt idem Paulus alibi de renatis omnibus loquens teſtatur: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Quarè non ſolùm huius Annæ, ſed etiam dicti Apoſtoli ſequar exemplum, qui vt ſuum cœlibatum, ad quem hortatur & alios, integrum cuſtodiat, nec orandi, nec ieiunandi finem facit, clareq; pronunciat: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*: Ac alibi rurſus affirmat: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.* Idem prætereà ſicut Chriſtianas viduas, quæ in ſuſcepto cœlibatu purè perſiſtunt, beatiores facit, ita & alias, quæ caſtitatem Deo Eccleſiæque promiſſam violant, fidemque primam irritam faciunt, æternæ damnationi ſubiicit. Vnde fidus Auguſtini ſectator Fulgentius ita ſcripſit: Quiſquis ſeipſum caſtrauerit propter regnum cœlorum, & in corde ſuo continentiam vouerit, non ſolùm ſi mortiſero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam ſi aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, ſecundùm Apoſtoli ſententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.]

1. Tim. 5.
In Pſal. 67.
Rom. 8.
1. Cor. 7.
2. Cor. 6.
1. Cor. 9.
Galat. 6.
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.
In lib. de fide ad Petrum, cap. 6.

HVIVS autem Annæ tanquam germana ſoror fuit Paula Romana, verè ſpectabilis & ſancta vidua, quæ corpuſculi ſui infirmitatem incredibili abſtinentia & duplicatis

ieiunijs contraxerat, quæ inſuper exceptis diebus feſtis vix oleum in cibo caperet, & hoc ſecum in ore voluere conſueuerat: *Subijcio corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne alijs prædicans, ipſa reproba inueniar.* Et: *Bonum eſt vinum non bibere, & carnem non manducare.* Ac iterum: *Humiliaui in ieiunio animam meam.* In languoribus autem & crebra infirmitate dicebat: *Quando infirma ſum, tunc fortis ſum.* Eadem ſibi tàm duram indixerat diſciplinam, vt ad caſtitatis lauream aſſequendam, & ad pœnitentiam in Palæſtina exercendam hos canones obſeruaret: Affligendum corpus quod multis vacauit delicijs. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda. Quæ viro & ſeculo placui, nunc Chriſto placere deſidero.] quemadmodum de illa Hieronymus ad Euſtochium virginem ſcribit.

PRECANDVS *eſt mihi Deus tùm pro infidelibus, tùm pro hæreticis omnibus in tot ſectas hodie diſſectis, qui vix vnquàm antea in Chriſto, Chriſtiq́ verbo & Eccleſia grauius offenſi fuerunt, ac magis alios etiamnum offendunt vbiq́ gentium. In his impletur Simeonis, immò & Chriſti vaticinium, quo prædictum eſt:* Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. *Ac iterum*: Tunc ſcandalizabuntur multi. *Et Paulus adhuc euidentius*: Mali homines & ſeductores, *inquit*, proficient in peius: errantes & in errorem mittentes.

ORABO *etiam ſapientiam & gratiam mihi neceſſariam dari à* IESV *paruulo, vt ſecundùm ſpiritum in homine interiore grandeſcam, & eas virtutes, quæ vocationi meæ inprimis congruunt, præſertim verò ſimplicitatem & obedientiam, magis ac magis indies aſſequar. Vt enim Euangelium aſtruit,* puer IESVS creſcebat & confortabatur ſpiritu: & proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.

ADHAEC *Deum inuocabo pro viduali & cœlibe, monaſticoq́ ſtatu reformando, præſertim vt plures viri ac mulieres in*

*Eccleſia ſecundùm normam perfectioris Chriſtianiſmi, & ex more veteris Eccleſiæ ex animo ſeruiant Deo. Petam nobis viduas dari, quæ mundo ſunt mortuæ, vereq́; ſpirituales, vt Iudith victricem, Annam hanc Phanuelis filiam, Paulam & Marcellam Romanas, Monicam Auguſtini matrem, Reginam Vngaricam Eliſabetham, aliasq́; ſimiles pio ſtudio æmulentur. Clemens Romanus exemplum huius Annæ repetit, fuſiusq́; tractat * Ambroſius.*

Lib. 3. conſtit Apoſtol. cap 1.
* Lib. de viduis.

IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI.

Sequentis Euangelij Argumentum.

DE Chriſti Domini circumciſione, deque noua ter ſancti nominis IESV impoſitione, ac ſimul prima Dominici ſanguinis effuſione monet nos hic breuiter Euangeliſta: Pulchrè autem ab hiſce myſterijs, quæ & legis veteris finem, & ſacri Euangelij principium innuunt, nouum annum ordimur, Chriſtum nempè ſalutis humanæ fontem & authorem ſpectantes, & longè quidem fœliciùs, quàm veteres idolorum fecere cultores, qui præſentem diem ſiue Calendas Ianuarias profanis epulis, omnique luxu & deteſtanda ſuperſtitione more ſuo peſsimo celebrârunt, aut potiùs cõtaminârunt. Quod cùm ferre non poſſet præclarus Chriſti martyr Almachius, cultum & furorem ethnicum illis verbis increpauit: Hodie octauæ Dominici diei ſunt: ceſſate à ſuperſtitionibus idolorum, & à ſacrificijs pollutis. Vbi certè nõ attinet repetere de myſterio circumciſionis, quod his quidem verbis extulit Cyprianus: Inter omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil circumciſione ſolenni-

Serm. de ratione circumciſ.

us antiqua celebrauit religio, nec tantùm in Hebræos, ſed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit.] Nec obſcurum eſt circumciſionis vſum & præceptum ante Moyſen extitiſſe, quoniam DEVS legem circumciſionis etiam magno Patriarchæ Abraham eiuſque filijs præſcripſit: & Chriſtus ipſe contra Iudæos diſſerens, illud affirmauit: Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus.] Tum de abrogata circumciſione Paulus clariſsimè pronunciat: Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legi faciendæ. Eoq; magis nobis gloriandum eſt in Chriſto Saluatore, qui Iudæos & Gentes à veteri, dura & carnali circumciſione, ſicut & à toto iugo Moſaicæ legis non ſine profuſo ſanguine liberauit, quique pro illa circumciſione ad labem originalem tollendam ſacrum baptiſmi lauacrum inſtituit, ſolamque circumciſionem ſpiritualem à renatis exigit Auguſtinus perſpicuè docet, circumciſionem in originalis peccati remedium, & in ſpiritualis circumciſionis ſymbolum Iudæis à DEO tributam & impoſitam eſſe. Spiritualis autem circumciſio, quam à Iudæis & Moyſes poſtulauit, toties nobis commendatur, quoties diuina ſcriptura loquitur de mortificatione membrorum, de crucifigenda carne, de caſtigando corpore, de caſtrando ſeipſo, de odio & abnegatione ſui, ac de regno cœlorum per viam anguſtam & vi quadam obtinendo. Cæterum de ſacroſancto IESV nomine prædixit [a] Abacuc Propheta, ſicut & [b] Eſdras ab [c] Ambroſio citatus, & Rabbinus Haccados, quem citat [d] Galatinus, immò & Sibylla Erithrea, vt [e] Auguſtinus annotauit. Certè [f] Angelus cum Ioſeph in ſomnis colloquens, diuinam Chriſti naturam ſignificat, cum affirmat, ipſum IESV nomine appellandum, quia populum ſuum ſaluum faciat à peccatis, quem ſuo nempè ſanguine, vt nemo alius redemturus, & in ſuum regnum vendicaturus eſſet. Prophetæ paſsim hunc ipſum IESVM ſalutem, ſalutare & ſaluatorem appellant.

ieneſ. 17.

oan. 7.
ialat. 5.
ſtor. 15.

b. 50. hom.
lib. de baaſ. paruul.
eut. 10. &

Abacuc. 3
. Eſdr. 7.
Ambroſius
er Luc.
ib. 3. cap.

ib. 18. de
itate Dei,

latth. 1.

EVAN-

EVANGELIVM EIVSDEM Feſti Lucæ ſecundo.

POSTQVAM conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius IESVS, *quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquàm in vtero conciperetur.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo.

PVER IESVS ſiue apud Nazarenos in matris vtero concipiatur, ſiue in Bethlehem terra Iuda naſcatur, ſiue iuxta ritum Iudaicum circumcidatur, ſiue in templo etiam Hieroſolymitano offeratur, legitima ſemper obſeruat tempora, nec ſuſtinet quicquam circa ſe præpoſterè, & ſine certo Patris conſilio ac præcepto effici. Vnde rogatus aliquando vt patraret miraculum, apertè reſpondit: *Nondum venit hora mea*, quemadmodum Ioan. 2. & alibi dixit: *Tempus meum nondum impletum eſt.* Igitur non Ioan. 7. ſine peculiari prouidentia contigit, vt annis ferè triginta priuatam & obſcuram vitam degeret, & quadraginta dies in deſerto ieiunaret, ac quatriennium non integrum conſumeret in munere concionandi. Oportuit, ſicut idem ipſe Luc. 24. teſtatus eſt, Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & ita intrare in gloriam ſuam, quemadmodum & ſpiritus in Prophetis prænuntiârat eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones,

ita nihil etiam pretioſius atq; irrecuperabilius fingi poteſt,
cuius vſura mihi ac mortalibus omnibus ad benè beatèque
viuendum non ita diu conceditur. Proinde multùm aduigi-
labo, vt in hac vita breui redimam tempus, illudq́; in opere
bono conſumam iuxta illud Apoſtolicum: *Bonum facientes* Epheſ.5. Gal. 6.
non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Eſt
nunc tempus quo fruimur acceptabile: ſunt dies qui offe-
runtur, ſalutis ac ſalutiferi, annum Domini acceptum tene- 2. Corin. 6.
mus, ſed breui elapſurum, quo vniuerſis acclamatur: *Omnes* Luc. 4.
ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, prope- Iſai 55
rate, emite, & comedite. Quærite Dominum, dum inueniri po-
teſt. Cur igitur, ſi ſapimus, cum Chriſto eiuſq́; matre ad vn-
guem non obſeruemus præſcripta & deſtinata nobis tempo
ra? *Laſciuus & imprudens non ſeruabit tempus*, inquit Eccle- Eccleſ.10.
ſiaſticus. *Qui autem agunt omnia cum conſilio reguntur ſapien-* Prouer. 13.
tia, teſte Salomone. Quid multis? *Fili ſine conſilio nihil fa-* Eccleſ. 32.
cias: & poſt factum non pœnitebis.

NOTABO inſuper, quod Chriſtus vix dies octo natus,
auguſto Ieſu nomine voluit inſigniri, ſed ex tenerrimo cor-
puſculo ſacroſanctum ſanguinem profundēs, & ex hoc diro
vulnere tùm ſibi ſenſum grauiſsimi cruciatus percipiens,
tùm optimæ fidiſſimæque matri ſingularem quendam com
paſſionis, vt ſic dicam, gladium porrigens. Cùm enim hic
puer incredibili erga nos amore flagraret, non ei ſufficere
poterat, quod in lucem mox editus lacrimas funderet, gra-
uiq́; rerum penuria premeretur, ſed non multò pòſt circum-
ciſus ſuum quoq́; ſanguinem, hoc eſt, redemtionis huma-
næ pretium cœleſti Patri pro nobis offerre curauit, qui vel
vnica ſui ſanguinis guttula totū mundū poterat offenſo Deo
reconciliare. Præluſit igitur hoc facto, & adumbrauit cruen-
tum ſacrificiū, quod pro expiandis mortaliū criminibus erat
in cruce immolaturus. Etenim *verè languores noſtros ipſe tu-* Iſai. 53.
lit, & infirmitates noſtras ipſe portauit. Ipſe dilexit nos, & lauit Apoc. 1.
nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Ita verò nos ille docet

inde à prima ætate non horrere, ſed ferre crucem,& fideles pijs adſueſcere laboribus, ſanctumque pœnitentiæ iugum non grauatim amplecti. *Qui enim delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum*, vt Salomon affirmat, *poſteà ſentiet eum contumacem. Bonum autem eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Bonum præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*, vt Propheta Hieremias admonet.

Prouer.29.

Thren. 3.

Vt circumcideretur puer.

ETSI hic paruulus ſtatim ab ipſa conceptione purus, perfectus & innocens fuit, vt idcirco Petrus illum agnum immaculatum appellet, tamen noſtra cauſa voluit petrino cultro circumcidi, ac in tenera carne ſua durum & cruentum accipere vulnus, quod certò tanto grauius illi quàm æqualibus contigit, quantò ipſe maiore iudicio ſapientiaq; præſtabat omnibus mortalibus. *Factus enim eſt ſub lege*, immò ſeipſum veteri legi ſubiecit, *vt eos qui ſub lege erant redimeret*, nimirùm de ſubiectione legis, ſimulq; filios faceret adoptiuos, vel qui ſtatum reciperent adoptionis, vt è ſeruis filij facti, in æternam ſuccederent hæreditatem. Quid mirum, inquit Bernardus, ſi caput pro membris accepit curationem, & ſi pro nobis dignatus eſt circumcidi, pro quibus dignatus eſt mori?] Ego verò non ſat habebo de hac ipſa Chriſti circumciſione, quæ propter nos à iugo legis veteris eximendos vtique facta eſt, gloriari, ſed obſeruabo, quibus in rebus circumciſionem verè Chriſtianam (proprium electorum ſignaculum) mihi debeam adhibere, nimirùm in corpore, ſenſibus & membris omnibus, quando ſpiritui Chriſti & rationis dictamini, animæque profectui aduerſantur. Etenim paruulus noſter non modò circumciſionem accepit, & ſimul veterem illam, quæ in membro vno fiebat, & Iſraëlitas omnes obligabat, abrogauit, verùm etiam nouæ circumciſionis legem, quæ Chriſtianos frenaret & in officio contineret, induxit, ſuoque populo

Pet. 1.

Galat. 4.

Serm. 3. de Circumciſ.

impoſuit,

impoſuit, quem non niſi circumciſum amat atque ſaluat, ita vt omnis incircumciſus, ſicut ab Ezechiele dictum eſt, Dei ſanctuarium atque tabernaculum non ingrediatur. Quarè nunc etiam præceptum illud in veteri lege traditum obtinet: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Ac inprimis, ſi meæ ſaluti conſultum velim, prouidero, vt cor meum circumcidam & purgem, quoniam ex eo quaſi ſeminario malorum omnia genera, quæ & Deum offendunt & conſcientiam polluũt, proficiſcuntur. *Nam & quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & coinquinant hominem. Ex abundantia cordis os loquitur,* vt Chriſtus ipſe pronuntiat. Cùm autem Deus cordium circumciſorum ſit inprimis amicus, valdè mihi commendatum habebo ſanctum & neceſſarium ſtudium ſpiritualis circumciſionis, ideoque bellum perpetuum indicam cupiditatibus, propenſionibus & affectibus prauis, à quibus me grauiùs infeſtari ſentio, vt hiſce tanquam peccati omnis radicibus in corde intimè reſidentibus magis magiſq; liberer: funditùs enim hæc ſentina & ſanies nequit extirpari. Cuius circumciſionis velut typus erat vetus illa Iudæis iniuncta circumciſio, quæ lapideis cultris ex imperio Domini à Ioſue facta eſt, priuſquàm populum in promiſſam terram induceret, eaq; peracta dixit ille: *Hodie Dominus abſtulit à vobis opprobrium Aegypti.* Quis autem noſter Ioſue obſecro, niſi Chriſtus exiſtit? qui ad cœleſtem hæreditatem, id eſt, terram viuentium pijs omnibus promiſſum aditum patefecit, noſq; ſpirituali circumciſione circumcidit, cùm gratiam contulit, per quam cupiditates diuini amoris gladio excindere, & veterem hominem mortificare poſſemus. *Spiritum meum*, inquit, *ponam in medio veſtrûm, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Ac iterum: *Dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iuſtitiam meam cuſtodiant, faciantq; ea.* Similis planè promiſſio, & æquale pactum Dei cum noui teſtamenti populo, qui legem diuinam

Ezech. 44.
Hierem. 4.
Matth. 15. & 12.
Geneſ. 17.
Ioſ. 5.
Ezech. 36. & 11.

in

ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs: aut ſicut Hieronymus legit, recrucifixerunt carnem ſuam cum paſſionibus, vel vt alijs placet, affectibus ſuis. Tantoque magis mihi diſplicebo, vtpote in ſchola ſanctæ circumciſionis tàm malè verſatus, & qui procul abſum ab illo ſtatu electorum, quos vera perfectaque circumciſio in reſurrectione vltima mirificè decorabit. Vnde ad nouum annum fœliciter auſpicandum mihi proponam nouum ſtudium in obſeruando præcepto de cordis & corporis circumciſione, vt quicquid cor polluit, & in meo corpore ſcandalizat, peccandiq; auget licentiam, id mihi præſcindam atq; tollam. Habeo & quos æmuler duces præeuntes, ſicut Eliam Prophetam, Ioannem Baptiſtam, Iacobum & Paulum Apoſtolos, Iudith & Annam viduas, quibus hoc ſtudium circũciſionis fuit familiare, eosq; Deo chariſſimos reddidit. Tum illos omnes amabo & colam, qui ſpiritu facta carnis mortificant, & ſeſe propter regna cœlorum vltrò caſtrant, Chriſtique mortificationem & ſtigmata ſemper in ſuo corpore circumferunt, vt & vita Iesv in ipſorum corporibus manifeſtetur. Meminero demùm, quod etiam Lactantius notat, inter carnis & cordis circumciſionem multùm intereſſe, quùm illa Iudæis ſoluenda præſcribatur, hæc verò à Chriſto ſic tradatur, vt legem æternam ſecum adferat.

Rom. 8. Gal. 5.

Deuter. 10. Hierem. 4. Matth. 18. Marc. 9.

Rom. 8. Matth. 19. 2. Corin. 4.

Lib. 4. de vera ſapient. cap. 17.

Vocatum eſt nomen eius Iesvs.

Inter omnia nomina, quæ proferri aut fingi poſſunt, ego Iesv nomini vſque primas deferam, quoniam illud eſt ſuper omne nomen, quod ab excellentiore quadam & Angelica natura de cœlo in terras adferri, primùmq; ſanctiſſimæ Virgini & ſponſo eius integerrimo Ioſeph manifeſtari debuit, quodq; inde ab æterno ſummus Devs ſibi delegit, & vnigenito ſuo decreuit imponere. Quid iesv nomine mihi & pijs omnibus vnquàm dulcius ac gratioſius eſſe poſſit? quod priſci Patres tot ſeculis exſpectauerunt,

Philip. 2. Luc. 1. Matth. 1.

runt, nec minùs ardenter deſiderârunt, cum probè ſcirent illud: Oleum effuſum nomen tuum. Hoc ipſum nomen eſt, quod Apoſtoli non modò ſuauiſsimè cõplexi ſunt, ſed etiam per totũ orbem terrarum ſummo cum fructu prædicârunt atque diuulgârunt, cuius prætereà virtutem in edendis miraculis maximam experti ſunt. Hoc nomen adeò Paulus dilexit, ſibiq; familiare habuit, vt in ſuis epiſtolis illud vel quingenties repetat, ac paſsim inculcet fidelibus, ac proinde quoſcunque ſpirituales cibos in medium adfert, hoc diuino veluti condimento ſapidiores & efficaciores reddere ſoleat. Quid multis? *Nullum eſt planè nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo ſaluari nos oporteat, niſi in* IESV *nomine*, ſicut princeps Apoſtolorum palàm affirmat: *Nullum*, inquã, *nomen, in quo genu omne flectitur, cæleſtium, terreſtrium & inferorum*, ſicut indicat Paulus. O ſacrum, venerandum, precioſum, potens & ſalutare nomen, nec priſcis quidem Sibyllis ignotum, pijs autem in primis iucundum, vt ſit illis in ore mel, in aure melos, & in corde iubilus, quod prædicatum lucet, recogitatum paſcit, & inuocatum lenit ſimul & vngit, quemadmodum de illo pulchrè ſanctèque Bernardus philoſophatur.

Cantic. 1. — Actor. 4. — Philipp. 2. — Serm. 15. ſupra Cantic.

QVAPROPTER ſingulares agam gratias immortali DEO, qui hoc nunquàm ſatis laudatum, & ſemper adorandum colendumq; nomen hodie primùm exhibuit mortalibus, tantumque theſaurum ad ſummam credentium conſolationem orbi communicare dignatus eſt. Deinde quoties hoc benedictum nomen meis inſonabit auribus, externo quodam ſigno corporis teſtabor, me erga illud ipſum reuerenter affici, ſimulque eo delectari, cùm ſciam etiam dæmonum eſſe proprium, vt huius virtute nominis offendantur, terreantur atque profligentur. Adhæc quicquid DEO gratum & mihi ſalutare eſſe cupiam, huius nominis auſpicijs æterno Patri offerre atq; commendare adſueſcam, ne obliuiſcar illius præcepti Apoſtolici, *Omne quodcunq; facitis in verbo & opere, omnia in nomine* IESV *facite, gratias agentes*

Coloſſ. 3.

DEO

Deo *& Patri per ipſum.* Cauebo interim, vt non ſolùm Iesv nomen & vocabulum in ore habeam, ſed etiam virtutem eiuſdem nominis in corde reconditam ſeruem, illudq; ſiue ſcriptum, ſiue nominatum, ſiue lectum magna religione proſequar, ac ſingulari amore complectar, ardenter illum inuocans, præcipuamque conſolationem ac voluptatem in illo reponens, qui ſolus & dici & eſſe poteſt Iesvs, id eſt, Saluator, quoniam populum ſuum, qui Eccleſia dicitur, ſaluat à peccatis eorum, vti Ioſepho Angelus aſſeuerauit. Quarè mundi etiam & amicorum præſidijs deſtitutus, cum Habacuc Propheta confidenter dicam: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* Iesv *meo.* Ac licet ab hoſtibus premar, & cum morte ipſa confligar, tamen æmulabor Stephanum hoc modo cum fide clamantem: *Domine* Iesv *accipe ſpiritum meum.* Matth. 1. Abacuc. 3. Actor. 7.

Precandvs *mihi Deus, vt nouum hunc annum cùm orbi vniuerſo, tùm Eccleſiæ Catholicæ fœlicem eſſe concedat, hoc eſt, vt eiuſdem anni principium, progreſſus & exitus veram animi corporisq; incolumitatem plurimis adferat: præcipuè verò vt pacem in eo publicam experiamur. Tantùm enim eſt pacis bonum, vt in rebus etiam terrenis atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihilq; poſſit melius inueniri, vt Auguſtini verbis vtamur.* Lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 13.

Orabo *& peculiariter pro vtroq; magiſtratu, Eccleſiaſtico nimirùm & ciuili, per quem diuina ſapientia militantem regit Eccleſiam, vt ad Reipublicæ clauum ſedentes, concreditum ſibi populum ſapienter & fortiter & iuſtè gubernent. Orabo etiam pro ſubditis, qui à ſublimioribus pendent poteſtatibus, vt hoc anno ſub ſuis magiſtratibus, quietam & tranquillam vitam vbiq; gentium agant in omni pietate & caſtitate. Nunquàm enim rectiùs, quàm hoc ſeditioſo ac turbulento, verèq; maligno ſeculo dici & cantari potuit illud: Non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu* Devs *noſter.* 1. Tim. 2.

PROXENIO *ſpirituali diuinitus obtinendo ſollicitus ero, acidcircò ſingularem ſummi Dei benedictionem ac gratiam, quâ ego ad benè beatèq́; viuendum magis indigere videbor, ardenter expetam. Neque mihi ſolùm, ſed etiam familiaribus ac amicis virtutes à Deo certas tribui rogabo, quibus nomen Ieſu in nobis hoc anno magis magisq́; glorificetur, & nos ſicut ex malis boni, ſic etiam ex bonis meliores iuſtioresq́; in noſtra vocatione reddamur. Scriptum eſt enim*; Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc: Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq́; ſecundùm opera ſua.

IN ILLVSTRI FESTO EPIPHANIAE, SEV DOMINICAE APPARITIONIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

VETVS eſt Eccleſiæ traditio, fide dignis Patrum teſtimonijs confirmata, hoc ſolenni die tria myſteria celebrari: quandoquidem Chriſtus recens natus tunc ſtella duce Gentibus primùm apparuerit, & expleto vigeſimo nono ætatis anno in Iordane à Ioanne baptiſmũ acceperit, ac deinde trigeſimo primo anno ad nuptias inuitatus, aquam in vinum conuerterit, eaq́; diuina virtute fecerit omnia. Sed Magorum aduentus, quibus vt Gentium primitijs, Chriſtus hodie ſuam diuinitatem oſtendit, hunc feſtum diem illuſtrat maximè, de quo Albinus Flaccus ita meminit: Solennitas hæc ſacratiſsima, quæ à Græcis Theophania vel Epiphania nuncupatur, latinè verò apparitio ſeu oſtenſio vel manifeſtatio interpretatur, multimoda in ſe continet myſteria.] Quemadmodum & [a] Maximus Epiſcopus & Bernardus [b] Abbas comprobant. Complures hoc feſtũ Regum, & Græci feſtum ſanctorũ luminum vocant, quoniam non modò fre-

quentia hominum, ſed etiam facibus & luminibus multis accenſis, iam olim publicè celebrabatur. Et mirùm ſane, quantoperè tùm Græci tũ Latini Orthodoxi has ferias exornauerint, quas inde ab Apoſtolorũ ætate paſsim receptas ac probatas fuiſſe, cum ex alijs Eccleſiæ ſcriptoribus, tàm ex Clemente Romano & Cypriano martyre colligi clariſsimè poteſt. De Magis diſputent contentioſi, quos Reges quidē fuiſſe multi docti probârunt, ſed & veteres, nempè Tertullianus, Cyprianus, Nazianzenus, Hieronymus indicârunt, vt ea res in nullam rapi controuerſiam debeat. Adhæc perpetuæ traditioni Eccleſiæ, veterumq́; annalibus eſt conſentaneũ, his ipſis Regibus ac ſapientibus magno in pretio fuiſſe Balaam vatem Madianitem, cuius vaticinio edocti, ſtellam promiſſam (meminit eius & Moyſes) obſeruârint & agnouerint, eaq́; duce illos ab Oriente & ex Perſide ad Chriſtum Dominũ adorandum acceſsiſſe, ſicut Euangelicis literis apertè proditur. Narrant & alij hos in Perſiam reuerſos, Euangelicam veritatem ab Apoſtolo Thoma pleniùs intellexiſſe, ſicut & Chryſoſtomi opera commonſtrant, ac baptizatos de Chriſto ipſo Gentibus prædicaſſe. Quod ad ſacra eorum corpora pertinet, hæc è Perſia Conſtantinopolim tranſlata, & inde Mediolanum delata fuiſſe legimus, quæ deinde Frederico Imperatore, eius nominis primo, Coloniam peruenerũt, vbi adhuc illa religioſè recondi tota Germania tot ſeculis confitetur. Nec dubitare fas eſt, eoſdē Magos decimo tertio poſt Chriſtum natum die ſuum in adorando puero officiũ peregiſſe, ac regijs muneribus illum in Bethlehē cohoneſtaſſe. Hæc enim vt communis, ita & ſecura piorum eſt opinio, quæ iampridē obtinuit, etiam ab [a] Hieronymo & [b] Auguſtino recepta. De his ipſis, quos Caſparum, Balthaſarum & Melchiorem appellant, [c] Leo Magnus apertè teſtatur: Tribus Magis in regione Orientis ſtella nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriorq́; ſyderibus, facilè in ſe intuentium oculos animosq́; conuerteret, vt confeſtim aduerteretur non eſſe otioſum, quod tàm inſolitum videbatur. Dedit ergo adſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum, &

Num. 24.

Matth. 2.

a In cap. 1. Ezechielis.
b Serm. 32. de tempore.
c In Ser. 1. de feſto Epiphaniæ.

quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inueniendum obtulit requiſitus.] De Magorum muneribus nemo ſcripſit, vt puto, vetuſtior Irenæo, cuius verba libet repetere: Matthæus, inquit, Magos ab Oriente venientes ait dixiſſe, Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum, deductosq́; à ſtella in domum Iacob ad Emmanuel, per ea quæ obtulerunt munera oſtendiſſe, quis erat qui adorabatur: Myrrha quidem, quòd ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur & ſepeliretur: Aurum verò, quoniam rex, cuius regni finis non eſt: Thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum.]

EVANGELIVM EIVSDEM Feſti Matth. ſecundo.

CVM natus eſſet IESVS *in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicẽtes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquàm minima es in principibus Iudæ: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſraël. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis*

tempus ſtellæ quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eum. Qui cùm audiſſent Regem, abierunt. Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer. Uidentes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Uidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

LAVDABO DEVM in paſtoribus Bethlehemiticis, nec minùs quidem in Magis Orientalibus illius gloriam prædicabo. Paſtoribus enim Iudæis Chriſtum natum Angelus nuntiauit, & gentilibus Magis nouum ſydus apparuit, vt ad Regem Chriſtum rectà perducerentur. *Ipſe enim vnus eſt Deus qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Ipſe eſt pax noſtra qui fecit vtraq; vnum,* Apoſtolo teſte. Paſtores illi fuerunt primitiæ Iudæorum, hi Magi facti ſunt primitiæ gentium: illi de proximo adducti, hi de longinquo reducti. Propè enim erant Iudæi,

Luc. 2.

Rom. 3. Epheſ. 2.

qui DEVM colebant: longè autem gentes quæ idolis ſeruiebant, vt Fulgentij verbis vtamur: Vbi ſanè mirabor Magorum intrepidam fidem, qui nullo propoſito præmio, nec ſine certo vitæ ſuæ periculo, cùm iter longum eſſent emenſi, coràm Herode & Iudæis alijs liberè pronuntiabant: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Spernunt enim Herodem eiusque filios, nec vlla de Cæſare Auguſto cura tanguntur, ſed de ſolo Mariæ filio, quamuis paupere & obſcuro, diligenter inquirunt, illumque præ omnibus hominum filijs adorare promittunt, vbicunque demùm reperiatur. Non ſciſcitantur, vtrum & ex quo patre ſit ille natus, ſed fidem nulla ex parte hæſitantem adferunt, & vbinam ille ſit natus Iudæorum rex, cuius ortum cœci Iudæi neſciebant, fidenter interrogant. De quo autem illi tàm ſollicitè in regia ciuitate rogant, eundem in abiecto tugurio vel ſtabulo, vilibusque pannis, vt cum Bernardo loquamur, coràm agnoſcunt, venerantur, adorant. O præſtantes heroes, viroſq; ſapientes, quibus tantùm veræ diuinæq; lucis affulſit, quantum in vniuerſo populo Iſraëlitico non apparebat, quique ſuam fidem ſpontè ac publicè in vrbe Hieroſolymitana totius religionis metropoli, ingenuè profitentur.

In Serm. de Epiphan.

In ſerm. 1. de Epiphan.

QVAM porrò fœlices illi ſunt, quos per ſuam gratiam, ſicut Magos per nouam ſtellam, vocat & illuminat Deus? vt non modò ſeipſos & Deum cognoſcere, ſed etiam alios in tenebris verſantes illuminare, & multorum ſalutem procurare poſſint? Infœlices autem viciſſim habendi ſunt, qui quoniam à Deo non illuminantur, infidelitatis & malitiæ tenebris impediti, ad illorum numerum ſpectant, de quibus eſt ſcriptum: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur.* Ex his pleriq; rebelles ſunt lumini, quemadmodum Iob queritur, & quia ſurdi, immò & iuxta ſpiritum mortui, Deum animæ vitam amiſerunt, idcirco cœleſtem non audiunt vocem, ſingulis mortalibus nunquam non acclamantem.

Iſai. 6.
Ioan. 12
Iob. 24.

tem: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Mihi verò ſatis non erit Chriſtum per fidem infuſam (magnum certè lumen) cognoſcere, ſed conabor ex illis germanis eſſe fidelibus, virtutes eius annuntiantibus, qui de tenebris ipſos vocauit in admirabile lumen ſuum, ſicut Apoſtolus Petrus loquitur, quoſque idem hiſce verbis non fruſtra cõmendat: *Ieſum Chriſtum quem cũ non videritis, diligitis, in quem nunc quoq; non videntes, creditis, credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.* Tales lucis filios requirit Paulus, & inprimis optat Epheſios eſſe, orans illis dari ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in Chriſti agnitione, qui ſit omnium princeps & caput, vtque illuminatos habeant cordis oculos, & ſciant quæ ſit ſpes noſtræ vocationis, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis Chriſti in ſanctis, quæ inſuper ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus. Quod verò Magis non maleficis, ſed ſapientibus optimè competit, id vtinam de me dici quoque poſſit: *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Dici autem poterit, ſi quod ab eodem Apoſtolo ſtatim eſt adiunctum obſeruem: *Vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia & veritate) probantes quid ſit beneplacitũ Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Mihi certè dictum quoque putabo illud Propheticum: *Illuminare, quia venit lumen tuum,* atque vt ſuper me oriatur Dominus adlaborabo, in cuius lumine Gentibus omnibus ambulandum eſt, iuxta illud: *Ambulate dum lucem habetis, vt vos non tenebræ comprehendant. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis.*

Epheſ. 5.
1. Petr. 1.
Epheſ. 1.
Epheſ. 5.
Iſai 60.
Ioan. 12.

Qui cùm audiſſent Regem, abierunt.

Magi non vulgares viri, immò Reges valdeque ſapientes viri, maiorum traditione commoti, ſtellam veri

Meſſiæ nati indicem, in cœlo primùm apparentem prudenter obſeruant, & propter illam diuinitùs inſtructi, longinquum & arduum iter etiam hyeme conficiunt. Qui cùm Hieroſolymam peruenißent, de nouo rege nato percunctantur, ſeque illum colere velle palàm profitentur. Audiunt quidem Herodem inſidiosè rogantem, ſed inſignis hypocritæ fraudulentiam facilè deprehendunt, ac de ſuo propoſito nihil remittunt, donec puerum laboriosè quæſitum, in Bethlehem reperiant, & repertum magna religione & ſummo cultus genere proſequantur. O imitandam Magorum in fide conſtantiam, in labore fortitudinem, in agendo ſapientiam, qui breui tempore in ſchola pietatis tantoperè profecerunt, vt ſe germanos Abrahæ filios, ac Euangelicæ fidei profeſſores reipſa declararent, nec ſolùm Iudæos incredulos, ſed Chriſtianos etiam fictos ac tepidos non immeritò reprehenderent. Qui certè ſi coràm adeſſent, illis Chriſti verbis iam olim prolatis me quoq; corripere poſſent: *Nondum*
Marc. 8. *cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? oculos habentes non habetis? & aures habentes non auditis? Vbi*
Luc. 8. *eſt fides veſtra?* Fatebor ergo meã ignorantiam, immò mentis meæ tenebras deplorans, & veræ lucis fontem Chriſtum
Pſal. 17. & 66. inuocans dicam: *Illumina Domine tenebras meas*, ſicut nempè hos Magos illuminaſti. DEVS *illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* Prætereà me ſtatuam inter car-
1. Cor. 3. Hebr. 5. nales & paruulos illos lacte indigentes, quibus non temerè Paulus hoc exprobrat: *Cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis, vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Vnde Magos imitandos mihi proponam, qui vero fidei lumine colluſtrati, ducem ſtellam indefeſsè ſequũtur, in ſuo itinere conficiendo tàm ſeduli, vt neque hyemis aſperitate, neque ſumtuum magnitudine, neque profectionis difficultate, nec periculi metu, quod à Cæſarianis & Herodianis poterat formidari, à ſuo propoſito in Chriſto quęrendo deterreantur. Quocirca Michææ verbum & exem-

plum erit mihi cordi, vt cum illo ex animo dicam: *Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & vltra.* Vt enim Iſaias de tempore Meſſiæ prædixit: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Mich 4. Iſai. 60.

Procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera.

Coram Chriſto eiusq; matre fundam lacrimas, quòd his Magis, licet neophytis, in cultu diuino & vocatione Chriſtiana longè ſim ignauior, tepidior, irreligioſior. Deſunt mihi ſubinde, proh dolor, oculi ad Chriſtum non ſolùm Patris dexteræ aſſidentem, verùmetiam in ſacra Euchariſtia verè præſentem, perfectè contemplandum. *Ecce*, inquit, *ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.* Deſunt genua ad eundem Devm regem & hominem ex intima ſubmiſſione reuerenter adorandum. Deſunt pia deuotę mentis munera, quibus ille Rex regum cupit ac debet in fide, ſpe & charitate priuatim & publicè honorari. Deſunt ſpiritualia & quotidiana, illique grata ſacrificia, vtpote diuinæ dilectionis aurum, piæ precationis thus, & myrrha voluntariæ mortificationis. O quàm multa & magna propter Chriſtum paruulum faciunt & ſuſtinent Magi? in itinere quas moleſtias non deuorant? in ſtabulo quàm liberaliter, officiosè ac religiosè verſantur? quàm præclaris exemplis, licet à nemine moniti vel inſtituti, Iudæos, immò & Chriſtianos admonent? tantò quidem chariores Deo, & ſapientum iudicio laudandi magis, quantò in ſuis ipſi oculis abiectiores, minùsque arrogantes in profeſſione tota fuerunt. *Vbi enim eſt humilitas, ibi & ſapientia*, vt Salomon adſtruit. Docent me igitur hi prudentiſſimi viri, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ſapere. *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo*, Apoſtolo teſte. Monent, quàm ſit mirabilis & potens Devs in ijs,

Matth. 28. Prouer. 11. Rom. 8.

Matth. 3. quos è lapidibus Abrahæ filios creare, & ex nouiſſimis pri-
& 20. mos facere conſtituit. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci:*
Rom. 10. *nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant il-*
lum. Atque hoc illud ſacramentum eſt alijs generationi-
bus non agnitum, mihique & Chriſtianis prouincijs ex me-
Ephes. 2. & 3. ra gratia reuelatum, vtpote Gentes, licet omni beneficio
indignas, & gehennæ pœnam promeritas huc euehi, vt am-
pliſſimarum promiſſionum Chriſti in hac futuraq; vita ſint
cohæredes & concorporales & comparticipes, ſi nempè
oblatam gratiam vnà cum hiſce Magis velint amplecti.
Ioan. 1. Scriptum enim legimus: *Quotquot receperunt eum, dedit eis*
Hebr. 3. *poteſtatem filios Dei fieri. Participes Chriſti effecti ſumus, ſi ta-*
men initium ſubſtantiæ eius (Euangelicam fidem intellige)
vſq. ad finem firmum retineamus.

EGO verò libenter illis aſſentiar, qui oculatam eſſe fi-
dem, & lynceos habere oculos arbitrantur, eamque fidem
ſtatuunt in hiſce Magis, qui Dei Filium in ſtabulo pannis in-
uolutum, Deique virtutem in teneri corporis infirmitate
præſentem, ac DEI verbum in ipſa infantia operans cogno-
uerunt, eamque fidelem cognitionem oblatis muneribus
Serm. 2. de appoſitè comprobârunt. Proinde cum Bernardo mirabor
Epiphan. horum ſapientiam, eoſque in fide & confeſſione Centurio-
Matth. 26. ni & latroni, qui Chriſtum in cruce mirabiliter cognoue-
Luc. 23. rant, anteponam. Inter alia verò eoſdem Magos interroga-
Sermon. 1. de bo: Quid facitis, ô Magi, quid facitis? Lactantem puerum
Epiphan. adoratis? in tugurio vili, in vilibus pannis. Quid facitis,
quòd & aurum offertis? Ergo Rex eſt ipſe? Et vbi aula re-
gia? vbi thronus? vbi curiæ regalis frequentia? Reſpon-
1. Cor. 3. dit citò Bernardus: Inſipientes facti ſunt, vt fierent ſapien-
tes iuxta illud Apoſtolicum: *Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus*
1. Cor. 1. *fiat, vt ſit ſapiens.* Quia enim per ſapientiam mundus in ſa-
pientia ſua DEVM cognoſcere non poterat, placuit Deo
per ſtultitiam prædicationis ſaluos fieri credentes. Itaque
non illis ſordet ſtabulum, nec pannis offenduntur, neque
ſcandalizantur lactantis infantia, ſed pleni fide procidunt,

venerantur vt Regem, adorant vt Deum. Sed profectò qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit, & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit.] Nos ergo CHRISTVM IESVM vt verum hominem & fratrem noſtrum diligamus, vt DEI Filium honoremus, atque vt DEVM ipſum vnà cum Magis adoremus. Securè in eum credamus, & nos ipſos illi quoque committamus, cui nec poteſtas deeſt ſaluandi nos, cum ſit verus DEVS DEIQVE Filius, nec bona voluntas, cùm ſit tanquàm vnus ex nobis, velut homo & hominis Filius. Atque hactenus ex Bernardi ſententia: verùm ea quæ ſequentur, hoc ipſum Euangelium pluribus explanabunt.

PRECANDVS *mihi Deus pro cæcis Gentibus vera fidei luce adhuc carentibus, vt Chriſti Domini humilitate, paupertate & cruce non offendantur, ſed inſtar Magorum diuinitus illuſtrentur, ac ad gratiam Euangelicam vocatæ, Chriſti Redemtoris regnum cupidè amplectantur, nec diutiùs in tenebris perſeuerent, ne alioquin cum ipſo tenebrarum principe pereant in ſempiternum.* Qui enim non crediderit, condemnabitur. Marc 16.

ORABO *etiam pro principibus Catholicis, vt ſe nouo æternoq́ regi nato vnà cum Magis ſubijciant, eosq́ Chriſti amicos gratis animis imitentur, quos prædixit Iſaias fore Eccleſiæ nutritios & Reginas nutrices, hoc eſt, vt ſerij ſint fautores ac promotores orthodoxæ religionis, qui temporarijs præſidijs communem Chriſti & Eccleſiæ cauſam pro ſua virili foueant, proueهant ac tueantur.* Iſai. 49.

SED *& meis precibus Domino commendabo eos, qui in Catholica fide vacillant, vel ab illa prorſus exciderunt, ad quaſcunq́ tandem ſectas prolapſi ſint. Dolebo ſimul vicem omnium in fide errantium, & ſaniorem illis mentem à Deo precabor, vt recipiant veram fidei lucem in Eccleſia orthodoxa vſque lucentem, ſine qua cæleſtis gloriæ lucem nullus adſpexerit.*

Quarè

Lib. 1 cap. 3. & lib. 3 cap. 40. *Quare ſcribit Irenæus: Sicut Sol creatura Dei in vniuerſo mundo, ſic & vna doctrina & prædicatio veritatis vbiq; debet lucere, & homines omnes illuminare, qui ad cognitionē veritatis volunt venire.*] *Et rurſus: Vbi Eccleſia, ibi & ſpiritus Dei, ibi & omnis gratia: ſpiritus autem veritas.*]

DEMVM *precabor pro futuris hoc anno peregrinationibus Catholicorum, præſertim quæ religionis ergô inſtituentur, vt ſucceſſus & exitus lætos habeant. Nam & Magi ad Chriſtum profecti in Bethlehem, non ſolùm ab Herodianis inſidijs manſerunt illæſi, ſed etiam iter proſperum, lætumq; reditum ſunt conſequuti, quoniam diuinis monitis paruêrunt.*

NOTAE MEDITATIONVM OCTAVIS EPIPHANIAE DIEBVS CONGRVENTES.

I.

Vidimus ſtellam eius in Oriente.

FESTVM Epiphaniæ, quod inde ab initio Eccleſiæ ſolenniter celebratum, atq; à Chriſtianis vbique Gentium ſedulò ſemper obſeruatum fuit, his octo diebus mihi valde commendatum habebo. Meminero diuinæ apparitionis, à qua nomen etiam Epiphaniorum dicitur, Num. 24. quandoquidem ſtella noua diu antè promiſſa, & inſigni claritate decorata, non ſine certo diuinæ potentiæ miraculo & bono Eccleſiæ publico, ſe viſendum Gentibus, quantumuis à Deo Deiq; regno alienis, præbuit. Igitur agnoſcam & prædicabo ſummam ſummi Dei clementiam, qua factum fuit, vt veterum Prophetarū oracula de futura conuerſione innume-

rabilium

bilium gentium, ne in ſuis tenebris interirent, per Meſſiæ præſentiam complerentur. Nam Iacob Patriarcha non modò dixerat: *Salutare tuum expectabo Domine*, ſed ſuis etiam filijs eiuſdem Meſſiæ nati hoc ſignum oſtenderat, quod gentium foret expectatio: ſicut & Aggæus prædixerat: *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Tum Iſaias Patrem inducit cœleſtem ad Chriſtum Filium ita loquentem: *Parum eſt vt ſis mihi dux ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſraël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremum terræ.* Sed & alibi de hoc ipſo Meſſia promittitur fore, vt ad illum fortitudo gentium veniat, omneſq; de Saba aurum & myrrham offerant, laudem Domino annunciantes. Quoniam verò ex his conuerſis ad Chriſtum Gentibus, mei fuêre maiores, totque in Oriente & Occidente prouinciæ Chriſtianæ parem cum Magis fidem amplexæ & profeſſæ ſunt: immortales Chriſto regi agam gratias, & maximum hoc eius miraculum venerabor, quo ille paruulus natalitia & incunabula ſua vocatis ad ſe Gentibus illuſtrauit. Tunc ille pauper & diues, humilis & ſublimis fuit, portatus vt paruulus, & adoratus vt DEVS, vilis in pannis, & pretioſus in ſtellis, cuius natiuitate comperta Herodes turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo, vt Fulgentium ducem ſequar. Atque hic ipſe Rex Iudæorum erat, ad quem properantes Magi, de quibus hoc feſtum & Euangelium admonet, totius ethnici populi nondum conuerſi geſsêre typum, & quaſi præluſerunt fore, vt ſtellarum cœlique author iam homo factus mirificum diuinumq; fidei ſplendorem longè lateq; diffunderet, ſeq; ipſum vti ſolem iuſtitiæ & lucis authorem, cæcis ac impijs idololatris nouo modo manifeſtaret. Ita demùm ſtella ex Iacob apparuit, quam ſuo tempore orituram prædixerat Balaam, ſicut Origenes locum interpretatur, cùm ita pronunciaret: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab.* Nec obſcurum eſt illud Zachariæ dictum: *Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem.* Quæ res à Patre Ioannis Baptiſtæ confirmatur, cùm Deum

Genes. 49. Agg. 2. Iſai. 49. Iſai. 60. In Serm. de Epiphan. Num. 24. Homel. 13. in cap. 22. Numer. Zach. 3.

Luc. 1. laudans loquitur: *Viſitauit nos Oriens ex alto*, nimirùm ad illuminandos non Iudæos modò, ſed etiam ethnicos ſedentes in tenebris & vmbra mortis, vt pedes eorum in viam pacis dirigantur.

Proinde Magis gratulabor, qui cùm procul à fidei luce diſtarent, & impietatis tenebris impediti, meriſq; idololatriæ ſordibus aſſueſacti degerent, tamèn ſine humano ſtudio, conſilio ac præſidio tantam lucem aſpiciunt, & apertis fidei oculis Deum in carne contemplantur, & contemplando religioſè venerantur. Adhæc omnibus hoſce duces inſequentibus Gentibus ex animo congaudebo, quibus Euangelicæ veritatis ſplendor apparuit, poſtquàm Chriſtus ipſe per paucos diſcipulos lucis fideiq; ſuæ radium ad extremos vſque mundi fines diffudit, eisq; efficaciter impertiuit. Nihil ſanè illis Gentibus & populis in Oriente & Occidente videri poterat infœlicius, qui Euangelij luce nondum accepta, omnibus flagitiorum generibus obruti, ſuperſtitionibus maximis dementati, ac diabolicis cultibus prorſus deditì, in denſis tenebris ipſi tenebrarum principi ſeruiebant.
Ioan. 8. Sed ô me fœlicem, ſi tantus theſaurus & mundi lux Chri-
Iſai. 42. ſtus mihi cœco contingat iuxta promiſſum illud: *Dedi te in fœdus populi & Gentium, vt aperias oculos cæcorum.* Sic enim
Mich. 7. lætè cum Propheta dixero: *Quia cecidi conſurgam, cùm ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt.* Hanc lucem non modò videre, ſed & cum Magis retinere, & illa duce in via ſalutis
Iſai. 60. & 2. ambulare contendam, quia ſcriptum eſt: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo*, quarum vox illa propria eſt: *Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Dei noſtri. Si autem dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur*, inquit Ioannes, *& veritatem non facimus. Si autem*
1. Ioan. 1. *in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad*
Matth. 5. *inuicem.* Vnde Chriſtus apertè mandat, lucem vitamq; noſtram ita lucere coram hominibus, vt videant & alij opera noſtra, & glorificent Patrem. Igitur vnà cùm Magis ex filijs lucis eſſe contendam, & in illa perſiſtam Eccleſia, quæ certa

&

& ſalutari fidei luce nunquam caret, & in quam hoc Propheticum competit elogium: *Venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt*, ſicut & illa ſententia promiſſum fuerat: *Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Iſai. 60.

II.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?

HAEC interrogatio Magorum eſt verè ſapientum, quos & Reges & Principes facit ſagax antiquitas, quoſq; non modò Germani, qui ſacra illorum corpora in hunc vſque diem Coloniæ reuerenter aſſeruant, verùm etiam pij omnes tantò iuſtius celebrant ac venerantur, quantò maiorem illis gratiam contulit DEVS, vt primi ex omni Gentium multitudine natum in orbe Meſſiam agnoſcerent, & Hieroſolymitanis prædicarent. Vt enim Leonis magni verbis vtar, conſummant Magi deſiderium ſuum, & ad puerum Dominum IESVM Chriſtum ſtella præeunte perueniunt: adorant in carne verbum, in infanti ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maieſtatis: atq; vt ſacramentum fidei ſuæ intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur.] Quis verò non miretur obſecro, viros in ethniciſmo natos & educatos, atque ab omni pietate hactenus alienos, tantam fidei ſimplicitatem, & confeſſionis ingenuitatem adferre atque præſtare potuiſſe? Etenim nouæ & inſolitæ ſtellæ adſpectu contenti, quæ in ipſorum regione primùm eluxerat, difficile iter aggrediuntur, ignoti ad ignotos accedunt, magna locorum interualla emetiuntur, nec ſine ſumtibus & moleſtijs varijs media hyeme proficiſcuntur. Tanta erat videndi, immò & adorandi noui Regis cupiditas, quem & Iudæorum proprium regem, neq; hominem tantũ. In ſerm. de feſto Epiphan.

ſed Deum

DEVM ipſum adoratione dignum firmiſſimè ſtatuunt, adeòq; Hieroſolymis, priuſquàm rogentur, non ſine vitæ periculo audent publicè profiteri. Nihil enim minùs ferre poterat tyrannus Herodes qui tunc Iudęis dominabatur, quam ſe regnante, ſucceſſorem ac hæredem vllum præter ſuos filios agnoſci, & in tali vrbe Romanis inſcijs palàm proclamari. Prætereà Hieroſolymis illi non obſcurè animaduerterunt, quæ conceptam ipſorum de nato puero rege opinionem ac fidem ſi non prorſus extinguere, at certè languidiorem reddere, ipſorumque animos, præſertim ob Herodem & Iudæos impiè viuentes, nihilque de nato Meſſia ſollicitos, iure labefactare potuiſſent. Acceſſit & illud incommodum, quod rutilante ſtella, vnico velut duce atq; ſolatio, ad tempus deſtituantur, & ſic apud ignotos ignoti, planeq; inter ſpem ac metum ſuſpenſi hærere cogantur. Quid verò in Bethlehem demùm reperiunt? nihil quidem auguſtum ac regium, ſed ſordidum ſtabulum, durum præſepe, viles pannos, vagientem puerum, matrem inopem, abiecta demùm omnia. Nec tamen tot laborum & ſumptuum eos pœnitet, non ringuntur & conqueruntur, ſed de reſtituta ſtella, deq; inuento tandem puero gaudent plurimum, ſibiq; magnoperè gratulantur. Sic enim illorum animos illuſtrat, confirmat, occupat viua fides, vt ſe continere non poſſent, quin conſpectum puerulum, vt ampliſſimum theſaurum, maximi facerent, & intimis animi ſenſibus complecterentur, immò & humi procidentes adorarent, ac præclaris muneribus omnium gentium nomine venerarentur.

Matth. 8. Luc 17. Matth. 15. AN igitur me non meritò pudeat, fidem in Magis, in Centurione, in Samaritano, in Cananæa ita fulgentem, operoſam, viuidam, in me ſæpenumerò flacceſcentem, frigidam, dormientem, ac otioſam cernere? fidem inquam, tot modis confirmatam, toto iam in orbe tot ætatibus coruſcantem, cuius Magi tantùm erant candidati, primiq; cultores. 1. Cor. 13. *Si enim habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et ſi tradidero cor-*

pus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt, ſi Paulo Apoſtolo credimus. Quarè cum Chriſti diſcipulis precari non deſinam: *Domine adauge nobis fidem*, quæ nempè per charitatem operetur; & Apoſtolicam obſeruabo doctrinam, quæ iubet, vt in fide fortes, Sathanę reſiſtamus, atque in omnibus ſumamus ſcutum fidei ad tela nequiſſimi ignea extinguenda. *Hæc enim eſt victoria qua vincit mundum, fides noſtra, cuius fidei probatio multò pretioſior eſt auro, quod per ignem probatur*, ſicut Apoſtoli tradiderunt.

Luc. 17. Gal. 5. 1. Petr. 5. Epheſ. 6. 1. Ioh. 5. 1. Petr. 1.

III.

At illi dixerunt, In Bethlehem Iuda.

ETSI multis in rebus Herodes, vtpotè ambitioſus, hypocrita, crudelis ac impius peccat, & grauiter accuſari debet: tamen in eo rectè ſentit, quod ſicut princeps laicus, de cauſa fidei & religionis iudicium non ſibi velit ſumere, ſed illud ſacerdotibus Hieroſolymitanis à Deo conſtitutis offerat atq; permittat integrum. Nam diuino quidem oraculo ſancitum erat, vt ſicubi ſacris de rebus dubitatio aut controuerſia incidiſſet, ad ſacerdotes Leuitici generis, potiſſimum autem ad ſummum ſacerdotem omne iudicium referretur, eiq; parerent vniuerſi. Vnde ſcriptum & illud legimus: *Interroga ſacerdotes legem*. Ac iterum: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Laudandi ſunt præterea in eo ſacerdotes, quòd ab Herode interrogati, ſuas conferunt ſententias, & poſt collationem conſentienter ad quæſtionem propoſitam è Dei verbo reſpondeant, ita vt quiuis intelligat, propriam Meſſiæ patriam eſſe Bethlehem Iuda. Cæterùm iidem reprehendi merentur, quòd Magis benè, ſibi verò malè conſulant, quodque profeſsione legis & auctoritate docendi non ad ſalutis ſuæ profectum, ſed ad maiorem potiùs damnationem abutantur. Adhæc turpiter

Deuter. 17. Agg. 2. Malach. 2.

faciunt, quod ad Chriſtum quærendum, nec Magorum quidem ſeu ethnicorum præcedentium veſtigia proſequi, nec vllam de Meſſia quærendo curam ſuſcipere ac ſuſtinere dignātur, Herodis interim partibus dediti, qui & propter Magorum aduentum non gauiſi, ſed turbati fuerunt.

CAETERVM quoniam in peſſimis quædam virtutes elucent, non grauabor ab Herode Tyranno diſcere, vt paſtoribus & doctoribus, præſertim in cathedra ſedentibus, & conſentienter idem affirmantibus, permultum deferam, eorumque authoritati in fide & religione iudicanda ſubſcribam, nec minùs eorundem decretis ac legibus pareain, quorum inſuper doctrinam amplectendam, vitam verò mihi non reſpiciendam putabo. Ita enim ſacerdotum princeps & vindex Chriſtus edixit: *Omnia quæcunque dixerint vobis,* (ſupra cathedram ſedentes) *ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.* Ac iterum: *Qui recipit vos, me recipit. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Vnde Apoſto-
2 lorum diſcipulus Irenæus illud quoque ſcripſit: Eis qui in Eccleſia ſunt presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione, chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos & ſibi placentes.] Præterea horum veterum ſacerdotum qui arrogantiſſimi erant, periculo fiam cautior, vt de qualicunque cognitionis & doctrinæ & virtutis dono accepto non mihi placeam, nec ſtultè glorier, vulgique fauorem & applauſum captem, ſed potiùs DEI iudicium mihi timendum arbitrer, ſi præceptum negligam Apoſtolicum, quo ſancitum eſt: *Vnusquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Nec temerè ſuis iniunxit Chriſtus: *Videte & cauete à fermento Phariſæorum & fermento Herodis.*

Certè ſcientia, ſi charitate deſtituatur, inflat, & qui docuerit, ac non fecerit, in regno cœlorum minimus reputabitur, meritoque à Paulo audiet: *Qui alium doces, teipſum non doces? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. Cor. 8. Matth. 5. Rom. 2. 1. Cor. 4.

IV.

Cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

CHRISTVS vix natus erat in Bethlehem, & ecce mox contra illum furibundus inſurgit Herodes, & inſani Hieroſolymitani tumultuantur, doctique in ſchola ſcribæ diſceptant, immò & complures puerum hunc Matth. 2.
poſteà perditum & extinctum videre cupiunt, illumque in exilium profugere cogunt. Ita Matthæus, Zachæus & Mag Matth. 9.
dalena ſuum in colenda pœnitentia ſtudium vix inchoâ- Luc. 19.
rant, & ecce tibi tot æmuli, obtrectantes & calumniantes Luc. 7.
irruunt, Chriſtumque ipſum vnà cum ſuis diſcipulis accuſare minimè reformidant. Adeò vera eſt Apoſtoli ſententia: 2. Tim. 3.
Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, *perſequutionem patientur.* Quocirca & ſeniori Tobiæ vſu venit, vt à domeſticis & amicis amarulentè perſtringeretur, dignus qui & ab Angelo perciperet: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.* Tob. 12.
Cur ergo mirer aut moleſtè feram, me ac alios meliores aliquando malè tractari, & præter meritum haberi ludibrio, bonosque ab improbis vituperari & exagitari? quando Chriſtus & præcipui eius amici, vt Prophetæ & Apoſtoli, impijs contemtoribus & immanibus perſequutoribus non caruerunt. Immò verò ſi ſancti hominibus placuiſſent, tàm excellentes CHRISTI ſerui & eximia Eccleſiæ lumina nunquam exiſtere potuiſſent.

Mihi verò perſuaſiſsimum erit, a malis vituperari nihil eſſe
aliud, niſi verè laudari. regium verò ac glorioſum, ſi malè
audiam cum fecerim benè. Ita enim docet princeps Apo-
1. Pet. 2. ſtolorum: *Hæc eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet
quis triſtitiæ patiens iniuſtè.* Ac iterum: *Si benè facientes pa-
tienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim voca-
ti eſtis.*

INTERIM en tibi Herodem verſipellem, vulpem, hy-
pocritam, ex fraudibus conflatum, fallacem atque menda-
cem, vt qui falſum adorationis obſequiũ nato puero Chri-
ſto ſpondet, cui non multò pòſt crudeliſsimus infanticida,
ſi potuiſſet, ſicut alijs Bethlehemiticis pueris, necem inten-
taſſet. Quam verò multos Herodianos habet ſemper Eccle-
ſia, in ſpecie quidem Chriſtum honorantes, immò & ſæpè
adorantes, ſed vita ac moribus perſequentes, quin etiam ite-
rum crucifigentes. Sunt enim ex eorum numero, de qui-
2. Tim. 3. bus Apoſtolus dixit: *Voluptatum amatores magis quàm Dei,
habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abne-
Geneſ. 6. gantes.* Præcepit Dominus Noë, vt arcam intus & extra lini-
ret bitumine, eoque præcepto iuxta Origenem indicauit, ne
de hypocritarum numero ſimus, quos Chriſtus dealbatis
Matth. 23. ſepulcris comparauit, quæ extra quidem nitida, intus au-
tem plena ſunt oſsibus mortuorum. Vult enim nos & men-
1. Tim. 3. te & corpore ſanctos eſſe, qui myſterium fidei in conſcien-
1. Pet 3. tia pura cuſtodiant, Chriſtumque Dominum ſanctificent in
cordibus ſuis. Tantoque magis ego mihi Magos imitandos
Matth. 10. proponam, qui columbina ſimplicitate & ſimul prudentia
ſerpentina præditi, cum hac vulpe verſantur, ſibique à do-
lis atque inſidijs Herodianis, ne lædantur, proſpiciunt, in
ſuo quidem inſtituto vt ad Chriſtum perueniant, conſtan-
ter progredientes. Nec diu hærent apud Herodem, vt nos
etiam doceant ex medio Babylonis fugere, ſi propriam ſa-
Hierem. 51. lutem amamus, quemadmodum Hieremias hortatur, &
modò puri eſſe velimus, à pice abſtinere, quando ita ſcriptũ
Eccleſ. 13. eſt: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communi-*

caucrit ſuperbo, induet ſuperbiam: cùm & modicum fermentum totam maſſam corrumpat, Apoſtolo teſte. Diſpiciam interim ſedulò, an aliquid ego cum Herode & peſtilenti eius familia commune habeam, vt certè habent omnes, qui contra Petri Apoſtoli præceptum, non deponunt omnem malitiam, & omnem dolum & ſimulationes, inuidiaſque. Erant vtiqne Herodiani, qui vt Chriſtum in ſermone caperent, Phariſæis inuidis adhærebant, digni quos illa Chriſti etiam cenſura percuteret: *Quid me tentatis hypocritæ?* Ac vetus ille mos eſt omnium vel ambitionis, vel inuidiæ morbo laborantium, vt bonorum virtutibus libenter obtrectent, ac virulentè illorum conatus deprauare contendant. *Ambulans enim recto itinere & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur via*, ſicut Salomon aſſerit. Mihi verò cauebo à fictis amicis, eorumque fraudulentia: tùm & alios monebo, vt planè fugiant non ſolùm Herodis, ſed & Satanæ prorſus nefarios ſatellites, qui Chriſtum in paruulis extinguere, & inſtar Pharaonis pueros Iſraëlis perdere haudquaquam verentur. Vnde Bernardus præclarè ita loquitur: Herodiana malitia & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extinguere religionem, & allidere paruulos Iſraëlis. Si quid enim ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur, quicunque reſiſtit, quicunque repugnat, planè cum Aegyptijs paruulos Iſraëlitici germinis necare conatur, immò cum Herode naſcentem perſequitur Saluatorem.] Quò magis mihi commendatum erit, quod Salomon ſcripſit: *Qui decipit iuſtos in via mala, in introitu ſuo corruet, & ſimplices bona eius poſſidebunt*: quodque Paulus tradidit: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum*: videlicet in paruulis habitantem, eosque vt Ioannem Baptiſtam & Epiſcopum Nicolaum, ſæpè in benedictionibus præuenientem, nec rarò ad perfectiora pietatis officia inde à pueritia vocantem atq; manuducentem. Væ autem illis, qui vnum de puſillis in me credentibus ſcandalizauerit, vt Chriſtus ipſe pronuntiat.

1. Cor. 5.
1. Pet. 2.
Matth. 22.
Prouer. 14.
Serm. 3. de Epiphan.
Exod 1.
Pſal. 136.
Prouer. 28.
Epheſ. 4.
Matth. 18.

V.

Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.

LAVDANDI ſunt vtique Magi in Chriſto quærendo tàm ſeduli atque inde eſſi, vt etiam fido duce ſtella deſtituti, cœptum iter non deſerant, ſed perinde agant, ac ſi ſtellam eandem ob oculos præſentem vſque cernerent. Vnde hoc etiam commodi retulerunt, vt cùm poſteà illos reuiſeret ſtella, pleniore lætitia & voluptate oculos animoſque complerent. Hinc mihi diſcendum eſt, ſpirituales interioreſque conſolationes, perinde ac lac & mel, dulceque vinum, cùm ſuppetunt, non aſpernari quidem nec abijcere, ſed eis moderatè & cum prudentia vti oportere. Nam eiuſmodi dulces eſcæ quibus teneriores ac molliores filios recreat DEVS, multis vtiliter ad tempus ſubtrahuntur, vt hinc Propheta teſtetur: *Quem docebit* (DEVS) *ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lact., auulſos ab huberibus*, hoc eſt, à carnis voluptatibus ſeparatos. Eſt quidem ſeruire DEO regnare, vt dici ſolet: ſed huius regni opes, ſolatia & oblectamenta, quæ & breui tempore communicantur electis, diu ac multùm experiri, non ita multis confert, ſed illud potius, vt afflicti & ſub cruce gementes dicant: *Cibabis nos pane lacrimarum, & potum dabis nobis in lacrimis in menſura. Potaſti nos vino compunctionis. Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro.* Quarè Chriſtus ad crucem ſuos vocauit, eiſque calicem bibendum propoſuit, ſimul inhortans, vt in mundo preſſuram potiùs quàm conſolationem exſpectent, quia ſeruus non ſit maior Domino ſuo. Nam & Salomoni regi malè ceſſit, quod in pace & voluptate omniqúe proſperitate DEO ſeruiret. Hinc enim liberior, immò idololatra factus, amiſit bona ſpiritus, quæ rex Manaſſes, quamlibet impius,

pius, in rebus triſtibus & afflictis recuperauit, cùm vexatio daret illi intellectum; & afflictus rediret ad Dominum percutientem. Bonus enim Dominus & confortans in die tribulationis]Quid quod nonnulli de Magis aſſerũt, eos quoniam humanum flagitarunt conſilium, diuinum amiſiſſe ducatum, & conuerſos ad terrenum documentum, ſignum cœleſte deſeruiſſe? Verè Apoſtolus tradidit: *Omnis diſciplina in præſenti quidem non eſt gaudij, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Rogabo igitur ex animo, vt in via DEI boniſque cœptis conſtantem & infractum habeam animum, ſicut ille qui bona dixit conſcientia: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.*

Iſai. 28. Naum. 1.

Hebr. 12.

Gal. 6. 2. Corint. 12.

VI.

Et procidentes adorauerunt eum.

MIRANDA iſthæc Magorum ſapientia, qui ſi anteà vnquàm, nunc vel maximè ſublimia ſpeculantur ac demirantur, omniq; faſtu poſito ad ſtabulum Bethlehemiticum, locum ſanè vilẽ & ſordidum, non grauatim ſeſe demittunt. Maius illud eſt, quòd in ſumma etiam paupertate ſummas inuenire diuitias norunt, & poſt exactos longæ peregrinationis labores, in vno Chriſto ſpectando & complectendo ſe abundè recreant, ſuoſque animos plus quàm dici poteſt explent, ac demum diuino ſpiritu illuſtrati, conditorem & redemtorem ſuum, licet paruulum Chriſtum honorant & prædicant. Niſi enim ſeipſos plenè cognoſcerent, non ſe adeò deijcerent, totoque corpore humi proſternerent, indignitatis propriæ & peccatorum ſuorum vtique conſcij, ac proinde vitiorum omnium veniam haud dubiè precati ſimul & conſequuti. Niſi prætereà puerum apertis fidei oculis contemplarentur, diuinum

diuinum cultum adoratione ſupplici non exhiberent, cumque puerum vti mortalem hominem, & natum Regem, ſimulque Deum æternum ſuis muneribus non tàm ſcitè proteſtarentur. Quarè, ſi ſapio, cum Magorum ſpiritum mihi petam obtingere, vt cuncta quæ contemtibilia & mundo abiecta videntur, atque cum paupertate & cruce coniuncta ſunt, ea propter Chriſtum vt patienter, ita quoque libenter amplectar. Norunt quidem multi Chriſti Redemtorem confiteri, adorare, extollere: ſed paucorum eſt vnà cum Magis ita Chriſtum quærere, vt illum vnicum viæ ac peregrinationis ſuæ ſcopum ſpectent, & cum ſui deſpicientia & odio quæſitum toto pectore celant, & Herodianis immò Satanicis inſidiis appetiti, perfectè reuereantur. Vtrumque igitur diſcam à Magis, vt coràm tanto Rege Regum procidam ſupplex, cumque adorem in ſpiritu & veritate. Sic enim egit & leproſus ille Samaritanus, qui ſupplex Liberatori ſuo factus, & actis illi gratijs hoc meruit elogium: *Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.*

CAETERVM quod hi Magi nobilitate generis & opibus inſignes, fecerunt iniuſſi, vt procidentes puerum IESVM adorarent, id ego tantò magis mihi & Catholicis omnibus faciundum putabo, quantò plura iam nouimus Dei oracula & præcepta de adorando Meſſia nobis propoſita eſſe ac promulgata. Ex his illa ſunt: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi. Adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ Gentium. Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt.* Quod ſi poſt hoſce Magos tot tantique Reges & principes, ac innumeræ Gentes Chriſtum Dominum cùm alibi, tùm in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento præſentem adorârunt, & ei præcipuum latriæ cultum, qui vero DEO debetur, tot ſeculis exhibuerunt: ſi prætereà ſancti Angeli & cœlites innumerabiles, quos Ioannes in Apocalypſi deſcribit, in conſpectu Agni procidentes adorare non ceſſant,

quis

quis obſecro niſi profanus & impius, hunc honorem ſuo neget ac adimat Redemtori: in cuius nomine ſummo iure flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum? Quamobrem Auguſtinus cùm illam Prophetæ ſententiam interpretatur, *Adorate ſcabellum pedum eius*, diſertè ſcribit: Nemo carnem illam Chriſti manducat, niſi prius adorauerit. Vbi meipſum reprehendam, quod Magorum exemplo neglecto, non magis me deijciam, & ad Chriſtum Chriſtique corpus adorandum ſæpè non accedam religioſiùs, vt illi præcepto ſatisfaciam: *Dominum Deum tuum adorabis:* ſicut & illi: *Venite, adoremus & procidamus, & ploremus coràm Domino. Veri enim adoratores adorabunt in ſpiritu & veritate.* Certè Chryſoſtomus hos Magos ita depingit, vt eorum exemplum fidelibus omnibus in ſacra Liturgia obſeruandum proponat atque commendet, inter cætera ſic diſſerens: Hoc Chriſti corpus in præſepi reueriti ſunt Magi longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo illud adorantes. Imitemur igitur ſaltem barbaros nos, qui cœlorum ciues ſumus. Tu verò non in præſepe id, ſed in altari: non mulierem quæ in vlnis teneat, ſed ſacerdotem præſentem, & ſpiritum perabundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides. Sic ille.

Philip. 2.
Pſal. 98.
Matth. 4.
Deuter. 6.
Pſal. 91.
Ioan. 4.
Homel. 24. in prioré epiſt. ad Corinth.

VII.

Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

NOTABO cum Nicephoro, quod cùm primùm ad Chriſtum ingrederentur Magi, illum ipſum vnà & matrem conſpexerint, in obſcura, humili & paupere caſa viuentes, & in rebus omnibus ad ſummam parſimoniam & frugalitatem nihil reliqui facientes. Qui Ma-

Lib. 1. hiſt. cap. 13.

gi certè plus veræ philoſophiæ in Bethlehemitico ſtabulo cognouerunt, ſuiſq; muneribus liberaliter Chriſto oblatis teſtati ſunt, quàm omnes omnium Iudæorum ac Ethnicorum familiæ in ſuis ſynagogis & ſcholis tot ſeculis vel docere, vel diſcere potuerunt. Quid enim illis ad maximam Chriſti cognitionem defuit, qui, vt Sedulius canit:

In carmine Paſchali.

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre ſepulchro.

Sermone de Epiphan.

FVLGENTIVS eadem munera ſic fuſiùs explicat: Per iſta tria munerum genera in vno eodemque Chriſto & diuina maieſtas, & regia poteſtas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad ſacrificium, aurum ad tributum, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc ſancta fides Chriſto veraciter offerre non deſinit: dum vnum eundemque verum DEVM, verum regem, verumque hominem credit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoſcat.] Implent igitur hi Magi vaticinium Iſaiæ, qui de eiuſmodi muneribus nato Meſſiæ per Gentes offerendis prædixerat, ac ſe inſignis fidei ſplendore illuſtratos oſtendunt, qualem non inuenias apud Iſraëlitas. Etenim auro ipſo confitentur, hunc quem adorant puerum, verum eſſe regem in Iſraël, de quo Balaam vaticinatus eſſet, tamq; multa & præclara in Propheticis litteris promitterentur. Thure autem proteſtantur, eundem puerum incomparabilem ſacerdotem & mediatorem à DEO miſſum exiſtere, per quem hic mundus DEO reconciliaretur. Myrrha demùm oblata ſignificant, hunc DEI filium, etiam Mariæ filium ac hominem eſſe moriturum, licet is corruptionem nullam ex morte ſenſurus, atque à morte ipſa reſurrecturus, & per æterna ſecula victurus atque regnaturus eſſet. Rectè igitur & Leo magnus pronuntiat: Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi, ſcienter humanam diuinamque naturam in vnitate venerantes.]

Iſai. 60.

Num. 24.

Serm. 1. in Epiphan. Domini.

Atque

ATQVE hoc primum eſt quod mihi cum hiſce Magis, vtique ſapientiſſimis philoſophis, debet eſſe commune, vt Chriſtum hominem ac DEVM verè cognoſcam, & cognitum adorem, palamque per omnem vitam confitear. Proximum eſt, vt eundem ſelectis gratiſque muneribus reuerenter colam, & ſingulari honore proſequar, quia ſcriptum & irreuocabiliter mandatum eſt: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera.* Psal. 75. Ac rurſus diuinum intonat oraculum: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Exod. 23. Etſi verò Chriſtus aurum, thus & myrrham à me non exigit, illud tamen quod hiſce Magorum muneribus myſticè ſignificatum eſt, à fidelibus per omnes ætates Eccleſiæ, vult bona fide perſolui. Exigit, inquam, odoriferum thus deuotæ orationis, & cum eo coniunctum ſacrificium quotidianæ laudis, iuxta illud: *Immola Deo ſacrificium laudis.* Psal. 49. Exigit myrrham, offerenti quidem amaram, ſed DEO cui offertur acceptam ac ſuauem, hoc eſt, carnis & cupiditatum mortificationem, vt ratio appetitum, & ſpiritus carnem ſubigat atque moderetur, egoque & corpore & animo ſim circumciſus, & cum Nathanaële inueniar verus Iſraëlita. Ioan. 1. Exigit demùm, ac inprimis offerri ſibi poſtulat pretioſum charitatis aurum, fidumque fraternæ dilectionis officium, in eos maximè collatum, qui mea opera, induſtria, conſilio aut labore ſubleuari poſſunt. Etenim vt in Marco legimus: *Diligere Deum ex toto corde, & proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs.* Marc. 12.

SED væ miſero mihi, qui contra Domini præceptum Exod. 23. in conſpectu eius toties vacuus appareo, aut oblationes, ſi non ſordidas & pollutas, at certè quidem non medullatas & pingues, ſed aridas potiùs & ſiccas profero. Quid autem Propheta? *Holocauſta*, inquit, *medullata offeram tibi*, Psal. 65 quæ nimirùm ſanctæ charitatis pinguedine condiuntur. Atque huc ſpectat, quod præclarè à Bernardo traditur: Duas alas habeat oratio noſtra, contemtum mundi & af- Serm. 3. de Epiphan.

flictionem

afflictionem carnis: nec dubium, quin cœlos penetret, & dirigatur ſicut incenſum in conſpectu Dei. Erit enim gratum ſacrificium & acceptabilis oblatio noſtra, in qua cum auro & thure fuerit etiam & myrrha, quæ licet amara ſit, tamen perutilis eſt, & conſeruat corpus, quod mortuum eſt propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat] Quapropter eò mihi connitendum erit, vt oblationes, preces & actiones meas ex viua fide, ſpe & charitate profectas, DEO ſummo comprobem, vtque ab Herodianis, immò Satanicis inſidijs tutus, per meliorem viam in patriam regrediar, quemadmodum & Magi in ſuam regionem per viam aliam regreſſi eſſe ſcribuntur. Id quod Cyprianus ad ſenſum myſticum eleganter ita refert: Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur: quia neceſſe eſt, vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſunt ad ſalutem, deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per arctas verò & difficiles reditur ad ſuperos. Propter verba labiorum DEI religioſus quiſque vias duras ingreditur, & iugulator voluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus aggreditur. Arcta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere. Scopuloſæ ſunt ſemitæ; ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur] O me fœlicem, ſi per aliam viam & ego ad cœleſtem patriam properem, ac vnà cum Magis eò perueniam, vbi verum DEI Filium non in complexu matris poſitum, cruciq́ue & morti obnoxium, ſed in ſinu & dextera æterni patris fœliciſſimè triumfantem, ac electos qui vota ſua illi reddunt fideliter, liberaliſſimè remunerantem videam, & cum ſummo gaudio apprehendam. *Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et ſicut Ioannes affirmat: *Scimus, quoniam cum apparuerit Chriſtus, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Pſal. 140.

Serm. de ſtella & Magis.

Rom. 10.

. Cor. 13.

. Ioan. 3.

Immo

immò Deus ipſe diſertè promittit: *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* 1 Reg. 2. Geneſ. 15.

VIII.

De Chriſti baptiſmo meditanda.

QVONIAM ex veteris Eccleſiæ traditione conſtat, Chriſtum eodem die, licet non eodem anno, à Magis in Bethlehem honoratum, & à Ioanne in Iordane baptizatum fuiſſe, & quia de Chriſti baptiſmo Euangelium octauo feſti huius die in templo recitatur, erit ſanè operæpretium, vt ego de eodem baptiſmo mihi refricem memoriam, tantiq; myſterij, per quod in Chriſto renatus primumq; illuminatus ſum, minimè obliuiſcar. *Quicunq; enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis,* ait Apoſtolus. Ac iiſdem baptizatis gratulans inquit: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Sicut & Petrus affirmat baptiſma ſaluos facere. Vbi ego primùm quidem Redemtori, qui ſolus baptizat in Spiritu ſancto, tùm meo, tùm ſanctorum omnium nomine gratias agam, quòd cùm annos ferè triginta natus eſſet, ac Ioannis miniſterio neutiquam indigeret, vtpote Agnus planè immaculatus, vltrò tamen & humiliter baptiſmum ſerui ſuſceperit, ſuique corporis contactu aquas omnes ſanctificans, Chriſtianum baptiſmum initiârit, nobiſque & omnibus in eo abluendis ſalutarem effecerit, nimirùm vt qui baptizantur, ab omnibus vitiorum maculis expurgati, in Dei filios adoptentur, & Spiritum ſanctum accipiant, veræque innocentiæ candida veſte donati, rectà cœlum petere, & Chriſti cohæredes perpetuò eſſe poſsint. De hoc baptiſmo ſic loquitur Cyprianus: Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat, ſed vt ſacramento perennis daretur authoritas, & tanti virtutem operis

Matth. 3. Ioan. 1. Galat. 3. 1. Corin. 6. 1. Pet. 3. Matth. 3. Marc. 1. Ioan. 1. 1. Pet. 1. Ioan. 1. Serm. de baptiſmo Chriſti & manifeſtatione Trinitatis.

operis nulla perſonarum acceptio commendaret; quoniam remiſſio peccatorum ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet.] Deinde quoniam
1. Petr. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, ſæpè mihi proponam hoc præclarum raræ humilitatis exemplum, nempè ſummum Dei Filium, qui purgationem fe-
Hebr. 1. cit peccatorum, inter facinoroſos & abiectos planeque impuros homines, ad Ioannis baptiſmum accedere, ſuas veſtes exuere, nudum apparere, inclinare verticem, baptiſmi beneficium quo nunquam eguit, à ſeruo petere, & cum promiſcuo vulgo Iordanis aqua perfundi. Hinc ego non minùs quàm Ioannes ipſe Baptiſta, incredibilem Agni Dei humilitatem ſuſpiciam, ac eiuſdem Baptiſtæ verba perpendam:
Matth. 3. *Ego à te*, inquit, *debeo baptizari, & tu venis ad me?* quinem-
Ioan. 1. pè dignus non ſum, vt calceamenti tui corrigiam ſoluam. Reſpondit autem illi Dominus: *Sine modò, ſic enim decet nos*
Matth. 3. *implere omnem iuſtitiam*, abſolutam videlicet humilitatem, ſine qua nec ſacroſancta Virgo mater, nec Ioannes Baptiſta plus quàm Propheta, nec Dauid eximiè iuſtus Deo tantoperè placuiſſent. Sunt autem tria quæ radicata, teſte Baſilio magno, nutriunt humilitatem, aſſiduitas nempè ſubiectionis, conſideratio propriæ fragilitatis, & ſui cum alijs melioribus comparatio. Notabo etiam, in hoc omnem impleri iuſtitiam, ſi doctrinam præcedat exemplum, & honore ſe inuicem præueniant qui maiorem & minorem obtinent locum, ita vt qui maior eſt, fiat minor, & præceſſor ſicut mi-
Matth. 20. niſtrator, quemadmodum Chriſtus ipſe primùm fecit, ac
Luc. 22. deinde mandauit. Tanti refert, vt in meo pectore inſculptum ſeruem illud Petri præceptum: *Humiliamini ſub po-*
1. Petr. 5. *tenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* Et quod
Prouerb. 29. à Salomone ſcriptum eſt: *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.*

ADHAEC ſalutariter me monet præſens hiſtoria, vt ſi veram gloriam expetam, mundi gloriam, qua nihil eſt fuga-

ciuſ atque fallacius, omninò contemnam, ac veluti fumum & vmbram fugiam. Etenim Chriſtus huius fucati mundi fauorem, laudem & gloriam præ ſe deſpexit, quum à publico ſe ſubducens, non ſecus ac peccati reus & purgatione indigus, ad Ioannis baptiſmum vnà cum alijs properauit, ſeque prorſus ſubmiſsè geſsit, ac Ioanni miniſterium ſuum detrectanti cedere noluit. Verùm quantò Chriſtus hic ſe deijcit ſtudioſiùs, tantò magis illum Pater mox honorat & exaltat, vt qui voce cœlitùs demiſſa hunc Filium ſibi præ omnibus charum & gratum eſſe teſtatur, illique coram ingenti populo maximam tribuit authoritatem. *Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Neque ſe continet etiam Spiritus ſanctus, quin ſpecie columbæ ſuſcepta illûc aduolet, Chriſtique humilis inſideat capiti, ac verum Meſsiam omni gratia & dignitate refertum orbi declaret atque commendet. Vnde Chriſtus etiam poſteà, vt eiuſdem Spiritus teſtimonio ſuam doctrinam fulciat ac muniat, hæc Iſaiæ verba repetiuit: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me euangelizare pauperibus*, vt cætera prætermittam. Cur ergo caducam huius mundi vanitatem, momentaneumque ſplendorem & faſtum, omnemque mentis elationem & philautiam non reſpuo ac deteſtor? quando Chriſtus corde humilis ſibi nunquam placuit, ac veriſsimè dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Quarè non ſæpiùs Domini & magiſtri mei verbum cogito: *Quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Et quod Ioannes perſpicuè dixit: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum?* Sed & ſingulis diebus Dominicis, quùm ſacerdos populum aqua ſacra ſolet adſpergere, chorusq; cantat Eccleſiaſticus: *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor*, purificationis ac innocentiæ in baptiſmo à Chriſto perceptæ gratam memoriam renouabo, & gemendo precabor,

Matth. 3.

Luc. 4. Iſai. 61.

Matth. 11. Rom. 15. Ioan. 19.

Ioan. 15.

1. Ioan. 2. & 5.

Pſal. 50.

primum illum animæ meæ candorem mihi magis ac magis reſtitui, perinde ac ſi dicam: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Etenim pro hac* (peccati venia) *orabit omnis ſanctus in tempore opportuno.* Neque ad Petrum Apoſtolum ſolummodò, ſed etiam ad me & quemlibet baptizatum illud Chriſti verbum referam: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Et quemadmodum eadem Veritas apertè pronuntiauit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: ita confidenter ego dicere non verebor: Niſi quis regenerationis acceptæ ſpiritum & nitorem conſeruauerit, vel à contracta labe peccati ſe in hac vita non expurgârit, in cœleſtem Hieruſalem non admittetur, vtpote in quam nihil coinquinatum, ſi Ioanni credimus, introibit. Vnde canit etiam Pſalmographus: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Moxq; reſpondet: *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam.*

Pſal. 50. & 31
Ioan. 13.
Ioan. 3.
Apoc. 21.
Pſal. 23.

IX.

De Gentium fidelium ac infidelium vocatione.

FESTVM hoc percelebre, quod magno in pretio Græci & Latini tot ſeculis habuerunt, ac diebus octo in Eccleſia ſolenniter celebrârunt, mihi partim cum gaudio, partim cum luctu tranſigere conuenit. Cum gaudio quidem ob gratioſam vereq; diuinam vocationem, cuius initium à Magis orientalibus factum eſt, cùm Chriſtus infans illos mirabiliter ad ſe ſtella duce perduxit, ſimulque in Euangelica fide illuſtrauit, nimirùm vt ſe verum lucis authorem & iuſtitiæ ſolem, qui omnem hominem tàm gentilem quàm Iudæum ad ſe venientem illuminat, ſecundùm Prophetarum oracula declararet. Cum luctu autem, propter complurium vocatarum credentiumque gen-

Ioan. 1.

tum ingratitudinem, quæ ſi vnquàm antea, nunc vel maximè quidem apparet, quòd ex his complures acceptam Euangelij lucem deſeruerint, vel præter Chriſti fideiq; nomen, cum hiſce Magis & alijs antiquæ fidei principibus, nihil ferè commune habere videantur. Eſt enim piorum omnium receptus ille mos, vt cum Eccleſia lætè hoc tempore glorientur, quòd fidelis DEVS promiſſam Gentibus gratiam liberaliter effuderit, totque indignis, immò & atheis principibus, populis, prouincijs & inſulis fideliter communicârit. Ita enim per Iſaiam pronunciârat: *Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt*, quemadmodum Paulus locum eundem adduxit. Tùm ipſe Meſſias ad ſuam vocandis Gentibus beneuolentiam explicandam hoc prædixerat: *Quæſierunt me, qui ante non interrogabant; inuenerunt, qui non quæſierunt me, dixi, Ecce ego, ecce ego, ad Gentem quæ non inuocabat nomen meum.* Et per Oſeam iterum: *Dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipſe dicet: Deus meus es tu.* Proinde quàmdiu feſti huius octaua durat, genua mea quotidie flectam, & beatiſſimæ Trinitati, à qua lumen omne deſcendit, gratias agam, de gratuita qualiumcunque Gentium vocatione, quæ per omnia mundi climata in Aſia, Aphrica, & Europa clementer hucuſque facta eſt, multiſque ſalutem æternam adduxit. Etenim ſedentibus in tenebris & vmbra mortis tot myriadibus impiorum, quibus nihil præterquàm ira Dei & pœna gehennæ debebatur, tandem Chriſtus Chriſtianæque fidei lumen apparuit, & gloria Domini ſuper illos tàm fœliciter orta eſt, vt in illo lumine DEVM cognouerint, & cognitum annuntiârint, verèque impletum fuerit illud vaticinium: *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur.* Hinc illa turba magna & innumerabilis, quam Ioannes vidit ex omnibus Gẽtibus, & tribubus & populis, & linguis congregatã, eosq; omnes non ſolùm ante thronum & in conſpectu Agni ſtantes aſpexit, ſed etiam Deum ſonora voce laudantes audiuit.

Iſai. 11.
Iſai. 65.
Oſeæ 2.
Iſai. 60.
Apoc. 7.

NEC tacuerunt ſanè diuina oracula, futuros etiam com[illegible] plures ex vocatis Gentibus, qui gratia per Meſſiam acce[illegible]
Rom. 1. fœdè abuterentur, quoniam ſicut Apoſtolus dixit, *cum c[illegible] gnouiſſent eum, non ſicut Deum glorificauerunt, nec gratias [illegible] gerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum [illegible]
Oſeæ 7. *inſipiens cor eorum.* Hos ipſos irati DEI percutit interminatio grauis, qua dicitur: *Væ eis, quoniam receſſerunt a me: va[illegible] ſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me, & ego redemi eos, & ipſi loquuti ſunt contra me mendacia.* Michæas Propheta [illegible]
Mich 4. eoſdem perſtringit: *Ipſi non cogitauerunt cogitationes Domini, & non intellexerunt conſilium eius, quia congregauit eos quaſi*
Oſeæ 14. *fœnum areæ.* Nec eſt diſſimile dictum illud Oſeæ: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum: in gladio pereant.* Iam verò quis Catholicæ religionis ama[illegible] non doleat ac deploret, ab hac tanta Chriſtianæ fidei gratia & vnitate Reges, Principatus & populos plurimos excidiſſe, qui partim in horrendas impietatis tenebras relapſi, & præcipuè Mahometanam perfidiam ſecuti, partim in nefarias ſectas diſſecti, verum amiſere lumen, & in denſis tenebris contumaciter ambulant, neq; ſe in viam adhuc reduci [illegible] nent? Prætereo interim alios, qui Catholicum ſe denominanter iactant, & ſe velut putridas arbores in Dei horto demonſtrant, propter quos nomē Domini tùm apud infideles, tùm
Rom. 2. apud hæreticos quotidiè blaſphematur. Quocircà ſæpè Do-
Exod 32. minum precabor, nouos vt Moyſes & Hieremias excitet q[illegible]
Hierem. 9. luctuoſiſſimum præſentis Eccleſiæ ſtatum, & apoſta[illegible] tot regionum defectionem, quæ ſeſe offert vndiq;, [illegible] modò precibus, ſed & lacrimis identidem proſequ[illegible], Deumq; iratum, & tantùm non extrema minitantem [illegible] reconcilent. Niſi enim hic Eccleſiæ ſuæ tot modis [illegible] ſit propitius, & lapſi ad percutientem iudicem ſerio [illegible] tantur, verendum eſt prorſus, nè ſuum regnum [illegible] nationibus, præſertim Aquilonaribus, ademptum, [illegible] transferat, quemadmodum a Iudæis ad Græcos [illegible] ad Germanos occulto, ſed iuſto tamen iudicio [illegible]

dem tranſtulit. Eſt enim vt iuſtus, ita & miſerator Dominus, qui eorum quos vult, miſeretur, ideoque Magorum ſpiritum & ardorem in multis extinctum, in alijs facilè reſuſcitat, nouasque ſibi condit Eccleſiæ ſedes, & ex ipſis lapidibus Abrahæ filios excitat, qui fructus regni DEI dignus adferant. Nondum enim impletum eſt, ſed quotidiè magis ac magis impletur illud Prophetæ vaticinium: *Ecce gentem quam neſciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current, propter Dominum Deum tuũ & ſanctum Iſraël, quia glorificauit te.* Statimq; ſequitur: *Quærite Dominũ, dum inueniri poteſt.* Verè nunc tempus cum Daniele & Cypriano dicendi eſt: Tibi Domine gloria, tibi iuſtitia, nobis autem confuſio.

Pſal. 111. Malach. 1. Exod 33. Matth. 21. Matth. 3. & 21. Iſai. 55. Dan. 9. Serm. 5. de lapſis.

PRECABOR *ergo Deum inprimis pro his, qui ſunt à Catholica fide alieni, vt cum Magis in ſuis tenebris vero ſplendore ſanctæ fidei colluſtrentur, Chriſtumq́ mundi lucem videant, hoc eſt, vt Euangelium obedienter ſuſcipiant, ac fidem incorruptam abiectis erroribus profiteantur.*

ORABO *itidem pro Catholicis, vt pretioſum acceptæ fidei depoſitum religioſè cuſtodiant, & in lumine ambulent, opera lucis facientes, veriſq́ ſpiritus fructibus abundantes. Ita enim à Paulo ſcriptum legimus*: Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. 1. Tim. 6. 1. Cor. 5.

ADHAEC *Deum iratum inuocabo pro tepidis ac ingratis illis populis, qui poſt acceptam & indignè habitam fidei gratiam, quaſi de ore Domini euomuntur, maximè quòd pro accepta veteris fidei luce horrendas nouæ veteriſq́ perfidiæ tenebras amplectantur, ſiue vt Apoſtolus loquitur, in nouum aliud Euangelium transferantur.* Apoc. 3. Gal. 1.

DEMVM *diuinam implorabo lucem pro neophytis, ad Chriſtianæ veritatis doctrinam in nouo (vt vocant) or-*

be aſpirantibus, aut bonam certè ſpem nouæ conuer... nis ... centibus, vt à nouis & idoneis Chriſti operarijs in me... ſerta inueniatur, atque ad pietatem omnium informentur. ... precatio tantò erit efficacior & vtilior, quantò plures & ... tiores comprecatores habebit, ad diuinam gratiam incr... infidelibus nunc maximè neceſſariam exorandam. Ego ... non intermittam per hos dies, quoad eius fieri poterit, ſ... recitare pſalmos pœnitentiales, adiunctis & Litanijs tamp... ab Eccleſia probatis, meritoq́ue, quum ira Dei placanda eſt, ... Dei populo vſitatis.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE.

Sequentis Euangelij Argumentum.

DVODENNIS puer Ieſus in templum Hieroſolymitanum à parentibus adductus, præclarum ſuæ plus quàm ſenilis prudentiæ ſpecimen exhibet, vt ipſis etiam doctoribus & auditoribus omnibus ingentem pariat admirationem. Voluit autem anno duodecimo ætatis ſuam manifeſtare ſapientiam, vt ſignificaret, Ambroſio teſte, Euangelicam doctrinam per duodecim Apoſtolos non multò poſt promulgandam eſſe. Neque myſterio caret, Chriſtum non niſi poſt triduum à parentibus quæſitum inueniri: vt hoc typo adumbretur, verum Meſsiam partim à Patriarchis in lege naturæ, partim à Prophetis in Moyſi lege ſcripta quęſitum ac deſideratum, tandem velut tertio die à Gentibus in Euange-

In Lucam.

lica lege ſuſceptum ac manifeſtatum iri. Igitur Gentes ad Chriſtum conuerſæ, nunc læte cum Philippo habent dicere: Quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetæ, inuenimus IESVM à Nazareth.] Is idem eſt, quem in cruce mortuum Apoſtoli planè amiſſum putabant, ſed poſt triduum à morte reſuſcitatum inuenerunt, meritò vt gaudentes dicerent: Vidimus Dominum.] Prudenter autem monet Origenes Chriſtum illic eſſe quærendum, vbi poſsit inueniri, nimirùm in templo diuino, & inter magiſtros atque doctores Eccleſiæ ſuæ, non autem inter hæreticos & alios qui ab Eccleſia vera ſunt alieni. Et rectè à Bernardo dictum eſt: Ne quæras ſapientiam in oculis carnis: quia caro & ſanguis non reuelat eam, ſed ſpiritus. Nec in guſtu oris, non enim inuenitur in terra ſuauiter viuentium.] Quid verò admirabilius, & ad humanam ſuperbiam conterendam fortius adferri poſsit, quàm puerum IESVM cœli terræque Dominum, non ſolùm æterno Patri, ſed etiam Ioſeph fabro, pauperique matri per omnia obſequi, & velut mancipium inſeruire, annisque triginta tàm obſcurum & inglorium viuere, vt pro fabri filio & fabro ab omnibus exiſtimetur?

Ioan. 1.

Ioan. 20.
In Lucam Homel. 18.

Serm. 28. ſuper Cantica.

Marc 6.

EVANGELIVM EIVSDEM
Dominicæ Lucæ ſecundo.

CVM factus eſſet IESVS *annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſummatiſq́ diebus cùm redirent, remanſit puer* IESVS *in Hieruſalem: & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inue-*

nientes, regreſsi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit in Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et IESVS *proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti.

PVER IESVS à parentibus ad templum Hieroſolymitanum quotannis adducitur, & licet ſit Legis Dominus, feſtos dies, præſertim Paſchatis, Pentecoſtes ac Tabernaculorum, ſedulò celebrat, aliosque religioſos ritus, ſiue in Lege præſcriptos, ſiue ab Eccleſia receptos, in diuino cultu, inde à primis annis obſeruat. Quanto magis mihi quoque curandum eſt, vt pueri IESV & parentum eius exemplo conformer, & ſacras ædes frequenter inuiſam, publicis piorum cœtibus lubens interſim, Dei ver-

Deuter. 16. Exod. 23.

bum

verbum reuerenter audiam, templi præpoſitos ac miniſtros venerer, ſolennes ferias ac cæremonias vſitatas non negligam, ac demùm loco & tempori ſacro me ad Dei gloriam & proximi ædificationem accommodem diligenter? Sic enim Paulus de externo Dei cultu loquens præcipit: *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei. Omnia ad ædificationem fiant. Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Cuiuſmodi ritus, quibus humana certè eget imbecillitas, ego maioris idcirco faciam, quòd ſint conſeruandę vnitatis veræque religionis teſtimonia quædam & retinacula, quibus Dei populus rectiùs agnoſcitur & in officio continetur, & ſine quibus Catholica fides & cultus externus in multorum animis facilè langueſcerent, immò & prorſus interirent. *Vbi enim non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio*, vt ſcripſit Eccleſiaſticus. Cui affine eſt dictum Salomonis: *Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.* Ea verba ſic Hieronymus explicat: Sepis maceriæq; euulſio, Eccleſiaſtica ſunt dogmata, & inſtitutio ab Apoſtolis Prophetisque fundata, quæ qui diſſoluerit & voluerit prǣterire, in eo ipſo quod negligit, à ſerpente percutitur.] eumq; ſerpentem ad inferni principem pertinere confirmat. Tum res ipſa docet, quod vbi non eſt ordo, confuſio & immane chaos conſequatur, ſicut apud ſectarios videre eſt. Etenim quemadmodum vnius ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ciues, licet linguis, nationibus & formis varijs inter ſe differant, tamen velut in vna domo commorantes, vnam fidei legem, vnum baptiſma, vnum Deum, vnam ſpem, vnumque ſpiritum tenent atque profitentur, & inter ſe ritibus etiam externis maximè conueniunt, ita qui ab hac Eccleſia ſe ſegregauerunt, diſcordibus inter ſe animis & vocibus, ritibusque tumultuantur, nullumque conſenſum dogmatum, nullam Præpoſitorum reuerentiam, nullum DEI cultum externum concorditer ac religioſè poſſunt obſeruare. Eoque magis illam præclaram Auguſtini regulam mihi commendatam habebo: Quæ non ſunt contra fidem, inquit, nec contra

1. Corint. 10. & 14.

Eccleſ. 36.

In cap. 10. Eccleſ.

Pſal. 132. Epheſ. 4.

Ad inquiſitiones Ianuarij lib. 2. ca. 8.

gi certè plus veræ philoſophiæ in Bethlehemitico ſtabulo cognouerunt, ſuiſq; muneribus liberaliter Chriſto oblatis teſtati ſunt, quàm omnes omnium Iudæorum ac Ethnicorum familiæ in ſuis ſynagogis & ſcholis tot ſeculis vel docere, vel diſcere potuerunt. Quid enim illis ad maximam Chriſti cognitionem defuit, qui, vt Sedulius canit:

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre ſepulchro.

FVLGENTIVS eadem munera ſic fuſiùs explicat: Per iſta tria munerum genera in vno eodemque Chriſto & diuina maieſtas, & regia poteſtas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad ſacrificium, aurum ad tributum, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc ſancta fides Chriſto veraciter offerre non deſinit: dum vnum eundemque verum DEVM, verum regem, verumque hominem credit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoſcat.] Implent igitur hi Magi vaticinium Iſaiæ, qui de eiuſmodi muneribus nato Meſſiæ per Gentes offerendis prædixerat, ac ſe inſignis fidei ſplendore illuſtratos oſtendunt, qualem non inuenias apud Iſraëlitas. Etenim auro ipſo confitentur, hunc quem adorant puerum, verum eſſe regem in Iſraël, de quo Balaam vaticinatus eſſet, tamq; multa & præclara in Propheticis litteris promitterentur. Thure autem proteſtantur, eundem puerum incomparabilem ſacerdotem & mediatorem à DEO miſſum exiſtere, per quem hic mundus DEO reconciliaretur. Myrrha demùm oblata ſignificant, hunc DEI filium, etiam Mariæ filium ac hominem eſſe moriturum, licet is corruptionem nullam ex morte ſenſurus, atque à morte ipſa reſurrecturus, & per æterna ſecula victurus atque regnaturus eſſet. Rectè igitur & Leo magnus pronuntiat: Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi, ſcienter humanam diuinamque naturam in vnitate venerantes.]

Atque

ATQVE hoc primum eſt quod mihi cum hiſce Magis, vtique ſapientiſſimis philoſophis, debet eſſe commune, vt Chriſtum hominem ac DEVM verè cognoſcam, & cognitum adorem, palamque per omnem vitam confitear. Proximum eſt, vt eundem ſelectis gratisque muneribus reuerenter colam, & ſingulari honore proſequar, quia ſcriptum & irreuocabiliter mandatum eſt: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera.* Ac rurſus diuinum intonat oraculum: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Etſi verò Chriſtus aurum, thus & myrrham à me non exigit, illud tamen quod hiſce Magorum muneribus myſticè ſignificatum eſt, à fidelibus per omnes ætates Eccleſiæ, vult bona fide perſolui. Exigit, inquam, odoriferum thus deuotæ orationis, & cum eo coniunctum ſacrificium quotidianæ laudis, iuxta illud: *Immola Deo ſacrificium laudis.* Exigit myrrham, offerenti quidem amaram, ſed DEO cui offertur acceptam ac ſuauem, hoc eſt, carnis & cupiditatum mortificationem, vt ratio appetitum, & ſpiritus carnem ſubigat atque moderetur, egoque & corpore & animo ſim circumciſus, & cum Nathanaële inueniar verus Iſraëlita. Exigit demùm, ac inprimis offerri ſibi poſtulat pretioſum charitatis aurum, fidumque fraternæ dilectionis officium, in eos maximè collatum, qui mea opera, induſtria, conſilio aut labore ſublenari poſſunt. Etenim vt in Marco legimus: *Diligere Deum ex toto corde, & proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis.*

Pſal. 75.

Exod. 23.

Pſal. 49.

Ioan. 1.

Marc. 12.

SED væ miſero mihi, qui contra Domini præceptum in conſpectu eius toties vacuus appareo, aut oblationes, ſi non ſordidas & pollutas, at certè quidem non medullatas & pingues, ſed aridas potiùs & ſiccas profero. Quid autem Propheta? *Holocauſta*, inquit, *medullata offeram tibi*, quæ nimirùm ſanctæ charitatis pinguedine condiuntur. Atque huc ſpectat, quod præclarè à Bernardo traditur: Duas alas habeat oratio noſtra, contemtum mundi & af-

Exod. 23.

Pſal. 65

Serm. 3. de Epiphan.

fflictionem

afflictionem carnis: nec dubium, quin cœlos penetret, & dirigatur ſicut incenſum in conſpectu Dei. Erit enim gratum ſacrificium & acceptabilis oblatio noſtra, in qua cum auro & thure fuerit etiam & myrrha, quæ licet amara ſit, tamen perutilis eſt, & conſeruat corpus, quod mortuum eſt propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat] Quapropter eò mihi connitendum erit, vt oblationes, preces & actiones meas ex viua fide, ſpe & charitate profectas, DEO ſummo comprobem, vtque ab Herodianis, immò Satanicis inſidijs tutus, per meliorem viam in patriam regrediar, quemadmodum & Magi in ſuam regionem per viam aliam regreſſi eſſe ſcribuntur. Id quod Cyprianus ad ſenſum myſticum eleganter ita refert: Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur: quia neceſſe eſt, vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſunt ad ſalutem, deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per arctas verò & difficiles reditur ad ſuperos. Propter verba labiorum DEI religioſus quiſque vias duras ingreditur, & ingulator voluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus aggreditur. Arcta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere. Scopuloſæ ſunt ſemitæ; ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur] O me fœlicem, ſi per aliam viam & ego ad cœleſtem patriam properem, ac vnà cum Magis eò perueniam, vbi verum DEI Filium non in complexu matris poſitum, crucique & morti obnoxium, ſed in ſinu & dextera æterni patris fœliciſſimè triumfantem, ac electos qui vota ſua illi reddunt fideliter, liberaliſſimè remunerantem videam, & cum ſummo gaudio apprehendam. *Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et ſicut Ioannes affirmat: *Scimus, quoniam cum apparuerit Chriſtus, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Pſal. 140.
Serm. de ſtella & Magis.
Rom. 10.
1. Cor. 13.
1. Ioan. 3.

Immo

immò Deus ipſe diſertè promittit: *Quicunq; honorificauerit* 1 Reg. 2.
me, glorificabo eum. Ego protector tuus ſum, & merces tua ma- Geneſ. 15.
gna nimis.

VIII.

De Chriſti baptiſmo meditanda.

QVONIAM ex veteris Eccleſiæ traditione conſtat, Chriſtum eodem die, licet non eodem anno, à Magis in Bethlehem honoratum, & à Ioanne in Iordane baptizatum fuiſſe, & quia de Chriſti baptiſmo Euangelium octauo feſti huius die in templo recitatur, erit ſanè operæpretium, vt ego de eodem baptiſmo mihi refricem memoriam, Matth. 3.
tantiq; myſterij, per quod in Chriſto renatus primumq; illuminatus ſum, minimè obliuiſcar. Ioan. 1.
Quicunq; enim Galat. 3.
in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ait Apoſtolus. Ac iiſdem baptizatis gratulans inquit: *Abluti eſtis, ſanctificati* 1. Corin. 6.
eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri IESV *Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* 1. Pet. 3.
Sicut & Petrus affitmat baptiſma ſaluos facere. Matth. 3.
Vbi ego primùm quidem Redemtori, qui ſolus Marc. 1.
baptizat in Spiritu ſancto, tùm meo, tùm ſanctorum omnium Ioan. 1.
nomine gratias agam, quòd cùm annos ferè triginta natus eſſet, ac Ioannis miniſterio neutiquam indigeret, vtpote Agnus planè immaculatus, 1.Pet. 1.
vltrò tamen & humiliter baptiſmum ſerui ſuſceperit, Ioan. 1.
ſuique corporis contactu aquas omnes ſanctificans, Chriſtianum baptiſmum initiârit, nobiſque & omnibus in eo abluendis ſalutarem effecerit, nimirùm vt qui baptizantur, ab omnibus vitiorum maculis expurgati, in Dei filios adoptentur, & Spiritum ſanctum accipiant, veræque innocentiæ candida veſte donati, rectà cœlum petere, & Chriſti cohæredes perpetuò eſſe poſſint. De hoc baptiſmo ſic loquitur Cyprianus: Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat, ſed vt ſacramento perennis daretur authoritas, & tanti virtutem Serm. de baptiſmo Chriſti & manifeſtatione Trinitatis.

operis

operis nulla perſonarum acceptio commendaret; quoniam remiſſio peccatorum ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet.] Deinde quoniam
1. Petr. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, ſæpè mihi proponam hoc prçclarum raræ humilitatis exemplum, nempè ſummum Dei Filium, qui purgationem fecit peccatorum,
Hebr. 1. inter facinoroſos & abiectos planeque impuros homines, ad Ioannis baptiſmum accedere, ſuas veſtes exuere, nudum apparere, inclinare verticem, baptiſmi beneficium quo nunquam eguit, à ſeruo petere, & cum promiſcuo vulgo Iordanis aqua perfundi. Hinc ego non minùs quàm Ioannes ipſe Baptiſta, incredibilem Agni Dei humilitatem ſuſpiciam, ac eiuſdem Baptiſtæ verba perpendam:
Matth. 3. *Ego à te*, inquit, *debeo baptizari, & tu venis ad me?* qui nem-
Ioan. 1. pè dignus non ſum, vt calceamenti tui corrigiam ſoluam. Reſpondit autem illi Dominus: *Sine modò, ſic enim decet nos*
Matth. 3. *implere omnem iuſtitiam*, abſolutam videlicet humilitatem, ſine qua nec ſacroſancta Virgo mater, nec Ioannes Baptiſta plus quàm Propheta, nec Dauid eximiè iuſtus Deo tantoperè placuiſſent. Sunt autem tria quæ radicata, teſte Baſilio magno, nutriunt humilitatem, aſſiduitas nempè ſubiectionis, conſideratio propriæ fragilitatis, & ſui cum alijs melioribus comparatio. Notabo etiam, in hoc omnem impleri iuſtitiam, ſi doctrinam præcedat exemplum, & honore ſe inuicem præueniant qui maiorem & minorem obtinent locum, ita vt qui maior eſt, fiat minor, & præceſſor ſicut mi-
Matth. 20. niſtrator, quemadmodum Chriſtus ipſe primùm fecit, ac
Luc. 22. deinde mandauit. Tanti refert, vt in meo pectore inſculptum ſeruem illud Petri præceptum: *Humiliamini ſub po-*
1. Petr. 5. *tenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* Et quod
Prouerb. 29. à Salomone ſcriptum eſt: *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.*

ADHAEC ſalutariter me monet præſens hiſtoria, vt ſi veram gloriam expetam, mundi gloriam, qua nihil eſt fuga-

cius atque fallacius, omninò contemnam, ac veluti fumum & vmbram fugiam. Etenim Chriſtus huius fucati mundi fauorem, laudem & gloriam præ ſe deſpexit, quum à publico ſe ſubducens, non ſecus ac peccati reus & purgatione indigus, ad Ioannis baptiſmum vnà cum alijs properauit, ſeque prorſus ſubmiſsè geſsit, ac Ioanni miniſterium ſuum detrectanti cedere noluit. Verùm quantò Chriſtus hic ſe deijcit ſtudioſiùs, tantò magis illum Pater mox honorat & exaltat, vt qui voce cœlitùs demiſſa hunc Filium ſibi præ omnibus charum & gratum eſſe teſtatur, illique coram ingenti populo maximam tribuit authoritatem. *Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Neque ſe continet etiam Spiritus ſanctus, quin ſpecie columbæ ſuſcepta illûc aduolet, Chriſtique humilis inſideat capiti, ac verum Meſsiam omni gratia & dignitate refertum orbi declaret atque commendet. Vnde Chriſtus etiam poſteà, vt eiuſdem Spiritus teſtimonio ſuam doctrinam fulciat ac muniat, hæc Iſaiæ verba repetiuit: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me euangelizare pauperibus*, vt cætera prætermittam. Cur ergo caducam huius mundi vanitatem, momentaneumque ſplendorem & faſtum, omnemque mentis elationem & philautiam non reſpuo ac deteſtor? quando Chriſtus corde humilis ſibi nunquam placuit, ac veriſsimè dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quarè non ſæpiùs Domini & magiſtri mei verbum cogito: *Quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et quod Ioannes perſpicuè dixit: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum?* Sed & ſingulis diebus Dominicis, quùm ſacerdos populum aqua ſacra ſolet adſpergere, chorusq; cantat Eccleſiaſticus: *Aſperges me Domine hyſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor*, purificationis ac innocentiæ in baptiſmo à Chriſto perceptæ gratam memoriam renouabo, & gemendo precabor,

Matth. 3.
Luc. 4.
Iſai. 61.
Matth. 11.
Rom. 15.
Ioan. 19.
Ioan. 15.
1. Ioan. 2. & 5.
Pſal. 50.

primum illum animæ meæ candorem mihi magis ac magis reſtitui, perinde ac ſi dicam: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Etenim pro hac* (peccati venia) *orabit omnis ſanctus in tempore opportuno.* Neque ad Petrum Apoſtolum ſolummodò, ſed etiam ad me & quemlibet baptizatum illud Chriſti verbum referam: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Et quemadmodum eadem Veritas apertè pronuntiauit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: ita confidenter ego dicere non verebor: Niſi quis regenerationis acceptæ ſpiritum & nitorem conſeruauerit, vel à contracta labe peccati ſe in hac vita non expurgârit, in cœleſtem Hieruſalem non admittetur, vtpote in quam nihil coinquinatum, ſi Ioanni credimus, introibit. Vnde canit etiam Pſalmographus: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Moxq́; reſpondet: *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam.*

Pſal. 50. & 31 Ioan. 13. Ioan. 3. Apoc. 21. Pſal. 23.

IX.

De Gentium fidelium ac infidelium vocatione.

FESTVM hoc percelebre, quod magno in pretio Græci & Latini tot ſeculis habuerunt, ac diebus octo in Eccleſia ſolenniter celebrârunt, mihi partim cum gaudio, partim cum luctu tranſigere conuenit. Cum gaudio quidem ob gratioſam vereq́; diuinam vocationem, cuius initium à Magis orientalibus factum eſt, cùm Chriſtus infans illos mirabiliter ad ſe ſtella duce perduxit, ſimulq́ue in Euangelica fide illuſtrauit, nimirùm vt ſe verum lucis authorem & iuſtitiæ ſolem, qui omnem hominem tàm gentilem quàm Iudæum ad ſe venientem illuminat, ſecundùm Prophetarum oracula declararet. Cum luctu autem, propter complurium vocatarum credentiumq́ue gen-

Ioan. 1.

tu[illegible] ingratitudinem, quæ ſi vnquàm antea, nunc vel maximè quidem apparet, quòd ex his complures acceptam Euangelij lucem deſeruerint, vel præter Chriſti fideiq; nomen, cum hiſce Magis & aliis antiquæ fidei principibus, nihil ferè commune habere videantur. Eſt enim piorum omnium receptus ille mos, vt cum Eccleſia lætè hoc tempore glorientur, quòd fidelis DEVS promiſſam Gentibus gratiam liberaliter effuderit, totque indignis, immò & atheis principibus, populis, prouincijs & inſulis fideliter communicârit. Ita enim per Iſaiam pronunciârat: *Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt*, quemadmodum Paulus locum eundem adduxit. Tùm ipſe Meſſias ad ſuam vocandis Gentibus beneuolentiam explicandam hoc prædixerat: *Quæſierunt me, qui ante non interrogabant; inuenerunt, qui non quæſierunt me, dixi, Ecce ego, ecce ego, ad Gentem quæ non inuocabat nomen meum.* Et per Oſeam iterum: *Dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipſe dicet: Deus meus es tu.* Proinde quàmdiu feſti huius octaua durat, genua mea quotidie flectam, & beatiſſimæ Trinitati, à qua lumen omne deſcendit, gratias agam, de gratuita qualiumcunque Gentium vocatione, quæ per omnia mundi climata in Aſia, Aphrica, & Europa clementer hucuſque facta eſt, multisque ſalutem æternam adduxit. Etenim ſedentibus in tenebris & vmbra mortis tot myriadibus impiorum, quibus nihil præterquam ira Dei & pœna gehennæ debebatur, tandem Chriſtus Chriſtianæque fidei lumen apparuit, & gloria Domini ſuper illos tàm fœliciter orta eſt, vt in illo lumine DEVM cognouerint, & cognitum annuntiârint, verèque impletum fuerit illud vaticinium: *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur.* Hinc illa turba magna & innumerabilis, quam Ioannes vidit ex omnibus Gẽtibus, & tribubus & populis, & linguis congregatã, eosq; omnes non ſolùm ante thronum & in conſpectu Agni ſtantes aſpexit, ſed etiam Deum ſonora voce laudantes audiuit.

Iſai. 11.
Iſai. 65.
Oſeæ 2.
Iſai. 60.
Apoc. 7.

dem tranſtulit. Eſt enim vt iuſtus, ita & miſerator Dominus, qui eorum quos vult, miſeretur, ideoque Magorum ſpiritum & ardorem in multis extinctum, in alijs facilè reſuſcitat, nouasque ſibi condit Eccleſiæ ſedes, & ex ipſis lapidibus Abrahæ filios excitat, qui fructus regni DEI dignus adferant. Nondum enim impletum eſt, ſed quotidiè magis ac magis impletur illud Prophetæ vaticinium: *Ecce gentem quam neſciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current, propter Dominum Deum tuũ & ſanctum Iſraël, quia glorificauit te.* Statimq; ſequitur: *Quærite Dominũ, dum inueniri poteſt.* Verè nunc tempus cum Daniele & Cypriano dicendi eſt: Tibi Domine gloria, tibi iuſtitia, nobis autem confuſio.

Pſal. 111. Malach. 1. Exod 33. Matth. 21. Matth. 3. & 21. Iſai. 55. Dan. 9. Serm. 5. de lapſis.

PRECABOR *ergo Deum inprimis pro his, qui ſunt à Catholica fide alieni, vt cum Magis in ſuis tenebris vero ſplendore ſanctæ fidei colluſtrentur, Chriſtumq; mundi lucem videant, hoc eſt, vt Euangelium obedienter ſuſcipiant, ac fidem incorruptam abiectis erroribus profiteantur.*

ORABO *itidem pro Catholicis, vt pretioſum acceptæ fidei depoſitum religiosè cuſtodiant, & in lumine ambulent, opera lucis facientes, veriſq; ſpiritus fructibus abundantes. Ita enim à Paulo ſcriptum legimus:* Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.

1. Tim. 6. 1. Cor. 5.

ADHAEC *Deum iratum inuocabo pro tepidis ac ingratis illis populis, qui poſt acceptam & indignè habitam fidei gratiam, quaſi de ore Domini euomuntur, maximè quòd pro accepta veteris fidei luce horrendas nouæ veteriſq; perfidiæ tenebras amplectantur, ſiue vt Apoſtolus loquitur, in nouum aliud Euangelium transferantur.*

Apoc. 3. Gal. 1.

DEMVM *diuinam implorabo lucem pro neophytis, ad Chriſtianæ veritatis doctrinam in nouo (vt vocant) or-*

be aſpirantibus, aut bonam certè ſpem nouæ conuerſ...
centibus, vt à nouis & idoneis Chriſti operarijs in me... ...
ſerta inueniur, atque ad pietatem omnem informentur. ...
precatio tantò erit efficacior & vtilior, quantò plures & ...
tiores comprecatores habebit, ad diuinam gratiam incre... &
infidelibus nunc maximè neceſſariam exorandam. Eg...
non intermittam per hos dies, quoad eius fieri poterit, ſ...m
recitare pſalmos pœnitentiales, adiunctis & Litanijs iampridem
ab Eccleſia probatis, meritoq́, quum ira Dei placanda eſt, ...
Dei populo vſitatis.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE.

Sequentis Euangelij Argumentum.

DVODENNIS puer Ieſus in templum Hieroſolymitanum à parentibus adductus, præclarum ſuæ plus quàm ſenilis prudentiæ ſpecimen exhibet, vt ipſis etiam doctoribus & auditoribus omnibus ingentem pariat admirationem. Voluit autem anno duodecimo ætatis ſuam manifeſtare ſapientiam, vt ſignificaret, Ambroſio teſte, Euangelicam doctrinam per duodecim Apoſtolos non multò poſt promulgandam eſſe. Neque myſterio caret, Chriſtum non niſi poſt triduum à parentibus quæſitum inueniri: vt hoc typo adumbretur, verum Meſsiam partim à Prophetis in Patriarchis in lege naturæ, partim à Prophetis in Moyſi lege ſcripta quęſitum ac deſideratum, tandem velut tertio die à Gentibus in Euange-

In Lucam.

lica lege ſuſceptum ac manifeſtatum iri. Igitur Gentes ad Chriſtum conuerſæ, nunc lætè cum Philippo habent dicere: Quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetæ, inuenimus IESVM à Nazareth.] Is idem eſt, quem in cruce mortuum Apoſtoli planè amiſſum putabant, ſed poſt triduum à morte reſuſcitatum inuenerunt, meritò vt gaudentes dicerent: Vidimus Dominum.] Prudenter autem monet Origenes Chriſtum illic eſſe quærendum, vbi poſsit inueniri, nimirum in templo diuino, & inter magiſtros atque doctores Eccleſiæ ſuæ, non autem inter hæreticos & alios qui ab Eccleſia vera ſunt alieni. Et rectè à Bernardo dictum eſt: Ne quæras ſapientiam in oculis carnis: quia caro & ſanguis non reuelat eam, ſed ſpiritus. Nec in guſtu oris, non enim inuenitur in terra ſuauiter viuentium.] Quid verò admirabilius, & ad humanam ſuperbiam conterendam fortius adferri poſsit, quàm puerum IESVM cœli terræque Dominum, non ſolum æterno Patri, ſed etiam Ioſeph fabro, pauperique matri per omnia obſequi, & velut mancipium inſeruire, annisque triginta tam obſcurum & inglorium viuere, vt pro fabri filio & fabro ab omnibus exiſtimetur?

Ioan. 1.

Ioan. 20.
In Lucam Homel. 18.

Serm. 28. ſuper Cantica.

Marc 6.

EVANGELIVM EIVSDEM
Dominicæ Lucæ ſecundo.

CVM factus eſſet IESVS *annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſummatisq; diebus cùm redirent, remanſit puer* IESVS *in Hieruſalem: & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inue-*

nientes, regreſſi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit in Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et IESVS *proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti.

PVER IESVS à parentibus ad templum Hieroſolymitanum quotannis adducitur, & licet ſit Legis Dominus, feſtos dies, præſertim Paſchatis, Pentecoſtes ac Tabernaculorum, ſedulò celebrat, alioſque religioſos ritus, ſiue in Lege præſcriptos, ſiue ab Eccleſia receptos, in diuino cultu, inde à primis annis obſeruat. Quanto magis mihi quoque curandum eſt, vt pueri IESV & parentum eius exemplo conformer, & ſacras ædes frequenter inuiſam, publicis piorum cœtibus lubens interſim, Dei ver-

Deuter. 16. Exod. 23.

verbum reuerenter audiam, templi præpoſitos ac miniſtros venerer, ſolennes ferias ac cæremonias vſitatas non negligam, ac demùm loco & tempori ſacro me ad Dei gloriam & proximi ædificationem accommodem diligenter? Sic enim Paulus de externo Dei cultu loquens præcipit: *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei. Omnia ad ædificationem fiant. Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Cuiuſmodi ritus, quibus humana certè eget imbecillitas, ego maioris idcirco faciam, quòd ſint conſeruandę vnitatis veræque religionis teſtimonia quædam & retinacula, quibus Dei populus rectiùs agnoſcitur & in officio continetur, & ſine quibus Catholica fides & cultus externus in multorum animis facilè langueſcerent, immò & prorſus interirent. *Vbi enim non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio*, vt ſcripſit Eccleſiaſticus. Cui affine eſt dictum Salomonis: *Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.* Ea verba ſic Hieronymus explicat: Sepis maceriæq; euulſio, Eccleſiaſtica ſunt dogmata, & inſtitutio ab Apoſtolis Prophetiſque fundata, quæ qui diſſoluerit & voluerit præterire, in eo ipſo quod negligit, à ſerpente percutitur.] eumq; ſerpentem ad inferni principem pertinere confirmat. Tum res ipſa docet, quod vbi non eſt ordo, confuſio & immane chaos conſequatur, ſicut apud ſectarios videre eſt. Etenim quemadmodum vnius ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ciues, licet linguis, nationibus & formis varijs inter ſe differant, tamen velut in vna domo commorantes, vnam fidei legem, vnum baptiſma, vnum Deum, vnam ſpem, vnumque ſpiritum tenent atque profitentur, & inter ſe ritibus etiam externis maximè conueniunt, ita qui ab hac Eccleſia ſe ſegregauerunt, diſcordibus inter ſe animis & vocibus, ritibuſque tumultuantur, nullumque conſenſum dogmatum, nullam Præpoſitorum reuerentiam, nullum DEI cultum externum concorditer ac religiosè poſſunt obſeruare. Eoque magis illam præclaram Auguſtini regulam mihi commendatam habebo: Quæ non ſunt contra fidem, inquit, nec contra

1. Corint. 10. & 14.

Eccleſ. 36.

In cap. 10. Eccleſ.

Pſal. 132. Epheſ. 4.

Ad inquiſitiones Ianuarij lib. 2. ca. 8.

bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunq; inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolùm non improbamus, ſed etiam laudando & imitando ſectamur.]

PRAETEREA ex animo petam, vt Chriſtiani parentes & filij ſuum officium faciant, & facientibus læte gratulabor, in quibus etiam bonorum authorem DEVM grato pectore celebrabo. Quin & meam operam, quacunque ratione potuero, talibus ego libenter impendam, quum ad Dei gloriam & Reipublicæ vtilitatem promouendam res momenti ſit maximi proba inſtitutio liberorum. Ab hac ipſa laudatur Abraham Patriarcha, dicente ad illum per Angelos DEO: *Scio quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam.* Probus etiam & fidus paterfamilias fuit Iob, qui conſurgens diluculò, ſuos liberos ſanctificabat, & per ſingulos offerebat holocauſta, vt illorum peccata in conuiuijs commiſſa pro ſua pietate abſtergeret ac expiaret. Sed & ſedula fuit materfamilias illa, quæ Machabæos peperit, ſanctèque nutriuit, ac demùm ad martyrij ſupplicium pro legibus patrijs perferendum fortiter animauit. Laudantur & Suſannæ parentes, quòd cùm iuſti eſſent, filiam ſuam ſecundùm legem Moyſi erudierint, vt illa inde à primis annis verè timuerit Deum, ac morti potiùs voluerit adiudicari, quàm ſenioribus ad libidinem ſollicitantibus impurum præbere conſenſum. Ac ſanè piorum parentum ſemper fuit ac eſſe debet proprium, vt curam filiorum gerant maximam, horumque imbecillem & docilem ætatem probè pièq; formare procurent, ita vt illi quaſi cum lacte materno ſinceram imbibant pietatem, Deiq; cultum rebus omnibus anteponant. De quo munere Paulus parentes frequenter admonet, atque inter cætera ſic præcipit: *Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. Etenim ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior*

Geneſ. 18.
Iob. 1.
2. Machab. 7.
Dan. 13.
Epheſ. 6.
Coloſſ. 3.
Tit. 2.
1. Tim. 5.

rior. Horum eſt ſemper meminiſſe quod Salomon pruden- Prouer. 29.
tiſſimè monuit: *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit
delicias animæ tuæ. Virga atque correctio tribuit ſapientiam:
puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem
ſuam.* Grauiter ſanè peccauit Heli, & vnà cum ſuis à DEO 1. Reg. 3.
ſeuerè punitus eſt, quod ſuos filios pro paterna cura & gra-
uitate non corriperet, ſed ſeſe illis æquo mitiorem exhibe-
ret. Vt enim à veteribus dictum eſt: Blanda patrum ſegnes
facit indulgentia natos.

VICISSIM iunioribus ac filijs Chriſtianis id curan-
dum eſt, vt progenitorum, maiorum, præceptorum ac ſeni-
orum monitis & authoritati plurimùm deferant, ſi non filij
Belial, ſed Dei filij probique imitatores Abel, Sem, Iaphet,
Iſaac, Iacob, Ioſeph & Rechabitarum, quorum in ſcriptura
laus eſt, cupiant inueniri. Nihilque rectiùs hi fecerint, quàm
ſi puerum IESVM, vt innocentiæ, obedientiæ, humilita-
tis ac virtutis omnis perfectum exemplar crebrò ſpectârint,
certoque ſibi perſuaſerint, florentem ipſorum & omnium
adoleſcentum ætatem nulla re magis exornari, Deoque &
Angelis amabiliorē effici, præterquàm ſi Creatorem ſuum
timeant, precationi vacent, iners ocium fugiant, ſtudium &
laborem honeſtum ament, bonorum ſocietate gaudeant,
maiores reuereantur, ſimulque taciturnitati, ſobrietati, pu-
dicitiæ & verecundiæ operam ſedulam dare conſueſcant.
Nunquàm ſanè obliuiſci debent illius ſententiæ à Rege ſa-
pientiſſimo traditæ: *Memento Creatoris tui in diebus iuuentu-* Eccleſ. 12.
*tis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis, & appropinquent
anni, de quibus dicas, Non mihi placent.* Etenim vt idem af-
firmat, & experientia quotidiana probatum habemus: *A-
doleſcens iuxta viam ſuam poſitus, etiam cùm ſenuerit, non re-* Prouer. 22.
cedet ab ea. Proinde quod optimus filij ſui parens & ma-
giſter Tobias dixit, huic ætati commendatum eſſe debet
maximè: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto* DEVM, Tob. 4
*& caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta
Domini* DEI *noſtri. Omni tempore benedic Deum, & pete ab*

co, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. Ac tantò ſanè magis iuuentus effrenis in officio continenda eſt, quòd natura tenaciſſimi ſimus eorum, quæ tenellis annis percepimus, quòdq; adoleſcentibus valdè noceat, ea quæ malè prius didicerunt, poſteà dediſcere. Quod nihil eſt aliud, niſi velut induratos curuosq; ſtipites in partem contrariam vi quadã reflectere, & in mala conſuetudine ſuperanda, quæ velut altera natura eſt, ſibi laborẽ conduplicare.

Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?

QVOD ſcripſit Ambroſius, Remotior mundo, DEO fies propinquior, quodq; apud Auguſtinum legimus: Qui curis terrenis ſe implicat, à Deo ſe ſeparat; id Chriſtus per exemplo ſuo mihi præclarè confirmat. Etenim licet plenus eſſet ſapientia, & hominum conſortio deprauari non poſſet, tamen ſecedit à ſuis parentibus, nihilq; cum propinquis & cognatis, apud quos fruſtra quærebatur, ſibi vult eſſe commune, adeoq; corporis & neceſſarij victus rationem exiguam habet, nempè totum vt ſe tribuat ſtudio religionis, ſuiq; Patris cultui ac verbo diuino integrè vacet ac ſeruiat. Nec eſt huic diſſimile, quòd ſtatim à ſuſcepto baptiſmo Ioannem &
Matth. 3. & 4. parentes reliquit, vaſtam eremum adijt, & inter beſtias vixit,
Marc. 1. vt ſibi ac Deo æterno viueret, ieiunijs tantùm ac precationibus dies ac noctes impendens. Omitto quòd precaturus
Matth. 17. & 26. montes & deſerta petiuit, nonnunquam à chariſſimis etiam diſcipulis ſeſe diſiungens, vt ſolus cùm ſolo Patre quietiſſimè colloqueretur. Alibi verò diſcipulos ad ſeceſſum inhortatur, hisq; verbis illos prouocat:
Marc. 6. Matth. 14. Luc. 9. *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Igitur etiamſi Deum vbiq; & ſemper mihi præſentem habeam, qui nec illius conſpectum vnquàm effugere poſſum, tamen etiam atque etiam prouidebo, vbi & quomodo me componam & inſtruam ad maiorem tantæ maieſtatis & contemplationem & adoratio-

nem

nem & ſeruitutem. Etenim non ſolùm orare, ſed etiam in ſpiritu & veritate adorare iubeor, ſimulque in meum cubiculum, & clauſo oſtio ad Patrem inuocandum ingredi debeo. Vnde per Prophetam affirmat DEVS: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Et alibi de ſponſa teſtatur: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Tum Hieremias pronuntiat: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*, quemadmodum diuini planè viri Moyſes, Elias, & Baptiſta ſollicitè præſtolabantur. Quòd ſi mihi, vt illis, non licet in locis abditis tàm ſublimiter & perfectè philoſophari, ſoliquè Deo vacare, tamen non intermittam, mundi vanitati, carnis illecebris curisque ſuperuacaneis, ac alijs veræ pietatis impedimentis renuntiare, ac velut oſtium diſtractionibus mentis occludere, potiſſimùm quando tempus exigit, vt me ſummo Deo diuinoquè cultui ſeriò & ſtudioſè applicem. Notum eſt enim conſilium Sapientis: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Nec temerè iubet per Moyſen Deus: *Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſollicitè.* Et Salomonis præceptum eſt: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.*

Deuter. 6. Ioan. 4. Matth. 11. & 6. Ioan. 4. Pſal. 45. Oſeæ 2. Thren. 3. Exod. 24. 3. Reg. 19. Luc. 1. & 3. Eccleſ. 2. Deut. 4. Prouer. 4.

QVAM verò multa ſe indies offerunt, proh dolor, quæ nos à vero DEI timore, amore atque cultu auocant, vt in his quæ Patris noſtri ſunt, nec toti, nec dimidiati eſſe videamur? Accedunt amici fures temporis, irruunt crebrò parentes ad humana curanda ſollicitantes, vrgent nos opes & voluptates irritamenta malorum, cupiditatum fomites, & retia Diaboli, quibus animæ captæ non modò veram libertatem amittunt, ſed etiam in ſeruitutem ac perditionem miſerrimam ſæpenumerò abripiuntur. Nec aliter certè nobis quàm illi Philoſopho accidit, qui de ſe non fruſtra teſtatus eſt: Quoties inter homines fui, ſemper minùs homo redij. Ita fit ſæpenumerò, vt nos multò magis quā hi ſancti parentes, Ieſum amittamus, eiuſq; gratia deſtituamur non ſolùm ob grauiora, ſed etiam leuiora vi-

ra vitia, nonnunquàm & propter otium, luxum, ob[...]
menta, gaudia & neſcio quæ alia ſolatiola à rebus creat[...]
pidiùs emendicata, & quoniam in res externas leuiter e[...]
dimur, nec ſatis nobis cauemus ab his, quæ veluti fum[...]
ſordes, puros DEI oculos offendunt, & hominis anim[...]
a Thren. 4. polluunt. Quid autem verbum DEI? [a] *Qui veſcebantur* [...]
b 1.Tim. 5. quit, *voluptuosè interierunt.* [b] *Vidua quæ in delicijs est, v[...]*
c Luc. 7. *mortua eſt.* [c] *Qui in veſte pretioſa ſunt & delicijs, in domibus*
d Luc. 6. *regum ſunt.* [d] *Væ vobis diuitibus qui habetis conſolationem ve-*
ſtram, Væ vobis qui ſaturati eſtis. Væ vobis qui ridetis nu[nc]
quia lugebitis & flebitis. Tum res ipſa pios quotidie docet
feruorem & calorem diuini ſpiritus non modò rerum t[...]
pium amore ac ſtudio, ſed leuibus etiam de cauſis refrige-
ſcere, nonnunquàm & prorſus exſtingui, aut certè quod le-
uitate & luxu peccatum eſt, id haud ſine labore ac d[...]
2. Reg. 11 re poſſe recuperari. Exemplo ſint nobis præſtantes he[ro]-
3 Reg. 11. es Dauid & Salomon, qui cùm ſibi pluſculum permitte-
rent ac indulgerent, non modò gratiæ pretioſum velut
vnguentum effuderunt, ſed etiam ſe ac ſuos in graues con-
iecerunt ærumnas, ac diras dedêre pœnas, quæ ſicut
Mich. 6. Propheta Michæas admonet, cum DEO ſuo ſollicitè non
ambulaſſent. Proinde quicquid à vero DEI cultu & amo-
re me auocat, aut in ipſo pietatis ſtudio remoratur, id mi-
hi ſuſpectum, moleſtum & inimicum reputabitur, ſi fortem
& inuictum Chriſti militem atq; diſcipulum velim exhibere.
Tunc enim cum Chriſto ipſo dicam vel amiciſſimis, qui in-
Luc. 2. ſtitutum meum impedire conantur: *Neſcitis quia in his quæ*
Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Tunc in mentem reuocabo,
Matth. 10. quod ab eodem cœleſti magiſtro traditum accepi. *Qui amat*
patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus; & qui
non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.
Actor. 5. Tunc & ego conſtanter cum Apoſtolo Petro dicere ha-
beo: *Obedire oportet* DEO *magis quàm hominibus*, quantum-
uis nempè charis, excellentibus atque importunis, ſi diuinæ
quidem voluntati ac meæ ſaluti aduerſentur. Etenim ſum-

mo

mo parenti & ſupremo Domino ſummam dilectionem atque fiduciam, & maximam inſuper obedientiam ac ſubiectionem præſtare omnes debemus, vt ne ordinem ab ipſo præſcriptum, qui ſolus præferri vult omnibus, vnquàm violemus.

Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.

PVERO IESV duodenni non ſatis erat præclarum ſui ſpecimen in templo coràm plurimis edidiſſe, vt hinc etiam ſapientibus ac doctoribus ingenti eſſet admirationi, ſed paulò pòſt ſeſe abijcere voluit, velut præ filijs alijs hominũ nihil egregium ac excellens habere videretur. Igitur ex templo digreditur, parentes comitatur, ad oppidulum Nazareth reuertitur, in priuatis verſatur ædibus, magnaque cum ſimplicitate obit domeſtica miniſteria, quæ non ſolùm à filio, ſed à ſeruo etiam atque mancipio ſuſcipi ſolent, eaque fideliter exequitur omnia. Cùm enim in forma Dei eſſet, ipſeq; Rex Regum, & Dominus dominantium, quem adorant & Angeli, non ſat habuit formam ſerui accipere, ſed ſeruile quoque miniſterium apud abiectiſſimos per omnia ſubijt. Vnde non ſubditus erat tantummodò Patri cœleſti, (Sicut mandatum dedit mihi Pater, inquit, ſic facio) ſed etiam matri pauperi, & nutritio fabro, qui ſuum victum labore & arte fabrili quotidiè quæritabat. Hoſce coniuges velut ſuos parentes, maiorem in modum ille coluit & honorauit, ad eorum captum & voluntatem ſe totum accommodauit, illorum arbitrio & poteſtati ſeſe permiſit, nullum vilis miniſterij vel ſeruitij genus, quo ipſis gratificari poſſet, prætermiſit, vitamque ſub illorum imperio tàm obſcuram quàm pauperem ad annum vſque trigeſimum duxit.

Philipp. 2.
Apoc. 19.
Hebr. 1.
Ioan. 14.

O mirandum & inauditum obedientiæ ſimul & humilitatis exemplum, quod ego ſæpè multumque conſiderare, & à ſummo DEI Filio diſcere debeo. Væ mihi ac omnibus alijs Adæ filijs, qui contra progenitores vel maiores ſuos

erigunt

erigunt ceruices, debitamq; illis reuerentiam ac obedientiam negant, cùm proprio magis arbitrio fidunt, quàm alieno ſe imperio duci regiq; ſuſtinent. Nihil ſanè mirum, quod Apoſtoli fideles cunctos ita inſtituunt, vt nihil ferè magis quàm obedientiam & ſubiectionem tùm parentibus, tùm magiſtratibus fidelibus & infidelibus exhibendam inculcent. Fecit cœli terræq; Dominus, quod per Prophetas & Apoſtolos accuratè præcepit de parentibus honorandis, de poteſtatibus ſublimioribus colendis & obſeruandis. Is quidem qui poteſtati reſiſtit, Dei etiam ordinationi reſiſtit, & ſibi damnationem certam acquirit. Tantoq; magis omnem inobedientiam mihi fugiendam putabo, quanto certiùs conſtat, neglectæ obedientiæ ſcelere totum genus humanum ſic afflictum fuiſſe ac perditum, vt non niſi Redemptoris noſtri obedientia, qui ſe ad mortem vſq; crucis obedientem oſtendit, potuerit reparari. Irriſit Cham parentem Noë, & idcirco maledictionem accepit cum ſua poſteritate: at eius fratres Sem & Iaphet, vtpotè morigeri filij, ſingulari ſunt gratia cumulati. Obediuerunt parenti Ionadab Rechabitæ, quùm nouas duraſq; leges illis præſcriberet, & magnis muneribus illos DEVS cohoneſtauit. Malè ceſſit Eſau, quod Iacob & Rebeccam parentes optimos offenderet, qui nec pœnitentiæ locum ante mortem inuenit. Quàm vero miſerè Abſolon perijt, cùm regem & patrem Dauid profligare, ac è ſuo regno deturbare tentaret? Quid Saul primum regem Iſraëlitarum niſi inobedientia perdidit? quoniam Sacerdotis mandato & imperio repugnauit. Proinde quod contra eundem Saul dixit Samuel, ad me quoque ſpectare iudicabo: *Melior eſt*, inquit, *obedientia quàm victimæ: & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.*

ADSCRIBAM hoc loco nonnulla, quæ Christi ſuis parentibus ſubditi illuſtrent exemplum, ſicut Baldus in... prudenter notauit, ſimul nobis Chriſti & parentum ...

[Margin: 1. Pet. 2. Rom. 13. Tit. 3. Sapien. 6. — Exod. 20. 21 Eccleſ. 3. 18. Rom. 13. Epheſ. 6. 1. Petr. 5. — Philip. 2. — Geneſ. 9. — Hierem. 35. Geneſ. 26. Heb. 12. — 3. Reg. 18. — 1. Reg. 15. — 1. Reg. 15. — In Conſtit. monaſt. ca. 5.]

humilitatem obedientiamque commendans. Chriſtus inquit, prima ſua ætate parentum ſuorum imperio erat ſubiectus, & labores corporis omnes æquo vnà cum ipſis animo illis obediens tolerauit. Veriſimile eſt enim eos iuſtitiæ quidem & pietatis cultores, exiguos tamen & pauperes, neque neceſſarijs ad viuendum copijs ſatis inſtructos fuiſſe: quod etiam ex præſepi intelligi poteſt, in quo venerabilis ille fœtus & fœtus continebatur. Solebant etiam illi, vt videtur, in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò IESVS cùm his, vt diuinæ literæ prædicant, eſſet ſubiectus, ſine dubio in perferendis etiam vnà cum ipſis laboribus, morigeram ſuam obedientiam declarabat.] Ac alibi rurſus ita ſcribit: Iſta & ſimilia contra animi ſuperbiam perpetua nobis ipſis obſignamus, nos ipſos deturpantes, vt à Domino exaltemur, imitantes Dominum, qui ad extremam vſque humilitatem è cœlo deſcendit. Cum infans eſſet, mox in ſpelunca, neque lecto, ſed præſepi imponitur. Deinde in domicilio fabri & matris pauperculæ enutritur, ſubditus eidem matri & illius ſponſo. Docetur (in templo ſcilicet) audiens quorum inſtructione non egebat; interrogans verò & interrogando admirabilem declarabat ſapientiam. Subditur Ioanni, & baptiſmum ſuſcipit à ſeruo Dominus.] Vt cætera prætermittamus, Vbi Baſilium ſequitur Bernardus, præſentem locum diligenter expendens, quando ita ſcribit: *Erat* inquit Lucas, *ſubditus illis*. Quis? quibus? Deus hominibus. DEVS inquam cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ: nec tantùm Mariæ, ſed etiam Ioſeph propter Mariam. Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare, erubeſce ſuperbe cinis. DEVS ſe humiliat, & tu te exaltas? DEVS ſe hominibus ſubdit: & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori? Quoties enim hominibus præeſſe deſidero, toties DEVM meum præire contendo.

Luc 2.

In ſerm de humilitate.

Homel 1. ſuper Miſſus eſt.

PRECAN-

PRECANDVS mihi Deus eſt pro Chriſtianis ad [illegible] gioſis, vt ſacras ædes aut rarò inuiſant, aut fructum ex [illegible] capiant. In his illi more ſuo vagari, garrire, vanaq́; trac[illegible] malunt, quàm cum Chriſto puero pijs adeſſe cœtibus, doct[illegible] concionatores ordinarios audire, ritus Eccleſiæ publicos hon[illegible] re, & ſacras preces fundere. Non temerè autem Chriſtus t[em]-
Matth. 21. plum domum Patris, domum ſuam & orationis appellauit, ar-
Joan. 2. dentiq́; zelo illud expurgauit, & ne vas quidem per illud trans-
Marc. 11. ferri ſuſtinuit.

ORABO itidem pro parentibus, vt graue munus à DEO ipſis impoſitum ſciant, & fideliter obeant, in ſuis filijs hoc ſeculo corruptiſſimo educandis. Ita & præceptoribus & magiſtris petam gratiam, vt concreditæ ſibi iuuentuti verbo exemploq́; legitimam operam præſtent, nihilq́; ſtudij ac operæ in iuuentute rectè formanda prætermittant. Eſt ætas illa ſimplex & docilis, ſed ſimul mollis, leuis, inconſtans, præceps, lubrica, & petulans, quæ ſub diſciplinæ iugo vix contineri ſatis poſſit, & quæ perpetuam præ-
Thren. 3. ceptorum vigilantiam exigat. Bonum eſt autem viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.

ORABO etiam pro contumacibus, proteruis & rebellibus non ſolùm filijs, ſed & quibuslibet ſeditioſis ſubditis Principum ac Magiſtratuum, vt Apoſtolicam doctrinam obſeruent, quæ iu-
Ephes. 6. bet non modo filios parentibus morigeros, ſed & ſeruos in omni
Heb. 13. timore Dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis
1. Petr. 2. ſubditos eſſe, vtq́; ſuis Præpoſitis obediant atq; ſubiaceant vni-
Tit. 3. uerſi. Admone illos, inquit Paulus, Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

Sequentis Euangelij Argumentum.

IN hoc Euangelio Chriſtus honorat coniugium, cùm non ſolùm vnà cum lectiſsimis amicis intereſt nuptijs, ſed & primum in illis miraculum patrat, aqua in vinum generoſum conuerſa. Neque ſolùm hîc elucet Chriſti potentia, ſed rara etiam Deiparæ benignitas apparet, cùm pro egenis coniugibus fideliter intercedit, ac neceſſarij vini copiam impetrat. Merentur & laudem diſcipuli, qui nec laſciuiæ, nec crapulæ in hiſce nuptijs indulgent, ſed in ſpiritu firmiores inde diſcedunt, Chriſtoque fortiùs in in perpetuo adhærent cœlibatu. Eſt ſanè coniugium laudabile, ſi inter legitimas perſonas ritè contrahatur, & contractum in timore Dei cum pace mutua coniugum ſine diuortio & adulterio decenter pieque tranſigatur. Quod ſicut compluribus ad fornicationem fœdamque libidinem effugiendam remedium eſt ſalutare: ſic rurſus non paucis ad benè beatèque viuendum adfert impedimenta, multaſque moleſtias & grauia incommoda creare conſueuit. Obfuit ſanè coniugium ingrato conuiuæ, qui ad cœleſtes nuptias vocatus, ac libidini nimiùm immerſus dixit: Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire.] Et hodie multos reperimus nupturientes, atque in omnem libidinem præcipites, quorum laſciuiam ſub finem mundi frequentem fore Chriſtus ipſe prædixit, Luc 14. Matth. 24.

quùm ait, futuros tandem homines, quales erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes. Nec fruſtra quidem ab Apoſtolis dictum fuit: Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.] Cæterùm Saturninus & Marcion, vt [a] Irenæus aſſerit, ſicut & Manichæi ſecundùm [b] Auguſtinum, & Taciani quos Encratitas appellant, Chriſtianis nuptias prohibuerunt, ipſumq́; damnârunt coniugium, quemadmodum Apoſtolus eiuſmodi hæreticos in Eccleſia ſequuturos prædixerat. Quocirca ne quiſquam in hunc lapidem impingat, & Chriſtianas nuptias per ſe illicitas aut vetitas putet, Fulgentij verba de vera Eccleſiæ doctrina ſubijciam. Scimus, inquit, nuptias non eſſe peccatum, ſed Dei opus & Dei donum: quas ipſe Dominus connexuit fidei vinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento. Nouimus honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum. Nouimus à Deo non coniugia, ſed fornicationes & adulteria iudicanda. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.] Et ante Fulgentium ita ſcripſit Hieronymus: Inter Iouinianum & nos iſta contentio eſt, quòd ille exæquet virginitati nuptias, nos ſubijciamus: ille parùm vel nihil, nos multùm intereſſe dicamus.] Ac iterum: Ita nuptias recipimus, vt virginitatem quæ de nuptijs naſcitur, præferamus.] Porrò quòd Chriſtus hoc loco ad matrem loquitur: Quid mihi & tibi eſt mulier? non ad Deiparæ obiurgationem torquendum eſt, neque adeò durè & aſperè dictum, ſicut prima fronte verba ſonant, debet à nobis accipi. Sic enim Iuſtinus martyr, peruetuſtus author, hunc ipſum locum explicat: Illud, Quid mihi & tibi mulier? non ad obiurgationem dictum eſt matri à Seruatore, ſed quaſi hoc demonſtrare vellet: Non nos ij ſumus qui curam ſuſcepimus vini, quod in nuptijs conſumitur; tamen præ amore ſi vis, nè deficiat eis vinum, dic miniſtris vt faciant quæ ego eis dixero, & videbis eis non deeſſe vinum: id quod etiam accidit. Non ergo verbis matrem obiurgauit, cùm eam factis honorârit.] Bernardus præſentē Io-

Matth. 19.

a Lib. 1. ca. 30. b ad Quod vult Deum.

1. Tim. 4.

In epiſtola 3. ad Probam. de virginitate, cap. 9.

Hebr. 13.

In Apolog. ad Pammach. cap. 1.

Lib. quæſt. ad orthodox. quæſt. 136.

Sermon. 2. de mutat. aquæ in vinum.

cum

cum ſic interpretatur, vt Chriſtus hic illos doceat, qui perfectioris vitæ normam amplexi ſunt, nè ſe carnis affe- ctibus propter parentes & amicos ſinant impediri, neuè ſpiritualia ſtudia ſemel cœpta negligant. Quàm diu enim de mundo ſumus, inquit, debitores nos conſtat eſſe pa- rentibus. Ac poſtquàm reliquimus noſmetipſos, multò magis ab eorum ſollicitudine liberi ſumus.]

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Ioannis ſecundo.

NUPTIAE factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater IESV *ibi. Vocatus eſt autem* IESVS, *& diſcipuli eius ad nuptias. Et deficien- te vino, dicit mater* IESV *ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei* IESVS: *Quid mihi & tibi eſt mu- lier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunq́ dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundùm purificationem Iudæorum, ca- pientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis* IESVS: *Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſq; ad ſummũ. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Ut autem guſtauit Architriclinus aquam vi- num factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſcie- bant qui hauſerant aquam, vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei. Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſq; adhuc. Hoc fecit initium ſigno- rum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam: & crediderunt in eum diſcipuli eius.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.

SINGVLARES Chriſto Domino gratias agam, qui coniugium inde ab orbis exordio in paradiſo
Geneſ. 2. & 9. inſtitutum, in lege naturæ ac Moyſi confirmatum, & velut neceſſarium Eccleſiæ ſeminarium, tot ſeculis conſeruatum, nunc etiam miraculorum ſuorum primitijs cohoneſtat & conſecrat. Deinde cum Eccleſia Catholica credam firmiter, coniugium Chriſtianum non modò laudabilem vitæ ſtatum, eiuſque perpetuum ac indiſſolubilem inter duos coniuges nexum, verùm etiam è ſeptem Eccleſiæ Sacramentis vnum venerandum & efficax, illudq; ſignum ſa-
Epheſ. 5. crum eſſe, quo indiuidua Chriſti cum Eccleſia coniunctio ſignificatur, in quo Sacramento coniugatis peculiaris ad illos ſanctificandos, & ad liberos piè nutriendos, Dei gratia conferatur. Rurſus verò cum Orthodoxis omnibus mihi perſuaſum habebo, cœlibatum piè ſuſceptum & obſeruatum, non minore laude dignum, quin etiam ſummo Deo gratiorem, & fidelibus, ſi velint, ad benè beatèque viuendum commodiorem eſſe, quàm ipſum coniugium. Quarè ſicut Chriſtus cum parente ſua & diſcipulis, & primo quidem hoc miraculo matrimonium cohoneſtauit, ita idem Chriſtus cum caſtiſſima virgine matre, & vterque Ioannes, alijque complures in vtroque ſexu verè ſancti, vitam in cœlibatu perpetuam tranſegerunt, & ſeruandæ caſtitatis exemplum alijs præbuerunt. Hoſce duces mirum quàm multi in vtroq; ſexu, quantoq; ſtudio cunctis Eccleſiæ ſeculis conſectati ſint, voto etiam conſeruandæ caſtitatis frequenter e-

dico, & illi eam sueſiam in ſanguine proſuſo, vt ſpirituales nuptiæ cum immortali ſponſo Chriſto contractæ, non minorem quam carnales vim, perfectionem ac dignitatem integram obtinerent. Certe Paulus perpetuæ continentiæ cuſtos ac profeſſor, palam alios inhortatur, vt conſilium hoc Euangelicum, *Qui poteſt capere, capiat*, amplectantur; & ſcribit inter cætera: *Bonum eſt homini mulierem non tangere. Dico non nuptis & viduis; bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum*, id eſt, in iugi ac perpetua caſtitate viuere. His conſonans Ambroſius, Iure, inquit, laudatur bona vxor, ſed melius pia virgo præfertur. Et Bernardus adhuc luculentiùs loquitur: Bona eſt caſtitas coniugalis: ſed melior eſt continentia vidualis: optima vero integritas virginalis. Quapropter ego ſalaces Iouiniani diſcipulos, qui hodie ſunt plurimi, deteſtabor, quia coniugium exæquant virginitati, nihilque plus meriti ac præmij virginali ac viduali quàm coniugali caſtitati largiuntur, ideoque ſacris litteris, & præſertim Apoſtolo Paulo, & patribus omnibus clariſſimè contradicunt. Conſeruanda eſt interim coniugio ſua laus & gloria, vtpotè quòd Catholico ritu legitimè contractum, ſi thorum immaculatum vel cubile impollutum habeat, res eſt vtique honorabilis, DEVM authorem habet ſimul & confirmatorem; prodeſt ad vitanda ſcelera fornicationis, adulterij ac omnis nefariæ libidinis, medium inſuper eſt neceſſarium ad populum Dei propagandum, ac demùm Sacramentum exiſtit magnum, ſacrumq́; ſignum illius intimæ coniunctionis, quæ inter Chriſtum ſponſum eiuſq́; ſponſam Eccleſiam indiſſolubiliter intercedit.

Matth. 19.
1. Cor. 7.
In epiſtola 83. & 82.
Serm. 22. ad ſoror.
1. Cor. 7.
Epheſ. 5.
Epheſ. 5.
Geneſ. 2.

QVOCIRCA ſingularem Dei prouidentiam commendabo, quæ ſuauiter ita diſponit, vt boni probique coniuges nunquàm deſint Eccleſiæ, & viciſſim largitur Euangelicos ſpadones & eunuchos, ſicut à Chriſto dicuntur, vt cum perfecta animi corporiſque caſtitate non apud incre-

Matth. 19.

dulos, ſed in populo Dei omnibus ætatibus floreant, ſum-
Iſai 56. mam integritatis ſuæ lauream, quam Iſaias & Ioannes pro-
Apoc. 14. mittunt, in cœlis conſequuturi Deinde mihi ac bonis om-
nibus iuſtum creabit dolorem, quòd quotidie cernam
indecoras & funeſtas nuptias à multis contrahi, & paucis
eſſe cordi, quod ſanctus Angelus Raphaël futuro ſpon-
Tob. 6. Tobiæ terribiliter dixit: *Hi qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt*
Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent,
ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem
Ibidem. *dæmonium ſuper eos.* Ac iterum: *Accipies virginem cum ti-*
more Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt
in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris. Multo
magis illos deplorabo coniuges, inter quos mutuæ diſſen-
ſionum & iurgiorum flammæ flagrant, quùm amore con-
iugali nihil coniunctiùs eſſe oporteat: quique thorum ſu-
um grauiſſimo adulterij crimine inquinare non metuunt.
Exod. 20. Atqui deteſtandum mœchiæ peccatum cum diuina lege in
Leuit. 18. veteri nouoq; teſtamento ſæpè tradita, nec minùs cum pri-
Ezech. 22. ma coniugum inſtitutione ac omni honeſtate & caſtitate
Matth. 15. coniugali ex diametro pugnat, ſed & ſicut in Dauide & Sa-
Hebr. 13 lomone adulterantibus cernitur, triſtiſſimos habere exitus
2. Reg. 25. ſolet. Tantoque magis gratiam precabor coniugibus Ca-
3. Reg. 11. tholicis, vt firmo charitatis vinculo copulati, ab omni fœ-
dæ libidinis genere ſe puros integroſque conſeruent, ac
ſemper meminerint, adulterij interdicto omne impurita-
tis & impudicitiæ genus, quo quidem polluitur corpus,
in ſacris litteris prohiberi, ſeque ſaluos eſſe non poſſe, ni-
a 1. Cor. 6. ſi Apoſtolico dicto paruerint. [a] *Fugite*, inquit, *fornicationem.*
b Heb. 13. [b] *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* [c] *Hæc eſt voluntas*
c 1. Theſſ. 4. *Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt*
ſciat vnuſquiſq; veſtrum vas ſuum poſsidere in ſanctifi-
catione & honore, non in paſsione deſiderij, ſicut
& Gentes quæ ignorant
Deum.

Caput

Vocatus eſt autem IESVS *& diſcipuli eius ad nuptias.*

NON niſi vocatus ad nuptias venit Chriſtus, & à matre ſua rogatus inſigne patrat miraculum, vt aquam in vinum diuina virtute conuertat. Proinde maioris ego faciciam neceſſarium fidei opus atque officium precationem, quæ nobis toties in Euangelio commendatur, & Chriſtum ipſum eſſe cenſebo, quem noui coniuges, immò & cuncti res ſuas fœliciter auſpicaturi inuocare, ſibique propitium habere debeant. Vt hinc etiam Apoſtolus mandârit fidelibus, *Omne quodcunq; facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite.* Nam & luculenta & verè dulcis eſt promiſſio Saluatoris: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Tum idem in Apocalypſi non modò ſe principem Regum terræ, ſed etiam *α* & *ω*, principium & finem, primum & nouiſſimum, atque in ſecula ſeculorum viuentem appellat. Illud vero maximorum malorum fontem eſſe ducam, quòd fideles cùm aliâs, tùm in ſtatu officioque nouo aggrediendo non tàm ambitionis, auaritiæ & Veneris, quàm Chriſti Domini obliuiſcantur, quoniam eius gloriam & regnum non ob oculos ponunt, eius fauorem & præſidium non expetunt, eundem rerum ſuarum principium & finem non ſtatuunt, eiusque dexteram & benedictionem tum ad mala depellenda, tùm ad bona conſequenda omnia ſupplices non inuocant & implorant. Nihil ergo mirum, quòd in his quæ ſubinde inſtituimus, tàm ſiniſtrè ac infœliciter nobiſcum agatur, quoniam non ſuper petram, ſed ſuper arenam ſtultè ædificamus, neque cum Petro Apoſtolo dicere volumus: *Præceptor in verbo tuo laxabo rete. Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cœlos* IESVM *Filium* DEI, vt Paulinis verbis illis vtar: *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in*

Math. 6 & 7
Luc. 11. & 18.

Coloſſ. 3.

Ioan. 14.
Apoc. 1.

Matth. 7.
Luc. 5.
Hebr. 4.

in auxilio opportuno. Qui verò hunc ſuum Redemtorem non adeunt, cumque honore debitò fraudant, dum voluntati & legis eius rationem exiguam tenent, in grauem eiuſdem iram incurrunt, ſæpeque fruſtra illum inuocant. De illis ergò æterna loquitur ſapientia: *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me, eò quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.* Tantoque magis formidabo, ne ad me quoq; ſpectet terribilis illa iuſti Dei interminatio: *Væ filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum.*

rouer. 1.

ai 30.

CAETERVM Chriſti potentiam fide magna in eo complectar, quòd ſolo nutu aquam inſipidam in vinum excellens conuertit, ac inſigni miraculo virtutem ſuam diuinam aſſidentibus menſæ conuiuis apertè declarat. Quæ res vti præſentium diſcipulorum animos valdè commouit, ita meam quoque fidem in Chriſtum iure confirmabit, nihil vt ambigam de illius verbis, promiſſis ac operibus, quæ naturæ alioquin facultatem & potentiam humanam omnem excedunt. Quid enim illi difficile videatur, qui manifeſtauit gloriam ſuam, quùm panes benedictionis ſuæ gratia multiplicauit, & aquam in vinum conuertit? nimirùm vt eò magis in fide aliorum miraculorum, ac præſertim ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ſtabiliremur. Hic enim panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem toties arcana virtute conuertit, quoties ad altare Sacerdos verbis vtitur conſecratorijs, vt, ſicut Cyprianus loquitur, ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infundat eſſentia, panisque ſuperſubſtantialis vita ſit animæ, & ſanitas mentis. Nam qui ad Patris ſui gloriam, & ob ſponſæ ſuæ amorem cuncta ex nihilo condidit, cur non eodem amore ſuadente, quaſdam creaturas mutaret, ſuamque nobis domeſticis potentiam declararet? Proinde cum Ambroſio confidenter dicam: Si tanta vis eſt in ſermone Domini IESV, vt inciperent eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius ſit ſermo Chriſti,

an. 6.
atth. 14.
arc. 6.

rm. de cœ-
Domini.

. de ijs
in myſter
iant. cap
k lib 4. de
rament.
. 4.

vt

vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur?] Ac iterum: Si tantum valuit humana benedictio (ſicut in [a] Moyſe & [b] Eliſeo cernimus) vt naturam conuerteret; quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur?] Multum igitur apud me valebit hæc aquæ in vinum admiranda conuerſio, indeque ad rem Euchariſticam conuerſus, cum Chryſoſtomo animoſius profitebor, Chriſtum Dominum ſua virtute conficere Sacramentum, vt corpus ſuũ & ſanguis in altari præſtò ſint, cùm Sacerdos verba illa profert conſecratoria, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Atq; vt magis confirmer in hac doctrina Eccleſiæ, quæ ſacri Euangelij fida interpres eſt, habeo quem ſequar illuſtrem doctorem Cyrillum Hieroſolymitanum, qui præſentem locum ad rem Euchariſticam applicans, ante mille ducentos annos in hunc modum ſcripſit: Chriſtus aliquando aquam mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate: & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus ſtupendum miraculum operatus eſt, & non multò magis corpus & ſanguinem ſuum filiis ſponſi dediſſe illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus.]

[a] Exod 7. & 8.
[b] 4. Reg. 2.

Homel. 2. in 2. ad Timoth. & Homel. de proditione Iudæ.

Catecheſi 4. Myſtagogica.

Deficiente vino, dixit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.

NIMIVM profectò hebes ac ſtupidus fuero, niſi beneficentiam & charitatem in proximos conferre diſcam, vtpotè Chriſti Domini ac præceptoris exemplo clariſſimo incitatus. Is enim vt nouorum coniugum, à quibus inuitatus erat, pudori conſulat, ac præſenti illorum inopiæ ſubueniat, præter omnem exſpectationem vinum largitur præſtantiſſimum, ſeq; conuiuis omnibus perquàm humanum ac liberalem oſtendit. Sic ille de immerẽtibus, nihilq; minùs quàm de præſente Meſſia cogitantibus benè meretur, meq; docet

an. 3. Cor. 13. Pet 4. ebr. 13. fraternæ charitatis, ac alienæ indigentiæ curam habere, vt quæ aliorum ſunt, magis quàm propria ſpectem commoda, vtque non ſolùm verbo & lingua, ſed & opere & in veritate proximum diligam, ſicuti Apoſtoli præceperunt.

om. 12. VBI reſpiciam quoque Domini mei matrem eximiæ pietatis & charitatis affectu redundantem, quæ cum gaudentibus gaudere, & cum flentibus flere, & afflictis amicis intimè compati nouerat. Hinc illa non poteſt non ſollicita eſſe, vt amicis pauperibus, eorumque pudori proſpiciatur, & præſens vini tollatur penuria in conuiuio nuptiali. Qua ratione monet tempeſtiuè filium, & menſæ miniſtros præparat, plenaque fide procurandi negotij finem nullum facit, niſi optatam gratiam impetret, vt ſatis vini ſit conuiuis omnibus in menſa refocillandis. Tantam habet curam pia mater, nihil vt deſit vicinis & cognatis verecundis, vtque nouorum coniugum in tractandis hoſpitibus inopiæ ſuccurratur, ac honeſtè illic omnia tranſigantur. Vbi meam ego fidem erigam atque confirmabo, nihil dubitans, præpotentem Deum iuxta promiſſionem ſuam mihi ritè precanti fore propitium, tantoq; magis ea quæ peto, largiturum indigno, quantò ſubmiſſiùs aliorum ipſi gratiorum & Sanctorum preces ac interceſſionem adiunxero inſtar Centurionis. Et inter Sanctos quidem nulli amplius quàm Deiparæ Virgini Mariæ tribuam, illamq; cum omnibus orthodoxis aduocatam Eccleſiæ & miſericordiæ matrem honorabo, ſimulq; cum [a] Athanaſio magno, [b] Gregorio Nazianzeno, & [c] Ephrem Baſilij diacono piè inuocabo, nimirū vt ipſa apud filium intercedente, mihi pro aqua tribulationis & anguſtiæ, vinum ſpiritualis conſolationis & gratiæ concedatur. Nam probatum exemplum Bernardi ſequar, qui ad hanc ipſam gratiæ inuentricem, ſimulq; Chriſti genitricem tàm libenter quàm vtiliter confugere, ſeq́ue illius interceſsioni commendare ſolitus fuit, atque idcirco ad domeſticos inter cætera diſſeruit: Quoties mihi neceſſe eſt, fratres, poſt lacrimas & querimonias veſtras exorare matrem miſericor-

n. 16.

. 7.

Serm. de para. tragœ- de Chri- atiente. oratione rginem.

a. 2. de t. aquæ num.

diæ, vt ſuggerat ſuo benigniſsimo filio, quoniam vinum non habeatis? Et ipſa dico vobis, chariſsimi, ſi pia à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſsitati noſtræ, quoniam miſericors eſt & mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata, multò magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata.] Neque tamen huius tantæ matris inuocatione atque interceſsione ſola me conſolabor, verùm etiam quod ab illa miniſtris in Cana dictum & iniunctum eſt, ad me ſimul pertinere, mihique ſeriò demandatum eſſe cogitabo: *Quodcunque*, inquit, *dixerit vobis, facite*. Nam & Pater de ſublimi cœlo reſonans, & mater ex conuiuio nuptiali loquens, magno conſenſu poſtulant, vt fideles non modò Dei verbum audiant, & auditum fide complectantur, ſed etiam opere perficiant, ſeque citra exceptionem & excuſationem omnem obedientes vſque demonſtrent. Vnde Paulus etiam teſtatur, factum eſſe Chriſtum omnibus non credentibus tantùm, ſed & obtemperantibus ſibi cauſam ſalutis æternæ: quemadmodum & ipſe Dominus illo dicto ſatis oſtendit: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*. Ac alibi planè teſtatur: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt: ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. Qui autem verba (Meſsiæ) quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam*, per Moyſen de ſe Deus ipſe teſtatur.

Ioan. 2.

Matth. 3. & 17.

Hebr. 5.

Ioan. 15.

Matth. 12.

Deut. 18.

PRECANDVS *mihi Deus pro Chriſtianis coniugibus, vt ſuam vocationem, quæ magni eſt momenti in Eccleſia, ſæpè multumque perpendant: vt prætereà Ioſephi & Mariæ, Zachariæ & Eliſabethæ memores, diuino cultui & amori proximi ſatisfaciant, nec ſint vlli offendiculo, ſed vitam inculpatam præſtent priuatim ac publicè. Adhæc peculiarem gratiam à Deo petam, vt coniugium ſua conſtet reuerentia, ideoque vir & vxor cum iuniore Tobia illud ritè auſpicentur, thorum ſeruantes immaculatum: liberos verò ſuos (Eccleſiæ*

eb. 13. *thorum ſeruantes immaculatum: liberos verò ſuos (Eccleſiæ*
hef. 6. *ſeminarium) à peccandi conſeruent periculis & occaſionibus,*
oloſſ. 3. *eosq́; in timore Dei ſedulò inſtituant, nec minùs ab alijs, qui probatæ vitæ atq; doctrinæ ſunt homines, ac præſertim in ſcholis, probè inſtituendos curent.*

RVRSVS *Dominum orabo, vt Mariæ charitas atque compaſſio in multorum, præſertim diuitum animis reuireſcat, nimirùm ad benè merendum de indigentibus, miſeris ac afflictis coniugibus, quorum ingens vbique copia cernitur.* Semper enim pauperes habebitis vobiſcū, *inquit Dominus,* & cùm voarc. 14. lueritis, poteſtis illis benefacere. *Quarè Paulus etiam fideles* eb. 13. *hortatur:* Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci.

PRECABOR *etiam pro ijs, qui contra Dei Eccleſiæq́; præceptum caſtitatem coniugalem, immò & vidualem & virginalem violant, & fornicando conſpurcant. Orabo & pro ijs, qui ſanctam continentiam promiſerunt, vt fidem datam præſtent, ac præceptum Domini obſeruent:* Cùm votum voueris DEO euter. 23. tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus DEVS tuus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Eoq́; magis commendabo illos Deiparæ matri, quam ex* b. de ſanct. *voto virginitatem & promiſiſſe & ſeruaſſe Auguſtinus affir-* ginit. *mat, vt illa ipſa intercedente, manna cœleſti corroborati, & vino diuinæ conſolationis recreati, ſuos vincant hoſtes, ſuaq́;* oc. 3. *vota ritè perſoluant.* Qui enim vicerit, *inquit ſummus Agonotheta,* dabo ei ſedere mecum in throno meo. *Et præclarè* b. de adul- *idem dixit Auguſtinus: Illis qui ſe non continent, vtiq; expedit* in. coniu- *nubere, & quod licet expedit: quæ autem vouerint* s, cap. 15. *continentiam, nec licet, nec expedit.*]

DOMI-



DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Sequentis Euangelij argumentum.

DOcet Chriſtus in monte populum, ſuamque doctri-
nam ſtatim illuſtribus adſtruit miraculis, mundato
primùm leproſo Iudæo, & ſanato deinde puero, ſiue vt Luc. 7.
Lucas expreſsit, ſeruo Ethnici Centurionis. Ita verò ſe
Dominus perfectum doctorem oſtendit, vtpote potens
in opere & ſermone coràm Deo & omni populo: quoni- Luc. 24.
am ęgrotum vnum lepra, & alterum paralyſi laborantem
incolumitati ſubitò reſtituit. Manet quippe hoc propri-
um Meſsiæ præſentis officium, tùm Iudaicum, tùm Gen
tilem populum licet perditum, liberare atque ſaluare,
nec minorem potentiam atque clementiam in agendo
quàm in docendo monſtrare. Venit enim Filius hominis Luc. 19.
quærere & ſaluum facere quod perierat. Pertranſijt be- Actor. 10.
nefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quo-
niam Deus erat cum illo.] Cæterùm leproſus hic ima-
ginem illorum gerit, ſicut Auguſtinus indicat, qui licet in
Eccleſiæ populo numerentur, veræ tamen fidei admix-
tos habent errores, & idcirco hæretici ab Eccleſia iure
cenſentur atque puniuntur. Tales à Chriſto curari, & Ec-
cleſiæ reconciliari non poſſunt, niſi de fide & religione
iudicium ſacerdotum audiant, ſeque illis vt iudicibus
ſubijciant, & conſentientem cum ijſdem doctrinam pro-
fiteantur. Vnde Lucas de alijs etiam decem leproſis re-
fert, quòd priuſquàm à Chriſto curarentur, hoc præce-
ptum acceperint: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.] Quòd Luc. 17.

verò

cap. 8. atth.

atth. 21.

b. 1. ſuper atth.

rmon. 6 de rbis Domini.

verò Chriſtus fidem Centurionis, ſiue, vt Hilarius vocat, Tribuni, admiratur & prædicat, non obſcurè adumbrat futuram conuerſionem fidemque Gentium, quæ in amplectendo Euangelio Iudæos excellerent, veroſq; regni Dei fructus proferrent. Immò Chriſtus Iudæos à Dei regno excludendos, & Gentilem populum, ex quo erat Centurio, ad gratiam vocandum, atque ſanctis Patriarchis aggregandum eſſe hoc loco perſpicuè tradit. Hieronymus rectè monet, Centurionis huius mirandam videri fidem, humilitatem atque prudentiam: fidem in eo, quod credidit ex Gentibus paralyticum à Domino poſſe ſaluari: humilitatem, quòd ſe iudicauit indignum, cuius tectum Chriſtus intraret: prudentiam demùm & fidem, quod intra mortalis corporis tegmen, diuinitatem latentem videret atque adoraret.] Auguſtinus pulchrè dixit: Centurio dicendo ſe indignum, præſtitit dignum, non in cuius parietes, ſed in cuius cor Chriſtus intraret.] Cæterùm vt nos conſolatur quod Chriſtus de fructu & effectu iuſtificantis fidei prædicat Centurioni, ita viciſſim nos meritò terret, quod adiungitur de futuris tenebris exterioribus, ſeu extimis ac profundiſsimis, deque fletu ac ſtridore dentium, hoc eſt, de acerbiſsimis horrendi inferni cruciatibus, quos etiam filij regni, niſi reſipiſcant, perpetuò ſint ſubituri.

EVANGELIVM EIVSDEM
Dominicæ Matth. VIII.

CVM deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus veniens, adorabat eum dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo mundare. Et confeſtim mundata eſt

eſt lepra eius. Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Cùm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alio veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt: & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cũ Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Ecce leproſus veniens adorauit eum, dicens.

GRATIAS ingentes agam Chriſto Redemtori, qui de ſummo cæli monte deſcẽdens, ſe miſeris mortalibus viſibilem præbuit, quia *Verbum caro factum*

oan. 1. *eſt, & habitauit in nobis*, vt ille non modò Iudæis per hunc
leproſum deſignatis, ſed etiam Gentibus, per Centurionem
præfiguratis, cœleſtem doctorem ſimul & medicum exhi-
beret. Cùm enim homines ſacrorum eſſent ignari,& in re-
bus ſpiritualibus planè rudes, ac prætereà in corpore & a-
nimo grauiſſimè laborarent, tàm clementi ac potenti do-
ctore & medico plurimùm indigebant. Venit ergo ille ad il-
luminandos omnes qui ſedebant in tenebris & vmbra mor-
uc. 1. tis, ac ſalutarem adferre voluit opem ægrotis verèque cala-
mitoſis, ac tantùm non perditis. Niſi talem haberemus do-
ſai. 53. ctorem, haud dubiè oues maneremus errantes,animarum
Petr. 2. noſtrarum paſtore & Epiſcopo deſtituti, ſicut Petrus Chri-
ſtum appellat. Niſi prætereà eiuſmodi nobis medicus ob-
tingeret, nulla morbis noſtris curandis remedia ſuppete-
ſal. 106. rent, nec dictum illud Propheticum impleretur: *Miſit ver-
bum ſuum, & ſanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eo-
rum.* Eòque magis ego Chriſti bonitatem amabo & prædi-
cabo,qui hoc loco in leproſo & ſeruo Centurionis curando
præſtare cœpit efficaciter, quod alibi promittens dixerat:
an. 10. *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili* (veteris ſcilicet
Synagogæ,) *& illas oportet me adducere,* (nimirùm ex Gen-
tibus) *& vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pa-
ſtor.* Sic enim Pater æternus pollicitus antè fuerat: *Populus
al. 17. quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.
Filij alieni mentiti ſunt mihi, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.*
atth. 21. Nam & Chriſtus de Iudæis reijciendis,deq; Gentibus in illo-
23. rumlocum adoptandis, vt alibi ſæpè,ſic etiam in fine huius
Euangelij palàm vaticinatur.

CAETERVM iure dolebo, me in Chriſti ſchola tàm
diu verſatum, hactenus tàm parùm profeciſſe, vt propoſiti
Leproſus & Centurio, velut noui in fide tyrones,me longo
poſt ſe interuallo reliquiſſe videantur. Illi enim vix audito
Chriſto, eiuſque miraculis nondum conſpectis,nullum ali-
um niſi illum ipſum ſibi propitium eſſe cupiunt, ad illum
non ſine ingenti fide, humilitate ac precatione ſpontè pro-

perant,

perant, de illius potentia nihil ambigunt, ſubmiſsè erga illum ſeſe gerunt, eundem publicè confitentur, & ardenter implorant, parati etiam haud dubiè illius monitis & iuſſis obtemperare. Quàm verò ſum ego ſegnis, frigidus, incompoſitus in cultu diuino, in veneratione Chriſti & vſu ſacrorum? vt meritò illud audiam: *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum. Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus, dicit Dominus exercituum. Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? * Vbi eſt fides veſtra? Quouſq; ero vobiſcum? vſquequo patiar vos?* Cæterùm exemplo leproſi diſcam, aliorum oblitus, meipſum & præcipuos animæ meæ morbos, velut præſentem lepram, quæ à ſolo Deo curetur, ſæpè & cum mœrore perpendere, atque hinc pudebundus ad Chriſtum confugere medicum, apud quem veram animi munditiam ac perfectam ſanitatem liceat recuperare. Hinc autem ſpectat, vt me non ſecus ac leproſum, id eſt, impurum, fœdum, deſpicabilem, immò Deo & Angelis eius abominabilem, bonorumq́ue conuictu & gaudio indignum ſtatuam: atque idcircò ſollicitus & anxius cum Propheta dicam: *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Libera me quia egenus & pauper ego ſum: & cor meum conturbatum eſt intra me.* Neque tantùm in fide & cum humilitate precabor, ſicut leproſus ſupplex orauit, verùm etiam illius exemplo meam ſanitatem & ægritudinem, meq́; totum Dei ſapientiæ & voluntati permittam, ideoq́ue ex illius præſcripto libenter agam ac perferam omnia, paternæ illius bonitati ſucceſſum & euentum omnem ſecurè committens. Scriptum eſt enim: *Reuela Domino vitam tuam, & ſpera in eum: & ipſe faciet. Pete à Deo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis permanſit in mandatis eius & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Quoniam*

Malach. 1.
Luc. 12.
* Luc. 8.
Matth. 17.
Pſal. 6.
Pſal. 108.
Pſal. 36.
Tob. 4.
Ecclеſ. 2.

pius & miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis pec-
cata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. Prç-
tereà leproſus de obedientia præſtanda me admonet, quan-
Leuit. 14. doquidem etiam à lepra mundati, vt legi ſatis facerent, aues
duas offerre, corpus lauare, pilos radere, hyſſopo aſpergi,
& à ſacris ad tempus abſtinere debebant. Quarè mihi ſatis
non erit à peccato mundari, niſi mundatus illam Chriſti ob-
Ioan. 5. ſeruem regulam: *Ecce ſanus factus es*, inquit, *iam noli pec-*
care, ne deterius tibi aliquid contingat. Cum his coniungam
Exod. 35. dictum Sapientis: *Sacrificium ſalutare eſt attendere manda-*
tis, & diſcedere ab omni iniquitate. Dauid ita dixit: *Sacrifi-*
Pſal. 4. *cate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Sed & aliud
Chriſtus ab hoc leproſo exigit, nimirùm:

Vade oſtende te Sacerdoti.

VARIAS ob cauſas hic leproſus ad ſacerdotem à Chri-
ſto mittitur. Primùm propter humilitatem, vt ſacerdotibus
deferre honorem videatur. Erat enim in lege præceptum, vt
Leuit. 14. qui mundati fuerant à lepra, offerrent munera ſacerdoti.
Deinde vt mundatum videntes leproſum, aut crederent Sal-
uatori, aut non crederent, & ſi non crederent, inexcuſabi-
les forent: & ſimul nè, quod in Chriſto ſæpiſſimè crimina-
bantur, legem ipſe infringere videretur, ſicut Hieronymus
Lib. 1. comment. in cap. 8. Matth. notat. Ego verò vt non ſolùm ad leproſi, ſed Chriſti etiam
humilitatem amplectendam, & præcipuè ſacerdotibus ex-
hibendam magis exciter ac impellar, præclara Cypriani ver-
Lib. 3. epiſt. 9. ba quæ ad hunc locum ſpectant, ſedulò meditabor. Sic au-
tem habent: Dominus etiam noſter ipſe IESVS Chriſtus,
rex & iudex, & Deus noſter vſque ad paſſionis diem ſeruauit
honorem Pontificibus & ſacerdotibus, quamuis illi nec ti-
morem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cùm
leproſum emundaſſet, dixit illi: Vade & monſtra te ſacer-
Luc. 7. doti, & offer donum. Humilitate ea, qua nos quoque eſſe
Matth. 5. & 11. humiles docuit, ſacerdotem adhuc appellabat, quem ſcie-
bat eſſe ſacrilegum.] Vbi prætereà Pauli Apoſtoli profert ex-

impium, qui impio & Moſaico Pontifici tantùm tribuit, vt ad ſe excuſandum, quod contra illum liberius videretur inuectus, reſponderit: *Neſciebam fratres, quia princeps eſt ſacerdotum.* Scriptum eſt enim: *Principi populi tui non maledices.* Præterea dictum illud Sapientis repetit: *Ex tota anima tua time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica. Honora Deum, ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes.* Actor. 23. Exod. 22. Eccleſ. 7.

ADHAEC ſingulares agam gratias Chriſto Opt. Max. Pontifici, qui ſicut olim per ſeipſum leproſos conſolatus eſt, eoſque perfectè mundauit, ita nunc etiam per Sacerdotum miniſterium plurimos, nè in vitiorum ſuorum ſordibus & peſtibus moriantur, verbo ſuo mirabiliter recreat, expurgat, abſoluit atque ſanat. Etenim Euangelicorum ſacerdotum eſt proprium, vnà cum Paulo dicere: *Poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Non enim mentitur Veritas Chriſtus diſertè promittens non omnibus, ſed conſtitutis Dei Eccleſiæq; miniſtris, quos ipſe ſibi vicarios conſtituit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Illorum verò leproſorũ vicem dolebo maximè, qui ſacerdotum & præpoſitorum Eccleſię authoritate contemta, incurabiles perſtant; & quia ſuos morbos quamlibet peſtilentes & contagioſos non agnoſcunt, meritò per ſacerdotes à cœtu ſanorum excluduntur. Sunt enim illi nouis ſectis addicti, prauiſque imbuti opinionibus, præſertim de neceſſarijs pœnitentiæ partibus atque actionibus exhibendis. Quod enim de ſui ſeculi moribus refert Cyprianus, ad iſtorum conſuetudinem maximè pertinet. Datur opera, inquit, ne ſatisfactionibus vel lamentationibus iuſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrimis abluantur. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur, ſalutaris ſinus matris nouerca intercedente præcluditur.] Quarè in hos competit Propheticum illud dictum: *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non eſt mundata à* 2. Cor. 5. Ioan. 20. Lib. 1 epiſt. 3 ad Cornelium. Ezech. 24.

 ſordibus

ſordibus tuis: ſed nec mundaberis prius, donec quieſcere faciam indignationem meam in te. Nec ſunt iſti diſſimiles Oziæ Regi Iuda, qui Sacerdotum officium ſibi ſumens, incurabili lepra in fronte percuſſus fuit, & ea pœna diuinitùs inflicta, nunquàm potuit liberari, regno etiam ipſo priuatus. Adeò nihil confert, Chriſtum iactare medicum, & eiuſdem violare præceptum, quo immundi omnes vt ſuas impuras emundent conſcientias, ad ſacerdotes, qui inter lepram & lepram diſcernant, & ad claues Eccleſiæ petendas remittuntur. Vnde ſcribit Pacianus, in remiſsione peccatorum illud facere Deum, quod per ſuos facit ſacerdotes, iuxta illud: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo,* quemadmodum eundem locum Auguſtinus interpretatur. Atque vt differentem veteris ac nouæ legis poteſtatem in ſacerdotibus agnoſcamus,* Chryſoſtomus non obſcurè dixit: Corporis lepram purgare, ſeu potius purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat: at verò noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.] Quocirca tantò rectiùs & ſecuriùs me à peccato mundari putabo, quantò frequentiùs & ſubmiſsiùs hũc leproſum Euangelicum imitabor, vt ſicuti loquitur Cyprianus, apud ſacerdotes exomologeſin faciam, & peccata mea dolenter confitear, animi mei pondus exponam, ac ſalutarem medelam, paruis licet ac modicis vulneribus exquiram, ſciens à Paulo ſcriptum eſſe: *Deus non irridetur.* Hoc enim eſt ſpiritualem lepram illis medicis purgandam detegere, quos princeps ſacerdotum Chriſtus ad reos abſoluendos inſtituit, & ſemper adhibuit Eccleſia. Nam vt Lucas de primitiua ſcripſit Eccleſia, *multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos.* Nec dubitat Cyprianus Epiſcopus diſertis mandare verbis: Confiteantur ſinguli delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſsio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes, apud Dominum grata eſt.] Quamuis autem

[Margin notes, partly cut off:] aral. 26. / Reg. 15. / uit. 13. / 4. / epiſtola Simpro- / an. / atth. 18. / b. 20. de ci- / tate Dei, / d. 9. & in / mel. 50. / ib. 3. de ſa- / rdot. / epiſtola 5. / Corneli- / 1. & ſerm. / de lapſis. / l. 6. / or. 19. / m. 5. de / ſis.

tem lepra quodlibet enorme peccatum deſignat, quo ſe homo velut immundum à Deo, cœtuque ſanctorum ſeparat: vnde ſcriptum legimus: *Quaſi à facie colubri fuge peccata*, tamen vt multi cum Auguſtino annotârunt, praua in fide doctrina ſeu hæreſis pro lepra ſpirituali maximè habenda, & mihi pro lepra longè peſtilentiſſima deuitanda eſt. Et ſanè accidit hæreticis, vt iuxta myſticum ſenſum cum leproſis communem habeant colorum varietatem, peſtemque contagioſam, quæ diu latere non poſſit, ac multis officiat vehementer. Quid multa? Quoties de curanda lepra ſpirituali agitur, toties ad Chriſtum velut primarium medicum confugere, & ex illius præſcripto ſacerdotibus Euangelicis obedire neceſſe eſt. Ecclеſ. 1. Lib. 2. quæſtion. Euangelic. & ſerm. 10. de verbis Apoſt.

Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.

MECVM benè agi crediderim, ſi huius Euangelici, nec ſatis vnquàm laudati Centurionis vel ſeruus, vel æmulator eſſe pôſſim: tàm præclara de illo prædicant Euangeliſtæ. Is eſt qui populum Dei Iſraëliticum diligit, & ſacras ædes ad cultum diuinum augendum exſtruit. Etenim ſeniores Iudæorum de illo licet alienigena, & primo fructu ex gentibus, vt ait Chryſoſtomus, ita teſtantur: *Diligit gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.* Is prouidum & induſtrium herum agit, vtpotè profanos milites in pace & diſciplina domeſtica continens, vt omnes officio ſuo facerent ſatis. Is fidum & gratum ſibi ſeruum tantoperè amat, vt in illo reſtituendo patris potiùs quàm domini ſtudium officiumque declaret. Is enim faſtu poſito, de ſeipſo, vt ſubdito, valdè ſubmiſſè: de Chriſto autem à Iudæis neglecto ſublimiter ac glorioſè ſentit ac loquitur. Subornat ergò ſeniores ex Iſraëlitis, qui pro ſe & ægroto ſeruo intercedãt apud Dominum, vtpotè quem per ſe non audet accedere, & cuius beneficio, immò & in ſuas ædes ingreſſu, ſe prorſus indignum eſſe pronuntiat. O quàm multas veræ iuſtitiæ par- Matth. 8. Luc. 7. Luc. 7.

tes expleuit, qui ſingulare ſtudium erga Eccleſiam ob extructam ſynagogam, ſublimiori poteſtati promtam obedientiam, Chriſto Domino incomparabilem fidem, ægroto ſeruo admirandam charitatem, ac toti demùm familiæ fidam curam & prouidam gubernationem tribuit ac impendit.

latione ap. 5. .7. PRAETEREA ex Ioanne Caſſiano meminero, fructum vt mihi adferat præclara, & Euangelico Centurione digna confeſſio: *Nam & ego homo ſum*, inquit, *ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij, veni & venit, & ſeruo meo, fac hoc & facit.* Quàm is eſt miles exercitatus, & ſapiens militum dux? qui per omnia ſuis magiſtratibus paret, ac iuri ſuo ſubiectos ad nutum parere facit, vt ſic domeſticos omnes in pace regat atque cuſtodiat, quia nemo illorum ſuam propriam, ſed omnes Domini faciunt voluntatem. Atque hoc modo, ſi ſenſum myſticum requiram, Chriſtianæ animæ perfectionem hîc deliniatam putabo, quæ nimirùm in eo conſiſtit, vt ſummo Deo eiuſque Vicarijs debitam præſtem obedientiam, & me ipſum ſenſuſque meos, tanquam ſeruos, in officio contineam, tùm cogitationes & curas rationis imperio ſubdam, omniaq; mihi concredita in ordine certo conſeruem. Hoc enim eſt profectò Euangelicum Centurionem agere, & ſpiritualibus armis eſſe munitum, quibus Chriſti milites bella Domini præliari decet, quemadmodum Apoſtolus Paulus Epheſijs accuratè præſcripſit. Inprimis autem mihi cauebo à peſtilenti illorum errore, qui ſolùm Centurionis fidem ſpeculantur, eamque nihil aliud faciunt, præterquàm fiduciam diuinæ miſericordię peccata remittentis propter Chriſtum: ea enim fide hominem duntaxat iuſtificari, & iuſtum viuere imperitis perſuadere contendunt. Atqui Euangeliſtę ſicut fidem, ita & virtutes alias in Centurione commendāt, nobiſque imitandas proponunt: fidem autem illius in eo collocant, quod certò crederet, Chriſtum abſentem corpore, & maieſtate præſentem, omnibus præſtare principibus, medicis & creaturis, quia ſeruo ſuo iam agenti animam ſolo

[margin: ...eſ. 6.]

verbo

erbo ſuccurrere,& ſanitatē integram ſubitò reſtituere,imò & ſua prouidentia quælibet gubernare ac diſponere poſſit. Hęc illius rara quidem & eo tempore incomparabilis erat fides,quā apud Iudæos quærere, ſed neutiquam inuenire licebat,ſicut & Chriſti verba demōſtranr.Errant autē,qui ex hac fide conſtruunt & comprobant fidem illam,vti vocant,ſpecialē atq; nouitiam , nec ſimul includunt firmū aſſenſum illorū quę reuelauitDeus,vt à fidelibus omnibus iuxta doctrinā Eccleſiæ certò & ſine ambiguitate credantur. Ita fit,vt illi de fide ſine fide philoſophentur.Errant præterea, quòd hac ſeu potiùs inani præſumtione contenti, non vrgeant fidem, quæ iuxta Paulum per charitatē in renatis operatur, & ſimul pœnitentiā obedientiamq́; coniunctam exigit,quemadmodū Apoſtoli ſuis in ſcriptis euidenter oſtendunt.Ex his Iacobus perſpicuè tradit: *Fides ſine operibus otioſa eſt.Fides Abrahæ operibus cōſummata eſt:ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantū: Fides ſine operib. mortua eſt.* Et Ioānes affirmat: *Qui facit iuſtitiā,iuſtus eſt:qui facit peccatū,ex diabolo eſt.* Tū ſi Paulum audimus,factores legis iuſtificabuntur,nosq́; ſumus Dei factura,creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis,quæ præparauit Deus,vt in ijs ambulemus. Poſtremò non obliuiſcar admirandæ humilitatis, qua idē Centurio velut nihil præclari haberet aut ageret, ſeipſum tàm ſtudiosè deiecit,ac ſuā indignitatē publicè profeſſus eſt. *Domine,non ſum dignus vt intres ſub tectū meum* Nam & ſeniores quos ex Iſraëlitis delegerat, ſibi anteponit, & Chriſti magnitudinem ſpectans, ſeipſum planè deſpicit,atq; vt anteà Ioannes Baptiſta fecerat, ſe prorſus contemtibilem ducit. Vbi ego huius tanti viri,quem admiratur & Chriſtus,exemplū non laudabo ſolùm, ſed etiam ſtudiosè imitabor,maximè ſacroſanctam Euchariſtiam percepturus.Sic enim & veteres orthodoxi fecerunt, & eiſdem verbis Centurionis vti conſueuêre,ſicut & Origenes his verbis monuit: Quando ſanctum cibum,illudq́; incorruptū accipis epulū,quando vitæ pane & poculo frueris, māducas & bibis corpus & ſanguinē Domini,tunc Dominus ſub tectum

Gal. 5.

Iacob. 2.

1. Ioh. 3.

Rom. 2.

Epheſ. 2.

Luc. 7.

Matth. 3.

Ioan. 1.

Homel. 5. in diuerſ.

ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.*]

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro legitimo vſu ac fructu miraculorum, quæ per Deum & Sanctos tot ſeculis patrantur vbiuis gentium, nimirùm vt ſint mortalibus diuinæ gloriæ manifeſtationes, factarum à Chriſto promiſſionum exhibitiones, Eccleſiæ veræ inſignia, orthodoxæ fidei teſtimonia, Sanctorum ornamenta, fidelium præſidia, miſerorum ſolatia, hæreticorum flagella, ac demùm infidelium ad Catholicam religionem amplectendam excitamenta. Sicut autem inuidi Phariſæi iam olim Chriſti miracula per ſummam nequitiam infectati ſunt, ita deinceps impij Ariani, ſicut de illis teſtatur Ambroſius, Sanctorum miracula pro Satanæ ludibrijs, per meram calumniam publicè proſciderunt. Ab his porrò eandem cantilenam noſtri dìdicêre Sectarij, in eo certè conſentientes, vt Eccleſiam gloria miraculorum, velut illuſtri nota inuidè ſpolient, honoremq́ Deo debitum in Satanam transferre audeant, atque ita conſenſui totius venerandæ antiquitatis, & irrefutabili omnium temporum experientiæ, non ſine maxima impudentia contradicant.*

ORABO *inſuper pro leproſis ac ægrotis alijs, præſertim incurabili morbo diuexatis, vt cum Iob grauiter afflicto, & Lazaro multis modis ærumnoſo mendico ſuam crucem, vti diuinitùs impoſitam, patienter ferant, vtq́ partim humanam benignitatem, partim diuinam conſolationem in ſuis cruciatibus magis ac magis experiantur. Martyre Cypriano digna eſt ſententia: Infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis, ſed & peregrinis, ſi qui indigentes fuerint, ſumtus ſuggeratis de quantitate mea propria.*]

RVRSVS *inuocabo Dominum pro heris ac magiſtratibus, qui ſe pro virili ad Euangelici Centurionis componant exemplum, & in domeſticis ſubditisq́ gubernandis ſuo fungantur*

munere,

munere, ita vt recta primum in Deum fide & humilitate, tum ſincera in proximum charitate ſint conſpicui. Etenim ſicut principum & magiſtratuum officio nihil in hac vita iucundius ac ſpecioſius apparet, ita nihil apud Deum eſt grauius & damnabilius, ſi perfunctoriè res agatur, maiorq́; cura propriæ dignitatis, quam ſubditorum vel publicæ vtilitatis ratio habeatur. Quare non temerè ſcriptum illud extat: Iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur. Sapient. 6.

DOMINICA IIII.
POST EPIPHANIAM.

Sequentis Euangelij argumentum.

NOVUM deſcribitur miraculum veri Meſsiæ proprium, in cuius poteſtate non modo terræ, ſed maris etiam manet imperium, ideoque ſæuis hic ventis imperat, ac grauiſsimam tempeſtatem vno verbo compeſcit, & præterea ex turbulento mari pacatum ac ſerenum ſine negotio reddit. In hunc maris conditorem ſimul & moderatorem illud Pſalmographi dictum propriè competit: Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.] Eam diuinam Chriſti potentiam (hominum enim facultatem omnem excedit) diſcipuli nauigantes experti, & publica confeſsione teſtati ſunt, cùm viderent non modò morbos & dæmones, verumetiam ventos ac mare, brutum licet elementum, Chriſti iuſsis obtemperare. Fœlices & illi, quibus ad portum ſalutis æternæ nauigantibus Chriſtus nauclerus Pſal. 88.

 obtingit.

obtingit. Hos enim ille à præſenti naufragio, & contra ſurdi maris violentos fluctus, id eſt, aduerſus graues quarumlibet tentationum aculeos, cuſtodit immunes. Qui nauclerus interim à ſuis fidem, precationem ac obedientiam exigit, varijſque modis illos, quàm diu in hiſce vitæ mortalis fluctibus nauigatur (Militia enim eſt vita
. 7. hominis ſuper terram) exercet. Etſi verò idem Dominus non rarò dormire, vel nauim ſuam prorſus negligere videatur, tamen hoc paſtore in gubernandis ouibus nihil vigilantiùs, hoc Rege in conſeruando populo ſuo nihil fortius, hoc Pontifice in expiandis animorum ſordibus nihil fidelius poteſt reperiri. De illo veriſsimè ca-
l. 106. nimus: Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Et lætati ſunt, qui ſiluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.] Dormit interim ſecundùm humanitatem, qui ſemper vt Deus vigilat, & qui nobis cùm ſuos virga viſitat dormire, cum verò adeſt periclitantibus, vigilare videri ſolet.

EVANGELIVM EIVSDEM
Dominicæ Matth. VIII.

ASCENDENTE IESV *in nauiculam, ſequuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Et dicit ei* IESVS: *Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc exſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines*

mines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic? quia venti & mare obediunt ei.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Aſcendente Ieſu in nauiculam.

COMMVNIS Patrum eſt ſententia, quam ego firmiter amplectar, Eccleſiam Catholicam, extra quam ſalus nulla obtingit mortalibus, partim per arcam Noë, partim per dictam vel Petri nauiculam deſignari, nobiſque conſiderandam eſſe. Ego verò meam de Eccleſia fidem tantò magis renouabo atque confirmabo, quantò plures hodie ſeſe offerunt, qui diſceſſionem ab Apoſtolo Paulo prædictam nefariè facere pergunt, ſeque ipſos ingratos matris Eccleſiæ deſertores, ac impiobos perſequutores magis ac magis oſtendunt. Certò igitur ſtatuam, Eccleſiam veram, cuius membrum me profiteor, ſemperque per DEI gratiam profitebor, eſſe vnam viſibilem, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam fidelium congregationem, ſimulque domum DEI viui, ſicut Paulus appellat, columnam item & firmamentum veritatis. Nec dubitabo, hanc Eccleſiam doceri & regi ſemper à Spiritu ſancto, quemadmodum Chriſtus veritas æterna promiſit, eamq́; non ſolùm à politicis, ſed etiam & præcipuè quidem ab Eccleſiaſticis magiſtratibus, quàm diu ſtabit mundus, legitimè gubernari: tùm in eâdem verbum DEI rectè ſemper doceri, veraque ſacramenta ſalutariter percipi, ac demùm hanc domum ſupra petram fundatam, nullis vel dæmonum, vel hominum fraudibus ac viribus euerti ac expugnari poſſe.

Geneſ. 7. Luc. 5. 2. Theſſ. 2. 1. Tim. 3. Ioan. 14. & 16. Matth. 16.

De hac Chriſti ſponſa, & veritatis omnis magiſtra cum Gregorio magno conſtanter dixerim; Sola eſt Eccleſia, per quã ſacrificium Dominus libenter accipiat: ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hoſtia Dominus præcepit dicens: *In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras*. In vna namque domo agnus comeditur, quia in vna Catholica Eccleſia vera hoſtia Redemtoris immolatur: de cuius carnibus diuina lex efferri foras prohibet, quia dari ſanctum canibus vetat. Sola eſt in qua opus bonum fructuosè peragitur: vnde & mercedem denarij non niſi qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola eſt quæ intra ſe poſitos valida charitatis compage cuſtodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad ſublimiora ſuſtulit, omnes autem quos extra arcam inuenit, extinxit. Sola eſt in qua ſuperna myſteria veraciter contemplemur: vnde & ad Moyſen Dominus dicit: *Eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram.* Et paulò poſt: *Tollam manum meam, & videbis poſteriora mea.* Quia enim ex ſola Catholica Eccleſia Deitas conſpicitur, apud ſe eſſe locum Dominus perhibet, de quo videatur.]

Lib 25. Moralium. cap. 7. — Exod. 12. — Matth. 7 — Matth. 20. — Geneſ. 7. — Exod. 33.

CAETERVM ad hanc Eccleſiam amplectendam, conſeruandam atque propugnandam nihil me commouebit magis, quàm quod conſtet, Chriſtum huius veluti nauiculæ ſummum, fidiſſimum & præpotentem eſſe nauclerum, cui meritò etiam gratias ingentes agam, quòd pro ardenti charitate ſua illius curam paternam ſuſceperit, & ſuſceptam nunquàm velit deponere, ſed illi promiſſioni ſemper ſatisfacere: *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Sicut & anteà per Prophetam Iſaiam dixerat, ſuam ſponſam conſolans: *Miſericordia mea non recedet à te, & fædus pacis meæ non mouebitur.* Ipſe eſt quem Pater æternus per Prophetam affatur: *Hoc fædus meum cum eis, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodò vſque in ſempiternum.*

Matth. 28. — Iſai. 54. — Iſai. 59.

Quid verò de Eccleſię hoſtibus ac deſertoribus? *Gens*, inquit, *& regnum quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Quò minùs ego mirabor, complures gentes & inſulas, nec pauca regna & imperia hodie reperiri, quæ miſerandum in modum perierint ac pereant, quæque in impiorum hoſtium veniant poteſtatem, quandoquidem à Chriſti corpore & regno, id eſt, ab vnitate & obedientia Eccleſiæ Catholicæ ſeſe præſciderunt, ſuaque à fide defectione meruerunt, vt ob ſuam ingratitudinem ac perfidiam de ore Domini euomantur. Etſi verò inter gubernatores ac remiges nonnunquam Iudas, Diotrepes, alijque falſi fratres in hac naui reperiuntur, immò etiam ad clauem ſedent, tamen primarius gubernator eſt manetque Chriſtus, de quo iure ſummo cum Dauide canimus: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Is eſt, qui in vna Petri nauicula ſedet ac docet, ſimulque ſuam in illa præpotentem virtutem ac fidam protectionem continenter oſtendit, nec ſinit vnquàm, vt eadem Petri nauis vel maris fluctibus vel hoſtium iniuria opprimatur, ſed iuxta ſuum promiſſum efficit, vt portæ inferi aduerſus illam non præualeant, fide nimirùm Petri nunquàm deficiente. Atque huc ſpectat quod apud Iſaiam ſuauiſsimè promiſit Deus Eccleſiæ ſub nomine Iſraëlis ita loquens: *Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum ſum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei. Ecce confundentur & erubeſcent omnes qui pugnant aduerſum te, erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi.* Et ſequitur poſteà: *Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensq; tibi, Ne timeas, ego adiuui te.* Quàm pulchrè autem iſta congruunt cum illis, quæ Chriſtus dixit ac fecit diſcipulis in naui periclitantibus valdeque turbatis? *Confidite*, inquit, *ego ſum, nolite timere.* Tum iiſdem diſcipulis mœrentibus poſt cœnam dixit dulciter: *Paracletus Spiritus ſanctus vos docebit omnia. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Vado & venio ad vos.*

Iſai. 60. | 3. epiſt. Ioan. | Pſal. 120. | Luc. 5. | Matth. 16. | Luc. 22. | Iſai 41. | Marc. 6. | Ioan. 14.

Domine

Domine ſalua nos, perimus.

NON mihi ſat erit in vera Eccleſiæ naui perſiſtere, extra quam velut arcam Noë, nauigantes omnes certiſſimum naufragium faciunt, ſed meam quoque ſtationem in myſtica naui acceptam pro virili tuebor, & quoad eius fieri poteſt, aliquam eiuſdem nauis partem expurgare vel releuare conabor. Noſtra enim & publica peccata, quæ impunè prorſus abire ſinimus, ſummum Deum ſic offendunt, vt ex benigno Patre iratum iudicem, & ſeuerum vltorem eſſe cogant, ideoque ille filijs inobedientibus hoc modò interminatur: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ac iterum: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini inquam, filijs ſceleratis.* Cæterùm vt ſciamus, peccatorum qui ſunt & manent in Eccleſia, longè potiorem ac tolerabiliorem quàm aliorum infidelium eſſe conditionem, ſignificanter de filijs Eccleſiæ Propheta dixit: *Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non diſperdet eos.* Vnde cùm Sion diceret: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*, ita Sion, id eſt, Eccleſiam Dominus per Iſaiam conſolatur: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.*

IAM verò inter alia firmum in rebus calamitoſis perfugium ſemper fuit & eſt pia & ardens communisq; precatio fidelium, vt qua Deum ipſum quamuis iratum, ſibi placatum fauentem, amicum ac beneficum efficere poſſiunt. Hoc probè nouerat pius rex Ioſaphat, qui à barbaris hoſtibus cicumuallatus, vnà cum toto populo ad orationem ſeſe conuertit, atque inter orandum ita dixit: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Et per Prophetam reſpondit illis Deus: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna ſed Dei.* Nouerant id ipſum Betulienſes, quùm ab impijs Aſſyrijs obſiderentur, quorum ſacerdos magnus Eliachim

præclarè

præclarè dixit: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces ve-ſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs & orationibus in conſpectu Domini.* Nouerant demùm hoc ethnici, quibuſcum in ſumma tempeſtate maris Ionas nauigauit, quoniam non ſolùm ſuum quiſque Deum ſedulò inuocauit, ſed etiam Ionæ dormienti velut inſultando dixerunt: *Quid tu ſopore deprimeris? ſurge, inuoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Proinde quantò nunc aſperioribus flagelis ferimur, quantoq; grauiores aduerſus nauim Eccleſiaſticam procellæ vndique concitantur: tantò ſanè diligentiùs ac fortiùs in hac ſumma tempeſtate Apoſtoli nobis veniunt imitandi, vt Chriſtum veluti dormientem nauclerum inuocemus, & neceſſarias ab illo ſuppetias expetamus. Orandi vero modum Paulus illis verbis indicat: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Igitur in hoc precandi munere nunc maximè verſabor, quandò ſi vnquàm antea, IESVS Eccleſiæ ſuæ princeps ac vindex dormit, ſuamque Eccleſiam grauiſſimis fluctibus & procellis agitatam, ac tantùm non demerſam, quaſi deſerit iudicio plurimorum. Precabor autem, vt Catholicis idem quod iam olim Iſraëlitis dicere liceat: *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos.* Etenim qui Petrum in mare mergi incipientem, ſimulque orantem ſua dextra ſuſtentauit, poteſt is quoq; tempeſtates horrendas, quæ toti naui Eccleſiæ minãtur exitiũ, è veſtigio ſedare, & exoptatam Eccleſiæ pacem inopinatamq; tranquillitatem reddere. Tantũ illud mihi potiſſimũ erit curæ, vt inter precandũ partim miſeriam meam, partim incredibilẽ Chriſti virtutem & immenſam bonitatẽ, quæ pœnitentibus ac orantibus ꝓmiſſa eſt, cũ fide viua perpendã. Habeo enim mandatũ Dominí ſerium & crebrò mihi recolendũ: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta quæ futura ſunt, & ſtare ante filiũ hominis.* Tum alibi cũctis fidelibus præcipit: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis,*

Ion. 1. Hebr. 4. Pſal. 77. Matth. 14. Matth. 4. & 7. Luc. 21. Luc. 11.

uenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Sicut autem Apoſtolorum precatio hîc efficax fuit, vt ceſſaret ſæua tempeſtas, ipſique proſperè nauigarent: ſic Eccleſia primitiua
Actor. 12. comprecante factum eſt, vt Petrus Apoſtolus Herodiano carcere mirabiliter liberatus, non modò lætè ad ſuos rediret, ſed etiam in Oriente & Occidente plurimùm prodeſſet Chriſtianiſmo.

Venti & mare obediunt illi.

OBSERVABO inprimis admirabile conſilium & ſingularem amorem Dei, qui ſuos fideles tempeſtate ac tribulatione primùm exercet, deinde verò mirificè conſolatur, & ſolido gaudio perfundit, vt hinc ſumma eius potentia & par beneuolētia explorata rectiùs prædicetur. Hoc eſt quod Sara Raguelis filia in ſuis precibus ad Deum effuſis com
Tob. 3. probauit: *Pro certo,* inquit, *habet omnis qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in coruptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrimationem & fletum exultationem infundis.* Quam iocundam
1. Reg. 19. commutationem ſenſit Dauid, qui ab impio rege Saul
20. 22. Pſal. 17. multis modis diuexatus, ita cecinit: *Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumſit me de aquis multis: eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.* Senſit & Tobias cæcitate percuſſus, & à ſuis illu-
Tob. 11. ſus: vnde laudans Deum aiebat: *Benedico te Domine Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me.* Senſit rurſus Anna ſterilis matrona, quam & ancilla procax afflixit, ſed quæ
1. Reg. 2. mater effecta cantauit cum gaudio: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Senſère demum tot Martyrum millia, quorum vna in cœleſti regno ſemper du-
Pſal. 65. rat confeſsio, *Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.* Præterea meam in Chriſtum fiduciam & precandi contentionem augebit, quòd videam hoc loco in

Chriſti

Chriſti manu eſſe omnia, cuius potentiæ dæmones & homines, venti & maria nequeant reſiſtere, ſed ſeruire cogantur, nimirùm vt rebus piorum afflictis ac deſperatis præter omnem naturæ curſum & ordinem ſuccurratur. Quarè tentationum turbinē ſiue præſentem, ſiue ingruentem & horridam quorumlibet malorum tempeſtatem nō verebor, ſciens ad profectum electorum à Chriſto geri omnia, maximè cum fidei & orationi ardenti inuigilatur. Adeò verè dictum eſt illud: *Tuus Domine ſermo ſanat omnia. Tu es qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis. Creatura tibi factori deſeruiens, exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Sapien. 6.

Hic ego valdè mirabor inſignem Chriſti prouidentiam in naui Eccleſiæ gubernanda, quam ille contra immanes hoſtes tot ſeculis præclarè tuetur, atque ita proſperat, vt hoſtiles etiam conatus & impetus ad Eccleſiæ ſuæ commodum vertat. Permiſit quidem Iudæos contra naſcentem Euangelij lucem, primamque Eccleſiam inſurgere, ſed quæ hinc tantò clarior per orbem vniuerſum facta eſt. Permiſit ethnicos & barbaros magiſtratus in Chriſtianum ſæuire ſanguinem, qui paſſim effuſus, ſemen ac ſeminarium fuit Eccleſiæ, vbiuis ferè gentium deinde mirabiliter efflorеſcentis. Permiſit à perfidis hæreticis vnitatem & pacem fidelium lacerari: ſed per horum canum latratus & morſus piorum doctrina certior, purior ac ſpectabilior facta eſt, magiſque nituit veritas & confeſſio orthodoxa. Eſt ita quidem, noſtri temporis hæreticos magnum dediſſe damnum Eccleſiæ, nec ſolùm perturbaſſe, ſed etiam ex infirmis Catholicis perdidiſſe plurimos, dum vti lupi rapaces in Dominicum ouile graſſantur. Rurſus verò, ſi verum fatebimur, ex illis ipſis hæreticis multa commoda magnique fructus in Eccleſia quotidie colliguntur, noſque mirandæ Chriſti ſapientiæ gratias agentes, cum Zacharia meritò dicimus: *Salutem ex inimicis noſtris.* Etenim præſens hæreticorum vigi- Luc. 1.

lantia & furor, dum bono tritico ſua zizania ui[illegible] ege e, & inſperſa promouere moliuntur, paſtores velut dormientes, vt è ſomno ſurgant exuſcitat, Epiſcopos ad ſuos greges re-ctiùs cuſtodiendos impellit, Magiſtratus ad hoſtes Eccleſiæ comprimendos adigit, doctores ac Theologos ſacra ſtudia diligentius tractare cogit, ac omnes demùm veræ ſalutis amantes hûc propellit, vt addiſcendæ conſeruandæque doctrinæ orthodoxæ maiorem curam ac operam tribuant.
1. Cor. 11. Adeò verum eſt Apoſtoli dictum: *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Et quod ab eodem affir-
Rom. 8. matur: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur*
Libr. 7. de Trinit. *in bonum.* Rectè igitur ab Hilario dictum illud accepimus: Hoc Eccleſiæ proprium eſt, vt tùm vincat cùm læditur: tùm intelligatur cùm arguitur: tùm obtineat cùm deſeritur.]

QVAE cùm ita ſint, pro mea virili adlaborabo, vt fortem & infractum ſeruem animum, quantumuis nos premant ingentes clades, & publicæ calamitates Eccleſiæ. Mea enim cum Habacuc Propheta communis erit fides & pre-
Habac 3. catio, vt dicam ad Dominum: *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Et vocem Eccleſiæ propriam illam eſſe du-
Pſal. 26. cam: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.*
& 117. *Si exſurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſperabo. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Præterea velut ego in communi conſiſtam naufragio, cùm ordines ferè omnes
Eccleſ. 14. Eccleſiæ peſſimo eſſe loco videantur, mihi primùm, (*qui enim ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?*) ac deinde alijs in hoc mari periclitantibus ſuppetias ferre conabor. Notum enim
a 2. Cor. 11. eſt exemplum doctoris gentium,[a] quem omnium Eccleſia-
b Philip 3. rum ſollicitudo premebat,[b] & qui crucis Chriſti inimicos
c Rom. 9. lacrimis proſequebatur, proque ſuis fratribus[c] optabat eſ-
d 2. Cor. 11. ſe anathema. *Quis infirmatur*[d] ait, *& ego non infirmor? quis*
e 2. Cor. 12. *ſcandalizatur, & ego non vror?*[e] *Ego libentiſſimè impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Potiſſimùm verò

meam

m...m in Chriſto fiduciam & precandi curam augebit, quod hoc loco cernam in Chriſti manu eſſe omnia cuius potentiæ dæmones & homines, venti & maria nequeant reſiſtere, ſed quoties illi viſum fuerit, ad nutum ſeruire debeant, nimirum vt rebus ſiue priuatis ſiue publicis piorum quamlibet afflictis ac deſperatis præter omnem naturæ curſum & ordinem ſubitò ſuccuratur. Quarè tentationum turbinem & periculorum malorumque magnitudinem, quantumuis exitialem, non verebor, cùm ſciam ad profectum electorum à Chriſto geri omnia, & bonorum quidem ſalutem in malorum perpeſſione magis quàm in proſperitate verſari. Meminero ſæpè magnanimi Regis, qui ſeipſum in cruce conſolans aiebat: *Etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Eſto verò vt cum Daniele in lacu leonum, & cum Iona in profundo maris lateam, neque minus quàm Iob vlceroſus, & Lazarus mendicus deſerar ab amicis & mortalibus omnibus. Atqui tantò viciniorem mihi Deum eſſe confidam, quantò minus humanæ conſolationis & opis affulget: ſatis mihi fuerit cum viro ſancto dicere: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, ipſe erit ſaluator meus. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* An non Paulus me docuit arbitrari omnia propter Chriſtum vt ſtercora, & in tribulationibus gloriari? Cum illo dicere habeo: *Mihi viuere Chriſtus, & mori lucrum. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Pſal. 22. Dan. 14. Ion. 1. Ioan. 2. Luc. 10. Iob. 13. & 17. Philip. 3. 2. Cor. 12. Rom. 5. Philip. 1. 2. Cor. 1. Galat. 6.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro naui Eccleſiæ valdè concuſſa, & vbiuis gentium ſi antehac vnquàm, nunc maximè quidem laborante, tot ventis ac tempeſtatibus in illam vndique irruentibus. Quam vt iratus Deus reſpiciat*

ac benignè tranquillet, peculiariter orabo pro Epiſcopis & præpoſitis Eccleſiaſticis, necnon pro principibus & magiſtratibus politicis, tanquàm præcipuis nauis Eccleſiaſticæ gubernatoribus, vt ſuum illi munus ad erigendam atque propugnandam Chriſtianam Rempublicam præſtare velint ac poſſint. Nam & Apo- Tim. 2. *ſtolico præcepto iubemur, pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, obſecrationes, orationes & poſtulationes facere, vt quietam & tranquillam vitam in omni pietate & caſtitate agant Orthodoxi.*

RVRSVS *Dominum inuocabo pro Eccleſiæ Catholicæ perſequutoribus, ſiue aperto Marte, ſiue occultè pacem Chriſtianam & Eccleſiæ tranquillitatem oppugnent atque labefactent, ſiue ſcientes ÿdem, ſiue imprudentes Chriſtum in Catholicis inſectentur. Permagni enim refert, vt eiuſmodi cæcis oculos aperiat Deus,* ctor 9. *ſicuti Saulo perſequutori aperuit, Stephani Martyris precibus exoratus.*

SED *& pro multis nimiùm hodie curioſis crebrò precabor, qui ad ſua vitia conniuentes, Paſtorum ac Magiſtratuum ſeueros agunt cenſores, ac libenter illis obtrectant, pro quorum ſalute Deum inprimis orare debebant. Non enim cogitant miſeri, qualem quantamq́ obſeruantiam ſubditi maioribus tùm in di-* od. 22. *ctis, tùm in factis debeant; (Dÿs enim non detrahes) & Deum* b. 34. *ipſum eſſe, qui propter peccata populi regnare faciat hypocri-* ii. 3. *tas, quiq́ ſubditis non bonis principes donet effœminatos, qui* Pet. 2. *præterea iubeat, ſubditos non bonis tantùm & modeſtis, ſed eti-* t. 3. *am dyſcolis Dominis in omni timore morigeros ac ſubiectos eſſe.* hef. 6. *Adiungam locum inſignem Cypriani, quomodo is ad orandum* b. 4. epi- *ſuos excitârit tempore valdè turbulento. Admoneo, inquit, reli-* ola 4. *gioſam ſollicitudinem veſtram, vt ad placandum atque exorandum Dominum non voce ſola, ſed & ieiunÿs & lacrimis & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Intelligendum eſt enim & confitendum, preſſura iſtius tàm turbidam vaſtitatem, quæ gregem noſtrum maxima ex parte populata eſt, & adhuc vſque po-*

pulatur,

ulatur, ſecundum peccata noſtra veniſſe, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad ſalutem cœleſtia mandata ſeruamus.]



DOMINICA V.
POST EPIPHANIAM.

Sequentis Euangelij argumentum.

PARABOLA eſt de duobus ſeminatoribus, bono & improbo, ex quibus ille agro ſuo ſemen bonum tritici inſerit, hic velut inimicus lolium ſiue zizania clàm & nocte ſuperſeminat, nimirùm ad triticum in eodem agro vitiandum. Cùm verò ſerui huius heri animaduerterent zizania creſcere, & nocere tritico, querelam ad ipſum Dominum deferunt, & operam ſuam ad zizania quæ nata fuerant, eradicanda pollicentur. Prohibet autem herus hanc eradicationem, iubetq́; tempus meſsis expectari, in quo triticum à zizanijs planè ſeparetur, nè alioquin ſi ſtatim zizania tritico mixta tollantur, ipſum quoq; triticũ periclitetur. Vbi quæſtio incidit, & ſæpè tractari ſolet, ſi Chriſtus iubet zizania tolerari, ſint nè puniendi & extinguendi hæretici? vt paſsim à Catholilicis iampridem fieri ſolet. Theologus quidam & breuiter & eruditè hoc modò reſpondet: Angeli vetantur hic omnes malos perdere: non vetatur autem iudex hæreticum interficere, (neque enim ſine cauſa is gladium portat,) Rom. 13. & eatenus vetatur, ſi periculum ſit, ne boni quoque hac occaſione tollantur. Qua de re plura dicemus poſteà. Vult ſanè Chriſtus in hac docere parabola,

quod omne bonum à Deo, malum autem ab inimico Satana proficiſcatur: tùm non decere Chriſtianos, vt ad malorum punitionem leuiter ac præcipitanter irruant, malos autem bonis in hac vita commixtos tantiſper viuere, quoad in extremo iudicio bonorum malorumq́ue perfecta fiat ſeparatio. Cæterùm quoniam diſcipuli accedentes poſteà rogârunt: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri,] notatu digna ſunt verba Chriſti, quibus ipſe parabolam eandem illis ac nobis explicuit: Qui ſeminat, inquit; bonum ſemen, eſt Filius hominis, ager autem eſt mundus, bonum verò ſemen hi ſunt filij regni, zizania autem filij ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus, meſsis verò conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergò colliguntur zizania & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Matth. XIII.

SIMILE factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamiliâs, dixerunt ei, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fe-

cit.

-it. Serui autem dixerunt ei, Vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.

GRATIAS inprimis agam optimo Redemtori, qui tàm ſapienter ac frequenter parabolis Euangelicis vtitur: vt Marcus euidenter aſſerat: *Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: ſine parabola autem non loquebatur eis, ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.* Quod parabolicum docendi genus tali doctori vtique congruebat, qui ſe totum rudibus & imperitis auditoribus accommodare gaudebat, cœleſtiaque nouæ legis myſteria vulgaribus hominum animis, quoad eius fieri poterat, patefacere & inſculpere deſiderabat. Vnde quoniam non cum diuitibus & doctis, ſed præcipuè cum pauperibus, piſcatoribus ac idiotis illi ſermo erat quotidianus, peculiariter exultauit in Spiritu ſancto, Deoque Patri gratias egit, quandoquidem ea quæ docendo traderet, non ſapientibus & prudentibus, ſed paruulis reuelarentur. *Pauperes*, inquit, *euangelizantur. Spiritus*

Marc. 4.
Matth. 13.
Matth. 11.
Ibidem.

Domini vnxit me euangelizare pauperibus. Hinc mihi colligendum eſt, qualis & ego Euangelij auditor eſſe debeam, pauper nempè ſpiritu vereque ſimplex, quia *cum ſimplicibus ſermocinatio eius, & protegit ſimpliciter gradientes.* Notabo inſuper hoc exemplum lenitatis & charitatis in Chriſto pleniſsimum, vt diſcam non ſolùm in docendo, ſed etiam in conuerſando beneuolentiam & humanitatem illis declarare, qui rudes ingenio, parumque dociles, & mundo craſſi abiectique videntur. Germanus verè imitator Chriſti fuit Paulus, ſæpè multumque ſeruiens paruulis, lacte, non ſolido cibo indigentibus, nec ſatis inſtructis in elementis exordij ſermonum Dei. Quocirca Corinthijs, quos ipſe carnales vocat, charitatem ſuam hoc modo commendat: *Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem*: Ac poſteà: *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Cur igitur moleſtè feram, ſi res ita poſtulet, me cum pueris repueraſcere, & minorum ac agreſtium conſulere imbecillitati, quando nec dubitauit ſummus doctor Chriſtus craſſum docere vulgus, & ruſticas proferre ſimilitudines, reque ipſa illud complere, quod per Prophetam promiſerat, dicens: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi?*

PRAECIPVE autem monebit me propoſita parabola, duos & incomparabiles eſſe Dominos, Chriſtum & Satanam, nulli non ſæpè conſiderandos. Prior eſt ſanè optimus & fons bonorum omnium: alter verò peſſimus, omniumq; malorum origo. Ille in ſuo agro amat triticum, quod cùm ſeminatũ creuerit ac maturuerit, colligit & recondit illud in horreo ſuo. Hic de ſuis tantùm zizanijs ad nocendũ cogitat, quæ vti impoſtor verſipellis, clã & nocte inſerit tritico, & inſerta occultè prouehit ad meſſem Dominicã corrumpendam, & demùm ad ignem ſuæ domus infernalis augendum conuertit. De illo verè bono ſeminatore eiusq; ſalutari ſemine ſcriptum eſt: *Ecce exijt qui ſeminat ſeminare ſemen*

men ſuum. Et illud: *Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Qua de re plura dicemus, cũ ad Sexageſimæ Dominicam venietur. Cæterùm de maligno ſeminatore, qui capitalis & irreconciliabilis Dei bonorumq; omnium eſt ac manet inimicus, loquitur Apoſtolus, quòd ſit ſerpens Euam ſeducens aſtutia ſua, quodq; ſe transfiguret in Angelum lucis, ac miniſtros habeat Pſeudoapoſtolos operarios ſubdolos, qui & ipſi ſe in Apoſtolos Chriſti nôrint transfigurare, per quos & corrumpantur ſenſus fidelium, & excidant à vera fidei ſimplicitate. Ego verò hunc ipſum vt verſutiſſimum, ita peſtilentiſſimum aduerſarium, tot ſatellitibus & copijs inſtructum, cùm ob alia multa, tùm idcircò extimeſcam ac deteſtabor, quòd non ſolùm infidelibus liberè ac potenter dominetur, ſed etiam in agro Dei, id eſt, Eccleſia, vim tantam obtineat, vt plus illic infœlicis lolij, quàm ſalutaris tritici, quod ſolus ſeminat Chriſtus, paſſim creſcere videamus. Idem inimicus nocte ac die indefeſsè procurat, vt quæ iampridem probè pieq; inſtituta & ordinata ſunt, magis ac magis abrogentur, ſuumq; robur amittant ac obſoleſcant. Tum aduerſus Dei voluntatem, legem & Eccleſiam miris artibus vſq; pugnat, ſuosq; nouos miniſtros ſubornat & armat, qui noua dogmata, nouos ritus, nouas ſectas ingerant atq; ſtabiliant, cùm optimè nôrit, nouitatem ipſam leuitatis eſſe filiam, matrem temeritatis ſiue nutricem, ſed & ſororem omnis ſuperſtitionis ac impietatis. Gaudet inſuper diſſenſionem & contentionem omnem, ſed hæreſim potiſsimùm, excitare atq; propagare, vt idcircò Cyprianus de illo teſtetur: Hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atq; euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cũ Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atq; fallente, qui ſecundũ Apo-

Luc. 8.
1. Cor. 3.
2. Cor. 11.
Geneſ. 3.
Lib. de ſimplicitate prælatorum.

25. Mora. cap. 7. De hac Chriſti ſponſa, & veritatis omnis magiſtra cum Gregorio magno conſtanter dixerim; Sola eſt Eccleſia, per quā ſacrificium Dominus libenter accipiat: ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hoſtia d. 12. Dominus præcepit dicens: *In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras.* In vna namque domo agnus comeditur, quia in vna Catholica Eccleſia vera hoſtia Redemtoris immolatur: de cuius carnibus diuina lex efferri foras tth. 7 prohibet, quia dari ſanctum canibus vetat. Sola eſt in qua tth. 20. opus bonum fructuosè peragitur: vnde & mercedem denarij non niſi qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola eſt quæ intra ſe poſitos valida charitatis compage cuneſ. 7. ſtodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad ſublimiora ſuſtulit, omnes autem quos extra arcam inuenit, extinxit. Sola eſt in qua ſuperna myſteria veraciter contemplemur: od. 33. vnde & ad Moyſen Dominus dicit: *Eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram.* Et paulò poſt: *Tollam manum meam, & videbis poſteriora mea.* Quia enim ex ſola Catholica Eccleſia Deitas conſpicitur, apud ſe eſſe locum Dominus perhibet, de quo videatur.]

CAETERVM ad hanc Eccleſiam amplectendam, conſeruandam atque propugnandam nihil me commouebit magis, quàm quod conſtet, Chriſtum huius veluti nauiculæ ſummum, fidiſſimum & præpotentem eſſe naucſerum, cui meritò etiam gratias ingentes agam, quòd pro ardenti charitate ſua illius curam paternam ſuſceperit, & ſuſceptam nunquàm velit deponere, ſed illi promiſſioni ſemattb. 28. per ſatisfacere: *Ecce ego,* inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Sicut & anteà per Prophetam Iſaiam dixerat, ſuam ſponſam conſolans: *Mi-*i. 54. *ſericordia mea non recedet à te, & fœdus pacis mea non mouebitur.* Ipſe eſt quem Pater æternus per Prophetam afi. 59. fatur: *Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodò vſque in ſempiternum.*

Quid

Quid verò de Eccleſię hoſtibus ac deſertoribus? *Gens, inquit, & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Isai. 60. Quò minùs ego mirabor, complures gentes & inſulas, nec pauca regna & imperia hodie reperiri, quæ miſerandum in modum perierint ac pereant, quæque in impiorum hoſtium veniant poteſtatem, quandoquidem a Chriſti corpore & regno, id eſt, ab vnitate & obedientia Eccleſiæ Catholicæ ſeſe præſciderunt, ſuaque à fide defectione meruerunt, vt ob ſuam ingratitudinem ac perfidiam de ore Domini euomantur. Etſi verò inter gubernatores ac remiges nonnunquam Iudas, Diotrepes, alijque falſi fratres 3. epiſt. Ioan. in hac naui reperiuntur, immò etiam ad clauem ſedent, tamen primarius gubernator eſt manetque Chriſtus, de quo iure ſummo cum Dauide canimus: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Pſal. 120. Is eſt, qui in vna Petri nauicula ſedet ac docet, ſimulque ſuam in illa præpotentem virtutem Luc. 5. ac fidam protectionem continenter oſtendit, nec ſinit vnquàm, vt eadem Petri nauis vel maris fluctibus vel hoſtium iniuria opprimatur, ſed iuxta ſuum promiſſum efficit, Matth. 16. vt portæ inferi aduerſus illam non præualeant, fide nimirùm Luc. 22. Petri nunquàm deficiente. Atque huc ſpectat quod apud Iſaiam ſuauiſsimè promiſit Deus Eccleſiæ ſub nomine Iſraëlis ita loquens: Iſai 41. *Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum ſum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei. Ecce confundentur & erubeſcent omnes qui pugnant aduerſum te, erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi.* Et ſequitur poſteà: *Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensq́ tibi, Ne timeas, ego adiuui te.* Quàm pulchrè autem iſta congruunt cum illis, quæ Chriſtus dixit ac fecit diſcipulis in naui periclitantibus valdeque turbatis? *Confidite*, inquit, *ego ſum, nolite timere.* Marc. 6. Tum iiſdem diſcipulis mœrentibus poſt cœnam dixit dulciter: *Paracletus Spiritus ſanctus vos docebit omnia. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Vado & venio ad vos.* Ioan. 14.

Domine

Domine ſalua nos, perimus.

NON mihi ſat erit in vera Eccleſiæ naui perſiſtere, extra quam velut arcam Noë, nauigantes omnes certiſſimum naufragium faciunt, ſed meam quoque ſtationem in myſtica naui acceptam pro virili tuebor, & quoad eius fieri poteſt, aliquam eiuſdem nauis partem expurgare vel releuare conabor. Noſtra enim & publica peccata, quæ impunè prorſus abire ſinimus, ſummum Deum ſic offendunt, vt ex benigno Patre iratum iudicem, & ſeuerum vltorem eſſe cogant, ideoque ille filijs inobedientibus hoc modò interminatur:
Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ac iterum:
Iſai. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini inquam, filijs ſceleratis.* Cæterùm vt ſciamus, peccatorum qui ſunt & manent in Eccleſia, longè potiorem ac tolerabiliorem quàm aliorum infidelium eſſe conditionem, ſignificanter de filijs Eccleſiæ Propheta dixit:
Pſal. 77. *Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non diſperdet eos.* Vnde cùm
Iſai. 69. Sion diceret: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*, ita Sion, id eſt, Eccleſiam Dominus per Iſaiam conſolatur: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.*

IAM verò inter alia firmum in rebus calamitoſis perfugium ſemper fuit & eſt pia & ardens communisq; precatio fidelium, vt qua Deum ipſum quamuis iratum, ſibi placatum fauentem, amicum ac beneficum efficere poſſunt. Hoc pro-
2. Paralip. 20. bè nouerat pius rex Ioſaphat, qui à barbaris hoſtibus cicumuallatus, vnà cum toto populo ad orationem ſeſe conuertit, atque inter orandum ita dixit: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Et per Prophetam reſpondit illis Deus: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna ſed Dei.* Nouerant id ipſum Betulienſes, quùm ab impijs
Iudith. 4. Aſſyrijs obſiderentur, quorum ſacerdos magnus Eliachim

præclarè dixit: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs & orationibus in conſpectu Domini.* Nouerant demum hoc ethnici, quibuscum in ſumma tempeſtate maris Ionas nauigauit, quoniam non ſolùm ſuum quiſque Deum ſedulò innocauit, ſed etiam Ionæ dormienti velut inſultando dixerunt: *Quid tu ſopore deprimeris? ſurge, inuoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Proinde quantò nunc aſperioribus flagellis ferimur, quantoq; grauiores aduerſus nauim Eccleſiaſticam procellæ vndique concitantur: tantò ſanè diligentius ac fortiùs in hac ſumma tempeſtate Apoſtoli nobis veniunt imitandi, vt Chriſtum veluti dormientem nauclerum inuocemus, & neceſſarias ab illo ſuppetias expetamus. Orandi verò modum Paulus illis verbis indicat: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Igitur in hoc precandi munere nunc maximè verſabor, quandò ſi vnquàm antea, IESVS Eccleſiæ ſuæ princeps ac vindex dormit, ſuamque Eccleſiam grauiſſimis fluctibus & procellis agitatam, ac tantùm non demerſam, quaſi deſerit iudicio plurimorum. Precabor autem, vt Catholicis idem quod iam olim Iſraëlitis dicere liceat: *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos.* Etenim qui Petrum in mare mergi incipientem, ſimulque orantem ſua dextra ſuſtentauit, poteſt is quoq; tempeſtates horrendas, quæ toti naui Eccleſiæ minãtur exitiũ, è veſtigio ſedare, & exoptatam Eccleſiæ pacem inopinatamq; tranquillitatem reddere. Tantũ illud mihi potiſſimũ erit curæ, vt inter precandũ partim miſeriam meam, partim incredibilẽ Chriſti virtutem & immenſam bonitatẽ, quæ pœnitentibus ac orantibus promiſſa eſt, cũ fide viua perpendã. Habeo enim mandatũ Domini ſerium & crebrò mihi recolendũ: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta quæ futura ſunt, & ſtare ante filiũ hominis.* Tum alibi cũctis fidelibus præcipit: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis,*

Ion. 1. Hebr. 4. Pſal. 77. Matth. 14. Matth. 4. & 7. Luc. 21. Luc. 11.

ueníetis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Sicut autem Apoſtolorum precatio hîc efficax fuit, vt ceſſaret ſæua tempeſtas, ipſique proſperè nauigarent: ſic Eccleſia primitiua
Actor. 12. comprecante factum eſt, vt Petrus Apoſtolus Herodiano carcere mirabiliter liberatus, non modò lætè ad ſuos rediret, ſed etiam in Oriente & Occidente plurimùm prodeſſet Chriſtianiſmo.

Venti & mare obediunt illi.

OBSERVABO inprimis admirabile conſilium & ſingularem amorem Dei, qui ſuos fideles tempeſtate ac tribulatione primùm exercet, deinde verò mirificè conſolatur, & ſolido gaudio perfundit, vt hinc ſumma eius potentia & par beneuolētia explorata rectiùs prædicetur. Hoc eſt quod Sara Raguelis filia in ſuis precibus ad Deum effuſis com-
Tob. 3. probauit: *Pro certo*, inquit, *habet omnis qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in coruptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Quam iocundam
1. Reg. 19. 20. 22. commutationem ſenſit Dauid, qui ab impio rege Saul
Pſal. 17. multis modis diuexatus, ita cecinit: *Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumſit me de aquis multis: eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.* Senſit & Tobias cæcitate percuſſus, & à ſuis illu-
Tob. 11. ſus: vnde laudans Deum aiebat: *Benedico te Domine Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me.* Senſit rurſus Anna ſterilis matrona, quam & ancilla procax afflixit, ſed quæ
1. Reg. 2. mater effecta cantauit cum gaudio: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Senſêre demùm tot Martyrum millia, quorum vna in cœleſti regno ſemper du-
Pſal. 65. rat confeſsio, *Tranſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.* Præterea meam in Chriſtum fiduciam & precandi contentionem augebit, quòd videam hoc loco in

Chriſti manu eſſe omnia, cuius potentiæ dæmones & homines, venti & maria nequeant reſiſtere, ſed ſeruire cogantur, mirùm vt rebus piorum afflictis ac deſperatis præter omnem naturæ curſum & ordinem ſuccurratur. Quarè tentationum turbine ſiue præſentem, ſiue ingruentem & horridam quorumlibet malorum tempeſtatem nō verebor, ſciens ad profectum electorum à Chriſto geri omnia, maximè cum fidei & orationi ardenti inuigilatur. Adeò verè dictum eſt illud: *Tuus Domine ſermo ſanat omnia. Tu es qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis. Creatura tibi factori deſeruiens, exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Sapien. 6.

Hic ego valdè mirabor inſignem Chriſti prouidentiam in naui Eccleſiæ gubernanda, quam ille contra immanes hoſtes tot ſeculis præclarè tuetur, atque ita proſperat, vt hoſtiles etiam conatus & impetus ad Eccleſiæ ſuæ commodum vertat. Permiſit quidem Iudæos contra naſcentem Euangelij lucem, primamque Eccleſiam inſurgere, ſed quæ hinc tantò clarior per orbem vniuerſum facta eſt. Permiſit ethnicos & barbaros magiſtratus in Chriſtianum ſæuire ſanguinem, qui paſſim effuſus, ſemen ac ſeminarium fuit Eccleſiæ, vbius ferè gentium deinde mirabiliter efloreſcentis. Permiſit à perfidis hæreticis vnitatem & pacem fidelium lacerari: ſed per horum canum latratus & morſus piorum doctrina certior, purior ac ſpectabilior facta eſt, magiſque nituit veritas & confeſſio orthodoxa. Eſt ita quidem, noſtri temporis hæreticos magnum dediſſe damnum Eccleſiæ, nec ſolùm perturbaſſe, ſed etiam ex infirmis Catholicis perdidiſſe plurimos, dum vti lupi rapaces in Dominicum ouile graſſantur. Rurſus verò, ſi verum fatebimur, ex illis ipſis hæreticis multa commoda magnique fructus in Eccleſia quotidie colliguntur, noſque mirandæ Chriſti ſapientiæ gratias agentes, cum Zacharia meritò dicimus: *Salutem ex inimicis noſtris.* Etenim præſens hæreticorum vigi- Luc. 1.

lantia & ..uror,dum bono tritico ſua zizania in[illegible] & inſperſa promouere moliuntur, paſtores velut dormientes, vt è ſomno ſurgant exuſcitat, Epiſcopos ad ſuos greges re- ctiùs cuſtodiendos impellit, Magiſtratus ad hoſtes Eccleſiæ comprimendos adigit, doctores ac Theologos ſacra ſtudia diligentius tractare cogit, ac omnes demùm veræ ſalutis amantes hùc propellit, vt addiſcendæ conſeruandæque doctrinæ orthodoxæ maiorem curam ac operam tribuant. Adeò verum eſt Apoſtoli dictum: *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Et quod ab eodem affirmatur: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rectè igitur ab Hilario dictum illud accepimus. Hoc Eccleſiæ proprium eſt, vt tùm vincat cùm læditur: tùm intelligatur cùm arguitur: tùm obtineat cùm deſeritur.]

QVAE cùm ita ſint, pro mea virili adlaborabo, vt fortem & infractum ſeruem animum, quantumuis nos premant ingentes clades, & publicæ calamitates Eccleſiæ. Mea enim cum Habacuc Propheta communis erit fides & precatio, vt dicam ad Dominum: *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Et vocem Eccleſiæ propriam illam eſſe ducam: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exſurgat aduerſus me prelium, in hoc ego ſperabo. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Præterea velut ego in communi conſiſtam naufragio, cùm ordines ferè omnes Eccleſiæ peſſimo eſſe loco videantur, mihi primùm, (*qui enim ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?*) ac deinde alijs in hoc mari periclitantibus ſuppetias ferre conabor. Notum enim eſt exemplum doctoris gentium, [a] quem omnium Eccleſiarum ſollicitudo premebat, [b] & qui crucis Chriſti inimicos lacrimis proſequebatur, proque ſuis fratribus [c] optabat eſſe anathema. *Quis infirmatur* [d] ait, *& ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* [e] *Ego libentiſſimè impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Potiſſimùm verò

meam

mam in Chriſto fiduciam & precandi curam augebit, quod hoc loco cernam in Chriſti manu eſſe omnia cuius potentiæ dæmones & homines, venti & maria nequeant reſiſtere, ſed quoties illi viſum fuerit, ad nutum ſeruire debeant, nimirum vt rebus ſiue priuatis ſiue publicis piorum quamlibet afflictis ac deſperatis præter omnem naturæ curſum & ordinem ſubitò ſuccuratur. Quarè tentationum turbinem & periculorum malorumque magnitudinem, quantumuis exitialem, non verebor, cùm ſciam ad profectum electorum à Chriſto geri omnia, & bonorum quidem ſalutem in malorum perpeſſione magis quàm in proſperitate verſari. Meminero ſæpè magnanimi Regis, qui ſeipſum in cruce conſolans aiebat: *Etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Eſto verò vt cum Daniele in lacu leonum, & cum Iona in profundo maris lateam, neque minus quàm Iob vlceroſus, & Lazarus mendicus deſerar ab amicis & mortalibus omnibus. Atqui tantò viciniorem mihi Deum eſſe confidam, quantò minus humanæ conſolationis & opis affulget: ſatis mihi fuerit cum viro ſancto dicere: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo, ipſe erit ſaluator meus. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* An non Paulus me docuit arbitrari omnia propter Chriſtum vt ſtercora, & in tribulationibus gloriari? Cum illo dicere habeo: *Mihi viuere Chriſtus, & mori lucrum. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Pſal. 22. Dan. 14. Ion. 1. Ioan. 2. Luc. 10. Iob. 13. & 17. Philip. 3. 2. Cor. 12. Rom. 5. Philip. 1. 2. Cor. 1. Galat. 6.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro naui Eccleſiæ valdè concuſſa, & vbinis gentium ſi antehac vnquàm, nunc maximè quidem laborante, tot ventis ac tempeſtatibus in illam undique irruentibus. Quam vt iratus Deus reſpiciat*

ac benignè tranquillet, peculiariter orabo pro Epiſcopis & præpoſitis Eccleſiaſticis, necnon pro principibus & magiſtratibus politicis, tanquàm præcipuis nauis Eccleſiaſticæ gubernatoribus, vt ſuum illi munus ad erigendam atque propugnandam Chriſtianam Rempublicam præſtare velint ac poſſint. Nam & Apoſtolico præcepto iubemur, pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, obſecrationes, orationes & poſtulationes facere, vt quietam & tranquillam vitam in omni pietate & caſtitate agant Orthodoxi.

1. Tim. 2.

RVRSVS *Dominum inuocabo pro Eccleſiæ Catholicæ perſequutoribus, ſiue aperto Marte, ſiue occultè pacem Chriſtianam & Eccleſiæ tranquillitatem oppugnent atque labefactent, ſiue ſcientes ijdem, ſiue imprudentes Chriſtum in Catholicis inſectentur. Permagni enim refert, vt eiuſmodi cæcis oculos aperiat Deus, ſicuti Saulo perſequutori aperuit, Stephani Martyris precibus exoratus.*

Actor 9.

SED *& pro multis nimiùm hodie curioſis crebrò precabor, qui ad ſua vitia conniuentes, Paſtorum ac Magiſtratuum ſeueros agunt cenſores, ac libenter illis obtrectant, pro quorum ſalute Deum inprimis orare debebant. Non enim cogitant miſeri, qualem quantamq́ obſeruantiam ſubditi maioribus tùm in dictis, tùm in factis debeant; (Dijs enim non detrahes) & Deum ipſum eſſe, qui propter peccata populi regnare faciat hypocritas, quiq́ ſubditis non bonis principes donet effœminatos, qui prætereà iubeat, ſubditos non bonis tantùm & modeſtis, ſed etiam dyſcolis Dominis in omni timore morigeros ac ſubiectos eſſe. Adiungam locum inſignem Cypriani, quomodo is ad orandum ſuos excitârit tempore valdè turbulento. Admoneo, inquit, religioſam ſollicitudinem veſtram, vt ad placandum atque exorandum Dominum non voce ſola, ſed & ieiunijs & lacrimis & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Intelligendum eſt enim & confitendum, preſſura iſtius tàm turbidam vaſtitatem, quæ gregem noſtrum maxima ex parte populatá eſt, & adhuc vſque po-*

Exod. 22. Iob 34. Ezech. 3. 1. Pet. 2. Tit. 3. 2. Theſ. 6. Lib. 4. epiſt. epiſtola 4.

pulatur,

ulatur, ſecundum peccata noſtra veniſſe, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad ſalutem cæleſtia mandata ſeruamus.]



DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sequentis Euangelij argumentum.

PARABOLA eſt de duobus ſeminatoribus, bono & improbo, ex quibus ille agro ſuo ſemen bonum tritici inſerit, hic velut inimicus lolium ſiue zizania clàm & nocte ſuperſeminat, nimirùm ad triticum in eodem agro vitiandum. Cùm verò ſerui huius heri animaduerterent zizania creſcere, & nocere tritico, querelam ad ipſum Dominum deferunt, & operam ſuam ad zizania quæ nata fuerant, eradicanda pollicentur. Prohibet autem herus hanc eradicationem, iubetq́; tempus meſsis expectari, in quo triticum à zizanijs planè ſeparetur, nè alioquin ſi ſtatim zizania tritico mixta tollantur, ipſum quoq; triticū periclitetur. Vbi quæſtio incidit, & ſæpè tractari ſolet, ſi Chriſtus iubet zizania tolerari, ſint nè puniendi & extinguendi hæretici? vt paſsim à Catholicis iam pridem fieri ſolet. Theologus quidam & breuiter & eruditè hoc modò reſpondet: Angeli vetantur hic omnes malos perdere: non vetatur autem iudex hæreticum interficere, (neque enim ſine cauſa is gladium portat,) & eatenus vetatur, ſi periculum ſit, ne boni quoque hac occaſione tollantur. Qua de re plura dicemus poſteà. Vult ſanè Chriſtus in hac docere parabola, Rom. 13.

 quod

quod omne bonum à Deo, malum autem ab inimico Satana proficiſcatur: tùm non decere Chriſtianos, vt ad malorum punitionem leuiter ac præcipitanter irruant, malos autem bonis in hac vita commixtos tantiſper viuere, quoad in extremo iudicio bonorum malorumque perfecta fiat ſeparatio. Cæterùm quoniam diſcipuli accedentes poſteà rogârunt: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri,] notatu digna ſunt verba Chriſti, quibus ipſe parabolam eandem illis ac nobis explicuit: Qui ſeminat, inquit; bonum ſemen, eſt Filius hominis, ager autem eſt mundus, bonum verò ſemen hi ſunt filij regni, zizania autem filij ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus, meſsis verò conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergò colliguntur zizania & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.

Matth. 13.

Ibidem.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Matth. XIII.

SIMILE factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamiliâs, dixerunt ei, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit.

it. Serui autem dixerunt ei, vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: nè fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA IDEM EVANGELIVM.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.

GRATIAS inprimis agam optimo Redemtori, qui tàm ſapienter ac frequenter parabolis Euangelicis vtitur: vt Marcus euidenter aſſerat: *Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: ſine parabola autem non loquebatur eis, ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.* Quod parabolicum docendi genus tali doctori vtrique congruebat, qui ſe totum rudibus & imperitis auditoribus accommodare gaudebat, cœleſtiaque nouæ legis myſteria vulgaribus hominum animis, quoad eius fieri poterat, patefacere & inſculpere deſiderabat. Vnde quoniam non cum diuitibus & doctis, ſed præcipuè cum pauperibus, piſcatoribus ac idiotis illi ſermo erat quotidianus, peculiariter exultauit in Spiritu ſancto, Deoque Patri gratias egit, quandoquidem ea quæ docendo traderet, non ſapientibus & prudentibus, ſed paruulis reuelarentur. *Pauperes*, inquit, *euangelizantur. Spiritus* Marc. 4. Matth. 13. Matth. 11. Ibidem.

men ſuum. Et illud: *Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat,* Luc. 8.
ſed qui incrementum dat Deus. Qua de re plura dicemus, cũ ad 1. Cor. 3.
Sexageſimæ Dominicam venietur. Cæterùm de maligno ſe-
minatore, qui capitalis & irreconciliabilis Dei bonorumq́;
omnium eſt ac manet inimicus, loquitur Apoſtolus, quòd 2. Cor. 11.
ſit ſerpens Euam ſeducens aſtutia ſua, quodq́; ſe transfigu- Geneſ. 3.
ret in Angelum lucis, ac miniſtros habeat Pſeudoapoſtolos
operarios ſubdolos, qui & ipſi ſe in Apoſtolos Chriſti nôrint
transfigurare, per quos & corrumpantur ſenſus fidelium, &
excidant à vera fidei ſimplicitate. Ego verò hunc ipſum vt
verſutiſſimum, ita peſtilentiſſimum aduerſarium, tot ſatelli-
tibus & copijs inſtructum, cùm ob alia multa, tùm idcircò
extimeſcam ac deteſtabor, quòd non ſolùm infidelibus li-
berè ac potenter dominetur, ſed etiam in agro Dei, id eſt,
Eccleſia, vim tantam obtineat, vt plus illic infœlicis lolij,
quàm ſalutaris tritici, quod ſolus ſeminat Chriſtus, paſſim
creſcere videamus. Idem inimicus nocte ac die indefeſsè
procurat, vt quæ iampridem probè pieq́; inſtituta & ordi-
nata ſunt, magis ac magis abrogentur, ſuumq́; robur amit-
tant ac obſoleſcant. Tum aduerſus Dei voluntatem, legem
& Eccleſiam miris artibus vſq; pugnat, ſuosq́; nouos mini-
ſtros ſubornat & armat, qui noua dogmata, nouos ritus, no-
uas ſectas ingerant atq; ſtabiliant, cùm optimè nôrit, noui-
tatem ipſam leuitatis eſſe filiam, matrem temeritatis ſiue
nutricem, ſed & ſororem omnis ſuperſtitionis ac impietatis.
Gaudet inſuper diſſenſionem & contentionem omnem, ſed
hæreſim potiſsimùm, excitare atq; propagare, vt idcircò Cy- Lib. de ſim-
prianus de illo teſtetur: Hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus plicitate præ-
ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnita- latorum.
tem. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropin-
quaſſe iam lumini, atq; euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias
neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cũ Euangelio Chri-
ſti, & cum obſeruatione eius & lege non ſtantes, Chriſtianos
ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſti-
ment, blandiente aduerſario atq; fallente, qui ſecundũ Apo-

2. Cor. 11. ſtoli vocem transfigurat ſe velut in Angelū lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ, aſſerētes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.]

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici.

Ex animo ſanè dolebo, bonum fidumq; Patremfamilias optato fructu ſuo fraudari, & hoſtili Satanæ opera impediri, quo minùs illi matureſcat ſeminatum triticum, atque in ſuum paratum horreum inuehatur. Quid enim ille minus meretur, quàm vt optimi ſeminis deſiderato fructu careat, & peſſimi hoſtis fraude circumueniatur, amplæq; meſſis lætitia deſtituatur? Vnde quod apud Iſaiam legimus, hic herus meritò vendicet ſibi: *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & facit labruſcas?* (Iſai. 5.) Rurſus iuſtum mihi dolorem exprimet, quòd videam non hîc tantùm à Satana, verùm etiam à mortalibus pleriſq; peccari, cauſamq; non leuem præberi; vt tetri abuſus, ac peſtilentes errores in Dei domum violenter irrumpant, & Satanæ quidem regnum augeant vehementer. Dormiunt enim homines omnibus ætatibus Eccleſiæ, & plurimi ſemper in vtramq; aurem dormiunt, ſuaq; dormitantia non modò Chriſti cauſam negligūt, ac ſeipſos perdunt, ſed etiam funeſta ſummi hoſtis Satanæ ſtudia nutriunt & confirmant, vt zizania mirum in modum creſcant, & triticum Chriſti aut ſuffocent, aut impediant, quò minus ad maturitatem peruenire, & honeſtū locum in cœleſti horreo aſſequi poſſit. Dormiunt in primis Eccleſiaſtici paſtores ac doctores, & cū ſummo Eccleſiæ detrimento ſtertunt, quia huius mundi curis maliſq; cupiditatibus diſtracti, pro paſtoribus mercenarij, (Ioan. 10.) pro doctoribus canes muti, & pro vigilantibus cuſtodibus (Iſai. 28. / 56.) in Sion cæci ſpeculatores eſſe non rarò videntur. Dormi-

unt politici Magiſtratus & principes, quos nulla vel exigua cura tenet abigendi vulpes verſipelles, quæ vineam Domini demoliuntur, quosq; piget Chriſti ſacrum ouile lupis rapacibus liberare, verosque miniſtros Eccleſiæ conſeruare atque defendere. Dormiunt ciues in Republica Chriſtiana, cuiuſcunque demùm ſint ordinis aut conditionis, quos exilis tenet zelus, ingensque torpor ac tepor occupat ad domum Dei in his tantis motibus vindicandam, & quibus non lubet amplius ſacræ orationis & ſalutarium ſacramentorum arma neceſſaria ſumere, vt iratum prorſus Deum ſibi ac ſuis reconcilient, eumque in grauiſſimis Eccleſiæ anguſtijs atque periculis fauentem ſentiant. Quæ maior quæſo ac fœdior dormitantia videri poteſt, præterquàm innumerabilium Catholicorum (de alijs enim dicere non attinet) qui à veteri & Catholica pietate ac diſciplina indies longiùs degenerant, nihilq; ſibi cauent ab apertis Satanæ inſidijs & impoſturis, per quas ille falſam prorſus fiduciam & noxiam ſecuritatem nũc peccantibus inſerit atq; confirmat, perinde ac ſi de iuſtitia Dei & pœnis peccatorum vanè ſcriptura concionetur, ſolaque fides ad ſalutem illis ſufficiat, qui etiam ſcientes ac volẽtes diuinas & humanas leges clàm palàmque tranſgrediuntur? Ita demùm fieri neceſſe eſt, vt ſi antehac vnquàm, nunc maximè pro electo tritico peſtifera zizania vi magna prorumpant, & Chriſti regnum in has præſentes anguſtias redactum (graſſatur enim cum ſuis zizanijs vbique gentium Satan) indies debilitetur atq; contrahatur. O tempora, ô mores, quòd velut inſani ac ebrij in hac grauiſsima tempeſtate, quæ noſtram nauim tantùm non obruit, cum Iona dormimus, immò & ſine fronte ac timore peccare pergimus, neq; ſolùm horrenda criminum & ſcandalorum inundantium colluuie, totque flagellorum immani acerbitate non commouemur, verùmetiam velut de zizanijs accerſendis & augendis ſolliciti, Satanæ magis quàm DEO inſeruimus. Meritò igitur, qui malis noſtris delectatur princeps tenebrarum & zizaniorum rideat,

Cantic. 2.
Ioan. 10.
Ion. 1.

rideat, cum cernit nos videntes ac nolentes perire, & nullo ferè prohibente ſua creſcere zizania, illudq; triticum quod ſupereſt, noſtra inertia in Chriſti agro magis magisq; ſupprimi atq; conculcari.

HABEO interim, cur meam ſortêm & ipſe deplorem, ac veteris torporis longæq; dormitantiæ in via Dei pertæſus, triſtis cum Pſalmographo dicam: *Dormitauit anima mea, confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei.* Vigilat ſanè qui nunquàm dormit inimicus ille Satan, & tanquàm leo rugiens ad me deuorandũ circuit, ac die noctéq; Chriſti ouibus inſidiatur. Illius enim propria vox eſt: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Ego interim dormiens præceptum Domini mei non obſeruo: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Pergit autem ille millcartifex ſua ſuperſeminare zizania, vt ſalutare triticum in me iam antè ſeminatum, & cœptum Dei opus impediat, maturumq; agri mei fructũ obruat. Quò magis mihi aduigilãdum eſt, ne præualeat inimicus, & pro malo Angelus bonus audiendus, ſicut Elias illum audiuit, quando non ſolùm de ſomno exſuſcitatus, ſed etiam efficaci cibo confortatus fuit, vt ſuũ iter & longum quidem, vſq; ad montem DEI Oreb perficeret. Non enim fruſtrà monemur: *Nolite locum dare diabolo. Nolite contriſtare Spiritũ ſanctum.* Habeo pręterea cur mihi Danielem imitandum proponam, qui vt communem præſentis Eccleſiæ calamitatem vel auerteret vel mitigaret, multùm in orando vigilauit, nec ſua tantùm, ſed & populi peccata coràm Deo ſummo ſubmiſsè voluit confiteri. Cum illo ipſo mœſtus & ego inclamabo: *Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut & regibus, & principibus & patribus noſtris qui peccauerunt.* Habeo demùm, cur hunc exulceratum Eccleſię ſtatũ cogitans, cum Apoſtolo Paulo defleam tot tantosq; Chriſti inimicos, & ſimul bonos omnes cohortans, illis verbis Apoſtolicis vtar: *Omnes vos*, inquit, *filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neq; tenebrarum. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri: ſed vigilemus & ſobrij ſimus.*

Pſal. 118.
1. Pet 5.
Iob. 1. & 2
Matth. 26.
3. Reg. 19.
Epheſ. 4.
Dan. 9.
Philipp. 3.
1. Theſſ 5.

Qui

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem qui ſobrij ſumus, induti (ſimus) *lorica fidei & charitatis, & galeam ſpê ſalutis.* Vbi prudenter Paulus nos inſtruit, vt contra principem & regnum tenebrarum tribus armis, quibus nihil præſtantius eſt Chriſtiano, fide, ſpe & charitate nos maximè communiamus: ita verò in conſeruando tritico, & excutiendis zizanijs procul dubio fortiores erimus atque fœliciores.

Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem.

IACOBVS & Ioannes Apoſtoli, vt Lucas recenſet, aliquando in Samaritanos inciderunt, & eorum barbarie offenſi, quòd Chriſtum hoſpitem tranſeuntem nollent admittere, haud ſine ſtomacho dixerunt: *Domine vis dicimus vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Hanc præcipitem diſcipulorum efferueſcentiam & immodicam vindictæ cupiditatem Chriſtus non probauit, ſed illa oratione redarguit: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* Ita hoc etiam loco ſeruorum improbat conſilium, qui ad zizania eradicanda ſuam offerunt, aut potiùs obtrudunt operam, ad ſeueritatem quàm ad miſericordiam vtique procliuiores, & ad deſtruendum magis, quàm ad ædificandum intenti. Eſt iuſtus quidem Deus & iuſtitias diligit, nec relinquit virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt Propheta teſtatur: ſed idem vt ſapientiam ſuam in agendo declaret, certum & proprium ſibi tempus ad abſolutam malorum punitionem reſeruare decreuit, *Mea eſt vltio*, inquit, *& ego retribuam eis in tempore*, nimirùm futuri ſeculi, & maximè in extremo iudicio, quando boni à malis perfectè ſeparabuntur, iuxta illud: *Ibunt hi* (peruerſi ſcilicet & maledicti) *in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Proinde Chriſtus de iudicio extremo differens, confert ſeipſum paſtori, qui ſuas oues ab hœdis ſeparat, ea videlicet ſeparatione, quæ cœli & inferni longiſſimis diſcreta ſpacijs, omnem incolarum ſocietatem & communionem in æternum excludit. Ipſe eſt qui Ange-

Luc. 9.

Pſal. 10. & 142.

Deuter. 32.

Matth. 25.

Ibidem.

Matth. 13.

Matth. 13. los mittet, vt de regno ſuo colligant omnia ſcandala, & operantes iniquitatem, eosq; in caminum ignis conijciat. His Ioannes Baptiſta conſonat, Chriſti iudicis poteſtatem ita depingens: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Matth. 3.

VERVM enimuerò quia non miſit DEVS filium ſuum: vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, ſicut Ioannes aſſerit, iure amabo immenſam Chriſti benignitatem, per quam ille durante hoc mundo, ſtatuit etiam nequiſſimis ac ingratiſſimis parcere mortalibus: quum illos vſque ad mortem patienter expectet, de omnibus benemereri paratus, & qui nullos à ſe repellens, venientes omnes clementer excipiat & amplectatur, quandoquidem Petro teſte, non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti deſiderat. Hinc prætereà meam & Catholicorum omnium confirmabo fidem, quæ certò ſemper ſtatuit ac docuit, Eccleſiam viſibilem eſſe ac conſpicuam, nec ſolùm ex bonis & electis, ſed etiam ex prauis, & ſicut vocant, reprobis conſtare fidelibus. Eſt enim illa eritque ſemper, quàm diu in terris militat, tanquàm ager Chriſtum & dæmonem habens ſeminatorem; & idcircò in illo triticum ſimul & lolium vnà naſcuntur atque proueniunt. Eſt ſimilis arcæ Noë, in qua & munda & immunda ſeruabantur animantia: Eſt domus illa magna, ſicut Paulus loquitur, non ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia ſuo ambitu comprehendens. In hoc Dei templo ſæpè docent & præſunt improbi, quos Chriſtus tamen in cahedra ſedentes iubet audiri, & fratres peccantes non modò vult corripi, ſed etiam Eccleſiæ denunciari. Ab hoc Chriſti corpore licet ſuas habente rugas & maculas, me nũquàm diuelli patiar, memor præclaræ ſententiæ, quam me docuit hoc pacto Cyprianus: Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, vt quoniam zizania in Eccleſia eſſe cernimus, ipſi de Ec-

Ioan. 3.

Matth. 11. 2. Pet. 2.

Geneſ. 7. 2. Tim. 2.

Matth. 23. Matth. 18.

[Lib. 3. epiſt. ad Maximum.]

deſia recedamus. Nobis immò laborandum, vt frumentum eſſe poſſimus, vt cùm cœperit frumẽtum dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus.] Nec obliuiſcar doctrinæ Apoſtolicæ, vt quacunq; ratione liceat, ſuccurram lapſis, errantes reuocem, ac de igne rapiam periclitantes. *Nam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Gal. 6. 1. Theſſ. 5. Iudæ 1. Iacob. 5.

CAETERVM me nihil offendet, quod quidam propoſitis Chriſti verbis, *Sinite vtraq; creſcere*, perperam abutuntur, talemq; ſenſum illis affingunt, ac ſi hæreticos plectere, ac de medio tollere Chriſtianis Magiſtratibus interdicatur. Eſt ingens profectò malum hæreſis, eſt morbus omni lepra perniciosior, eſt peſtis omni peſte nocentior, eſt crimen omni furto & flagitio deteſtabilius. Nec deſunt antidota & pharmaca, quibus tales ægroti ſæpè curantur, nimirùm precatio, admonitio, diſputatio, inſtructio, interminatio, correptio & coram iudice accuſatio. Quid verò, ſi hæreticus ita ſit præfractus & contumax, vt nullam prorſus curationẽ admittat, ipſumq; contemnat iudicẽ, à quo legitimè damnari poteſt ac excõmunicari? Nullum ſanè Chriſti præceptum extat de illo in Eccleſia tolerendo aut fouendo: ſed Chriſti verbum atq; mandatũ eſt: *Attendite à falſis Prophetis. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Igitur & Paulus nõ modò ſcripſit hæreticum eſſe deuitandum, ſed etiam Hymenæũ & Alexandrum hæreticos tradidit Satanæ, vt diſcerẽt non blaſphemare, ac de prauis Galatarum doctoribus ac ſeductoribus pronunciauit: *Vtinam abſcindantur qui vos conturbant.* Rectè quidem Chriſtus affirmat: *Sinite vtraq; creſcere:* ſed non loquitur politicis Magiſtratibus, neque de hæreticis intelligi vult magis quàm de alijs flagitioſis, in quos iubet gladio animaduerti: propterea enim illum principibus & Magiſtratibus politicis aſſignauit, ſicut & Paulus non obſcurè confirmat. Adde quòd ſeipſum Chriſtus velut interpretatur, cùm verba illa interponit: *Ne fortè colligentes*

Matth. 7. & 18. Tit. 3. 1. Tim. 1. Galat. 5. Rom. 13.

zizania

Contra epiſt. Parmeniani, & in epiſt 48. ad Vincentium, & lib. 3. cõtra Creſconium.

zizania, eradicetis cum eis & triticum. Vnde prudenter Auguſtinus colligit, præceptum illud: *Sinite vtraque creſcere*, in eo ſeruandum eſſe, quando zizania ſine extirpatione tritici nequeunt extirpari, quòd nimirùm hæretici non poſsint extingui, niſi cum eis & Catholici trucidentur. Alioquin vbi hic metus & hoc periculum abeſt, neque damnum, ſed emolumentum Eccleſiæ ex hæreticorum punitione ſperari & percipi poſſe videtur ſapientibus, hæreticos velut zizania eradicare non modò licet, ſed etiam decet ac expedit, nonnunquàm & præſens poſtulat neceſsitas, vt ſummi Dei gloriæ, puritati religionis, & vtilitati publicæ conſulatur. Ac fuit quidem Auguſtinus in hac aliquando ſententia, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum, ſolaque diſputatione cum hæreticis agi oportere: ſed poſteà ſcripſit & docuit in hunc modum: Multis profuit, quod experimentis probauimus & probamus, prius timore & dolore cogi, vt poſteà poſsint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opere ſectari.] Perſuaſit igitur Auguſtino certa magiſtra rerum experientia, non obeſſe ſed prodeſſe plurimùm Eccleſiæ, quòd contumaces hæretici, qui doctores & paſtores Eccleſi contemnunt, à politicis magiſtratibus vi quadam ad reſipiſcentiam adigantur, metuque legum ac imperio ſimul & gladio ad Catholicam vnitatem conuertantur. Sunt enim velut phrenetici, quibuſdam vinculis conſtringendi, & ſicut ſomno lethargico laborantes, vt ad ſe redeant, durè ac grauiter exuſcitandi. Nam iſthæc poteſtas ad fidem cogendi hæreticos, diuino etiam iure competit Eccleſiæ, & principibus demandata eſt, vt ſicut Propheta iubet: in timore & tremore ſeruiant Deo; ſicut iam olim Ezechias & Ioſias reges ſua in impios ſeueritate Domino fideliter inſeruierunt. Prudens omitto Chriſtianorum exempla Cæſarum, vti Conſtantini, Theodoſij & Honorij, qui magna cum laude damnârunt ſui temporis hæreticos Eccleſiæ rebellantes & contradicentes. Hoc enim eſt ad magnam cœnam inuitatos conuiuas vt veniant & intrent, compellere, ſeq; Ni-

Epiſt. 50. ad Bonifacium. & epiſt. 48. ad Vincent.

Pſal. 2.
4 Reg. 8.
4. Reg. 23.

Luc. 14.

nimitarum

[p]rauitarum regi conformare, qui totam ciuitatem ſuam ad [p]œnitentiam amplectendam coëgit, & Paulinum confir[m]are dictum illud: *In promtu habentes, vel parati vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia.* Quare Bernardus etiam de his pernicioſis Eccleſiæ hoſtibus ſapienter ita iudicauit: Melius procul dubio gladio coërcerentur, illius videlicet, qui non ſine cauſa gladium portat, quàm in ſuum errorem multos traijcere permittantur. Dei enim miniſter ille eſt, vindex in iram ei quia malè agit.] Ac rurſus: Dolendum valdè, inquit, quòd non ſolùm laici principes, ſed & quidam, vt dicitur, de clero, qui eos magis perſequi debuerant, propter quæſtum ſuſtineant.] Superſedeo ea teſtimonia repetere, quibus in verbo ſuo Deus fideles ad puniendos & necandos impios iampridem excitauit ac impulit. Atque vtinam hodie Magiſtratus non lenitate & indulgentia potiùs quàm rigore ac ſeueritate in hac parte peccarent. Vtinam, inquam, ad veterem laudatiſsimorum principum zelum propius accederent, quando illi ſubortas peſtilentes in fide opiniones, earumq; authores iampridem exſtinxerunt, atque ita neceſſariam Eccleſiæ vnitatem atque concordiam, quæ nunc tàm miſerè ſciſſa eſt, pulcherrimè defenderunt.

Ion. 3.

2. Cor. 10.

Serm. 66 ſuper cantica.

Rom. 13.

Deuter. 13. 17. & 18. 3. Reg. 18. 1. Machab. 1. & 2.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt puram & Dominicam ſementem amemus, amatamq; conſeruemus, neq; illam peſtiferis zizanijs quæ nocte ſuperſeminat Satan, in nobis corrumpi permittamus, maximè cum hoc tempore complures nouandæ & mutandæ veteris religionis perquàm cupidi & ſtudioſi reperiantur. Impletur enim Paulinum vaticinium*: Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus. 2. Tim. 4.

PETAM *inſuper à Deo gratiam, vt maioribus & minoribus auferatur noxia dormitantia ſiue ſomnolentia, eaq; cum ſancta vigilantia commutetur in hac grauiſsima Eccleſiæ tempeſta-*

te, & fidei perturbatione. Cum enim dormirent homines, iam olim hæreſes ortæ fuerunt, & abuſus inualuerunt, ſicut nunc etiam ingenti cum Eccleſiæ detrimento fieri cernimus.

CATHOLICIS *Magiſtratibus optabo augeri gratiam, ſuum vt officium faciant in malis coërcendis, & in apertis fidei hoſtibus excludendis, quoad eius fieri poteſt, ſalua bonorum & Reipublicæ incolumitate. Scriptum eſt enim:* Princeps Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. *Atque huc ſpectat præclara Cypriani adhortatio, quæ nobis Catholicis non minùs quàm veteris Eccleſiæ hominibus conuenit. Mutuis inquit, votis nos inuicem foueamus, cuſtodiamus, armemus: oremus pro lapſis vt erigantur: oremus pro ſtantibus, vt non ad ruinas vſque tententur, oremus vt qui cecidiſſe referuntur, delicti ſui magnitudinem agnoſcentes intelligant, non momentaneam neque præpoſteram deſiderare medicinam.*]

Rom. 13. Lib. 2. epiſt. 7.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Sequentis Euangelij argumentum.

RVrſus alias parabolas duas de creſcente grano ſinâpis, & de fermento farinæ commixto tradit hoc Euangelium, in quo Chriſtus naturam & vim Euangelicæ doctrinæ nobis explicat, ſi illam corde ſyncero ac-

cipiamus, ſicut plurimi quidem fideles à Chriſto & Apoſtolis adhuc viuentibus acceperunt. Ea enim doctrina vel prædicatio, quantumuis humilis & parua in principio videbatur, mirum quantam acrimoniam & efficaciam continuerit, quàm latè ſe per mundum breuí tempore diffuderit, quantumque mutationis & fructus præter hominum opinionem attulerit mortalibus in orbe terrarum. Igitur ea ipſa doctrina non eſt diſsimilis grano ſinâpis, licet exili & ferè minimo inter omnia ſemina, quod tamen terræ mandatum exſurgit ſuper omnia olera, vt fiat arbuſcula, in cuius ramis habitent & gaudeant volucres cœli. Eadem eſt ferè ratio de fermento à muliere abſcondito in farina, per quod etiam adumbratur Euangelica doctrina, quoniam occulta vi tranſmutauit, ac etiam nunc tranſmutat animos, & velut ex inſipido valdè ſapidum lautumque cibum reddit, quin etiam diuerſas gentes in vnum Eccleſiæ corpus transformat, quemadmodum modicum fermentum diuerſis farinæ menſuris commixtum, totam conſperſionem in vnum ſimul corpus vnire conſueuit. Hilarius per hoc fermentum intelligit CHRISTVM ſignificari, eò quòd ille accepta à nobis natura virtutem diuinitatis ſuæ humanæ naturæ communicauerit. Nec diſſentit Chryſologus ita ſcribens, CHRISTVS eſt regnum cœlorum, qui velut granum ſinâpis in hortum virginei corporis miſſus, orbe toto Crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus ſui ſaporem, Conteritur autem paſsione, vt quidquid eſt vitale, ſuo ſaporaret & condiret attactu. Nam ſicut in integritate grani ſinâpis virtus habetur occulta, apparet verò virtus eius vehementiſſimè, ſi teratur: ita CHRISTVS corpore teri voluit, qui ſuam noluit latere virtutem.] Cæterum fermentum ad Apoſtolos & Apoſtolicam Eccleſiam referri poteſt: quia ſicut fermentum licet modicum, magnam farinæ copiam vi ſua conuertit, ſic pauci Apoſtoli ſuæ prædicationis virtute, vniuerſum penè orbem ad iugum Euangelicũ pertraxerunt. Hieronymus

In Matth.

Serm. 98.

ib.2. ſuper Matth.

ita loquitur: Mulierem iſtam & ipſi Eccleſiam interpretamur, quæ fidem hominis farinæ ſatis tribus commiſcuerit, credulitati Patris & Filij & Spiritus ſancti.] Alijs verò placet per hanc mulierem quæ fermentum in tribus farinæ ſatis abſcondit, animam hominis accipi, quæ prædicationem Euangelij occultat, tribusq; partibus, nempè rationali, concupiſcibili & iraſcibili commiſcet, ita vt ex his vna fiat contemperatio per doctrinæ communionem, ac totus homo ſpiritualis efficiatur.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ Matth. XIII.

SIMILE eſt regnum cœlorum grano ſinâpis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam loquutus eſt eis: Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Hæc omnia loquutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſynâpis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo.

LAVDABO æternam Chriſti ſapientiam nobiſcum tàm clementer agentem, vt Euangelicam doctrinam ex paruis & humilibus initijs ad maxima perduxerit, & idcircò contulerit grano ſinâpis, inter omnia ſemina perexiguo, ſed ſenſim procedenti in arbuſculam, quæ ſuos ramos extendit, & cœli volucres fouet, cuius prętereà ſemen contritum, ſecundùm Plinium, ad pellenda venena confert, magnamque vim ad morbos curandos obtinet. Lib. 20. cap. 22. Itaque & meo & fidelium omnium nomine ingentes Chriſto Domino gratias agam, qui nobis hoc granum diuinumque ſemen, quod initiò plurimis vile prorſus & abiectum, & inter omnes quidem diſciplinas minimi eſſe pretij videbatur, tàm viuidum, acre, potens, pretioſum & ſalutare mundo effecerit, vt meritò cum Paulo teſtemur: *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Hebr. 4. Hoc ipſum verbum ſeu Euangelium, quod virtus Dei eſt, ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. cùm primùm exoreretur, Iudæis quidem & Græcis fuit ſignum contradictionis, vt Simeon dixit, Luc. 2. & vti Iudæis ſcandalum, ita Græcis ſtultitia, ipſis autem vocatis Iudæis ac Græcis DEI virtus, Deique ſapientia, quemadmodum Paulina verba declarant. 1. Cor. 1. Ac philoſophorum quidem dogmata, quibus

olim ethnici tantoperè gloriabantur, ſemina quoque & grana dici viderique poſſunt, quæ cùm accedente humano ſtudio creuerint, tantùm in olera & herbas, quæ citò areſcunt & corruunt, ebulliunt quidem, ſed vt nihil in eis firmum ac ſolidum, ſed omnia potiùs flaccida & marcida reperiantur. Prædicatio autem Euangelica, quantumuis à multis & doctis & præpotentibus oppugnaretur, nō in olera, ſed velut in arborem ſublimem, latèq; in orbe diffuſam, ac firmiter ſtabilitam paucis annis excreuit, multiſque gentibus & populis mirificè profuit. Impletum enim illic vides

Iſai. 11. as Iſaiæ vaticinium, quo prædictum fuerat: *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes*. Ac rurſus ad Eccleſiam velut ſpiritualem Hieruſalem ab eodem vate dictum

Iſai. 60. legimus: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo.*

PROINDE mirabor ego multorum hodie fidelium vanitatem ac inſipientiam, qui profanis literis & humanæ doctrinæ adeò ſunt dediti & immerſi, vt parùm aut nihil vacent ſpiritualibus ſtudijs, vtque diuinæ doctrinæ & ſapientię theſaurum, quem potiſſimùm in ſacro Chriſti Euāgelio, ve-

Matth. 13. lut pretioſam margaritā incluſam habemus, nauſeabūdi negligant. Nec in paucos competit Paulinū illud: *Euanuerunt*

Rom. 1. *in cogitationibus ſuis, & obſcuratū eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Nam verè tradit Sapi-

Sapien. 13. entiæ liber: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Tunc illorum iniri numerus non poteſt, qui pro vera ſapientia ſtultam huius mundi ſapientiam, ſicut Paulus

1. Cor. 1. Hierem. 2. appellat, cupidè amplectuntur, & dum ipſum omnis ſapientiæ, vel ſicut Hieremias loquitur, *aquæ viuæ fontem derelinquunt, quaſi ciſternas diſſipatas ſibi fodiunt: vnde pro generoſo vino aquam bibunt impuram, quæ ſitim nulli vnquàm exſtin-*

Pſal. 92. *guit. Beatus autem homo*, ſicuti canit Dauid, *quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eū.* Vbi non ſine cordis mei tri-

ſtitia

ſtitia cogitabo, quòd adeò multũ temporis ac ſtudij in rebus literiſque profanis contriuerim, ſacris autem literis, quibus nihil excellentius, ac ſalutaris doctrinæ cognitione, velut ſolidò piorum cibo, meum fraudarim animum, perinde ac ſi porcorũ ſiliquis magis quàm pane cœleſti delectarer: *Qui verò ignorat, ignorabitur*, Apoſtolo teſte. Cuius fœdæ ignorantiæ tàm infœlix effectus eſt, vt apud Iſaiam queratur DEVS: *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Quid autem prodeſt homini liberalibus artibus inſtructo, omnibuſque linguis exculto, ſi pro charitate ædificante inflante ſcientia ſit præditus? Immò verò ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: vt Apoſtolus de ſeipſo palàm affirmat. Quo magis miſerum ac miſerandum eſt, nos de Chriſti doctrina & Euangelica lege tàm præclarè ſentire ac gloriari: ſed in ea profitenda & illuſtranda tàm frigidè ſegniterque verſari, vt ethnici etiam olim in ſuæ philoſophiæ ſtudijs perſequendis & promouendis longè fuerint accuratiores. Etenim non pauci illorum vt ſine Deo, ſine fide vano diſcendi deſiderio ſatisfacerent, multas prouincias laborioſiſſimè peragrârunt, ſicut Pithagoras & Plato; alij diuitias omnes ſponte contempſerunt, vt Socrates & Crates Thebanus: nonnulli vt commodiùs pro ſuo arbitrio philoſopharentur, quemadmodum Cynici & Academici, vitam ſibi ſordidam & loca peſtifera non grauatim amplexi ſunt. *Ideò ipſi iudices noſtri erunt*, & ſuo tempore noſtram ſocordiam & ingratitudinem vel incuſabunt, vel condemnabũt, quòd in meridiana luce cæcutiamus, & pro auro carbones complectamur, quoniã humanæ doctrinæ fumo contenti, proh dolor, Chriſtianè philoſophari & Euãgelicè viuere in poſtremis habeamus.

1. Cor. 14.
Iſai. 5.
1. Cor. 8.
1. Cor. 13.
Luc. 11.

1. Ioan. 2. Atqui perſpicuè dixit Ioannes: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in*
Iacob. 4. *hoc veritas non eſt.* Tùm à Iacobo Apoſtolo ſcriptum eſt: *Scienti bonum facere, & non facienti; peccatum eſt illi.*

Quod (granum ſinâpis) minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus.

GRANVM hoc ſinâpis non modò Euangelicam doctrinam, ſed & Chriſtum ipſum ac lectiſſimos eius amicos mihi deſignabit. Ac Chriſto quidem lætus idcirco gratus labor, quòd ſeſe vt rebus alijs multis, ita etiam grano ſinâpis creſcenti, & ex imo in altum exſurgenti comparârit; ac ſimilem omninò fecerit. Quid enim humilius Filio hominis obſecro, qui cum amariſſimum calicem biberet, de ſeipſo illud verè teſtatus eſt:
Pſal. 21. *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: omnes videntes me,*
Philip. 2. *deriſerunt me. Cum enim in forma Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Iam verò quid hoc ipſo electiſſimo grano ſublimius atque glorioſius, quod in hortum virginei corporis miſſum, Crucis in arborem creuit, ac fructus ſui ſaporem dedit maximum toto orbe terrarum? Hoc ipſum granum ſic exaltauit Pater, vt nouiſsimo virorum, qui & vir dolo-
Iſai. 53. rum dicitur, nomen daret ſuper omne nomen, eamque ſu-
Philip. 2. per omnes cœlos exaltaret, nec ſolùm ab hominibus, ſed etiam ab ipſis Angelis vellet adorari. *Adorent eum,* inquit,
Pſal. 96. *omnes Angeli eius.* Quid illo excelſius & auguſtius fingi
Matth. 28. poſsit, qui rediuiuus de ſeipſo palàm affirmat: *Mihi data*
Hebr. 1. *eſt omnis poteſtas in cælo & in terra?* iamque is ſedet in excelſis ad dexteram Patris. Neque modica erit mihi conſo-

latio,

latio, quòd Chriſtus caput ſuis etiam præcipuis membris largitur, vt velut grana ſinâpis iure habeantur, quia primùm in ſpecie vilia & abiecta, deinde mirum in modum ſplendida & glorioſa inueniuntur. En tibi virgam de radice Ieſſe, & ancillam illam Domini, fabrique Ioſephi coniugem, obſcuram vulgo & pauperem, cuius & animam ſæuus gladius à Simeone prædictus ſæpè pertranſiuit, quæ demùm & poſt Apoſtolos & mulieres, vti ſcribit Lucas, locum in Eccleſia primitiua nouiſsimum ſibi vendicauit. Succreuit autem hoc inſigne granum, & ad culmen illud peruênit, vt ſuper omnes choros Angelorum exaltaretur, & Regina fieret ſedens à dextris DEI in veſtitu deaurato, quia humilitatem eius reſpexit & amauit ille, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Quòd ſi me ad Apoſtolos porrò conuerto, paruam, imbecillem, ignobilem & contemptam turbam, id eſt, exiguum granum ſinâpis, mihi videre videor, quæ de ſeipſa hoc non vanè prædicat: *Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus,* (hoc eſt, incertis vagamur ſedibus) *& laboramus operantes manibus noſtris. Tanquàm purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc*, perindè ác ſi dicas, quiſquiliæ & ſterquilinium. Sed hos inopes à terra, hos pauperes de ſtercore ſic erexit & euexit DEVS, vt eoſdem principibus populi ſui æquârit, immò præpoſuerit, dignoſque fecerit, qui lux mundi, ſal terræ, principes populorum, & Eccleſiæ fundamenta in ſcripturis appellarentur, & qui demùm ſuper ſedes duodecim, velut ſummi Iudicis aſſeſſores, orbem iudicent vniuerſum.

Iſai. 11. Luc. 1. & 2. Luc. 2. Actor. 1. Pſal. 44. Luc. 1. Pſal. 112. 1 Cor. 4. Pſal. 114. Matth. 15. Pſal 44 & 46. Apoc. 21. Matth. 19. Luc. 22.

CAETERVM væ mihi, niſi & ipſe cum Apoſtolis, immò & electis omnibus me deijciam & extenuem, granumque ſinâpis, aut ſicut alibi CHRISTVS dixit, granum frumenti minimum fiam. Faceſſat illa quæ tam multos obcœcat ac perdit arrogantia, philautia & oſtentatio,

Ioan. 12.

omniſque humana celſitudo mihi ſordeat, vt ſim vnus
atth. 18. paruulis, quorum eſt regnum cœlorum. Habet hoc
19. mundus proprium, vt initiò blandiatur, & ſpecioſa qu
dam promittat, & ad tempus arrideat ſuis amatorib
cùm voluptas, diuitiæ & gloria ex voto ſuccedunt.
rùm iſta fucata, fluxa & momentanea bona ſunt, Chriſ
ea ſpinas vocat, quæ non explent animum, & infœlici f
atth. 13. clauduntur, ac luctum pleriſque perpetuum cicant.
c. 8 *trema enim gaudij luctus occupat.* Quantò autem mihi co
ouer. 14. ſultius fuerit, Domino DEO ſincerè ac integrè adhære
illiusque morem ac ordinem obſeruare, qui operibus
humile quidem initium, finem verò ſplendidiſſimum t
buere ſolet. Hunc enim operandi modum tenet maxim
vt per infima & infirma mundi ea quæ ſunt potentiſſi
deijciat, & à minimis ad maxima ſuos prouehat electo
n. 16. iuxta illud: *Mundus gaudebit: vos autem contriſtabimini.*
l. 125. *mundo preſſuram habebitis. Qui ſeminant in lacrymis, in e*
im. 2. *ſultatione metent. Si commortui ſumus, & conuiuemus. Si ſ*
tinebimus, & conregnabimus. Denique mirabor ſtatum E
cleſiæ, quæ nobis per arborem hîc deſignata videtur, a
borem, inquam, ex grano ſinâpis prodeuntem, varijſq
ramis ornatam, in quibus volucres cœli non ſine vol
ptate habitent & iucundè commorentur. Nam eiuſmo
arbor ſpiritualis iampridem à Iudæis ac ethnicis pro nih
lo habita, varijsque modis oppugnata, vix centum vigin
hominum turbam initiò continebat. Breui autem ita ſu
creuit, vt ſublimis ac robuſta fieret, diuiſque ſupplicijs e
floreſceret, cuius altitudo pertingeret ad cœlum, cuius a
ſpectus in omni terra ſe proderet, cuius rami pulcherrin
& fructus vberrimi etiam barbaris & gentibus eſſent a
mirationi. Quales verò & quantas Chriſto Redemtori gr
tias debeo, qui me veluti volucrem effecit, vt aliquam i
hac arbore nunquam deſitura partem obtinerem, & in r
mis eius ſalutaribus vnà cum plurimis optimis habitarem
Quot enim fidelium ordines ac ſtatus in Eccleſia numeran

tur, tot eiuſdem longè lateque patentes rami comperiuntur, in quibus volucres cœli, id eſt, iuſti per omnes mundi ætates cœleſtem potiùs quàm humanam vitam tranſigunt, & vniti ſpiritu ſe mutuò lætiſſimè complectuntur, vt ſummo iure concinant: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Pſal. 132. Curabo interim, me in hac arbore ac ramis eius longiſsimè ſparſis, non otiosè verſari, ſed illum obſeruare Canonem Apoſtolicum: *Videte vocationem veſtram fratres.* 1 Cor. 1. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* 1. Cor. 7. *Videte quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes ſed ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Epheſ. 6.

Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.

QVAE in parabolis Euangelicis à Chriſto adferuntur, plerunque rerum notiſſimarum ſunt ſimilitudines, & populari quidē captui congruentes, in quibus nos anxiè curioſos eſſe non decet, ſed magis de ſumma ſententiæ cogitare. Nec dubitabo, illic ſpiritualem interpretationem ac intelligentiam exigi, eamque ſæpè diuerſam à doctis rectè probari ſtatuam. Per hanc ſanè mulierem, quæ in farina fermentum abſcondit, ego in primis accipiam Chriſti ſacram humanitatem, quæ tanquam optima fidiſſimaq; mater, nos Adæ filios ſummis doloribus peperit, & incredibili ămore diligit quamlibet immerentes. Vt mater obliuiſci non poteſt infantis, quem in vlnis gerit, & ſuo ſpiritu Iſai. 49. præſidioq; fouet, ac quodămodo abſcondit, vt theſaurus ſit 2. Cor. 5. in vaſis fictilibus, & decor filiorū ab intus maneat abſq; vlla oſtentatione. Abſcondit, inquam, hæc mater ſuas opes in fi- Pſal. 44. lijs, quos per Euangelium generat, præſertim in pauperibus mundoq; deſpectis, vt fide per dilectionē operante, ſecundū Galat 5.

Apoc. 22. ſpiritum perfectiùs ambulent, iuſtique magis ac magis iu-
Galat. 5. ſtificentur. Dico enim in Chriſto, inquit Apoſtolus: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Ac iterum: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Quid verò mirum eſt, CHRISTVM hominem per mulierem & matrem ſignificari? quando & ſeipſe gallinæ comparat, & ob
Matth. 23. affectum verè maternum dilectam vrbem Hieruſalem amanter ita compellat: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas?* Optabo interim ex animo, æternam DEI ſapientiam, quæ ſe
Prouer. 8. diligentes diligit, & à vigilantibus inuenitur, mihi velut matrem benignam ac fidam obtingere, cùm illa de ſeipſa teſtetur: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agni-*
Eccleſ. 24. *tionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis vitæ & veritatis. In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.*

RVRSVS propoſita mulier mihi deſignabit Eccleſiam, quæ ſyncerum Apoſtolicæ doctrinæ fermentum acceptum prudenter abſcondit, & occultè cum farina commiſcet atque contemperat, vt eiuſdem farinæ tres partes in vnum redactæ, nouo & præclaro ſapore imbuantur. Quocirca in hunc modum ſcribit Ambroſius: Mulier quæ
Serm. 5. dicitur abſcondere in farinam fermentum, quæ eſt niſi ſancta Eccleſia, quæ quotidiè doctrinam Chriſti in cordibus noſtris conatur abſcondere?] Quod ad tria verò ſata, vel tres menſuras farinæ attinet, eas ego ad tres mundi plagas, Aſiam, Aphricam & Europam accommodabo, Chriſtoque gratias reuerenter agam ob ſuam ſingularem & præpotentem virtutem in nouo fermento & Euangelica doctrina operantem; ac prætereà Eccleſiæ ſanctæ gratulabor, quæ per paucos piſcatores infinitam multitudinem piſcium ex hoc vaſto mundi pelago attraxerit, CHRISTOQVE ſponſo ſubdiderit cum vnitate ſpiritus, & firma fide illorum, quæ ad ad conſtantem trium perſonarum in vna DEI eſſentia confeſſionem ſpectant.

Nec frigidè collaborabo, vt Catholicæ doctrinæ communione, velut ſalutari neceſſarioque fermento imbutus maneam, vtq; tres animæ meæ vires, nimirum rationalis, concupiſcibilis & iraſcibilis, ad cultum DEI probè commiſceantur atque contemperentur, & hinc totus ego in hominem DEI transformer, fiamq; verè ſpiritualis, ſiue ſicut Apoſtolus vocat, noua creatura, cui nihil praui veteriſq; fermenti ad maſſam corrumpendam adhæreſcat. Petam igitur in me diuinitus compleri, quod Paulus Apoſtolus illo dicto quibuſdam precatus eſt: *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos per omnia: vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Vbi prætereà mihi grato pectore complectendum eſt, quod ſubindicat Chriſtus de Eccleſia ſemper duratura, quando tradit, optimæ mulieris fermentum tantiſper commiſceri farinę, donec maſſa illa penitus fermentetur. Id quod fieri non poteſt, niſi ſonante ſemper Euangelica prædicatione, Chriſto ipſo prædicente: *Prædicabitur Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Eoque magis tum de perpetuitate Eccleſiæ, tum de prædicatione Euangelij nunquam deſitura gaudebo, & Chriſto agam gratias, firma nempè fiducia & exſpectatione concepta, vt omnes per gratiam conuerſi, vnum aliquando efficiant ouile, vnumque paſtorem agnoſcant, ac Deus ipſe ſit omnia in omnibus. Tam fidelem habemus Dominum, qui vſque ad finem ſeculi cum ſuis fidelibus manere decreuit, ſuæq; præſentiæ ac manſionis virtutem contra hoſtes exhibet ſingularem. Hoc enim eſt, quod regius Propheta promiſit: *Benedictiones dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Quin & Chriſtus ipſe velut ſuum officium explicans, hoc nobis affirmat: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Omitto interim, quod Bernardus hanc parabolam ſanctiſſimæ Virgini matri accommodat,

Galat. 6.

1. Theſſ. 5.

Matth. 24.

Ioan. 10.
1. Cor. 15.
Matth. 28.

Pſal. 83.

Ioan. 10.

modat, tali nempè mulieri, quæ ſuæ fidei fermento in vtero virgineo tria permiſcuit ſata, hoc eſt, tres CHRISTI naturas in vnitate perſonæ commixtas tenuit atque in lucem edidit.

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS, *vt diuinæ ſapientiæ & doctrinæ complures habeamus profeſſores atque cultores verè ſtudioſos, vtq́; Dei verbum & Euangelica Philoſophia ſuam in nobis, quemadmodum in primis fidelibus, vim & acrimoniam potenter exerat. De illis dixit Lucas:* Verbum DEI creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Hieruſalem valdè: multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei. *Aciterum*: Erat manus Domini cum eis, multusq́; numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum.

Actor. 6.

Actor. 11.

PETAM *inſuper à Domino, grana ſinâpis electa concedi, hoc eſt, tales Eccleſiæ miniſtros atque ciues, qui ſe Chriſto, Mariæ, Apoſtolis & ſanctis alijs in eo conforment, vt ab imis ad ſumma in omni humilitate & ſimplicitate conſurgant, ſuaq́; vocatione dignè ambulent, ſicut & Paulus à Theſſalonicenſibus poſtulauit.* Superbum enim ſequitur humilitas, & humilem ſequitur gloria, *teſte Salomone.*

1. Theſſ. 2.

Prouer. 29.

ORABO *huic ætati bonum ſuppetere fermentum, nempè ſanam & ſalutarem doctrinam, quæ animos hominum perinde ac farinam inſipidam ad ſe pertrahat, & tres animæ vires ſiue potentias ad benè beateq́; viuendum reformet in plurimis.*

DOMI-

DOMINICA VLTIMA POST EPIPHANIAM, ET SEPTVAGESIMAE PROXIMA.

SI quando poſt ſextam Dominicam quæ præceſſit, alia celebranda ſuperſit, quod non adeò frequenter accidere ſolet, illud Euangelium vnà cum ſuis notis hîc inſeratur, quod ferijs Diui Matthiæ Apoſtoli adſcriptum poſteà inuenietur, & ex vndecimo capite Matthæi depromitur, nimirùm: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, & quæ ſequuntur.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

Sequentis Euangelij argumentum.

EX parabolis Euangelicis iſthæc minima non eſt, quam Chriſtus proponit de patrefamilias ſuam vineam procurante ſedulò, illamque vocatis colonis elocante, vt hi tranſacti laboris ſui præmium referant, ſiue maturè ſiue tardè ad laborandum acceſſerint. Maturè quidem in hanc vineam vocati venere Iudæi: tardè verò Gentiles, nempè poſt Chriſti in cœlos aſcenſum facti participes Euangelicæ gratiæ, quam priores Iudæi prorſus indignè repudiârunt, ſaluti quoq; Gentium inuidentes, & quodámodò contra Dei bonitatē obmurmurátes,

Actor. 11. & 15. ſicut ex actis Apoſtolorum perſpici poteſt. Nihil verò attinet excutere ſingula, quæ in huiuſmodi parabolis adferuntur: ſatis fuerit præcipua excerpere, & ſcopum ipſum loquentis Domini cumprimis ob oculos habere. Illud eſt extra controuerſiam, non ſolùm in Iudæis, ſed etiam in Gentilibus Chriſtianis impleri quod in Epilogo traditur, nouiſsimos nempe fieri primos, & primos nouiſsimos: tum ex multis vocatis ad lucem, gratiam & laborem, paucos electos reperiri, quibus æternæ vitæ denarius tandē perſoluatur. Adeò ſatis non eſt, quòd à patrefamilias in vineam vocati accedimus, ac promiſſa illius liberalitate nos ipſos conſolamur, niſi & oblatæ gratiæ in vinea cooperemur, vt cum Paulo quiſque

1. Corin 15. bona conſcientia dicat: Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.] Vnde & Concilium

Cap. 28. Arauſicanum Secundum luculenter hoc tradidit: Debetur merces bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.] Sanè quiſquis in vinea Eccleſiæ non eſt, aut in eadem non laborat, ſed otioſè, aut quod peius eſt, criminoſè viuit, de promiſſo denario

Matth. 7. fruſtrà ſibi blanditur. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, iuxta

Lib. de fide & operibus cap. 14. Chriſti ſententiam. Igitur excutiendum eſt à cordibus religioſis, (Auguſtini verbis vtor) ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint, benè autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.]

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Matth. XX.

SIMILE eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt, primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum ope-

rarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum abijt circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cùm veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi, acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes, murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus. At ille reſpondens vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſſimi, primi: & primi, nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati: pauci verò electi.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Paterſamilias exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.

SINGVLARES gratias cœleſti patrifamilias agam, qui humani generis pro ſua bonitate miſertus, Eccleſiam veram perinde ac electam vineam inde ab orbe condito plantat, colit atque conſeruat, miſſis ad illam per ætates omnes, præſertim noui teſtamenti, fidis colonis, qui ſuis laboribus vineæ huic impenſis digna tandem præmia conſequantur. Hinc illa Dei promiſſio per Hieremiam facta Eccleſiæ: *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſthac mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Ac rurſus: *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Tum Iſaias de huiuſmodi Euangelicis operarijs id vaticinatur: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: miniſtri Dei noſtri dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis.* Quos miniſtros & operarios ego tantò maioris faciam, & ab omnibus pluris faciendos iuſtiusque venerandos putabo, quantò certiùs munus illorum Deum habet authorem, quantoque ſemper Eccleſiæ conducibilius ac magis neceſſarium fuit. Quid enim eſſet atque efficeret ſine colonis vinea? Certè inculta & deſerta iaceret. Quid ſine paſtoribus oues? vtique vagantes & errantes eſſent, ac contra luporum rabiem ſe tueri minimè poſſent. Quid ſine ſacerdotibus Eccleſia? non Dei verbum in ea prædicaretur, non Sacramenta diſpenſarentur, non ſpirituales iudices & medici ſuum officium facerent,

Hierem. 17.

Hierem. 3.

Iſai. 61.

cerent, ac demum Eccleſia diſſonans chorus magis quàm quod dicitur, [a]caſtrorũ eſſet acies ordinata. [b] *Quomodò enim prædicabunt niſi mittantur?* ſicut [c] Moſes, Aaron & [d] Ioannes a Deo vocati & miſſi venerunt, & quoniam [e] rete ſibi concreditum in nomine Domini eiecerunt in mare, prouentum Eccleſiæ maximum attulerunt. Etenim [f] *quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt,* Apoſtolo teſte. Illos verò fugiam, ac deteſtandos magis quàm probandos exiſtimabo, qui cùm Dominicæ vineæ cultores videri haberique poſtulent, à cœleſti Patrefamilias vocati & miſſi non ſunt, & hac iuſta illius querela notantur: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Væ paſtoribus qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus.* Arguit eoſdem & Paulus, cùm loquitur de falſis fratribus, Pſeudapoſtolis, operarijs ſubdolis, transfigurantibus ſe in Apoſtolos Chriſti, Sathanæque miniſtris, qui ſibi nempè honorem ſacerdotij ſumunt, ſeq; in munus Euangelicum & Eccleſiaſticum ingerunt, cùm nullo tamen iure teſtari poſſint: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Cùm autem hoc genus hominum, immò vulpium, noſtram vineam hodie furenter demoliatur, ac mundus iſtiuſmodi nouis doctoribus ac miniſtris ob ipſorum blandiloquentiam valdè oblectetur, verba Irenæi verè Apoſtolici viri notabo, quibus illi ipſi nobis liquidò depinguntur. Eis, inquit, qui in Eccleſia ſunt presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſsione chariſma veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, & quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes.] Ac poſteà iterum: Apud eos qui ſunt in Eccleſia presbyteri, eſt Apoſtolica doctrina.] Abſit igitur vt animam & ſalutem meam nouis permittam miniſtris &

a Cantic. 6.
b Roman. 10
c Exod. 7.
d Ioan. 1
e Luc. 5.
f Rom. 13.

Hierem. 23.
Ibidem.

2. Cor. 11.

1. Cor. 4.

Cantic. 2.
Ezech. 13.

Lib. 4. contra Valentinum cap. 43.

Ibidem.

magiſtris, qui ſuæ vocationis & ordinationis rationem reddere nequeunt, nec ſolùm à noſtræ, ſed etiam à veteris Eccleſiæ ſacerdotibus alieni, ac inter ſe diſſecti ſunt, totq; velut colenda idola proponunt, quot falſa & impura dogmata venditant imperitis. Iubet autem Apoſtolus nos pacem
1.Theſſ.5. habere cum ijs miniſtris, qui legitimè miſſi populo Præpoſitos agunt, & acceptas tenent traditiones: illosq; penitùs
2.Theſſ.2. deuitari vult, qui inordinatè, & non ſecundùm Eccleſiæ
Galat.1. traditiones ambulant. Vnde illum præſcribit Canonem: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Sed & illorum ſortem ex animo deplorabo, qui perin-
Galat.3. dèac olim Galatæ, nouis præſtigijs faſcinati, legitimè miſſos & inſtitutos Eccleſiæ miniſtros non agnoſcunt, nec audiunt, quin & Catholicos Epiſcopos ſiue præſentis ſiue ſuperioris ætatis ſuperbè contemnunt & repudiant, quodq; intolerabilius eſt, pro paſtoribus & doctoribus ordinarijs lupos rapaces, pro veris ſacrorum miniſtris falſos & ſuppoſititios illos amplectuntur, qui per oſtium nunquam in-
Ioan.10. greſſi, & ab oſtiario minimè probati, in Eccleſiaſtica munia ſeipſos ingerunt, aut à profanis magiſtratibus intrudi ſe ſuſtinent. Quid autem iſthuc eſt aliud, præterquàm cœleſti Patrifamilias, eiuſque vocationi & miſſioni palàm repugnare, oues paſtoribus, & diſcipulos magiſtris legem dare, Chriſtum Dominum in ſuis vicarijs loquentem & paſcentem reijcere, ac demum reipſa ſe immundos hædos pro electis ouibus declarare? Ouium certè ſiue germanorum Dei filiorum, id eſt, fuit, eritque ſemper proprium, ſecundùm diuinas illas regulas viuere: [a] *Ne innitaris prudentiæ tuæ: ne ſis ſapiens apud temetipſum.* [b] *Audi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* [c] *Oues meæ vocem meam audiunt. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem eius.* [d] *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.*

a Prouer. 3. b Prouer. 1. c Ioan. 10. d 1.Cor.14.

Quid hic ſtatis tota die otioſi?

NOTABO ingenium & morem noſtri Patrisfamilias,

qui tantam pro ſua vinea procuranda curam gerit, toties ad operarios conducendos egreditur, & ſuorum labore delectatur. Hinc quos otioſè ſtantes offendit in foro, ſeuerè corripit, conductis ſingulis vineæ ſuæ partem excolendam aſſignat, atque vt ad laborandum ſint omnes alacriores, ſuum cuique laboris præmium pollicetur, & per procuratorem præſtat fideliter. Adeò verè dixit Chriſtus: *Pater meus vſque modò operatur.* Ac de ſe ipſo idem diſertè pronuntiat: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Tum alios etiam ſui ſimiles, hoc eſt, in labore indeſeſſos ſocios & collegas requirit, dormientes diſcipulos increpat, Petro in piſcatione verſanti benedicit, ac operanti per Prophetam id promittit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Nec eſt diſpar illa promiſſio, in DEI tabernaculo habitaturum, ſuamque in monte ſancto requiem habiturum eſſe, qui ingreditur ſine macula & operatur iuſtitiam. Nonnè igitur meritò me mei pudeat ac pigeat, quod ſubindè laborem fugiens ad otium adſpiro, & in his quæ ago, me torpentem ac ſegnem ſeruum illi exhibeo, qui me ad laborandum non modò conduxit, ſed etiam creauit? *Homo enim naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Tum Sapientis præceptum eſt: *Noli eſſe inutilis & remiſſus in operibus tuis.* Neque vlli hoc in mundo quieſcendi, ſed laborandi, ac poſt laborem hîc ritè confectum, in alio ſeculo quieſcendi ſpacium datur. *Negotiamini*, inquit, *dum venio.* Et à Ioanne ſcriptum legimus: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Opera enim illorum ſequuntur illos.* Quamobrem opera fidei & charitatis in vinea præcedant neceſſe eſt, vt homini non ſolùm de vera poſt mortem quiete, ſed etiam de cœleſti mercede prouideatur. Conſtitutus eſt procurator, immò Iudex omnium Chriſtus, *Pater enim omne iudicium Filio dedit,* qui ſolis operarijs, non autem otiantibus & ſterilis fidei iactatoribus, mercedem ex æquo retribuat. *Ecce*, inquit, *venio citò, & merces mea mecum eſt,*

Ioan. 5.
Ioan. 4.
Matth. 26.
Luc. 5.
Pſal. 127.
Pſal. 14.
Iob. 5.
Eccleſ. 4.
Luc. 19.
Apoc. 14.
Ioan. 5.
Apoc. 22.

reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. Væ igitur mihi, ſi pretioſi temporis vſuram amitto, aut ſi præpoſterè laboro, vt neque ad ſcopum propoſitum reſpiciam, neque mihi ac alijs fructum ſalutarem, ſicut Paterfamilias requirit, adferam. Tantum abeſt, vt illas voces diuinas, quas impleri neceſſum eſt, ſurdis tranſire auribus debeam: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Venit nox, quando nemo poteſt operari. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* Vt hinc etiam Apoſtolus, qui non ſolùm ore Euangelium prædicabat, ſed ſuis quoque manibus laborabat, fideles omnes hortetur: *Operam detis vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis.* Quarè ſic me comparabo, vt contra otium & inertiam ſegnitiemque perpetuò pugnem, in ſtudio autem ac labore honeſto corpus hoc exerceam, quod velut ſeruus immorigerus, adeoque vt aſinus piger, quærit diuerticula, heroque ſuo laborem exigenti obſtrepit ac recalcitrat. Sed quid remedij contra hunc morbum præbet Sapiens? *Cibaria,* inquit, *& virga, & onus aſino: panis & diſciplina & opus ſeruo.* Ac iterum: *Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, nè vacet. Multam enim malitiam docuit otioſitas.* Nam & iners otium in cauſa fuit, vt Sodomitæ, ſicut apud Ezechielem legimus, in ſpurciſſimum illud nefariæ libidinis ſcelus prolaberentur. Tum Rex Dauid quantumuis pius, dum otio vacat, in turpe adulterium, horrendumq; homicidium incidit. Eo magis ac diligentius mihi cauendum eſt, nè cum aliâs, tum in diuino cultu otio ac torpori indulgeam, oblitus illius qui dixit: Suſtinete hîc & vigilate mecum. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Vetat igitur Salomon dormire pigros, & vigilantis formicæ ſectandam proponit induſtriam. Si enim impiger fueris, veniet inquit, vt fons meſſis

tua,

tua, & egeſtas longè fugiet à te. Sed & me ipſum incuſabo, qui Domini voce iuſtè corripi dignus ſum, vt audiam ſæpè: Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ita verò dicentem & obiurgantem Dominum audiam maximè, quando veſperi deprehendero, me per diem parum aut nihil operæ feciſſe pretium, ſed velut cum Petro ſine fructu fuiſſe piſcatum, aut cum Apelle nullam duxiſſe lineam. Luc. 5.

VBI mœſtus ego mecum reputabo, quàm ſibi malè conſulant plurimi, cœleſti optimoque Patrifamilias indignè reſiſtentes, ſeque præclara mercede, quam referre poterant, defraudantes, quandoquidem ſub conductis veriſque cultoribus vineæ, in ea ipſa nolunt perſiſtere, aut ſi perſiſtunt, tempus quo laborandum erat, otioſè, immò & vitioſè tranſigunt: tùm ſi laborant, non vt oportebat ſincerè laborant, vt ſuas operas ad gloriam Patrisfamilias, & proximi commodum referre, atque in charitate cuncta perficere ſatagant. Quocirca Chryſoſtomus cum quæſtionem illam propoſuiſſet, Si eſt victus Sathan & profligatus, quid ergo eſt quòd ſæpè vincit? commodè reſpondit, hoc ex noſtra ignauia prouenire. Bone Deus, quàm graue durumque iugum ſuſtinent filij ſeculi, quàm immanes labores mundi & carnis amore victi ſuſcipiunt, & ſine fructu perferunt? Sed miſerrimi tandem & ſerò pœnitentes fatebuntur: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & perambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquàm vmbra, & tanquàm nuntius præcurrens. Quoniam ſpes impij tanquàm lanugo eſt quæ à vento tollitur; & tanquàm ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur: & tanquàm fumus qui à vento diffuſus eſt.* In Pſal. 123. Sapien. 5.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi.

AGNOSCAM & prædicabo iuſtum Dei iudiciũ, qui ſum-

mæ bonitatis gratiæque ſuæ contemtum in mortalibus ingratis ita vindicat, vt ex plurimis ad Eccleſiam vocatis, fidemque profeſsis, paucos tandem ad gloriam eligat atque aſſumat. Cur enim ſeueram Dei iuſtitiam non ſentiant, qui tantoperè illius miſericordia conuerſis oblata, & pœnitentibus promiſſa, tàm turpiter abutuntur, vt in vinea Domini non niſi vitem infrugiferam, & vuas vel putridas vel immaturas proferant? Proinde iratus Paterfamilias de illis meritò queritur: *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod exſpectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Cæterùm ad paucos electos, & ſedulos vineæ cultores non pertinent, qui ſola Dei vocantis bonitate, Chriſtique meritis & Euangelij promiſsis contenti, ſe nimium hodiè conſolantur, cùm ſine obſeruatione legis, ſine reſpectu operum, ſine meritis præcedentibus iuſtitiam & ſalutem credentibus audent polliceri. Hos enim Propheta verberans dixit: *Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant. Dicite iuſto, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionem ſuarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.* Et Ioannes Apoſtolus contra eoſdem vanæ fidei iactatores, qui gloriam abſque merito, & meritum abſque opere volunt habere, vt Bernardus loquitur, nos præmuniens ait: *Filioli, nemo vos ſeducat: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Et apud eundem diuina vox adſtruit: *Eſto fidelis vſque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Ac iterum: *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; ſecundùm opera ſua.* Quarè illorum cœcitatem deflebo, qui cùm iuſtitiæ bonorumque operum fructibus deſtituantur, & velut reſecti ſint à vera vite palmites, tamen quià Chriſto credunt & fidunt, etiamſi redarguentem conſcientiam ſentiant, nec de peccatis doleant, de ſalute ſua certò ſtatuunt, ac de propitio ſibi Deo ſtultè gloriantur. Ego verò ſacris literis obtemperabo, quæ fidelibus iubent ſeruire Domino in iuſtitia & ſanctitate, * ſuamque ſalutem

cum

cum timore & tremore operari, [a] Euangelio dignè conuerſari, [b] theſauros in cœlo recondere, ac demùm [c] ſpe mercedis æternæ, vel propter retributionem, æqua & iuſta præſtare, Deique voluntatem facientes, reportare promiſsionem. Quicquid autem noui fingant aduerſarij, qui credentium benefacta deprimunt, vt fidem neſcio quam extollant ac iactent, ego cum vera Eccleſia ingenuè confitebor, opera ex fide procedentia, & ex charitate facta, nulli non Chriſtiano ad benè beateque viuendum neceſſaria eſſe, illaque non ſolùm fidem & charitatem internam teſtificari, ſed internam quoque iuſtitiam augere, & fiduciam quandam gratiæ DEI & vitæ æternæ animis ingenerare: quin etiam cœleſtis beatitudinis meritum ac præmium nobis comparare, maioreque gratia dignos efficere, non propter operum quidem dignitatem, ſi illa in ſe conſiderentur, ſed ob gratioſam illam DEI cum credentibus factam conuentionem, & ob inhabitantem Chriſti ſpiritum, quo duce vim accipiunt, vt ſint hi digni cœleſti & perpetua retributione. *Pietas enim ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* 1. Tim. 4. *Talibus hoſtijs* (beneficentiæ & communionis) *promeremur Deum, & per patientiam Dei regno digni habemur*, Heb. 14. ſicut in fide & veritate doctor Paulus affirmat, 1. Theſſ. 1: qui coronam iuſtitiæ ſuis benefactis repoſitam, & à iuſto 2. Tim. 4. iudice Chriſto reddendam fidenter exſpectabat. Neque ſolùm Pauli & Dauidis, ſed & iuſtorum in Domino gloriantium propria vox eſt: *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Pſal 17. Nec enim iniuſtus eſt Deus, vt bonorum operum Hebr. 6. piè factorum obliuiſcatur, quin potius adeò liberalis atque Matth. 10. munificus exiſtit, vt ſuo nomine porrectum fratri calicem aquæ frigidæ non ſinat manere irremuneratum.

QVONIAM verò Chriſtus in Euangelio ſæpè teſtatur, Matth. 20. & 22. multos vocatos, ſed paucos electos eſſe, etiam atque etiam cauebo mihi ab illorum exemplo, qui licet vocati in vinea perſiſtant, & credant cum Eccleſia, tamen vocationi ſuæ

a Phil. p. 1.
b Matth. 6.
c Pſal. 118.
d Heb. 10.

malè reſpondent, atque idcirco velut infrugiferi palmites, reiecti ac reciſi, in flammas inferni abijciuntur. Sic enim Chriſtus ipſe teſtatur de Patre loquens: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Ac iterum: *Si quis in me non manſerit: mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Hinc ego ſalutarem Dei metum concipiam, & omni abiecta præſumtione & arrogantia, cum Petro Apoſtolo ſollicitus dicam: *Si iuſtus vix ſaluabitur: impius & peccator vbi parebunt?* Confirmat hoc quoque Chriſtus, vbi rogatus ab alijs, *Si pauci ſunt qui ſaluantur?* hoc modo reſpondit: *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Qui rurſus ob paucitatem electorum velut ingemiſcens: *Quàm anguſta*, inquit, *porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt illam.* Tantoque minùs me commoueri ſinam turba & multitudine peccantium, qui licere ſibi quodlibet arbitrantur. *Stultorum* enim *infinitus eſt numerus*. Ac licet peccantium multitudo peccandi licentiam vulgo ſubminiſtret, tamen criminum, quæ à iuſto Deo vindicanda ſunt, nullam facere poteſt impunitatem. Et ſcriptura ipſa teſtatur: *Melior eſt vnus timens Deum, quàm mille filij impij.* Ac iterum legimus: *Ne æmuleris viros malos, nec deſidera eſſe cum eis.* Obſeruabo igitur quod ab Hieronymo præclarè dictum eſt: Non debemus ad multitudinem reſpicere, quæ nullum viuendi tenens ordinem, non tàm ratione ducitur, quàm quodam impetu fertur. Nec imitandi nobis ſunt illi, qui ſub Chriſtiano nomine gentilem vitam agunt, & aliud profeſſione, aliud conuerſatione teſtantur, atque vt Apoſtolus ait, Deum confitentur ſe noſſe, factis autem negant. Inter Chriſtianum & gentilem non fides tantùm debet, ſed etiam vita diſtinguere, & diuerſam religionem per diuerſa opera monſtrare. *Nolite*, ait Apoſtolus, *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate?* Demùm pro virili curauero, vt aliorum cura neglecta, de me ipſo iu-

dicando

dicando ac ſanando ſim ſollicitus, eam nempè partem excolens vineæ, quæ mihi à ſummo Patrefamiliâs concredita & aſſignata eſt. Ita enim & ſcriptura mandat: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* [a] *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* [b] *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* [c] *Vnusquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Extat elegans Hilarij locus ad præſentem Euangelij parabolam alludens, ac fideles omnes piè hiſce verbis inhortans: Hora vndecima eſt, inquit, concluſa diei ſunt tempora: curramus omnes, feſtinemus, nè nox adſit, nè hora prætereat. Beatus quidem qui à mane vſque in noctem laborans, pactum denarium tanquam debitum poſtulans.]

Eccleſ. 3. | a Galat 6. | b 2. Cor. 9. | c 1 Cor. 3. | In Pſal. 129.

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS *pro eligendis & inſtituendis paſtoribus, concionatoribus & miniſtris Eccleſiæ, quæ ſicut electa & dilecta Chriſti vinea, operarijs idoneis atque neceſſarijs hac velut vltima diei hora inſtruatur. Vix enim vnu quàm Chriſti præceptum magis, quàm hoc ſeculo Eccleſiæ infeſtiſſimo, fuit obſeruandum. Meſſis quidem multa,* inquit, *operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, vt emittat operarios in meſſem ſuam.*

Matth. 9.

ORABO *& pro auditoribus Euangelij, vt operarios atque miniſtros ritè vocatos, ordinatos ac miſſos duntaxat admittant, ſeq; in vinea Domini firmiter contineant, ac eos iuſtitiæ fructus proferant, quibus æternam iuſtitiæ coronam à iuſto iudice reddendam promereantur. Ita enim in fide & veritate Doctor gentium Paulus de ſe ipſo teſtatur:* Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.

1. Tim. 2. | 2. Tim. 4.

PECVLIARITER *autem inuocabo Dominum, vt me poſ-*

ſim, velim ac ſciam accommodare ad ſacrum Eccleſiæ Catholicæ inſtitutum, quo ab hac ipſa Dominica Septuageſima dicta, lætum Alleluia canticum tollitur, & populo Dei ad Paſcha vſque tempus luctuoſum indicitur atque commendatur. Etenim ſicut optimis & ſapientiſſimis Patribus placuit, luctus quidam ſpiritualis eſt, quem in diuino cultu chorus Eccleſiaſticus exprimit, vt credentes omnes miſerandum effectum peccati, & graues Iſraëlitarum calamitates ſibi ob oculos ponant, atque hac ratione ſeipſos ad grauioris pœnitentiæ officia paulatim excitent. In quo vtili & ſalutari inſtituto tantò me libentius confirmabo, quantò mundus hoc quidem tempore laſciuior ac petulantior eſſe conſueuit, omnes ferè luxui ſuo laxans habenas, vt Bacchum & Venerem potiùs quàm Chriſtum & pietatem colere velle videantur. Ego verò cum electis, quos paucos fore Chriſtus prædixit, meminero Euangelij de conductis operarijs, qui ſanctum laborem, vt denarium accipiant, ſtrenuè ſubire & exantlare contendunt. Meminero prætereà Epiſtolæ, in qua ſeipſum Apoſtolus Paulus nobis imitandum proponit, ac apertè denuntiat: Caſtigo corpus meum (*Irenæus legit, Liuidum facio corpus meum*) & in ſeruitutem redigo. Sic currite vt comprehendatis. *Imitemur ergo & nos hunc Apoſtolum, ſicut hortatur (verbis enim Auguſtinianis vtor) & caſtigemus corpus noſtrum, & in ſeruitutem redigamus, ſi mundum vincere volumus.*] *Ac peculiariter operam dabo, vt velut à cœleſti Patrefamiliâs vocatus, nouum ſtudium ad conſcientiæ meæ vineam repurgandam atque colendam adferam, & ab hoc tempore maiorem grauitatem induam. Seria enim & cum ſenſu quodam doloris coniuncta debet eſſe meditatio de primorum parentum lapſu, exilio, miſeria, effectibusq́ peccati. Hoc enim illorum peccatum, omnium malorum lerna, & humanæ calamitatis atque perditionis fundus exſtitit, vti Apoſtolus illis verbis declarat:* Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerũt. *Ex qua*

ſententia probat Auguſtinus, Adæ præuaricationem non ipſi ſoli, ſed etiam eius propagini, toti nempè humano generi, nocuiſſe, neque tantummodò pœnam, ſed & peccatum, quod eſt mors animæ, per vnum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe. Vt hinc etiam paruuli in peccato concipiantur, & natura iræ mortiq. ſubiecti naſcantur, atque offenſo Deo non reconcilientur, niſi gratia ſubleuentur illius, qui eſt mediator Dei & hominum, Agnus ille immaculatus qui tollit peccata mundi, & noua facit omnia. Quare humanam ſortem, quæ propter peccatum tot tantisq. periculis ac pœnis vſque ſubiecta eſt, nunc maximè deplorabo, illudq. dictum Eccleſiaſtici meditabor: Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ. *Neq. verò me ſolùm vt Adæ filium reſpiciam, ſed etiam perinde ac peccati, mortis ac damnationis reum ſtatuam, & aſſumto luctu vnà cum Propheta, immò cum tota Eccleſia nunc lamentante teſtabor:* Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me, *ecq. precabor magis, vt iuſtiſſimus Deus me in furore ſuo non arguat, neq. corripiat in ira ſua, quam ego iampridem promerui.*

Lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus. cap. 39. Vide & Fulgent. de fide ad Petrum cap. 26. Epheſ. 2. 1. Timot. 2. Ioan 1. Apoc. 21. Eccleſ. 40. Pſal. 17. Pſal. 6.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Sequentis Euangelij argumentum.

MIrus eſt zelus & ardor Iudæorum in Euangelio audiendo, ex quibus complures vndique & turmatim ad Chriſtum docentem vltrò confluunt,

quem nonnunquam per montes & ad deſerta vſque proſequuntur, quin etiam integros cum illo dies ſine cibo tranſigunt. Hac occaſione Dominus parabolam de ſemine proponit, & in illa quatuor auditorum Euangelij genera explicat, ac duntaxat poſtremum probat, eorum nempè, qui ſolidum fructum ex audito Dei verbo cum patientia referunt, atque ita bonorum operum, omniumque virtutum ſegetem in granario cœleſti condendam ſeruant. Reliquos vt ineptos Euangelij auditores Chriſtus reijcit, etiamſi cupidè ac lœtè audiant, & ad tempus credant, ſimileſque ſint Herodi Regi, qui Marco teſte, Ioannis Baptiſtæ fuit auditor, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, immò & multa iuxta doctrinam perceptam faciens, & libenter Ioannem audiens. Cæterùm in hoc Euangelio, tanquàm in illuſtri ſpeculo, cernunt omnes, qui tantùm cœci non ſunt, quibus de cauſis bona pars hominum verbi Dei vel prædicati, vel auditi, vel lecti fructum amittant, ſuamque ſalutem æternam non ſolùm ob enormia crimina commiſſa excutiant, verùm etiam leuibus de cauſis negligere ſoleant. Sinunt etenim ſemen magna Dei gratia ſeminatum, à dæmonibus deuorari, veritatem lucentem ſed non redarguentem diligunt, tentationum aculeis ſuperantur, in via Dei cœpta ſe leues & inconſtantes præbent, ſegniter & oſcitanter Chriſtianum agunt officium, ſpinas pro roſis amplectuntur, pro auro carbones exquirunt, quoniam terrenis curis & cupiditatibus, & voluptatibus, quibus abrenunciandum erat, nunquam non ineſcati atq; obruti manent. Quid autem iſthuc eſt aliud, præterquã quod agrum incultum & ſpinoſum Chriſto ingrati exhibemus, rarumque fructum bonæ ſementis proferimus? Sed præcipuè diuites, quibus illæ ſpinæ ſuffocantes tantoperè placent, & ſicut Chriſtus vocat, filij huius ſeculi, eiuſmodi parabola perſtringuntur, deque communibus & quotidianis ſuæ ſalutis impedimentis ſeriò admonentur. Hinc ſublatus ille clamor Domini prouenit, qui velut clangore aut tonitruo dormientes, quin etiam mortuos excitat: Qui habet aures, inquit,

audiendi

audiendi, audiat, nimirũ de raro fructu iacti ſeminis, & ingenti pereuntium turba, etiamſi Deum agnoſcant, & verbum eius audiant, Eccleſiæq́ue veræ Sacramentis vtantur. Etenim illis deeſt veſtis nuptialis charitas, qua duce Paulus tàm multa & acerba ſuperauit, & in verbo Dei tàm fideliter laborauit, ſicut hodierna epiſtola prædicat. 1. Cor. 11. & 12.

EVANGELIVM EIVSDEM
Dominicæ Lucæ VIII.

CUM turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad IESVM, *dixit per ſimilitudinem: Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſuper petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat: Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni* DEI, *cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant: & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola. Semen eſt verbum* DEI. *Qui autem ſecus viam, hi*

ſunt

viam, hi ſunt qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.

DE incomparabili Chriſti Domini benignitate mirabor, qui adeò ſit auidus humanæ ſalutis, vt per ſe ac ſuos miniſtros Catholicos non deſiſtat verbum ſuum diuinum (fidei, ſapientiæ, iuſtitiæ, omniſq; virtutis ſemen ac fundamentum) longè lateq; in orbe ſpargere, ac idem ſemen agro licet ſterili, petricoſo, ſpinoſo & infructuoſo mandare. Tantum illi deſiderium, tanta cura eſt de omnibus benè merendi, ſuumque ſemen omni auro pretioſius latè ſpargendi cum vtilitate & fructu mortalium. Neque tamen ignorat, diuturnam hanc operam ſuam paucis duntaxat electis profuturam, vt hinc meritò illud Propheticum ſibi ſumat: *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ,* vel terræ meæ, *& non feci ei*? Ingentes igitur agam gra-

tias

tias Chriſto vt optimo, ſic & liberaliſsimo ſeminatori, de
quo dixit Propheta: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet no-* Iſai. 1.
bis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles
eſſemus. Ob hoc ipſum diuinum ſemen & mihi & vniuerſæ
gratulabor Eccleſiæ, cui tàm inæſtimabilis theſaurus, paniſ-
que cœleſtis obtigit, longè vt rectiùs Chriſtiani quàm Iſraë-
litæ hoc ſibi ſumant quod olim Moyſes prodidit: *Hæc eſt* Deut. 4.
veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vni-
uerſi præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens,
gens magna. Nec eſt alia natio tàm grandis quæ habeat Deos ap-
propinquantes ſibi. Quæ omnia regius Propheta vno velut
dicto complectens, euidenter affirmat: *Non fecit taliter om-* Pſal. 148.
ni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Halleluia. Quid
enim verbo Dei illuſtrius, auguſtius, ſolidius, fructuoſius,
cum in eo tanquam pulcherrimo ſpeculo, Deum Deique
voluntatem cernamus, & Paulus apertè doceat: *Omnis ſcri-* 2. Timot. 3.
ptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum,
ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit ho-
mo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. In hoc ipſo verbo Pſal. 18. &
continetur lex Domini immaculata, conuertens animas, te- 118.
ſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, vti
Pſalmographus Dei verbum & legem mirificè prædicans,
canit. Quare nullum mihi Manna dulcius, nullum pignus
charius, nullum ſtudium præſtantius, iucundius ac frequen-
tius erit, præterquàm in Dei verbo verſari, & in diuina lege
nocte ac die meditari; hoc quippe officium filiorum DEI Pſal. 1.
eſt proprium, ac mortales verè ſapientes facit. Magno igi-
tur feruentique pectore complectar, quod de verbo ſuo
DEVS ipſe pronuntiat, per Prophetam inquiens: *Quomo-*
do deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, Iſai. 55.
ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit,
& dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum me-
um quod egreditur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum,
ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi
illud. Hoc verbum ſi vſquàm alibi, tùm in Euangelio elucet

Rom. 1. maximè,& hunc effectum adfert, vt virtus Dei ſit in ſalutem omni credenti, ac dignè illud excipienti: vt prætereà iu-
Heb. 4. re dicatur viuus Dei ſermo & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, quemadmodum Apoſtolus tradit. Curabo au-
Rom. 1 & 10. tem cum eodem Paulo hoc Euangelium non erubeſcere,
2. Theſſ. 3. nec in iniuſtitia detinere, ſed illi obedire, per illud, ſi poſſim,
1. Cor. 4. Galat 2. alios in Chriſto gignere, illud ipſum cum Eccleſiæ præpo-
Tob. 3. Coloſſ. 1. ſitis conferre, iuxta illud ſincerè ambulare, propter illud
1. Cor. 9. agere & ſuſtinere omnia.

Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

VTINAM vox Chriſti clamantis, quæ ſummum & ardentiſſimum noſtræ ſalutis deſiderium indicat, meas interiores aures penetraret, & ex corde meo lapideo carneum faceret, meque totum ad ſe raperet, vt & ipſe cum Samuele poſſim dicere: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.*
1. Reg. 3. Et cum Hieremia Propheta: *Dominus Deus aperuit mihi au-*
Iſai 50. *rem, ego autem non contradico, retrorſum non abij.* Sunt ſanè qui ſurdas planè aures Deo Deique verbo præbeant, ſicut obſtinatus ille Pharao Moyſen admonentem non audiens,
Exod. 9. & 10 ſed repellens. Eiuſdem farinæ homines illud DEO dicere non verentur: *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum*
Iob. 21. Malach. 3. *nolumus: Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius?* Alij incircumciſas aures adferunt, vt Iudæi ceruicoſi, quibus hoc ipſum exprobrat Ste-
Actor. 7. phanus protomartyr: & proptereà Deus ipſe per Hiere-
Hierem. 6. miam queritur: *Cui loquar, aut quem conteſtabor vt audiat? Ecce incircumciſæ ſunt aures eorum, & audire non poſſunt. Ecce verbum Domini factum eſt eis in opprobrium, & non ſuſcipiunt illud.* Hinc & grauis illa extat interminatio: *Quia de-*
Hierem. 9. *reliquerunt legem meam quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea, & abierunt poſt prauitatem cordis ſui; idcircò hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Ecce ego dabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo*

tu aquam ſellu. Nonnulli rurſus tam obtuſi ſunt ſenſus & hebetes, vt ad audiendam & diſcendam ſapientiam prorſus inepti ac ſtupidi videantur. *Animalis enim homo,* vt Paulus adſtruit, *non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere.* Vnde Salomon quoque teſtatur: *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde eius.* Neque pauci ſine delectu quæcunque dicuntur audiunt, ad nugas, fabulas, detractiones fœdoſque ſermones accipiendos promti & alacres, ſed à doctrina ſpiritus & verbo veritatis alieni, nullam vt aurium rationem ac diſciplinam curare videantur. Tàm ſunt in audiendo & loquendo futiles ac effuſi, nihil enim eos inſulſos mouet quod ſcriptum eſt: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis.* Sed & illi haud leuiter peccant, qui ſectis nouis addicti, ad ſolum Dei verbum ſcriptum nunquàm non prouocant, nec audire dignantur, ſi quid in Eccleſia prætereà iubeatur vel inſtituatur. Eoq; magis deplorabo communem hominũ incogitantiam, immò inſaniam, qui tàm nobili ſenſu diſciplinæ tàm pernicioſè ac turpiter abutuntur, quando aures patentes habent ad illa quæ Mundus, Caro, Satan ſuggerunt & ingerunt, verùm ad voces diuinas & ſalutis monita tantùm non obſurdeſcunt, vt hinc ſurdi & aſpides ſurdæ in ſcriptura ſacra dicantur.

1. Cor. 2.

Prouer. 18.

Eccleſ. 22.

Iſai. 42.
Pſal. 57.

ILLVD verò mihi dolorem animi peracerbum creabit, complures hodiè, vt anteà nunquàm, ſumma cum audacia impudentiaq; prodire, qui dũ ſpecioſo verbi Dei prætextu gloriantur, multas opiniones falſas, & impios errores paſſim excuſant, tegunt atq; defendunt. Hûc enim ventum eſt, proh dolor atq; pudor, vt nullum ex venerandis ſacramentis, nullum Eccleſiæ dogma, nullum diuinæ ſcripturæ volumẽ tàm firmum ſit ac integrum, quod verbi Dei ſpecie & vmbra, nõ aliqua ex parte vel à plebeis oppugnetur hodie atq; conuellatur. Etenim quemadmodũ verbo Dei ſecundũ Catholicæ fidei regulã ac interpretationẽ intellecto, & ad veræ pietatis

accommodato, nihil in rebus humanis eſt præſtantius, bonorumque animis iucundius, & magis Eccleſiæ ſalutare: ita viciſſim eodem verbo perperam accepto, & ad impuros animi motus explendos detorto nihil pernicioſius, & ad omnem religionis veræ diſciplinam diſſoluendam vehementius poteſt excogitari. Eſt enim ita prorſus, ſicut Cyrillus memoriæ prodidit: Omnes hæretici de ſcriptura diuinitus inſpirata ſui colligunt erroris occaſiones, ea quę à Spiritu ſancto rectè dicta ſunt, ſua malitia corrumpentes, & ſuper ſua capita flammam inextinguibilem augentes.] Quapropter maiorem in modum cauebo, nè mihi CHRISTVS fruſtra dixerit, & ſonora voce clamârit, *Qui habet aures audiẽdi, audiat*: aureſque meas ad legitimum vſum ac ſenſum diſciplinæ ſanctæ, maximè cùm de ſacris agitur, ſedulò transferre conabor. Sic enim æterna loquitur ſapientia: *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite. Audite diſciplinam & eſtote ſapientes, & nolite abÿcere eam. Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtÿ mei.*

PECVLIARITER verò audiam & obſeruabo nō modò verbum ſcriptum, quod omni acceptione ſemper dignũ eſt, ſed etiam verbum viua duntaxat voce traditum, ſiue de fide & credendis, ſiue de moribus & agendis moneat. Nam eiuſmodi verbum in Eccleſia viguit, priuſquam verbum ſcriptum promulgaretur, affirmante quoque Apoſtolo Petro: *Hoc eſt verbum quod euangelizatum eſt in vobis.* Vnde Paulus etiam Eccleſiæ traditiones atque conſuetudines non obſcurè commendat fidelibus, & hoc modo ſeuerè illis interminatur: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Verbum ſcriptum iactent ac vrgeant noui ſectarij, quod & Satan contra Dominum diſputans, in medium adduxit, & quo ſicut ouilio vellere, lupi rapaces omnes ſubdolè ſe contegere ſolent. Audiam ego DEI ſpiritum non in ſcriptura ſolùm, ſed etiam in Eccleſia loquentem, neque illum Chriſtiano nomine dignum, ſed pro publicano ac ethnico

nico cenſendum putabo, qui Chriſti ſponſam, omniumque fidelium matrem & magiſtram Eccleſiam audire detrectat. Quod iſthæc, vtpote columna & firmamentum veritatis, docet, expreſſum DEI verbum habebo: quod verò contra ſenſum & conſenſum eiuſdem Eccleſiæ docetur, expreſſum planè Diaboli verbum eſſe minimè dubitabo. Irrefutabile verbum DEI eſt, quod nunquam abolebitur, *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Audiam inſuper paſtores, doctores & præpoſitos Eccleſiæ, in quibus vt in ſuis legatis atque vicarijs, CHRISTVS ipſe loquitur, & à ſuis fidelibus audiri vult, ſicut ouium ratio & officium poſtulat. *Qui vos audit*, inquit, *me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Nec ſolùm Eccleſiæ catholicæ miniſtros & magiſtros tanquam à DEO miſſos interpretes audiam, verùm etiam cum Propheta Regio dicere non verebor: *Audiam quid loquatur in me Dominus* DEVS: *quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Eadem ratione non obturabo cor, ſed reuerenter audiam vocem intus loquentis DEI, & inſpirationem ſpiritus ſancti, quam Ioannes appellat vnctionem acceptã à Domino, quæ docet electos de omnibus, ac paruulis reuelat arcana, nec rarò DEI laudẽ depromit ex ore infantium, etiamſi ſcriptum verbum ignorent, aut ſonare neſciant. Adeò verè ſcriptum eſt illud, *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore* DEI, ſiue verbum illud ſcriptum ſit, ſiue non ſit, ſed naturali tantùm, vel eccleſiaſticæ aut politicæ legi congruat. Hinc Apoſtolus Paulus de gentibus licet incredulis affirmat, quòd cùm legem non habeant, naturaliter ea quæ legis ſunt faciant, atque ipſi etiam ſibi ſint lex, qui opus legis in cordibus ſuis ſcriptum oſtendant. Vult præterea omnem animam ſublimioribus poteſtatibus, earumq; legibus eſſe ſubiectam non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Tùm Apoſtolorum traditiones, quæ ſine ſcripto

Matth. 18. 1. Tim. 3. Prouer. 1. Luc. 10. Pſal. 84. Pſal. 94. 1. Ioan. 2 Matth. 11. Pſal. 8. Deuter. 8. Matth. 4. Rom. 2. Rom. 13.

NON ſatis erit mihi verbo DEI lecto vel audito ſuum pondus tribuere, vt ſacroſanctum & omni reuerentia dignum habeatur, vtque cum fide, gaudio & affectu pio à me ſuſcipiatur. Docet enim & requirit cœleſtis agricola, iactum hoc ſemen (omnis virtutis ſeminarium) in meo corde radices agere, paulatim ſuccreſcere, ſuam in tempore vim exerere, & ſuperatis impedimentis omnibus, quæ non rarò intercurrunt, fructum multiplicem durabilemque patientia duce proferre. Quocirca meum eſſe munus putabo, vt perpetuis verbi hoſtibus, nimirum Satanæ, mundo, carni, propriæque voluntati acre bellum indicam, vtque noxias cupiditatum, malarumque tentationum herbas & radices magis ac magis euellam: ne allioquin vt plurimis accidit, diuinum hoc ſemen in agro meo ſuffocetur, & infrugiferum maneat. Quare ſi ſapio, ingentem vigilantiam, aſſiduum ſtudium, longam patientiam, & ardentem precationem adhibebo, vt ſemen mihi traditum & acceptum conſeruare, fructumque legitimum proferre, ac ipſi ſeminatori comprobare poſſim. Illis præterea ex animo gratulabor, qui verbum DEI cum Magdalena ad pedes Domini ſedentes, tranquillè & intentè audiunt: ac velut ab Angelo edocti, hoc ipſum verbum cum Dom ini noſtri matre toto pectore complectuntur, & firmiter cuſtodiunt. Cæterùm quandoquidem CHRISTVS hac parabola indicat, non omnes, immò paucos ſeſe idoneos verbi DEI auditores, probosque diſcipulos exhibere, nouum in me deſiderium excitabo, vt partem cum illis habere poſſim, qui ſocordiam & iniuriam omnem in DEI verbo percipiendo & conſeruando excutiunt, remque tanti momenti, id eſt, diuini ſeminis fructificationem, ex qua Dei cultus & hominis ſalus dependet, ſedulò ponderem. Laudabo præclarum illorum exemplum, qui vt rectè ſecundùm DEI verbum ambulent, Apoſtolicam imitantur prudentiam, antiqua retia deſerentes, vt Dominum & magiſtrum ſuum,

Luc. 10.
Luc. 2. & 11.
Matth. 4.
Luc. 10.

a quo ſunt vocati, in omni vita ſequantur expeditiùs. Amabo & reuerebor illos, qui pro diuitijs curiſque temporalibus ac domeſticis, quibus tàm multi irretiti pereunt, bona conſcientia Chriſto teſtari poſſunt: *Ecce reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Omnia ſumus arbitrati vt ſtercora, vt te vnum lucrifaceremus. Sicut ſuaſiſti, ſpadones & eunuchi Euangelici eſſe volumus, vt caſtremus nos ipſos propter regnum cœlorum. Mundo, carni & Satanæ abrenunciamus, vt diuino cultui planè vacantes, tuum ſemen, virtutis & pietatis omnis firmas in nobis agat radices, & ſine impedimentis excreſcat atque fructificet. *Nemo*, enim, *vt tu ipſe dixiſti, mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Quibus conſonat Apoſtolica ſententia: Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit.

INPRIMIS autem famem & ſitim iuſtitiæ concipiam, vt maturum veræ fidei & pietatis fructum, fœcunda velut arbor in horto Eccleſiæ proferam, ideoque cor mihi petam lapideum prorſus auferri, & pro eo carneum, nouum & mundum inſeri. Optabo etiam & ſtudebo cum Daniele vir eſſe deſideriorum, & hinc ſanctæ orationi ſæpè ac multùm vacare non deſinam, quòd per illam dona Dei omnia quæ ad benè beateque viuendum homini conferunt, efficaciter impetrentur. Nec obliuiſcar Prophetæ regij, qui diuinæ legis amore ac ſtudio mirificè delectatus, in illas voces erupit, quas ego frequenter mecum repetam: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. Ignitum eloquium tuum, & ſeruus tuus dilexit illud. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Adhæc meam ipſe conſcientiam ſæpè perſcrutabor, vt norim, quibus ex cauſis diuini verbi optimum ſemen in me ſubindè impediatur, quò minus

Chriſto

Chriſto ſeminatore, meaque vocatione dignos fructus proferat. Non enim temerè Apoſtolus Iacobus mandat: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm.* Quin & Chriſtus ipſe luculenter affirmat: *Ille ſeruus qui cognouit voluntatē Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis.* Quid autem formidabilius, quàm ſi Dei verbum maximi remedij loco diuinitus datum, nobisque benignè conceſſum, etiam aduerſarium præſtet, maioremque cauſam creet perpetuæ damnationis? Habet enim hîc quoque locum Baſilij Magni ſententia: Obſeruandum eſt, inquit, ne fortè copioſioris gratiæ pondus, grauioris nobis exiſtat cauſa condemnationis, ſi ingrati inueniamur largitoris muneribus.] Niſi verò Dei verbum multis in aduerſarium conuerteretur, Chriſtus vtique non diceret: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.* Notauit enim & Auguſtinus, Dei verbum ſiue præceptum hoc loco aduerſarium dici, quandoquidem veteris hominis deſiderijs contradicat, eumque ob commiſſa vitia quaſi debitorem redarguat, ac iudici Chriſto etiam puniendum tradat, niſi pacem cum hoc aduerſario maturè ineamus, ac legem per charitatem impleamus, & cum illa nos concordemus. Quid multis? ſicut Dei verbum audire & cuſtodire ſapientiæ ac virtutis omnis caput & ſumma eſt, ac ſalutem homini perpetuam adfert: ſic rurſus audire illud & non cuſtodire, ſtultitiam, infœlicitatem ac perditionem omnem procreat mortalibus. Id quod Chriſtus illis verbis indicauit: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Si quis non audierit verba mea & non cuſtodierit, ego nō iudico eum: ſed ſermo quem loquutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.]

Iacob. 1. | Luc. 12. | In regula cap. 3. | Matth. 5. | In Pſal. 129. | Galat. 6. | Luc. 11. | Ioan. 12.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro diuini verbi diſpenſatoribus, vt concreditum ſibi theſaurum, qua fide ac dilig ntia*

prætextu Euangelij & ſacræ ſcripturæ, mortifera errorum venena populo licenter venditant, & per Europam tàm latè quàm pernitioſè diffundunt. Quod enim Apoſtolus iam olim eſt vaticinatus, nunc magis ac magis impleri cernimus : Erit, *inquit*, tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt : ſed ad ſua deſideria coacceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent. 2. Tim. 4.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELII ſumma duabus partibus abſoluitur, Chriſti nempè vaticinio atque miraculo. Etenim ille Hieroſolymam proficiſcens, Apoſtolis prædicit imminere paſsionem ſuam acerbam, eiusque præcipuas partes aut circumſtantias, ac fœlicem eiuſdem exitum prænuntiat, Diſcipulis quidem hoc tantum myſterium non aſſequentibus. Deinde non ſine luculento miraculo curat in via Barthimæum (ſic enim à Marco dicitur (qui cum cœcus & mendicus eſſet, miſericordiam itentidem implorat, ac propter fidem non minus cordis Marc. 10.
quàm oculorum recipit lucem. Ad priorem partem ſpectat inſignis fidei articulus, quem Chriſtiani omnes de paſsione Dominica profitentur, & Eccleſia ad finem Quadrageſimæ ſingulari cum pietatis affectu nobis meditandum proponit. Altera pars Chriſti Domini declarat potentiam, quam cùm ægroti ac ęrumnoſi mortales alij,

cum cœci oculiſque capti ſæpè deprehenderunt, ſicuti paſsim narrant Euangeliſtæ. Quamobrem cùm Dominus Ioannis Baptiſtæ diſcipulis loqueretur, ſeque verum Meſsiam vellet oſtendere, primùm illud inter miracula recenſuit: Cœci vident. Ac verè dixit Sidonius ab eodem Domino illuminatus: A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati.] Noſtrum eſt in Chriſti cruce & paſsione, velut in baſi ſalutis humanæ gloriari, vt qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, Apoſtolo teſte. Sed & cum Barthimæo laborare debemus, vt Chriſti nobis gratiam applicemus, ac in primis vitiorum animique caliginem effugiamus. Qui enim ſpiritualiter cœci ſunt, nec ſe ipſos, nec Deum rectè cognoſcere, multoque minus Chriſto ſuo medico grati eſſe, ipſumque ducem ſectari poſſunt, vt ſe Barthimæo conforment.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Lucæ XVIII.

A*SSVMPSIT* IESVS *duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquàm flagellauerint occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem, cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans*

dicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: Ieſu fili David miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe verò multo magis clamabat: Fili Dauid miſerere mei. Stans autem Ieſus, iuſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et Ieſus dicit ei: Reſpice, fides tua ſaluum te fecit. Et confeſtim vidit: & ſequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem DEO.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas.

CHRISTO Domino gratias inprimis agam, qui velut optimum Imperatorem ageret, milites ſuos ante congreſſum munit ac inſtruit, vt ab impendentibus malis atque periculis illi ſint magis immunes. Quarè non ſolùm hoc loco, ſed & alibi crebrò memoriam ſuæ paſſionis repetit, eamq; ſicut modò diſcipulis, ſic mihi etiam ac fidelibus alijs vult eſſe diligenter infixam. Vt hinc etiam ſonet Apoſtolica tuba: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſq.*

Matth. 16. 17. & 20.

Hebr. 12.

ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes. Quæ Dominicæ paſſionis ac mortis memoria tantò erit mihi cõmendatior, quantò certiùs conſtat, Chriſtum non ſua, ſed mea omniumq; filiorum Adæ cauſa tot tantosq; cruciatus fuiſſe perpeſſum. *Cum enim adhuc peccatores eſſemus*, vt Paulus affirmat, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, & ſicut propter delicta noſtra eſt traditus, ita & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Nihil ergo mirum, ſi Optimus Maximusque mundi Redemtor cum ingratis fidelibus expoſtulet, quandoquidem tanti muneris in ſe collati memoriam excutiant, eiq; pro bonis mala ſæpè grauiterq; peccando rependant. Sic enim queritur: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* Ac iterum: *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.* Nec minùs ad me dictum illud Chriſti patientis referam: *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Quare maiorem in modum dolebo, ſacratiſſimam & acerbiſſimam Chriſti paſſionem, quæ ſanctorum omnium immanes afflictiones multis modis excellit, mihi non magis eſſe cordi, cùm per illam & aperta monumenta, & reſuſcitatos mortuos, & ſciſſas eſſe petras legamus, cumque ſpectatores illius ita commoti fuerint, vt percutientes pectora ſua domum reuerterentur.

RVRSVS verò me ac fideles alios non iniuria conſolatur ac erigit, eundem Chriſtum pro ſumma bonitate ſua vltrò veniſſe, ſuos vt labores ac dolores, ſuamque vitam & mortem nobis indignis impenderet ac donaret. Nam verè in nos dictum Pauli competit: *Empti eſtis pretio magno, pretioſo nempè ſanguine Chriſti agni immaculati & incontaminati*, ſicut Petrus affirmat. Vnde Chriſtus ipſe dicebat: *Ego ſi exaltatus fuero à terra*, (vt in cruce quidem factum eſt) *omnia traham ad me ipſum.* Addit & illud animum credentibus, quod Chriſtum hîc affirmantem audiam, *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Nõ enim id ſolùm ad Apoſtolos, ſed ad Chriſtianos etiam omnes dictum accipiam, vt ſciamus iter, quod

Christus peracerba paſſurus, ad metropolim Hieruſalem inſtituit, velut typum ac imaginem extitiſſe illius peregrinationis, quæ cunctis ad benè beateque viuendum eſt neceſſaria: nimirùm vt ſupernam Hieruſalem adituri, cum ſuo Principe crucem ferant. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem: ſed futuram inquirimus:* eam nempè, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, & mater noſtra, ciuitas Dei viuentis, & Hieruſalem cœleſtis, ſicut idem Paulus appellat. Nec enim ſatis Christo fuit vnà cum diſcipulis Hieroſolymam proficiſci, ſed vt vaticinia Prophetarum impleret, viam crucis aſperam & ſpinoſam elegit, ſeq; in illa ducem & coryphæum omnium ſtatuit credentium, qui ad cœleſtem patriam ſalutarem meditantur aſcenſum. Quid verò, ſi crucem refugiat caro? quemadmodum diſcipuli quoque ſermonem Domini de cruce ignominioſè ferenda, vt inſuauem & horridum non modo non capiebant, ſed & principiò improbabant. Sic enim aiebant: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*: verbum enim crucis nondum illis ſapiebat. Mihi verò Chriſti non modò verbum, ſed etiam exemplum erit ſatis, vt patienter ac libenter capiti crucifixo adhæreſcam, & communem cum illo voluntatem affectumque ſentiam. Scio etenim quòd ipſe pronuntiârit: *Ego ſum via, veritas & vita. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Oportuit ſanè pati CHRISTVM, & ita intrare in gloriam ſuam, exemplo nobis relicto pulcherrimo, vt ſicut Petrus admonet, præcedentis Domini & magiſtri veſtigia ſequeremur, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, ſi Paulo credimus, confuſione contempta. Abſit igitur, vt diuino reſiſtam numini, cui ſic viſum eſt, ſine cruce gloriam electis non impertiri, ſed crucem poſt Dominum ferendam imponere, quam non grauatim ſuſtineant, ſicut Simon Cyrenenſis non niſi coactus illam voluit ſuſtinere. Sectentur alij mollia ac delicata, cum di-

Heb. 13.
Galat. 4.
Hebr. 12.
Matth. 16.
Ioan. 14.
Luc. 9. & 14.
Luc. 24.
1. Petr. 2.
Heb. 12.
Luc. 23.

uite

Luc. 16. Iob 21. Prouer 14. uite epulone quotidie viuant ſplendidè, & ducant in bonis dies ſuos, vt in puncto ad infernum deſcendant, & extrema gaudij luctus nunquam finiendus occupet. Ego magni faciam crucis Chriſti non ſolùm profeſſores ac veneratores, ſed & amatores, quales inprimis Apoſtoli ac Martyres extiterunt, eosque æmulandos mihi proponam, qui ſub ſpinoſo capite delicata eſſe membra noluerunt, ſed omni potius patientia crucifixum Dominum in vita & morte honorârunt. Ingenti ac dura cruce grauatus ille patientiæ omnis exemplar, præceſſit, viamque crucis inſuetam ſuo ſanguine ſanctificatam, nobis longè planiorem reddidit, crucisque vexillum ſuis militibus palàm erexit. Cur igitur moleſtè feram, mihi cum ſanctiſſimis viris communem eſſe ſortem, vt eundem cum Domino & eius aſſeclis calicem bibam, vtque viam anguſtam ſimul & ſalutarem ingrediens, vitam beatiſſimam illam aſſequar, de qua Paulus pronuntiauit: *Exiſtimo quòd non ſunt condigna paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis? Si compatimur & conglorificabimur.* Atque vt maius in me propter Chriſtum patiendi, immò & lætius cum illo reſurgendi deſiderium excitetur, memorabilem illam Iacobi ſententiam mecum animo ſæpè reputabo: *Omne gaudium,* inquit, *exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Et præclarè ſcripſit Chryſoſtomus: Nihil ita claros & bonos æmulatores bonis ſatiat infinitis, ſicut turba tentationum & pericula, & dolores, & mœrores, & ſuſtinere ſemper inſidias malignorum, & eorum vel maximè, à quibus iſta fieri non debeant, eaque omnia ferre manſuetè.]

Matth. 20. — Rom. 8. — Iacob. 1. — Epiſt. 7. ad Olympiam.

Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & conſpuetur, & flagellabitur.

Pſal 115. QVID retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Is non contentus, cùm Deus immortalis eſſet, car-

nem humanam ſuſcipere, in ea quoque tenerrima mortem vt amariſſimam, ita & probroſiſſimam vltrò ſubire dignatus eſt. Horrenda ſunt, & nullis explicari verbis poſſunt ſupplicia, quæ Agnus hic innocentiſſimus, ipſeque Dei filius æternus pro meis & mundi peccatis tùm à Iudæis, tùm à Gentibus in ipſius necem impiè couſpirantibus, ex charitate ſola ſuſcepit, ac ſumma cum patientia pertulit. Neque enim ſat illi fuit corpus totum à planta pedis ad verticem vſque capitis dirè vulneratum, prorſuſque liuidum ſuſtinere, niſi angores etiam & anguſtias cum ſummo mœrore & ſanguineo ſudore coniunctas perſentiſceret. Hinc per Prophetam ſuo iure nobis acclamat, & velut ad compatiendum excitans: *O vos omnes*, ait, *qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Et per alium Prophetam cuique mandatur: *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Tum Apoſtolus, qui Chriſti Domini ſtigmata in ſuo portauit corpore, iubet omnes adſpicere in authorem fidei & conſummatorem IESVM, qui crucem ſuſtinuit. Quarè mihi ſuccenſebo, quòd neſcio quibus nugis, ineptijs ac retibus implicatus, in faciem Chriſti pro me traditi, illuſi, conſputi, flagellati & crucifixi non crebriùs reſpiciam, quodque tantorum cruciatuum cauſas non defleam, non fugiam ac deteſter penitùs, ipſa nimirum peccata, propter quę ſummus factus eſt infimus, ac tot labores, tantoſque dolores exhauſit, ab amicis deſertus, & ab hoſtibus afflictus, immò factus opprobrium hominum & abiectio plebis. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus propter peccata noſtra, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo.* An vllum eſt myſterium, quod piiſſimus Dominus inde à pueritia ſæpius in memoriam reuocauit, & maiore cum triſtitia ſæpè perpendit? vt hinc etiam diceret: *Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Ac rurſus: *Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora.* Quod quæſo arcanum Propheticis literis luculentiùs explanatur, & ipſo veritatis ore clarius repetitur,

Thren. 1. Pſal. 83. Galat. 6. Hebr. 12. Pſal. 21. Iſai. 53. 1. Petr. 2. Luc 12. Ioan. 12. Matth. 16. 17 20. & 26. Marc. 10. Luc. 22.

nobiſque in ſacra Euchariſtia commemorandum expreſſius commendatur? nimirùm vt rei tantæ (nihil enim morte & ſanguine Domini ſacratius) grata memoria cunctorum animis penitius infixa maneat. Huc igitur & illud præceptum ſpectare ducam: *Gratiam fideiuſſoris nè obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam*. Qua de re alibi pluribus, ſub finem ſcilicet Quadrageſimæ, diſſeremus.

Eccleſ. 29.

CVR ergò mihi non ſuccenſeo, qui hoc ſummum & lectiſsimum opus redemtionis & ſalutis humanæ non tanti facio, vt illud meam memoriam, intelligentiam & voluntatem nocte ac die occupet, meamque mentem penitus vulneret? An nō æquitati eſt conſentaneū, vt cum CHRISTI ſponſa profitear, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur?* Immenſum hoc eſt beneficium & incomparabile ſacrificium, quo Chriſtianum pectus ad illum redamandum potenter impellitur, qui ſe nobis totum viuens, moriens ac reſurgens impendit. Nam *dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me, factus obediens ad mortem, mortem autem crucis*, qua nihil ignominioſius erat atque atrocius, vt idcircò ſceleſtiſsimi hoſtes dixerint: *Morte turpiſſima condemnemus eum.* Et verò in rebus aduerſis omnique tentatione cur me non conſolor ac fulcio illius abundanti virtute, qui factus eſt non modò Mediator ac Redemptor mundi, ſed & militiæ noſtræ dux, & author victoriæ contra peccatum, mortem, Sathanam & infernum obtinendæ, futurus etiam noſtræ patientiæ, ſi volumus, liberaliſsimus remunerator? O cor ingratū, durum ac ferreum, quod non communicat paſsionibus ſui Redemtoris, ſicut Petrus Apoſtolus loquitur. Fœlicem autem illum dixerim, qui Paulum Apoſtolum ſequens, mortificationem IESV ſemper in ſuo circumfert corpore, in quo vita IESV manifeſtatur, quique ex animo teſtari gaudet, *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.*

Cantic. 1. Galat. 2. Philip. 2. Sapien. 2. Heb. 12. 1.Petr. 4. Galat. 6. 2.Cor. 4. Galat. 6

Ieſu Fili Dauid miſerere mei. Domine vt videam.

Cæcus

COECVS hic & mendicus Barthimæus, vt eum à Marco appellari diximus, licet carnis oculis deſtituatur, mente tamen clariſsimè Chriſtum videt, quin mihi quoque videndi & precandi veram rationem oſtendit. Suo enim docet exemplo, præpotentem medicum CHRISTVM, in morbis quamlibet incurabilibus deſideranter quærere, & gratiam illius vel inuitis alijs, totoque mundo obſtrepente, ardenter atque conſtanter implorare. Solus enim CHRISTVS exiſtit, qui obcæcatis viſum reſtituit, omnemque errorum ac vitiorum depellit caliginem, vt clarè videant ac ſapiant, ſed & illuminati alacriter lætéque per viam regiam ambulent, quia cognitum Redemtorem perfectè ſequuntur, illiq; ſe totos deuouent ac impendunt. Igitur me Barthimæus euidenter admonet, gratiam à CHRISTO petere ad cordis cæcitatem, quæ mihi congenita eſt, & ſæpe intellectum obſcurat, agnoſcendam ac deplorandam, indiesque magis ac magis ſuperandam. Dici enim non poteſt, quàm ſit homini difficile ſe ipſum, multoque magis DEVM ac diuina cognoſcere, & cognoſcendo ad veram ſapientiam in hiſce vitæ tenebris peruenire. *Prauum enim eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* vt ſanctus Propheta teſtatur. Sunt profectò humani cordis tot receſſus & latebræ, vt profundis denſiſque tenebris nunquàm non maneat inuolutum, & ea quæ ſcitu maximè ſunt neceſſaria, ægrè, tardè ac imperfectè aſſequatur, & acceptam à DEO lucem frequenter amittat. Igitur quantò magis ego veræ cognitionis ac ſapientiæ luce indigeo, tantò ſæpius ad veræ æternæque lucis authorem ac fontem confugiam, memor illius præcepti: *Accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur*: tantòque fortiùs cum Barthimæo inclamabo: *Domine vt videam*. Eòdem ſpectant ardentia vota Prophetæ, qui diuino licet lumine maximè colluſtratus eſſet, vt ſuper ſenes intelligeret; tamē ſpiritualis huius lucis deſiderio flagranti tenebatur, quo cū ex animo dicam & ego: *Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illuminet*

Marc. 10.
Hierem. 17.
Pſal. 33.
Pſal. 118.
Pſal. 66.

vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, vt cognoſcamus in
2. Reg. 22. Pſal. 118. & 42. *terra viam tuam. Tu lucerna mea Domine, & tu Domine illuminabis tenebras meas. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum.* Sed & libenter & crebro cum Auguſtino dicam: Nouerim te, nouerim me Domine. Illud verò curabo maximè, vt in in meis tenebris, ſine quibus non viuitur, volens non hæream, neque occaſionem vllam præbeam reprehenſibili ignorantiæ, de qua di-
1 Cor. 14. xit Apoſtolus: *Ignorans ignorabitur.* Sunt enim plurimi, qui ſuis etiam tenebris delectantur, easque contra benè monentes obſtinatè defendunt, non ſanè diſſimiles impijs Phari-
Matth. 15. ſæis, de quibus aiebat Chriſtus: *Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum.* Eoſdem perſtringit illa ſententia: *Ipſi fuerunt*
Iob. 24. *rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius.* Ac ne peſſimum hoc cœcitatis genus leuiter æſtimetur, Iſaias grauiter ſic interminatur: *Væ qui dicitis ma-*
Iſai. 5. *lum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Eòque ſtudioſiùs obſeruabo, nullam vt partẽ habeam cum filijs tenebrarum, ſed vt cum ſapientibus cautè ambulem, ac in omnibus Dei voluntatem intelligam,
Epheſ. 5. aut certè quidem intelligere cupiam, ſicut Apoſtolus à filijs
Ioan. 12. lucis exigit. Immò & Chriſtus ipſe præcepit: *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Optabo igitur mihi & alijs cordis oculos dari illuminatos ad cognitionem ſemper augendam in his, quæ ad ſpem, progreſſum finemque vocationis noſtræ ſpectant, vt inſuper ſciamus, quæ ſit ſupereminens magnitudo diuinæ virtutis, ac cœle-
Epheſ. 1. ſtis hæreditatis, ſicut & Paulus indicauit.

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS, *vt paſſio Dominica (nobiliſsimus Eccleſiæ theſaurus) ſuum in me fructum ferat, vtque tantum Chriſti meritum in peccatoribus ad pœnitentiam & ſalutem ſit efficax. Nec enim fruſtrà de Chriſto ſcripſit Apo-*
Hebr. 5. *ſtolus:* Cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obe-

dientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. *Alioquin de Chriſti cruce & morte fruſtra ſibi blandiuntur, qui fide deſtituti, vel illa ſola contenti, meritum & ſanguinem Chriſti ſibi applicare, ac Sacramentis vti cùm poſſunt, incurij, ſocordes ac ingrati negligunt, atq́ ita volentes in ſuis tenebris perſeuerant.* Hebr. 5.

RVRSVS *orabo pro impatientibus, vindictæ cupidis, puſillanimis, timidis ac delicatis, qui non Chriſti, ſed ſui amantes, rebus duntaxat lætis ac proſperis delectantur, triſtibus verò & aduerſis offenduntur, omnemq́ moleſtiam, afflictionem & iniuriam defugiunt, crucem electis omnibus propoſitam exhorrentes. Talem enim Chriſtum vulgus hominum ſibi confingit, qui ſine cruce, ſine certamine, ſine victoria ſuos coronat milites, neq́ tàm præceptis, quàm promiſſis fideles vrgeat. Sed longè aliter Apoſtoli de Chriſto tradiderunt, quorum princeps Petrus diſertè docuit:* Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. *Tum à Paulo affirmatur*: Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. 1. Petr. 2. 2. Timot. 2.

PECVLIARITER *verò mihi Dominus eſt inuocandus pro inſanis mũdi amatoribus, qui nullo anni tempore magis quã his diebus voluptati, gulæ luxui ac libidini ſeruiunt, & propemodũ ſibi putant licere quod libet in ſuis feſtis, quæ vocant, Bacchanalibus, quando velut ethnici bacchantes, immò & tanquam brutæ ſues in omni voluptatum ac libidinum cœno ſine pudore volutantur, nihilq́ niſi ſola vident præſentia. Verùm hoc eſt legẽ diuinam, quæ nulli poteſtatem peccandi concedit, turpiter violare, nec minùs pugnare cum ſacro inſtituto matris Eccleſiæ, quæ nobis non temerè vexillum crucis nunc erigit atq́ commendat, & præterea illum proponit cæcum imitandum, qui à Chriſto Domino illuminatus, ſuam fidem & gratitudinem publicè declarauit. Pudendum ſanè iſtorum eſt ſtudium, qui non ſolùm Dominicæ paſsionis, ſed & honeſtatis omnis obliti, tantùm non inſaniunt, nomenq́ Chriſtianum etiam impijs probroſum efficiunt, dum*

Galat. 5. *dies ac noctes in illis carnis operibus, quæ Paulus damnauit, &*
Rom. 13. *ad Satanæ regnum retulit, ſecurè peccando conſumunt. Quocirca pro eiuſmodi cæcis & ſtultis mundi filijs, quorum infinitus eſt numerus, diuinam implorabo miſericordiam, quæ mentem illis*
Philip. 3. *meliorem impertiat. Deinde Pauli Apoſtoli & Hieremiæ Prophe-*
Thren. 1. *tæ ſequar exemplum in iſtis ter miſeris deplorandis, qui vt Baccho, ventri ac Veneri ſatisfaciant, Chriſtum ipſum rurſus crucifigere, & Eccleſiam publico ludibrio afficere, magnamq́; iuſti Dei iram nobis & Reipublicæ concitare non verentur: quos & pij omnes non ſolùm precibus & lacbrymis, ſed etiam alijs pœnitentiæ operibus & armis meritò perſequantur. In hos filios Belial vtiq́; clamare conuenit:* Filij hominum vſq; quò graui cor-
Pſal. 4. de? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? No-
Gala. 6. lite errare: Deus non irridetur. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Qui ſeminat in carne ſua: de carne & metet cor-
Rom. 8. ruptionem. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Si ſecundùm carnem vixeritis: moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

FERIA QVARTA CINERVM, SIVE IN CAPITE IEIVNII.

Prophetæ Ioëlis lectio, capite ſecundo.

HÆC dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra, & non veſtimẽta veſtra. Et conuertimini

uertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt: patiens & multæ miſericordiæ: & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus: & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium & libamen Domino Deo noſtro? Canite tuba in Sion: ſanctificate ieiunium: vocate cœtum: congregate populū: ſanctificate Eccleſiam: coadunate ſenes: congregate paruulos & ſugentes vbera. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo: & ſponſa de thalamo ſuo. Inter veſtibulum, & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Vbi eſt Deus eorum? Zelatus eſt Dominus terram ſuam: & pepercit populo ſuo. Et reſpondit Dominus, & dixit populo ſuo. Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum: & replebimini in eis: & non dabo vos vltrà opprobrium in gentibus: dicit Dominus omnipotens.

SEQVENTIS EVANGELII ET PRAECEDENTIS LECTIONIS argumentum.

CHriſtus in Euāgelio præcipuè docet, vt fideles ieiunio & bonis operibus dent operá, non more arrogantium Phariſæorū & hypocritarū, qui laudē & applauſum homi-

in ſuis benefactis venantur & aucupantur, ſed qui Deū ſyncerè ſpectent ſuarum actionum vnicum ſcopum, & fidelem bonorum operum ex fide & charitate manantium remuneratorem. Nihil enim prodeſt agere, inquit
In Pſal. 37. Ambroſius, niſi ita agatur vt oportet, animo ſcilicet ab oſtentatione, iactantia & hypocriſi alieno, iuxta illud:
Matth. 6. Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.] Etſi autem Chriſtianis toto anni tempore à bonis operibus ceſſandum non eſt, quoniam in iuſtitia & ſanctitate ſummo
Luc. 1. Deo ſeruire debent omnes omnibus diebus vitæ ſuæ, tamen vetus ille & conſtans Eccleſiæ mos eſt retinendus, vt quibuſdam pietatis actionibus & officijs peculiaria tempora deputentur, & quemadmodum feriarum, ſic & ieiuniorum vſus præſcriptis quibuſdam diebus communiter obſeruetur. Eſt enim ordinis apud populum tanta vis, tanta vtilitas atque neceſsitas, vt iubeat Apoſtolus in domo Dei viui, quæ eſt Eccleſia, cuncta ho-
1 Cor. 14. Hebr. 13. Roman. 13. neſtè & ſecundùm ordinem peragi, ac fideles velut oues, obedire velit paſtoribus, omnemque animam ſuis magiſtratibus, eorumque legibus manere ſubiectam, idque non ſolùm propter iram & timorem, ſed etiam propter
Ioël. 2. conſcientiam. Certè illuſtris Propheta Ioel, vt in lectione ſuperiore cernimus, totum populum, ac omnes eius ordines ſeria oratione hortatur & conuocat ad communem ieiunationem, nec minùs alia tum interioris, tum exterioris pœnitentiæ officia & exercitia, ſicut verum pœnitentiæ Doctorem decet, exigit. Adiungit prædicationi ſuæ promiſsionem gratiæ, quam videmus in conuerſis, ieiunantibus & obedientibus Iſmaelitis efficacē fuiſſe, quoniam ſicut prius iram & flagella Dei ſenſerāt, ita nunc abundantem Dei benedictionem & proſperitatem experiuntur. Vbi præterea confutatur grauis illorum error, qui neceſſariam homini pœnitentiam ſola vitæ mutatione metiuntur, etiamſi dolor & lachrimæ non accedant. Deus enim per Prophetam hoc loco requirit non modò vitæ mutationem & internam animi conuerſionem, ſed præterea fletum, planctum atque ieiunium,
Luc. 3 hoc eſt, dignos pœnitētiæ fructus, ſicut Ioannes appellat

ac poſtulat: Tum Apoſtolo teſte, ea quæ ſecundum Deũ eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Mirum verò, tot hodie diſputatores contra ieiunium inſurrexiſſe, & paucos eius præcones, cuſtodes atque obſeruatores reperiri. Cur verò Chriſtianis ieiunium indicere, & indictum ſeruare non liceat ac deceat, quando ſacra ſcriptura teſtatur, Saul & Ioſaphat, id eſt, Iudaicos Magiſtratus, ſicut & Niniuitarum Regem illud cum laude & fructu publicè inſtituiſſe atque celebraſſe? Nec vllum fuit ſeculum Eccleſiæ, quo præceptum ieiunij quadrageſimalis inde à temporibus Apoſtolorum in Oriente & Occidente non reciperetur atque obſeruaretur. Qua de re plura paulò poſt ſubijciemus.

2. Cor. 7.
1. Reg. 13
2. Paral. 2[illegible]
1. Eſdr. 8.
Heſter. 4.

EVANGELIVM EIVSDEM
Diei Matth. VI.

CVM ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuũ, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo qui eſt in abſcondito: Et Pater tuus qui videt in abſcõdito, reddet tibi. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: vbi neq; ærugo neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.

VALDE mihi metuam & cauebo à teterrimo crimine, quod hypocriſis dicitur, & in ſanctos etiam cadit, bonaque illorum diſſipat omnia, vt iure à Chriſto reprehendantur. *Attendite*, inquit, *à fermẽto Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Eſt enim hoc ſubtile malum, ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus, ac tinea ſanctitatis, vt Chryſologi verbis vtamur. *Spes hypocritæ peribit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, ſicut ſcriptura teſtatur. Fruſtrà prorſus cum elatis Phariſæis laborat, quiſquis ieiunium, orationem & eleemoſynam hypocriſi contaminat, & hominum applauſum, quo nihil vanius, magis quàm Dei gloriam, cui omnia ſeruire debent, aucupatur. Habeant Iudæi & hæretici aliiq; humanæ gloriæ affectui dediti, habeant inquam ſua ieiunia ſimulata, tetrica, ſuperſtitioſa, quæ odio, liuore & contentione perſæpè polluuntur, omniſque meriti & cœleſtis præmij ſunt expertia. Nos Catholici, vt à viris Apoſtolicis edocti ſumus, hoc die ordimur ſacrum & ſolenne ieiunium, & quod, niſi re bona perperam abuti velimus, animabus corporibusque noſtris curandis inſtitutum, ac publicæ pœnitentiæ non ſine ratione maxima deſtinatum eſt. Quod quidem mentis corporiſque ſacrificium ſic inſtitui, æternoque DEO offerri docet CHRISTVS, vt ſpiritualem quandam alacritatem & lætitiam præ nobis feramus, velut diem feſtum agentes, vtque ſimul læ-

tas

tas& puras conſcientias cum caſtis & ſinceris ieiunijs coniungamus. Etſi verò de vno ſpeciali abuſu, qui per vanam gloriam & hypocriſin à ieiunantibus committitur, hoc loco differatur, tamen operæpretium fuerit plures etiam abuſus, qui ſacri ieiunij fructum extinguunt vel imminuunt, hîc breuiter in memoriam reuocare.

Abvsvs eſt, idcircò quempiam à ieiunio abſtinere, vt longè ab hypocriſi abſit, neque pro Phariſæo habeatur. Nam Christvs qui vetuit, nè iuſtitiam noſtram faciamus coràm hominibus, idem quoque diſertè præcepit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus: vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Eſt enim aliud bona opera facere, vt humanam gloriam aucuperis, aliud verò, vt bonorum omnium authorem Devm glorifices, quemadmodum in veteri nouoq; teſtamento pij factitârũt. Quocirca docet Apoſtolus, vt cum alijs in rebus, tum etiam in ieiunijs nos Dei miniſtros exhibeamus, ac neminem offendamus. Abuſus eſt, neq; ieiunij ſpiritualis quo à peccatis abſtinetur, neque corporalis, quo caro caſtigatur, rationem certam habere, cum vtrumque tamen ſuo in ſcripturis fundamento nitatur, nec ſolùm in Niniuitis, ſed etiam in Apoſtolis iure commendetur. Abuſus eſt, ieiunij ab Eccleſia indicti difficultatem & impoſsibilitatem excuſare, vel ſicut Scriptura loquitur, laborem in præcepto fingere. Adeò enim delicatum, & ab Eccleſiaſtici ieiunij lege alienum hoc ſeculum cernimus, vt ex plurimis vix paucos, qui quod optimis maioribus noſtris facile viſum eſt, ſe ſuſtinere poſſe confidant, pauciores verò, qui debitam hîc obedientiam præſtent, ac matrem Eccleſiam audire dignentur. Abuſus eſt cum graui etiam errore fideique defectu coniunctus, quòd complures ieiunio nullum pretium ac meritum vel præmium cœleſte largiuntur, ac veluti rem adiaphoram faciunt. Atqui Christvs hos ipſos non obſcurè verberat, cum docet, rectè ieiunantes à ſummo Deo reſpici, illisque ſuam

Matth. 6.
Matth. 5.
2. Cor. 6.
Ion. 3.
Matth. 12.
Actor. 13.
Pſal. 93.
Matth. 6.

in cœlis conſtare mercedem, & certam pendi retributionem. *Pater tuus*, inquit, *qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Vbi tota quidem Chriſti oratio ſatis oſtendit, ad Chriſtianam pertinere iuſtitiam, vt omni ſimulatione remota, non ſola fide nitamur, ſed etiam ex ieiunio, precatione & eleemoſyna fructum meritumqne ſolidum colligamus, vel ſicut ipſe loquitur, theſauros nobis in cœlis theſaurizemus. Abuſus eſt, ieiuniorum vim ac vtilitatem adeò imbecillem ac languidam facere, velut illorum præſidijs parùm indigeamus, vt quæ ad iram Dei placandam, & veniam gratiamque homini impetrandam ſint inefficacia. Atqui tanta ieiuniorum piè inſtitutorum vis eſt, vt illis velut aptiſſimis armis, ſanctiſſimi etiam homines, ſicut Moyſes, Elias & Ioannes, ſeſe communiant, & Chriſtus ipſe ijſdem inſtructus, de peſſimis dæmonibus dicat: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi per orationem & ieiunium.* Abuſus eſt, quoſdam delicioſos potiùs quàm religioſos eſſe Quadrageſimæ obſeruatores, exquirentes nouas ſuauitates magis, quàm veteres cõcupiſcentias caſtigantes. Ieiunant enim non vt ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed vt immoderatam differendo augeant auiditatem. Quid autem abſurdius, quàm tempore quo caro arctiùs eſt caſtiganda, tantam ſuauitatem carni procurare, nec obſeruare illud quod ſcriptũ eſt: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Quod ſaluberrimum præceptũ ſi omni tempore obſeruandum eſt, quãtò ampliùs his diebus, vt omittam reliqua, quæ de ſui temporis corruptelis conquerens profert Auguſtinus. Abuſus eſt deniq; ieiunium Eccleſiaſticum tantũ cibi abſtinentia, vel ſobrio victu metiri, & inter temperantiam & ieiuniũ diſcrimen tollere, nec reliqua obſeruare, quæ Ioël & Eccleſia cũ ieiunio volunt eſſe coniuncta, nimirũ corporis caſtigationẽ, animi ſubmiſſionẽ, veramq; erga offenſum Deum conuerſionẽ ac pœnitentiã, potiſſimùm autẽ vt ſicut corpus à cibis, ita mens ab iniquitate ieiunet. Quid multis? graues errores ac pudendi abuſus, velut peſſima zizania Dominico

agro

agro per Satanam inſperſa, pullularunt, & ſanctum Chriſtianumque ieiunium perindè ac electum triticum propemodum ſuffocârunt, nullum vt præceptum Eccleſiæ odioſius, & ad præſtandum difficilius pleriſque videatur. O tempora, ô mores; quod priſcis fuit antidotum & cœleſte quaſi medicamentum, dum ieiunio, abſtinentiæ, continentiæque vacarent, id nobis adeò deſipit ac euileſcit, vt vix tenuem eius vmbram & imaginem ferre poſſe videamur. Extant non pauci Canones Eccleſiæ, qui anathema dicant omnibus indicta & ſolennia ieiunia ſpernentibus atque violantibus. Et Aëriani quidem ab Auguſtino & Damaſceno hæreticis aggregantur, quòd ſtatuta Eccleſiæ ieiunia improbarent, & Quadrageſimæ ieiunium abrogarent, ſimulque ciborum delectum nullum permitterent Chriſtianis. Dolebo igitur, hîc veteris Eccleſiæ authoritatem, & Apoſtolicas inſuper traditiones, quas Paulus obſeruari præcipit, tàm indignè negligi atque conuelli. Quotus quiſque obſecro, in animum inducit ſuum, vt cum eodem Paulo dicat: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem?* Perijt illa ſenis Eleazari & Macchabæorum conſtantia, qui ne contra patriam religionem quid committerent, atrocia perferre ſupplicia, & ſuũ profundere ſanguinem, quàm prohibitas guſtare carnes maluerunt. Abſit autem procul, vt ſiue Sathanæ, ſiue ſatellitibus eius, ac alijs quibuſcunque Catholicæ pietatis hoſtibus tantum concedat Orthodoxus, quantum noui ſectarij temerè ſibi poſtulant, & paſſim vſurpant in tollendo ciborum delectu, omnique ieiunandi lege diſſoluenda, nulla interim ratione habita vel ſcandali, vel obedientiæ, vel conſuetudinis, vel ordinis, vel pœnitentiæ tot ſeculis vſitatæ. Abſit, inquam, adeò Catholicos delirare, vt Euangelicam libertatem, ſicut iſti faciunt, in carnalem planè licentiam conuertant, ac vulgo malè ſano, ſemperque ad deteriora propenſo, ſanctæ pœnitentiæ & multis neceſſariæ abſtinentiæ laxent habenas, ventri potiùs quàm Deo & ſpiritui ſeruientes.

Vide Canones Apoſtol. ſynodũ Gangren. & Toletan. 8.
Lib. de hæreſibus

2. Theſſ. 2.

1 Cor. 8.

2. Machab. 6. & 7.

Isai. 22. Ita enim dictum illud Propheticum impleretur, quod in plurimis iam impleri cœptum eſt: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci. Et ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quæ poſtrema verba in perſona Epicuræorum dicta repetit & Paulus, ſed hoc ſtatim adiungens: *Nolite ſeduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iuſti* (hoc eſt, à peccato expergiſcimini vt iuſti ſitis) *& nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent.* 1. Cor. 15.

Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum.

MAGNI faciam & lubenter amplectar ieiunium, de quo Chriſtus ipſe de iuſtitia Chriſtiana differens, non minùs quàm de eleemoſyna & oratione fideles admonendos duxit, quod prætereà ſuis diſcipulis, ablato ſemel ſponſo, familiare fore prædixit, cuius inſuper exemplum in ſuis Prophetis ac Apoſtolis, immo & in ſe ipſo luculentum propoſuit & expreſsit. Quam virtutem non hypocriticè, ſed ſincero corde inſtitutam tanti fecit, vt eam ſummo Deo gratam eſſe, & certa in cœlis mercede penſari, ſicut diximus, diſertè pronuntiârit. Certè quemadmodum nulla eſt arx munitiſſima, quæ per ſitim & famem oppreſſa non capiatur: ſic nullum eſt vitium, quod ieiunio & abſtinentia non frenetur atque comprimatur. Chryſoſtomus apertè pronuntiat: Oportet nos eſſe in ieiunio, nec eſt proptereà corpori incorruptio, ſed medicina & cura. Nam qui ieiunant, à fluxibus corporis liberantur, & qui ſe præparant (ieiunio,) ſuperfluitatem carnium liquefaciunt, & animam deficientem nutriunt.] Ac iterum: Ieiunium, inquit, Angelorum imitatio eſt pro noſtra virili, contemtus præſentium, ſchola precum, alimonia animi, frenum oris, & mitigat concupiſcentias.] Nec dubitat Leo Magnus dicere: Quid poteſt efficacius eſſe ieiunio, cuius obſeruantia appropinquamus

Matth. 6. & 9.

Exod. 24. & 18. 3. Reg. 19. Matth. 4. & 6.

Serm. 1. de ieiunio.

Serm. 2. de ieiunio decimi menſis.

Deo, & reſiſtentes diabolo, vitia blanda ſuperamus? Semper virtutis cibus ieiunium fuit: de abſtinentia prodeunt cœleſtes cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur.]

QVOCIRCA mihi valdè curandum eſt, vt non modò ſecundùm corpus, ſed & ſpiritualiter ac religiosè ieiunem, verumque ieiunij fructum ac meritum aſſequar. Fruſtra enim ieiuno, niſi caput vngam, id eſt, Deum inprimis colam, & faciem ſiue conſcientiam meam ab animi ſordibus, quibus DEI aſpectus offenditur, lauem ac vindicem. Siquidem & diuinum præceptum extat: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Nec eſt diſſimile dictum Hieremiæ: *Laua à malitia cor tuum Hieruſalem, vt ſalua fias: vſq; quò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Ac Iudæi quidem more ſuo purgabant vnguentis corpora: vnde ſocrus ad Ruth ita loquebatur: Lauare, & vngere & induere cultioribus veſtibus. Ego verò, vnà cum Magdalena vngam caput, & lauabo faciem, vt peccata mea iam antè commiſſa, non ſolùm fide & dilectione, ſed etiam dolore, lachrymis & pœnitentia diluam, easque præcipuè labes ac ſordes detergam, quæ caſtum & ſanctum ieiunium vitiare conſueuerunt, vtpote ambitionem, faſtum, hypocriſin, iactantiam. His peſtibus opponam gloriæ humanæ contemptum, mei deſpicientiam, humilitatem, ſimplicitatem & charitatem, quæ non inflatur, non eſt ambitioſa, nec quærit quæ ſua ſunt Apoſtolo teſte. Quare non laudes hominum quæram, ſed internum decorem amabo, ſciens ad electorum Eccleſiam illud pertinere: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Vt hinc cum Paulo dicere debeam: *Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Si hominib. placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Ieiunans inprimis cauebo, ne dictum illud Propheticum in me comperat:

Iſaiæ. 1
Hierem. 4.
Ruth. 3.
Luc. 7.
1. Cor. 13.
Pſal. 44.
1 Cor. 4.
2. Cor. 1.
Galat. 1.

Iſai.58. *Ecce in die ieiunÿ veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Et ſpiritua-
le ieiunium cum corporali ſemper coniungam, vt animus
non minùs à vitijs refrenetur, quàm corpus ab eſcis ſe abſti-
Matth. 9. net. Sic enim Ioannes Baptiſta cum diſcipulis: ſic Paulus
& Apoſtoli ſemper probi, ſemper ſobrij ieiunârunt, peculia-
Dan.1. rem etiam ſibi abſtinentiam indicentes atque ſeruantes.
Nec ignoti ſunt pueri Babylonici, qui leguminibus conten-
ti, non modò cibos menſæ regalis oblatos repudiârunt, ſed
Heſter.4. etiam in abſtinentiæ & ieiunij ſchola præclarè verſati ſunt.
Iudith. 9. Tum inter ſanctas matronas Heſter & Iudith numerantur,
& 13. quæ ſuam à ieiunio laudem obtinent ſingularem, ſicut &
Luc.2. illa Euangelica vidua ſimulque Propheteſſa, quæ non diſ-
cedebat de templo, ieiunijs & orationibus nocte ac die ſer-
uiens DEO.

Theſaurizate vobis theſauros in cælo.

HIC ſcopus, hæc ratio eſt Quadrageſimæ ſanctè nobis ineundæ, vt quod hactenus in agro cordis repurgando, & veris animi opibus cumulandis neglectum eſt, id nouo ſtrictioris & crebrioris abſtinentiæ, continentiæ, pœnitentiæ ſtudio, ac bonorum operum vberioribus fructibus reſarciatur. Atque hoc eſt nouum in cœlo theſaurum nobis re-
Matth. 6. condere, vel ſicut Ioël inquit, ieiunium ſanctificare: id quod
Ioël. 2. ſine aliarum virtutum, præſertim humilitatis, pœnitentiæ orationis & charitatis ſtudio & exercitatione, fieri neutiquam poteſt. Ac ſuam ſanè mentem quomodo nos ieiunare velit Eccleſia, non obſcurè prodit, cùm ita decantari iubet publicè: Immutemur habitu, in cilicio & cinere: ieiunemus & ploremus ante Dominum. Emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus. Nec eſt otioſa cœremonia, quæ ab eadem Eccleſia nobis hodie per cineres exhibetur, verbis illis grauiſſimis per ſacerdotem vnicuique prolatis
Geneſ. 3. & commendatis: *Memento homo, quia puluis es. & in puluerem reuerteris.* Nam inter alia, quæ nos Eccleſiæ filios ad Dei timorem & vitæ correctionem, verumq; ieiunij & pœ-

nitentiæ ſtudium meritò excitent, permultùm valet humanæ miſeriæ & mortalis conditionis noſtræ memoria, præſertim ſi ſeria ſit & frequens: quando illa vel ſola impellit hominem, vt peccatorum ſuorum conſcius, coràm Deo & Eccleſia ſeſe humiliet, nullamque defugiat pœnitentiam, ac maximè communis ieiunij diſciplinam. Veterum ſanè mos erat, ſicut Chriſtus in Euangelio ſignificat, in cilicio & cinere lugere, ieiunijs vacare, ac pœnitentiam publicè agere, quemadmodum Niniuitas egiſſe conſtat. Matth. 11. Ion. 3.

Vbi meipſum iudicabo ac reprehendam, quòd iuſtitiæ diuinæ immemor, peccata mea tum ſcienter tum ignoranter patrata excuſare magis quàm accuſare ſoleam, nec illa diligentiùs ponderare, deflere & expiare ſatagam: quin potiùs pœnitentiam omnem, præſentem licet ac neceſſariam animæ medicinam, libenter prorogem ac detrectem, ideoque à frequenti precatione & ieiunatione, vt quæ corpori moleſta eſt, me non rarò ſubducam. Non enim pudore ſuffundor, neque cordis mei deploro duritiem, quòd à veterum pœnitentia, immò & Sanctorum exemplo, qui carnis caſtigationem amârunt, & in ſeueritate vitæ Deo ſeruierunt, me procul abeſſe videam. Nota vox eſt patientis viri Iob, quem Deus ipſe commendauit: *Ipſe me reprehendo*, inquit, *& ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Tum rurſus: *Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam.* Nec obſcurum eſt, Regem & Prophetam inclytum Dauid in ieiunijs fuiſſe frequentem, qui & nocte intempeſta ad precandum Deum ſurgere, lectumque ſuum lachrymis perfundere, & varijs pœnitentiæ officijs operam dare conſueuerat: *Cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam à facie iræ indignationis tuæ.* Ac alibi: *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam.* Neque contentus erat Daniel ſeipſum agnoſcere peccatorem, & diuinam prædicare miſericordiam, ſed vt verè pœnitentis declaret officium, integris hebdomadis à pane, carne & vino abſti-

Iob. 1. & vlmo. Iob. 16. Pſal. 6. 1. Reg. 12. Pſal. 101. Pſal. 34. Dan. 9.

net, peccata ſui populi confitetur, atque inter alia ſic loquitur: *Poſui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecare in ieiunijs, ſacco & cinere.* Prætermitto luculenta ſcripturæ teſtimonia, quibus peccatores Deus non ſolum
Ioël 1. & 2. ad cilicium & cinerem, ſed etiam ad publicum luctum &
Iudith.4.&8. Eſther 4.&14. 1.Mach. 3 planctum, verbis diſertis excitauit. Nobis verò qui plærunque ſine timore peccamus, & peccandi finem non facimus, valdè metuendum eſt, nè tandem Niniuitæ, Bethulienſes alijque plures, qui olim ſeriò pœnitentes Deum ſibi propitium reddiderunt, in extremo iudicio ſtantes, noſtram accuſent, immò & damnent peruicaciam, quandoquidem neque rem, neque ſpeciem, neque virtutem veræ pœnitentiæ retinemus, ſed potiùs ſecundùm duritiam &
Rom. 2. impœnitens cor, ſicut à Paulo dicitur, iram in die iræ nobis theſaurrizamus.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro Catholicis magiſtratibus, vt ſacrum hoc Eccleſiæ matris inſtitutum, & ſolenne ieiunium reuerenter amplectantur, & à ſuis etiam ſubditis obſeruari enixè procurent. Etenim Samuel, Ioël, Eſdras, Saul, Ioſaphat vna cum Niniuitarum rege ieiunationem publicam ſuis indixerunt ſubditis, eamq́; cum illis obſeruantes, præſentem Dei benedictionem & optatam gratiam perceperunt. Certè Ambroſius perſpicuè ſcripſit: Non leue peccatum eſt indictam fidelibus Quadrageſimam violare, & ieiunia conſecrata ventris voracitate diſſoluere. Ieiunemus continuò & deuotè hoc ſpacio temporis, vt propicietur nobis Dominus. Ieiunemus à cibis, vt multò magis ieiunemus à vitijs.*] *Monet itidem Auguſtinus, vt dies iſtos corporibus ſalubres & animæ medicinales ita cum Dei adiutorio ſanctè ac ſpiritualiter celebremus, vt obſeruatio Quadrageſimæ non nobis iudicium pariat, ſed profectum.*

1.Reg.7. Ioel 2. 1 Eſdræ 8. Hierem.36. Ion.3. Sermon.25. & 27. Serm.85.

ORABO *etiam pro ſalutari ſucceſſu Eccleſiaſticarum concionum & piarum exercitationum, quæ ab Orthodoxis nunquàm ferè magis, quàm per Quadrageſimam vbique gentium*

lauda-

laudabiliter inſtituuntur, ac de veteri more ſalutariter peraguntur. Parùm enim religioſus alio tempore demonſtratur, qui in his diebus religioſior non inuenitur. Quid acceptius hoc tempore? Quid ſalubrius his diebus, in quibus vitijs bellum indicitur, & omnium virtutum profectus augetur? Nemo tàm ſanctus eſt, vt non ſanctior, nemo tam deuotus, vt non debeat eſſe deuotior, ſicut à Leone Magno dictum accepimus. Serm. 2. & 11. de Quadrag.

PRAETEREA *non mihi ſolùm, ſed etiam Eccleſiæ vniuerſæ, quæ tot populos longè lateq́; complectitur, precabor à Deo fœlicem Quadrageſimam, in qua languentium animarum ſingularis expurgatio atque ſpiritualis medicatio plurimis obtingat. Cum enim mundano puluere religioſa quoque corda ſordeſcant, magna diuinæ inſtitutionis ſalubritate prouiſum eſt, vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & ieiunia caſta decoquerent, quemadmodum idem Leo diſſeruit. Caterùm vt pœnitentia tùm interior tùm exterior maiorem in me fructum pariat, ſicut inſtitutum Eccl.ſiæ omninò requirit, non abs re fuerit veterem piorum obſeruare morem, vt certa quædam ſancta pœnitentiæ opera & exercitamenta, mihi hoc ſacro tempore aſſumenda proponam, illisq́; continenter inſiſtam. Nam & Hieronymus ita ſcripſit: In Quadrageſima continentiæ vela pandenda ſunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus. Et in ſynodo Triburienſi diffinitum legimus: Diebus Quadrageſimæ & ieiuniorum, ſumma deuotione ieiunandum, & omni intentione eſt orandum, atq́; vnicuiq́; pro facultatibus ſuis eleemoſyna tribuenda, & nullæ lites vel contentiones habendæ.*]

Homel. 2. de Quadrageſ.

In epiſt. ad Lœtam.

Can. 35.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE, DICTA INVOCAVIT.

Sequentis Euangelij argumentum.

PRæclara eſt hiſtoria de Chriſto Domino, qui ſtatim à Baptiſmo in deſertum ſecedens, ſeuerè ieiunauit, & grauiter à Sathana tentatus, eundem in deſerto, templo & monte deuicit, nosque itidem deuincere docuit, potiſsimùm cum à gula, iactantia ſeu vana gloria & auaritia ſollicitamur. Vbi Chriſtus etiam nobis commendat arma militiæ ſpiritualis, quibus contra hoſtes omnes pugnare ſuos vult milites, vt ipſius gratia duce victores euadant, ab Angelis etiam ſuo tempore honorandi. Arma illa ſunt mundi contemtus, ſeceſſus, ieiunium, precatio, ſcripturæ telum ſeu meditatio, vigilantia, patientia & fortitudo. Prætereà docet præſens hiſtoria, quod ingenium, qui mores exiſtant antiqui ſerpentis & hoſtis omnium teterrimi, quo nullus alius ad nocendũ ardentior, & ad fallendum fraudulentior eſſe poteſt, quique ad perniciem hominũ nihil prorſus intentatum relinquit. A minimis ille incipit, vt mortales paulatim ad grauiora ac turpiora deducat, ſeque in Angelum lucis callidè transfigurat, & quaſi theologum ſimulans, è ſacris etiam literis diſputare nouit atque contendere, ipſumque Chriſtum oppugnando audet aggredi. Scitè igitur de Sectarijs Hieronymus dixit: Neque ſibi blandiantur, ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt, cùm & diabolus de ſcripturis aliqua ſit loquutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed

in intelligendo.] Eſt & illud Satanæ proprium, ſollicitare plurimos fideles, vt de templo Eccleſiæ & de gradu altiore, quem ſibi delegerunt ſanctæ vocationis atq; virtutis, ſeſe ipſi demittant atque præcipitent, vtque ſuum Dominum tentare præſumant. Fallit etiam ac mentitur impoſtor ille, quantumuis ampla & ſpecioſa promittat, huc intentus maximè, vt latriæ cultum Deo ſummo ſurreptum, ſibi vſurpet ac arroget, hominibus verò impiè dominetur. Mirum ſanè, nos tàm multa & horrenda de hoc mundi principe & rugiente leone cognoſcere atque confiteri: neque tamen contra illum ipſum malorum omnium incentorem, cui in ſacro Baptiſmo nunciũ remiſimus, in ieiunio & precatione pugnare fortiter, vt cum Chriſto rege vincamus, & victores effecti, miniſtros & congratulantes beatos Angelos habeamus. Et Chryſoſtomus quidem hoc Euangelium ad Chriſtianum ieiunium ſic applicat: Conſidera, inquit, cum quanta malignitatis arte diabolus ad Chriſtum accedat, quodque præcipuè tempus obſeruet. Non enim ieiunantem tentat, ſed eſurientem, vt ſcilicet diſcas, quàm ſit bonum grande ieiunium, & quod hæc aduerſus diabolum arma ſint maxima, quodque poſt Baptiſma non delicijs atq; temulentiæ, non menſæ epulis onuſtæ, ſed ieiunio animum debeamus intendere. Proptereà enim & Dominus ieiunauit, non quia hoc indigeret ipſe, ſed vt nos vtique doceret, quibus peccata ante Baptiſma dominatio ventris intulerat.] Ac alio iterum loco: Baptizatus Saluator propter nos, & profectus in eremum, prius ieiunauit, & tum ſigna facere cepit, non ipſe ieiunio opus habens: nos autem docens pro virili ieiunij præmiſsionem.] Ac iterum: Non eſt luctu digna victoria Ieſu: ſed ieiunemus nos ipſos curantes, operamque dantes, vt paſsionum illius participes ſimus.]

Homel. 13. in Matth.

Chryſoſtom. Serm. 1. de ieiunio.

EIVSDEM DOMINICAE,
Euangelium Matth. IV.

DVCTVS eſt IESVS in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius DEI es, dic vt lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore DEI. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius DEI es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS, Rurſus ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum DEVM tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei IESVS: Vade retrò Sathana. Scriptum eſt enim: Dominum DEVM tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Ductus eſt IESVS *in diſertum à ſpiritu, vt tentaretur.*

INGENTES Chriſto Domino gratias agam, qui ſe noſtra omnium cauſa tàm ſubmiſsè geſſit, cùm annos natus triginta, & a Ioanne Baptiſta tinctus in Iordane, Euangelij prædicandi poteſtatem à cœleſti Patre maximam accepiſſet. Vaſtum quippe deſertum ingreditur, ibique ſuo, id eſt Spiritu ſancto duce & comite, vt loquitur Cyprianus, conuerſatur, nec ſolùm à communi hominũ conuictu ſecedit, ſed & relictis omnibus vnà cũ beſtijs, ſicut Marcus expreſsit, ſolitariè viuit. Neq; in deſerto quidem otiatur, ſed nouum & ſeuerum pœnitentiæ amplectitur inſtitutum, ſilentij amans, patientiæ cuſtos, paupertatis cultor, abſtinentiæ continentiæq; obſeruator, qui ſtudium vigilandi, plorandi, ieiunandi & orandi (inſons enim pro ſontibus patitur) in quadraginta dies ac noctes vſq; producit. His pœnitentiæ operibus ſuum corpus vt ſanctiſſimum, ita & tenerrimum ille caſtigat: his armis munitus, cum infeſto Sathana congreditur, & nec ſibi parcit, nec Sathanæ quicquam indulget, graues interim conflictus, quum huc illucq; pertraheretur, ſuſtinens. Mirũ eſt igitur, me tanti Regis & magiſtri exemplo, qui cœpit facere & docere, non magis ad cõmiſerationem & pœnitentiã commoueri, qui certè quantò longius à dicta Domini mei perfectione, & à prima illa in baptiſmo accepta innocentia diſto, tantò me ſtudioſius colligere, ac diligentius inſtruere habeo, vt noua & ſeuera vitæ diſciplina ſuſcepta, veluti mẽbrũ Capiti aliqua ex parte conformẽ.

Luc. 3. Matth. 3. Luc. 13.

In ſerm. de ieiun. & tentat. Chriſti.

Marc. 1.

Actor. 1.

1. Ioan. 2. Etenim *qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare*, & prætereà crebrò illud Magiſtri ſui di-
Ioan. 13. ctum perpendere: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ac niſi Paulus ita ſe Christo con-
1. Cor. 11. formaſſet, nunquàm ſanè auſus fuiſſet ſcribere: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Rurſus hæc auſteræ vitæ ratio à Chriſto Domino inſtituta non obſcurè monſtrat, Deo placere morem & ſtudium Anachoretarum, vitam ſolitariam ſeu Eremiticam ſibi deligentium, qualem & Ioannes Baptiſta, & Antonius Magnus, alijque complures non ſine laude Eccleſiæ coluerunt. Quod vitæ inſtitutum confirmauit Baſilius, defendit Chryſoſtomus, Hieronymus commendat,
Lib 2. comment. in lament. Hieré inter alia ſcribens: Militum Chriſti perfectio eſt, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotijs & tumultu ſeculi, iuxta illud Apoſtoli. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus vt ei placeat cui ſe probauit.* Citat illud
2. Tim. 2.
Thren. 3. illud ex Hieremia: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.* Eoque minus apud me valebunt Manichæi, Iouiniſtæ, Circumcelliones, & vani horum affectæ, qui Anachoretis & monachis petulanter inſultant, vt iudicio etiam ab Auguſtino iure coarguantur.
In lib. de moribus Eccle. Ca hol. & in Pſalmos.
Heb. 4. & 2. DEINDE gratias ex animo agam eidem Domino Redemtori, verèque miſericordi & fideli Pontifici noſtro, qui poteſt & vult compati infirmitatibus noſtris, ac idcircò tentatus eſt per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt & per omnia ſuis fratribus aſſimiletur, ſi Paulinis verbis vtendum eſt. Adibo ergo firma cum fiducia ad thronum gratiæ eius, nec dubitabo miſericordiæ conſequendæ, & gratiæ inueniendæ tempus adeſſe, quandoquidem humilis idemque
1. Reg. 17. potens Dauid, qui certè Chriſtum nobis præfigurabat, hoſtem immanem ac ſuperbum Goliath ita proſtrauit, vt electum Dei populum periculo & opprobrio maximo liberârit, & victoriam feliciſſimam reportârit. Hic iam fortis ille
Luc. 11. armatus apparet, qui mundi huius principem vicit, ac ſuis

ſoli ſumere poteſt illud: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* De quo victore rurſus Ioannes af firmat: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſolueret opera Diaboli.* Non enim Chriſtus contra dæmonem, eumq; infeſtiſſimum, tantummodò pugnat, ac de illo triumfum agit, verum etiam contra eundem hoſtem pugnandi vincendique gratiam & fortitudinem credentibus promeretur & præſtat, ſimulq; ſuis membris pugnandi & vincendi formam oſtendit. Quid verò eſt, quod in omni tentatione me magis fulciat & conſoletur, quam quod Chriſtus meus Satana fortior ei dominetur, quodq; Deum talem habeam, de quo Paulus aperte pronuntiat: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere?* Quantumuis igitur me vexet ac affligat Sathan, ad Chriſtum tanquam certum aſylum confugiam, memor illius promiſſi: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum, immò & mundi principem.* Tantoq; maiorem induam animum, vt fidenter & conſtanter cum Propheta dicam: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Ioan. 14. 1 Ioan. 3. 1. Cor. 10 Ioan. 16. Pſal. 107.

VERVM enimuerò prætereundum non eſt, quid Imperator Chriſtus à ſuo exigat milite, vt is in pugna cum hoc Satana conficienda ſuum expleat munus. Exigit ſanè, Satanam non pro nihilo haberi atque contemni, ſed potiùs formidari vt hoſtem capitalem, nocendi fallendiq; artibus inſtructiſſimum ac potentiſsimum, de quo ſcripſit Iob vires eius maximas expertus: *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Exigit, nihil vt cum illo commune habeam, cui tanquàm irreconciliabili & ſemper inſidianti aduerſario abrenũtiaui, quiq; magnis copiis munitus, nullos alios ſicut fideles & Chriſti ſeruos, ex ira inuidiaq; ſumma vſque perſequitur. Vnde à Paulo dictum accepimus: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi* Iob. 1. 2. 41. Epheſ. 6.

rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitias in cœleſtibus: hoc eſt, contra ſpirituales nequitias. Exigit vt cum nequiſſimo & pernicioſiſſimo hoſte congreſſuri, non oſcitemur atq; dormiamus, ſed vigilemus; non vt corpori & voluptati indulgeamus, ſed vt ſobrij ſimus ac frugales, non vlla in parte conſilijs eius monitisq; cedamus, ſed vt omnino reſiſtamus. Hinc illæ voces Apoſtolicæ, quæ mentibus frequenter inſonare debent: *Sobrij eſtote & vigilate quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Nolite locum dare diabolo, Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Exigit demum vt grande aliquid aggreſſurus, hoc Domini præclarum ſequar exemplum, qui duce ſpiritu in deſertum actus, & poſt Dæmonem ſuperatum in eodem ſpiritu regreſſus fuit, ſicut Lucas non obſcurè indicat. Igitur non omni ſpiritui credam, ſicut & Ioannes prohibet, quando Sathanas in lucis etiam Angelum ſe facilè transfigurat, & ſub ſpecie prætextuq; boni falluntur plurimi: ſed probandus eſt mihi ſpiritus, & verus duntaxat ac ſyncerus amplectendus, vt ducem illum ſequar, & eodem iuuante ſpiritu quod ritè inchoauero, conſtanter abſoluam. Sic enim ſcriptum legimus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Eſto firmus in via Domini. Qui perſeuerauerit vſq; ad finem, hic ſaluus erit.*

Poſtquam ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriyt.

EGO ſi me Chriſti & corporis eius membrum profiteor, ieiunium Quadrageſimale non ſecus quàm ſalutare antidotum, & ſingularem theſaurum amplectar. Quod ieiunium abſq; cibo & potu nonmodò clariſſimi Prophetæ Moyſes & Helias, ſed etiam Prophetarum Dominus ac Redemptor noſter Chriſtus, amplexi ſunt, primumque conſilio diuino ſeruarunt. Eſt hoc ipſum ab Apoſtolis, vt docebimus, Spiritu ſancto repletis traditum, ab Eccleſia ſancta receptum, ac

modum

nerandis Patribus prædicatum, a fidelibus tot gentium receptum, communi piorum conſenſu tot ſeculis corroboratum, atq; ad communis populi omniumq; credentiũ purificationẽ hactenus conſeruatum, ſolis autem hæreticis & carnalibus illis inuiſũ, qui ſine moleſtia & cruce perpetuò gaudere, ſine armis hoſtes vincere, ſine vi ac labore cum Chriſto eiusq; Sanctis in cœlo regnare inaniter prorſus ac ſtultè confidunt. Habet ſanè ieiunium in ſacris literis & præceptum & prœmium, quemadmodũ è ſuperioribus clariſſimè liquet. Et Euangelici ſpiritus proprium ſemper fuit, ſanctæ continentiæ abſtinentiæque ſpiritu carnem cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere, ac dæmones ipſos, quamuis feroces & atroces, per orationem & ieiunium profligare. Quamobrem cum Ambroſio ingenuè dicam: Bonum eſt quidem cunctis temporibus ieiunare, ſed melius Quadrageſimam ieiunare cum CHRISTO. Hanc enim Quadrageſimam nobis Dominus ſuo ieiunio conſecrauit.] Et cum Hieronymo teſtabor: Nos vnam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus.] Credam & Auguſtino ita ſcribenti: Non fruſtra quadraginta dies ieiuniorum ſunt conſtituti, quibus [a] Moyſes & [b] Helias & ipſe [c] Dominus ieiunauit: & Eccleſia præcipua obſeruatione ieiuniorum Quadrageſimam vocat.] Cuiuſcemodi Quadrageſimæ dies venerabile ac medicinale tempus appellat, per quod ieiunantes peccatorum noſtrorum vulnera curare, ſimulq; cum ieiunijs orationem & miſericordiam coniugere debeamus, quando Chriſtus his tribus de rebus tam ſedulò concionatur, & in illis Chriſtianam iuſtitiã ponit. Quid autẽ vir Apoſtolicus, idemq; Chriſti Martyr Ignatius? Quadrageſimã inquit, nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet DEI conuerſationis.] Proinde ſi vllos alios, certè Quadrageſimæ dies ſolennibus ieiunijs conſecratos obſeruabo, & ſicut me docuêre Patres, religione maiore proſequar. De illis ipſis cum Chryſoſtomo ingenuè dicam: Propiciationis tempus adeſt: tem-

Galat. 5
Matth. 17.
Serm 34.
In Epiſtola ad Marcellam.
Lib. 1. quæſt. ſuper Geneſ. cap. 169.
a Exod. 24.
b 3. Reg. 19.
c Matth. 4.
Serm. 65.
Matth. 6.
In Epiſtola ad Philippenſ.
Serm. 1. de ieiunio.

poris opportunitatẽ nè contemnamus. Abijcien
catorum tempus eſt: gratiam nè negligamus: ſe
Ibidem mus à cibis, & primùm à peccatis.] Et nè cau
nandi neſciam, Ieiuna,inquit, quia peccaſti: ieiun
pecces. Ieiuna vt accipias: ieiuna vt & perman
accepiſti. Ieiunemus, nè conſurgant in nos con
tiæ.]

Qvo magis illorum cœcitatem paremque in
tem deplorabo, qui ſe à communi Patrum Eccleſ
ſenſu tàm leuiter patiuntur abduci, & veteres Epic
noui Aëriani & Iouinianiſtæ, quàm ſanctorum filij
ſiæ Catholicæ ciues eſſe malunt hoc tempore, c
ferè omnia impunè profanantur atque violantu
nim modò crucis & pœnitentiæ, ſed etiam ieiun
nentiæ & abſtinentiæ inimici paſsim graſſantur, d
In epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercelléſem. rectè cum Ambroſio dixeris: Qui ſunt hi præcept
ui, qui dicunt nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nu
galitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes
pretio, delirare eos qui ieiunijs caſtigant carnem
menti ſubditam faciant? Quæ iſtos Epicuræos no
la miſit?] Ego verò his non Euangelicæ, ſed falſæ, ſe
lis libertatis profeſſoribus, omniſque ſacræ contin
abſtinentiæ obtrectatoribus, qui in Iouiniani ſchol
ti, carni tàm egregiè adblandiuntur ac patrocina
totum opponam, nec latum digitum à doctrina
Apoſtolica, quæ nobis eiuſmodi canones nunqu
Galat. 5. lendos reliquit: *Vos in libertatẽ vocati eſtis fratres, t*
1. Petr. 2. *libertatem in occaſionẽ detis carni. Quaſi liberi, & non*
lamen habentes malitiæ libertatẽ, ſed ſicut ſerui Dei, a
Ibidem. *ſtras caſtificantes in obedientia charitatis. Obſecro vos*
uenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideri
1. Ioan. 2. *litant aduerſus animã. Qui dicit ſe in Chriſto manere,*
ille ambulauit, & ipſe ambulare, nimirũ in iuſtitia ac
te, cumque ſui abnegatione, cruce & patientia. *Si*

tui ſumus & conuiuemus. Si ſuſtinebimus & conregnabimus. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs, ſiue vt Auguſtinus legit, cum paſſionibus & deſiderijs. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate.* Neque verò mihi ſat erit, in authoritate Eccleſiæ conquieſcere, quam ſi contemnam, ethnicus haberi mereor, & ſollenne quadrageſimæ inſtitutum probare atque defendere non ero contentus, ſed curabo etiam ſummi Dei obſeruare præceptum, qui per Ioëlem Prophetam ad peccatores etiam hodie clamat: *Sanctificate ieiunium, prædicate curationem*, ſicut legit Hieronymus. Vnde diſcimus eodem admonente, ieiunium ſanctificari cæteris bonis operibus, & ſanctificatum curationi proficere peccatorum. Quid eſt aliud ſanctificare ieiunium, inquit Maximus, niſi cauſa ieiunij ſancta velle, iuſta facere & iniqua vitare? quemadmodum eundem locum & Gregorius Magnus interpretatur.

2. Timoth. 2.
Galat 5.
2. Cor. 6.
Matth. 18.
Ioël 2.
In eundem Ioëlem.
Serm. 1. de ieiunio.
Homel. 16. in Euang.

Accedens tentator, dixit.

MVLTA ex Euangelio colligam, quæ hoc ſacro tempore, ac ſæpè aliâs, mihi ad benè beatéque viuendum congruere poſſunt. Primum ſit, vt communem humani generis hoſtem, callidiſſimum vtique ſerpentem, ac pijs maximè inſidiantem, tunc vigilanter obſeruem, cum ſerio me ad Deum, ſtudiaque diuina conuerto. Vnde ſapiens prouidè monuit: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Cùm enim Chriſtus inſolita & ſeuera vitæ diſciplina corpus exercet, ab infeſto dæmone, vt nunquàm aliâs, interpellatur atque vexatur. Vt hinc etiam Leo Magnus nos moneat ſapienter: Accedentes ad Quadrageſimæ initium, id eſt, ad diligentiorem Domini ſeruitutem, quia quaſi ad quendam agonem ſancti operis introimus, ad pugnas tentationum animos præparemus, & intelligamus, quantò ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tantò nos vehementiùs ab aduerſarijs

Eccleſ. 2.
Serm. 1. de Quadrageſ.

impetendos. Ob hoc autem Dominus ſe tentari à te
re permiſit, vt cuius munimur auxilio, eiuſdem erig
exemplo.]

1. Petr. 5 ALTERVM eſt, vt ſi meæ ſaluti conſultum veli
lum Satanæ locum concedam, ſed ſicut Petrus mon
ſiſtam in fide fortiter, cùm blandè & inſidiosè ing
cogitationes ad curam ventris, ambitionem & reg
ctationem, ſiue vt alij dicunt, ad gulam, ſuperbiam
ritiam inſtigantes atque pellicientes. Nam hæ ſunt
rum omnium quaſi radices, ex quibus occaſionem q
ſumpſit verſutiſſimus præſtigiator, vt hiſce machin
Filium ieiuniorum tempore peteret ac oppugnaret.
1 Ioan. 2. nim Ioannes affirmat: *Omne quod eſt in mundo, concu
tia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia*
Tantoque magis aduigilabo, vt Paulino præcepto
ciam, quod omnibus Chriſti militibus obſeruatu eſt
Epheſ. 6. mè neceſſarium. *Induite*, ait, *vos armaturam Dei, vt
ſtare aduerſus inſidias diaboli, & in omnibus perfecti ſtare*
Chriſtus quidem exemplo ſuo nos admonet, Sathan
uſq; ſpicula citra morã depellere, nè alioquin ſi prauũ
hoſte inſperſum ſemen increſcat, labor in zizanijs ex
Pſal. 136. dis conduplicetur, aut etiam irritus planè reddatur. *B
autẽ qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.* Eſt ho
le cùm ei tempeſtiuè reſiſtitur, vt formica debilis: cùm
ei cõſentitur, fortis vt leo, qui tamẽ vincere nunquã p
Iacob. 1. niſi conſentientem. Qua ratione Iacobus quoq; dixit:
quisq; tentatur à concupiſcentia ſua (ſicut & à tentation
boli) *abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm co
rit, parit peccatum. Peccatum verò cùm conſummatum
generat mortem.*

TERTIVM eſt, vt vſum habeam armorum ſpiri
um, quibus aduerſus callidiſsimum hoſtem CHRIS
non modò dimicauit, ſed etiam pulcherrimè vicit, ſuo
milites perpetuò dimicare & vincere voluit, vt ipſi de
poſt ſuperatam gulam, ſuperbiam & auaritiam, veluti

res a ſanctis Angelis honorificè habeantur atque tractentur. Arma verò CHRISTI fuerunt pœnitentia, oratio, humilitas, mortificatio, ſcriptura ſacra: ſed præcipuè quidem ieiunium, præſens vtique contra demonem armatura, & efficax homini medicina, quæ peccatricem carnem caſtigat, ac DEVM iratum reconciliat, eiusque gratiam promeretur, vt patres frequenter comprobant. Hinc Eccleſia literis diuinis inſtructa, fateri non veretur publicè, DEVM eſſe qui corporali ieiunio vitia comprimat, mentem eleuet, virtutem largiatur ac præmia per CHRISTVM Dominum noſtrum. Prædictis armis inſtructi pugnârunt, & mirifica confecerunt Moyſes, Elias, Daniel, Eſdras, Niniuitæ, Iudith, Heſter, Anna, alijque complures, æternam inde laudem conſequuti, quòd non modò contra ſe ipſos ac dæmones, verùm etiam cùm DEO ipſo ieiunando piè pugnarent ac vincerent. Quotiens enim à DEO obtinere conati ſunt (Cypriani verbis vtòr) ieiunijs incubuêre, & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni hærentibus, ſupplices beneficia poſtulârunt.] Dolebo igitur, me non ſolùm à CHRISTI, ſed etiam Sanctorum veterumque fidelium exemplo procul abeſſe, & in ieiunijs quidem ſiue ab Eccleſia indictis, ſiue ſponte ſuſceptis hactenus tàm ſegniter eſſe verſatum, Chriſtique armis malè munitum incedere, vt de nulla quidem corporis caſtigatione ſeu maceratione cum Paulo Apoſtolo gloriari, & carne ſubacta ſecundum ſpiritum ambulare, ac me ipſum vincere facilè poſſim.

Serm. de ieiunio & tent.

1 Cor. 9. 2. Cor. 6. & 11.

QVARTVM & poſtremū illud eſt, vt in magnis Sathanæ tentationibus ac vitæ periculis ſæpe mihi ob oculos ponam Chriſtum ieiunantem, ac ſimul laborioſè pugnantem, & noſtra inſuper ieiunia pœnitentiæq; opera ſanctificantē. Quid enim Chriſti ſeruum ac militem deceat magis, præterquàm ſicut Paulus loquitur, ad propoſitum certamen per patientiam currere, & adſpicere in authorem fidei & conſummatorem IESVM? Cauebo autem à communi & graui illorum errore, qui fide fiduciaq; contenti, dici potius quàm

Hebr. 12.

eſſe volunt Chriſti milites, & ſine labore pugnam cum hoſte grauiſſimo ſe conficere poſſe arbitrantur. Refellit autem illos idem Apoſtolus inquiens: *Non coronatur, niſi qui legitimè certauerit.* Quarè monet etiam Chryſoſtomus, vt eos imitemur, qui ad pugnam ituri, diligenter ſe inſtruunt, & vident, ſi ſcutum, ſi gladium, haſtam, ſagittas habeant, itemque ante congreſſum præparant armaturam. Porro cum ſpiritualibus armis, quæ Paulus Chriſtiano commendat militi, meam quoq; in Chriſtum fiduciam valdè coniungam, quia per hunc ipſum princeps mundi huius eijcitur foras, & in ſacro baptiſmo renati per illum ipſum de poteſtate tenebrarum eripimur, tantaque virtute donamur, vt Sathanæ tentationes ac vires omnes ſuperare, immò illum ipſum, tanquàm leonem & draconem ſub pedibus conculcare poſſimus. Tàm verè dictum eſt illud à Chriſto: *In nomine meo dæmonia eijcient.* Sicut illi eiecerant, quos Ioannes his verbis affatur: *Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis Malignum.* Quarè confidenter & ſæpè cum Paulo repetam: *Deo gratias, qui nobis victoriam dedit per* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum.* Sed & illud eximiam mihi præbebit conſolationem, quòd in ipſa pugna contra hoſtes ineunda non modò inuictos Chriſti milites ac ſocios prælucentes, ſed & ſanctos Angelos cuſtodes ac miniſtros mihi fauentes habeam, vtpote qui ex diuino præcepto nos in vijs omnibus cuſtodiunt, atque aduerſus tetros & immanes dæmones nunquàm non ſtudioſè tuentur. Sic enim Apoſtolus de his electis Angelis pronuntiat: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Et Propheta teſtatur: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Hanc fidam Angelorum tutelam [a] Loth, [b] Tobias, [c] Petrus alijque pij ſæpè ſenſerunt, nec minùs quidem [d] Iſraëlitæ in Aegypto, & cùm capitales illorum hoſtes Aſſyrios Angelus ad centum octoginta quinque millia nocte vna trucidaret. Quocirca cùm Chriſtus tam fidos ac potentes miniſtros habeat, eosq; nobis in p[illegible]

2. Tim. 2
Homel. 13. in Marcum.
Epheſ. 6.
Ioan. 12.
Coloſſ. 1.
Pſal. 90.
Marc. 16.
1. Ioan. 2
1 Cor. 15.
Pſal. 90.
Hebr. 1.
Pſal. 59.
a Geneſ. 19.
b Tob. 12.
c Actor. 12.
d Exod. 12. & 4. Reg. 19.

gna & poſt pugnam attribuat, eſt ſanè cur in acie conſiſtam fortiùs, & cum Propheta Regio alacriùs dicam: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Si cõſiſtant aduerſus me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſperabo. In* DEO *faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Pſal. 26. 117. & 59.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt Quadrageſimale ieiunium, qua decet reuerentia & obedientia, ordiar ac proſequar, illudq́; mihi tum in animo tum in corpore ſalutare percipiam. Nec enim obliuiſci debeo, quod Auguſtinus docuit, ſanctæ Quadrageſimæ dies omni cum veneratione ſuſcipiendos, & ad iram Dei placandam eſſe deſtinatos, per quos mali à bonis, luxurioſi à caſtis, intemperantes à ieiunantibus, hæretici à Catholicis ſeparentur. Sanctus igitur & ſalutaris inquit, Quadrageſima curſus eſt, quo adducitur ad miſericordiam peccator per pœnitentiam, iuſtus ad requiem.*] Serm 69 de tempore.

PETAM *& gratiam concionatoribus & Eccleſiaſticis hominibus diuinitus dari; vt rectè pièq́; ieiunandi formam & exemplum populo præbeant, ſimul cum Ioële & Eſdra ſeduló vrgeant doctrinam de ieiunio & pœnitentia, ſi vnquàm antea, nunc maximè quidem labefactatam atq; neglectam. Sic autem Eſdras in ſua concione loquitur:* Prædicaui ieiunium, vt affligeremur coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectã nobis & filijs noſtris, vniuerſæq; ſubſtantiæ noſtræ. 1. Eſdr. 8.

ORABO *inſuper Dominum pro Eccleſia noſtri temporis, vt ſalutaris ieiunij diſciplina, quæ paſſim hodie collapſa iacet, nouo piorum ſtudio erigatur, & à Magiſtratibus maximè reſtituatur. Etenim vulgi luxus, ventriſq́; ſtudium, quo corpus & animus paſſim miſerè corrumpuntur, omnem ferè vſum & cultum ſanctæ temperantiæ & abſtinentiæ nobis obruunt & extinguunt, vt plurimi iam è ſpiritualibus carnales, & è Chriſtianis Epicuræi*

quodammodo facl[illegible] eſſe videantur. Tantoq́ magis [illegible] o-
rãdi, ſed plorandi etiam rationẽ habere debeo, vt Chriſti [illegible]
Luc. 21. *tum ſerium, non adeò licenter paſſim violetur.* Attendite [illegible]
vobis, nè fortè grauentur (*non tantùm corpora, ſed &* [illegible])
vestra in crapula & ebrietate. Beati qui eſuritis: quia [illegible]
Luc. 6. bimini. Væ vobis qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Sicut [illegible]
Matth. 24. diebus Noe: ita erit & aduentus filij hominis. Sicut e[illegible]
erant in diebus ante diluuium comedentes & [illegible]
nubentes & nuptui tradentes vſque ad eum diem, quo [illegible]
trauit Noe in arcam, & non cognouerant donec veni[illegible]
uium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. *Ego*
verò Chriſti Domini tum exemplo, tum amore commotus, a[illegible]
mihi ſeceſſum tanquàm ſpirituale deſertum, diligam, in [illegible] mi-
nus mundo familiaris, ſæpius ad me ipſum redeam, & [illegible]en-
tiæ propria rationem ſolito exactiorem geram, Deo interim [illegible]
ieiunijs & p̃cationibus accuratius vacans, quoad eius fieri poteſt.
Neq́; ſolùm à cibis vetitis me libenter abſtinebo, verum etiam vi-
tijs quibuſdam, vt veluti peſtes abſcedant, ac veteri Adæ, vt non
regnet in mortali meo corpore, acrius bellum indicam, ſimulque
contrà carnem dæmonemq́; pugnare legitimum ducam. Hoc enim
a Serm. 1. de Quadrageſ. *tempus militiæ Chriſtianæ proprium eſt, iuxta* [a] *Bernardum, &*
quo anni totius decimæ, ſicut Gregorius loquitur, bonorum omni-
um authori Deo religioſè à quolibet perſoluendæ ſunt. Parum re-
ligioſus alio tempore demonſtratur, qui in his diebus religioſior nõ
inuenitur, in quibus bellum vitijs indicitur, & omnium [illegible]
tum profectus augetur. Digna ab infidelibus reprehenſione car-
pemur, & noſtro vitio linguæ impiæ in iniuriam ſe religionis ar-
mabunt, ſi ieiunantium mores à puritate perfectæ continentiæ
diſcreparint. Non enim in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma
Homelia 16. in Euangelia. *ieiunij, ac fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens*
ab iniquitate reuocetur, vt Leonis Magni verbis
vtamur.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE, DICTA REMINISCERE.

Sequentis Euangelij argumentum.

PRoponitur ingens miraculum Chriſti, qui ſe iterum fortiorem Satana eſſe declarat, quum Cananææ filiam prolato verbo vno liberat peſsimo dæmone. Monſtratur & eximia fides & perfecta oratio Cananææ genere Syrophœniſſæ, ac ethnicæ mulieris, matris vtique calamitoſæ, & matronæ non modò negotioſæ, ſed etiam prudentis admodum ac induſtriæ, quum Chriſtum ſummam Dei ſapientiam ac virtutem arte mirabili tractat, immò quaſi capit, captumq; ligat, ſi iuxta ſpiritum iudicare velimus. Quamobrem illa ſua precatione & inſtantia non tam impetrat quàm extorquet partim ſibi pacē in grauiſsima pugna, partim filiæ ſanitatem, & plenam à vexatione dæmonis liberationem. Et Chriſtus quidem huius Euangelicæ mulieris eximiam fidem ſuſpicit, publicèque commendat, immò nobis, omnibusq; ex ethniciſmo natis commendatiorem facit. Quæ magiſtra gentium non modò fidei conſtantiam, ſed etiam precandi ſedulitatem ac feruorem nos egregiè docet: ſimulque Chriſti morem ingeniumque declarat, vt qui ſoleat fidelium preces non niſi ſæpè multumque rogatus exaudire, & qui noſtris precibus ex ardenti pectore profuſis non ſolùm inuocari, ſed etiam vrgeri & cogi gaudeat. O-portet, inquit, ſemper orare, & non deficere.] Nam & vidua impium iudicem freque[n]ti & importuna precatione permouet, vt ſuis ſatisfaciat votis in aduerſario improbo tand[e]m vindicando. Præterea quemadmodum in Luc. 18.

Matth. 8. Centurione, ita etiam in hac muliere typum habemus Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ poſt Chriſtum in cœlos aſſumptum ex idololatricis gentibus colligenda erat ad veram Euangelicæ fidei profeſsionem. Primùm autem Chriſtus à Iudæis, eorumque finibus cum Euangelio ſuo ſecedit, ac deinde fidem Cananææ reſpicit, quaſi præludens regnum Dei ab ingratis increduliſque Iudæis ad gentes, licet ob vitæ impuritatẽ canes, & tanta gratia indignas, transferri oportere. Quamobrem Apoſtoli à Chriſto miſſi, cùm à Iudæis ad gentes tranſirent, apertè dixerunt: Actor. 14. Vobis (Iudæis) primùm oportebat loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus.] Tanti refert vt Chriſti gratiam nobis gentibus oblatam, vnà cum ingratis Iudæis, in vacuum non recipiamus, ſed vnà cum Cananæa ſedulò quæramus, ac ſtudioſè complectamur, perpetuòque retineamus. Rom. 11. Id quod Paulus Apoſtolus illis etiam verbis indicauit: Dicis: fracti ſunt rami vt ego inſerar. Benè: propter incredulitatem fracti ſunt; tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: nè fortè nec tibi parcat.]

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Matth. XV.

EGRESSUS IESVS *ſeceſsit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa, à finibus illis egreſſa, clamauit dicens: Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat*

poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. At illa venit & adorauit eum dicens, Domine adiuua me. Qui reſpondens, ait, Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit, Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Tunc reſpondens IESVS, *ait illi, O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Ecce mulier Cananæa à finibus illis egreſſa clamauit.

MAGNOPERE laborabo, vt meum ieiunium non ſit vanum atque infrugiferum, ſed verè Chriſtianũ, DEO gratum, ſimulq́ue animo & corpori ſalutare: ſicut illud [a] Achab regi & [b] Niniuitis conuerſis optimè ceſſiſſe legimus. Agam inſuper gratias Domino, qui ſacrum, ac multis tamen inuiſum ieiunium nobis in verbo ſuo commendauit, ſimulq́ue docuit, hoc ipſum ſancta & frequenti precatione ornare, fulcire atque promouere. Eſt enim ita, ſicut Angelus Raphaël diſertè tradidit: *Bona eſt oratio cum ieiunio*: & quod alibi pronunciatur: *Exaudiet Dominus preces veſtras ſi manentes permanſeritis in ieiunijs & orationibus in cõſpectu Dei.* Quemadmodũ & à Cypriano ſcribitur: Efficax eſt oratio præcedente ieiunio.] Quare nõ ſat habuit Moyſes, qui facie ad faciem Deum eſt contemplatus, ieiunare, & ſicut Chryſoſtomus rectè notauit, bis Quadrageſimam ob-

a 3. Reg. 21.
b. Ion. 3.
Matth. 12.

Tob. 12.
Iudith. 4.

Serm. de ieiun. & tenta.
Deut. 9. & 19.
Homel 1. in Geneſim.

Exod.34. & 32. ſeruare, ſed etiam ſuas ad Deum preces pro Iudæis hoſtibus fudit, vt illos offenſo Deo reconciliaret. Et Helias Iſraëlis au- 3 Reg. 19. 4 Reg. 2. riga, qui medius inter Deum & populum ſtabat, dierum quadraginta ieiunium egit, & familiare cum Deo colloquium habuit, priuſquàm curru igneo in cœlum raperetur. Tum Matth 11. Ioannis Baptiſtæ vita quaſi perpetuum ieiunium fuit, de quo Chriſtus ipſe teſtatus eſt: *Venit Ioannes neq; manducans, neq; bibens*: à quo magiſtro diſcipuli quoq; didicerunt frequen- Matth. 9. ter ieiunare, ac ſimul obſecrationes facere, ſicut Euangeliſta confirmat. Ieiunarunt & Apoſtoli poſt ſponſum ipſis ablatum, quemadmodum illis prædixerat Chriſtus, eoſque ferè Homel.71. ad popul. Antio. ſemper ieiunaſſe Chryſoſtomus docet. Nec minus interim orationi & verbi miniſterio vacârunt, qui & orantes & manus Paulo atque Barnabæ imponentes, ad prædicandum Euangelium eos dimiſerunt, quemadmodum Lucas com- Actor.6.&13. probat. Etſi verò iidem Apoſtoli in Chriſtum crederent, & ex magna fide patrarent miracula, tamen ad immane quoddam dæmoniorum genus eiiciendũ tam diu manſerunt imbecilles ac inepti, quàmdiu ieiunia & preces cum ſua fide non coniunxiſſent. Vnde cùm admirantes rogaſſent à Domino: Quare nos non potuimus eiicere dæmonem? tale Matth. 17. reſponſum acceperunt: *Hoc genus* (dæmoniorum) *in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio*. Magnam igitur, ac dæmonibus quoque formidabilem armaturam in eo ſtatuere conuenit, ſi quis ferociores dæmones ſiue in ſe, ſiue in alium graſſantes, ieiunio & oratione munitus oppugnet, quòniam tunc illorum tyrannidem duce Chriſto deuincet. Vt hinc Serm.2. de ieiunio ſeptimi menſis. Leo Magnus aſſerat: Grata eſt Deo, & terribilis diabolo ieiunantis oratio: nec latet quantum acquirit ſuæ ſaluti, quæ tantum præſtet alienæ.]

EOQVE magis vetus Eccleſiæ inſtitutum probabo, quo factum cernimus, vt Chriſtum non modò in ſuperiore Dominica ieiunantem, ſed etiam circa ſupplicem Cananæam modò verſantem nobis propoſitum habeamus. Vult enim ſapiens mater, vt Chriſti regis ieiunantis exemplum ...

ſedulò contemplentur, qui & ipſe cum ieiunio multas longaſque preces die ac nocte profuſas, haud dubiè copulauit, & cum Propheta Regio dicere potuit: *Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Meminerunt & Euangeliſtæ, quod Chriſtus vt oraret, in montem & hortum exierit, quodque in oratione pernoctârit, & inter orandum genua flexerit, neque pro ſe tantùm, ſed etiam pro Petro & alijs ſub mortem ſedulò fuerit precatus. Vnde ad eundem Petrum dixit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Pro alijs verò per Apoſtolos credituris illud rogauit Patrem, vt omnes vnum eſſent, ac Filij Dei claritatem æternam agnoſcerent, & cum ſuo capite perpetuò verſarentur. Ac viuendi ſanè finem ille facere noluit, niſi cum clamore valido & lachrymis Patri ſeſe offerret, & preces ſupplicationesq; illi ipſi in cruce pro ſe ac hoſtibus commẽdaret. Quapropter & Chriſti redemtoris exemplum, & Eccleſiæ matris inſtitutum, piorumq; omnium nunquàm ſatis laudata conſuetudo, ſi aliàs toto annno, nunc quidem me ad ieiunandum & orandum maximè concitabunt. His enim duabus velut alis (ieiunio & oratione) in cœlum ſubuehimur, terraque ſublimiores, dæmonibus robuſtiores, ſummoq; Deo chariores reddimur, nihil vt mali non amoliri, & bona cuncta impetrare poſſimus. Ieiunium certè orationi deuotionem & fiduciam donat, vt Bernardi verbis vtar: oratio virtutem impetrat ieiunio, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium oratorem roborat, oratio ſanctificat ieiunium, & Domino repreſentat] Iuſtum verò mihi dolorem creabit, quòd non ſolùm a Chriſto eiuſque Prophetis & Apoſtolis, ſed etiam à Iudaicis mulieribus, vt [a] Iudith, [b] Heſter, [c] Sara, [d] Anna, tùm in ieiunij, tum in orationis vſu & contentione ſuperer, meque illis valdè diſſimilem præſtem. Quid quod Paulus Apoſtolus Chriſtianos admonet coniuges, à re vxoria ad tempus abſtinere, vt eò rectiùs ieiunio & orationi vacent: ſicut Græcorum codicum lectio euidenter oſtendit. Niſi verò me ipſum plus ſatis amarem, facilè quidem in-

Pſal. 34.
Matth. 13.
Luc. 6. & 9.
Matth. 26.
Ioan. 18.
Luc. 22.
Ioan. 17.
Hebr. 5.
Luc. 23.
Serm. 4. de Quadrageſ.
a Iudit. 4. & 8.
b Heſter 4. & 14.
c Tob. 3.
d Luc. 2.
1 Cor. 7.

telligerem,& corpus velut indomitum equum, rebellemq; ſeruum ieiunio mihi ſubigendum, & animam orando in Deum erigendam, diuinaque virtute, vt in gratia proficiam, confortandam eſſe. Sed meam incuſabo ignauiam, qui multis modis æger, medicinam meis vulneribus congruentem defugio, & quantò magis me in via Dei torpentem ac mollem oſtendo Chriſti militem, tantò plus honoris Deo authori & redemtori meo ſubſtraho, tantòque grauius ab hoſtibus meis, vtpote mundo, carne & Satana, quibus nihil eſt pernicioſius, ſubinde lædor ac vulneror. Tempus igitur eſſe putabo, vt de finibus veteris hominis egreſſus, cũ noſtra Cananæa nouam induam ſpiritus alacritatem, nouumque ſtudium præſtem in Chriſto Domino mihi demerendo. Id verò fieri poterit, ſi tres comites à Chriſto commendatos ad ſobriè piè iuſteque viuendum mihi adſciuero, nimirum ieiunium, orationem ac miſericordiam, atque ita veras iuſtitiæ Chriſtianæ partes, hoc potiſſimùm acceptabili tempore, exercitare, & ea quæ immortali Deo, ipſique proximo, & mihi debentur, bona fide præſtare contendero. Vt enim Auguſtinus dilucidè ſcribit: Hæc eſt iuſtitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemoſyna, oratio. Nec minus luculenter Leo Magnus pronunciat: Tria ſunt quæ maximè ad religioſas pertinent actiones, oratio ſcilicet, ieiunium & eleemoſyna: quibus exercendis omne quidem tempus promptum, ſed illud ſtudioſius obſeruandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum. Oratione propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiſcentia carnis extinguitur, eleemoſynis peccata redimuntur, ſimulque per omnia DEI in nobis imago renouatur, ſi & in laudem eius ſemper parati, & ad purificationem noſtram ſine ceſſatione ſolliciti, & ad ſuſtẽtationem proximi indeſinenter ſimus intenti.] Eodem ſpectat illa Chryſologi adhortatio: Si volumus Moyſi gloriæ, Heliæ vitæ, Ioannis virtutibus, omnium Sanctorum meritis applicari, inſiſtamus orationi, vacemus ieiunio, miſericordiæ ſeruiamus. Qui in his vixerit, qui per iſta fuerit conmunitus

Matth 6. Tit. 2.

Serm. 60. de tempore.

Serm 1. de ieiunio decimi menſis.

Dan. 4.

Serm. 43.

nitus,iacula peccati,diaboli tela,mundi machinas,vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Chriſtianus armiger & bellator Dominicus non timebit.]

Miſerere mei Domine, fili Dauid, Domine adiuua me.

LVCTATVR cum Angelo DEI Iacob Patriarcha: luctatur & cum Chriſto Domino Cananæa,& velut extorquet victoriam, quoniam diu multumq́ue tentata & probata, in precandi officio ſedula & inuicta perſeuerat. Primùm enim precante illa, immò & per compita vociferante, nè verbo quidem reſpondit Dominus. Deinde Apoſtoli pro illa intercedentes, nihil impetrant. Venit & illa ſupplex & lachrymabunda, miſericordiam petens, & repulſam quoque patitur. Adhæc velut iratus Dominus eandem pro æthnica, ac etiam inſtar canis, hoc eſt, vt omni gratia indignam auerſari, ac velut beſtiam inhumaniter tractare videtur. In tali certamine illa mœrens, non deſpondet animum, non remittit fiduciam, non queritur aut murmurat, non irata vel tœdio victa diſcedit, non miratur duriciem contra naturam & conſuetudinem ſuam id recuſantis, quod ſępè alijs vel non rogatus conceſſerat, ſuamq́ue gratiam nulli non offerentis, ſi precarentur afflicti. Quid autem iſthuc eſt aliud, niſi vt Scriptura loqui ſolet, toto pectore clamare ad Dominum, ſeu inuocare, adeòq́ue cum Deo pugnare, & omnipotentem capere, ligare, vincere? nimirùm ſeria, forti, conſtanti & ardenti precatione? Quam orandi rationem tenuit & Propheta Moyſes, quum ardenter inuocaret Dominum, & iratum laborioſè placaret, vt ſceleratus populus pœnas non lueret peruicaciæ ſuæ. Nam velut renitentem, & ad vindictam paratum Deum ita ſuis precibus mutauit ac flexit, vt is quaſi vim paſſus, atque ab orante ſuperatus reſponderit: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus*. Nec eſt diſſimile quod Hieremiæ precanti reſpondit iratus Deus: *Non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Dei enim potentiam ſetui preces impediebant, in-

Geneſ. 32.
Exo. 8.15.17.
Naum. 12.
Deut. 9.
Exod. 32.
Exod. 32.
Hierem. 7.

In epiſtola ad Gaudent. quit Hieronymus. Cur ergo non libenter & frequenter mea & aliorum lugentium, ſiue pœnas promerentiũ cauſa preces fundam, licet optatam gratiam non ſtatim impetrem? Homel. 30. in Geneſin. Vt enim Chryſoſtomi verbis vtar, Propter hoc differt & expectat Deus, vt occaſionem accipiat, quæ iuſtè nos ſua cura dignos faciat. Siue autem conſequamur, perſeueremus inquit, ſemper in oratione: & non ſolùm gratias agamus, ſi conſequamur, ſed etiam ſi repulſum paſſi fuerimus. Nam cùm Deus aliquid nobis denegat, non minus eſt quàm ſi conceſſiſſet. Neſcimus enim nos, quæ nobis conducant, ſicut ipſe nouit.] Abſit igitur vt moleſtè feram mea vota non 2. Cor. 12. exaudiri, ſicut nec Paulus exauditus fuit, quando vt carnis ſtimulo liberaretur orauit. Etenim ſapientiſſimus Deus quum rogatur, largiri multa differt, vt orantem fortiùs ad petendum excitet, ac patientem maiore cumulet præmio, ſæpeque illi maiora & meliora quàm petita, donare diſponit. Præclarè orat, quiſquis cor & manus in Deum ſimul at- Thren. 3. tollit, ſicut Propheta illo dicto præcepit: *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos.* Tum verò cor vnâ cum manibus leuo, cùm orationem operatio, & opus oratio fulcit, Deoque commendat. Nihil enim eſt dubium, orationem meam à Satana plurimùm obſeruari, magnoque ſtudio impediri, quum hoc Satanæ flagellum ſit maximum, quo ſuas artes & fraudes ille confringi ac diſſipari fert moleſtiſſimè. Loquor autem de pia, humili, conſtanti & feruen- Eccleſ. 35. ti oratione, de qua verè dixeris: *Oratio humiliantis ſe, penetrat nubes*, quamque Chriſtus ſuis fidelibus toties commendat. Marc. 11. Matth. 7. Luc. 11. *Omnia, inquit, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit:* Ioan. 16. *& pulſanti aperietur. Petite & accipietis: vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

QVARE ſi vnquam aliâs, nunc maximè orandi perſum augebo, & Cananæam imitabor, quæ mundi præſidiis & opera medicorum deſtituta, ſed & propter ſæuientem in

filia dæmonem grauiter afflicta, nullum precandi finem facit, quoad exoptatum beneficium aſſequatur. Quoniam verò fide & oratione conſtanter pugnat, truculentum vincit Satanam, magnamque Chriſti laudem promeretur. Hanc mulierem mihi & piè precaturis omnibus velut ſpeculum & exemplar eſſe propoſitam exiſtimabo, vt quæ cum ſua oratione varias & inſignes virtutes coniungit, & à nobis etiam precaturis coniungendas eſſe commonſtrat. Docet me patientiam rebus aduerſis ac triſtibus adhibere, etiamſi crux cruce, & afflictio afflictione cumuletur, & nullum ſuppetat præſidium. Etenim *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit*, Apoſtolo teſte. Nec adeò Cananææ virtus eluceret, niſi cùm in ſummis verſatur anguſtijs, à Chriſto veluti repelleretur, quin etiam quaſi conuicio afficeretur, diuque in ſua fide & patientia, perinde vt aurum in igne, probaretur. Docet, vt coràm DEO me ſubmiſsè geram, ſicut illa ſe catellam ſeu beſtiam agnoſcere verita non eſt, Iudæos interim velut Dominos, Deique filios non obſcurè prædicans. Nam & magnus pater, Deique familiaris amicus Abraham de ſe tam modicè ſenſit, vt diceret: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis*. Docet præterea, vt IESVM Nazarenum filium Dauid, verum nempè Meſſiam in lege & Prophetis celebratum, immò verum quoque Deum & hominem, vera fide complectar, & ſuppliciter colam, nec minus palàm adorem, vtpote qui Satanæ poſsit imperare, noſtrumque in rebus aduerſis & deſperatis ſecurū eſſe perfugium velit. Hunc ipſum ego non modò cum Cananæa, ſed etiam vnà cum Magis & Apoſtolis, adeòque cum Angelis, præſertim in ſacroſancta Euchariſtia, reuerenter adorabo, ac externis ritibus ad religionem decenter compoſitis proſequar. Dignum enim & iuſtum eſt, vt *in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, vtque gentes omnes adorando ſeruiant Opt: Max: Redemtori ſupplices, ſicut & illi triumfans in cœlo ſeruit Eccleſia teſte Apocalypſi. Docet inſu-

Rom. 5.

Geneſ. 18.

Matt. 2. 15. 18.
Pſal. 96.

Philip 2.
Pſal. 71.

Apoc. 5.

per

per, vt charitatem ſinceram & flagrantem in me foueam, & proximo declarem, alienis quidem miſerijs æquè ac proprijs indoleſcens. *Charitas enim non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, & iubet non modò gaudere cum gaudentibus, ſed etiam flere cum flentibus*, ſicut ardens charitate Apoſtolus tradit. Docet demum, vt fidem non mortuam, & quæ tantùm in labijs natat, ſed eam quæ per charitatem operatur, amplectar atque conſeruem. Quid multa? tot modis ac indicijs illa ſuam fidem teſtatur, confirmat & ornat, vt CHRISTVS de magna illius fide miretur, eamque laudet publicè. Habuit vtique fidem iuſtificantem, ſed multis, vt diximus, virtutibus decoratam, valdèque raram vt illo quidem tempore, quo Chriſtianæ fidei noſtræ prima veluti fundamenta iaciebantur. Habuit fidem inquam, non ſanè nudam, non inanem ac mortuam, quam Iacobus Apoſtolus improbat, non modicam vel puſillam, quam & CHRISTVS reprehendit, ſed viuam, operoſam, ingentem, excellentem, & præclaris diuini ſpiritus fructibus cohoneſtatam, breuiter fidem operantem per charitatem, neque diſiunctam à vera pœnitentia. De qua fide dixit Apoſtolus: *State in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia veſtra in charitate fiant.* Vtinam verò ego huius Cananææ vel frater, vel hæres eſſe poſsim, vt perfectæ fidei virtutem inde à baptiſmo infuſam vſque cuſtodiam, & in ea ipſa progreſſus faciam, mihique Chriſtum totum lucrifaciam, quemadmodum iſta quidem in Chriſtianiſmo adhuc neophyta lucriſecit, quæ ſuam fidem tot certaminibus ac victorijs illuſtrauit, immò & Chriſto Domino comprobauit, vt is roganti nihil negare amplius poſſe videretur. *Fiat*, inquit, *tibi ſicut vis.* Meritò igitur illa me pudefacit, qui toties ad Chriſtum accedo, quoties precationem, velut ſacrum cum illo colloquium, & Angelorum opus, ſicut Chryſoſtomus vocat, inſtituo. Sed vbi mea fides? quum velut ſterilis ficulnea perſeuero, totque vana phantaſmata mentem meam ita diſtrahunt ac perturbant, vt crebrò nec Deum præſentem reuerear, nec Angelos aſsiſtentes obſer-

1 Cor. 13.
Rom. 12.

Iacob 2.
Matth. 6. 14.

Galat 5.
1. Cor. 16.

Lib. de orando Deum.
Luc. 13.

uem,ad me ipſum quoque loquentem vix intelligam. Non hoc eſt[a] in timore Dei ſeruire, non [b] orare & adorare Dominum in ſpiritu & veritate, non [c] illum in ſimplicitate cordis quærere, non [d] ſpirituales Deòque acceptabiles hoſtias offerre.[e] *Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Sed mox addit Propheta: *omnibus inuocantibus eum in veritate.* Vbi porrò mea eſt charitas, vt inſtar Cananææ alienam calamitatem pro mea ducam, & afflicto compatiar ex animo, meque totum iuuando proximo libenter ac diligenter impendam? Etſi verò fideles omnes proximis vt fratribus, officioſa charitate, quæ perfectionis eſt vinculum, debent eſſe coniuncti, iuxta illud: *Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti*: tamen liberorum cura, tutela & gubernatio ad parentes maximè pertinet, quos viſcera miſericordiæ induere, & liberis malè habentibus, ex animo miſericordes ac fidos eſſe conuenit. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet,* (ſicut indulgens ille pater Heli non habuit,) *fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Poſtremò quæ mihi Chriſtiana eſt prudentia? dùm præſentibus Dei flagellis ac varijs Satanæ tentationibus vti neſcio, ſicut Cananæa conuenienter vſa eſt, quando humanis conſilijs atque præſidijs poſtpoſitis, ad ſolum Chriſtum in calamitate ſua confugit, fidem in illum confeſſione, precatione, cultu prodidit, eius miſericordiam in graui luctu feruenter implorauit, ac licet tardè ab illo exaudiretur, immò etiam repelleretur, tamen in fide & oratione inconcuſſa perſtitit, donec ſui voti compos efficeretur. Tantò magis meminero cœleſtium mandatorum: [a] *Sine intermiſſione orate.* [b] *Non impediaris orare ſemper.* [c] *Vigilate, omni tempore orantes.* [d] *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet & non tardabit.* [e] *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum: & ipſe faciet. Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te. Orationi inſtate, vigilantes in ea.*

a Pſal. 2.
b Ioan. 4.
c Sapien. 1.
d 1. Petr. 2.
e Pſal. 144.
Coloſſ. 3.
Gala. 6.
Coloſſ. 3.
1 Tim. 5.
1. Reg. 2.
a 1. Theſſ. 5.
b Eccleſ. 18.
c Luc. 21.
d Hab. 2.
e Pſal. 36.
Coloſſ. 4.

Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

CANANAEAE fides non ſolùm illuſtris, quæ Iudæos omnes meritò pudefaceret, ſed etiam viuax & efficax fuit, quæ nec ſolum ipſi matri, ſed & filiæ pro qua precabatur, plurimum contulit. Et complura ſunt id genus exempla in Euangelio tradita, quibus doceamur, CHRISTVM aliena etiam fide delectari, quandoquidem propter illum Reguli filium, ſeruum Centurionis & paralyticum per tegulas demiſſum reſtituit ſanitati, ſuamq; diuinam potentiam ſimul & maximam bonitatem in ſummis periculis, morbisque deſperatis depellendis prodidit euidenter. Proinde meam & Catholicam confirmabo fidem, certus quod eâdem ratione parentum fides etiam paruulis in Baptiſmo ſubueniat, & ſalutarem illis licet nec credentibus, nec intelligentibus, virtutem adferat. Probat id Bernardus ex hoc ipſo Euangelio: Nemo mihi dicat, inquit, quia non habet fidem, cui mater impertit ſuam. Magna eſt Eccleſiæ fides. Nunquid minor Cananææ mulieris, quam conſtat & filiæ ſufficere potuiſſe & ſibi? Ideò audiuit: *O mulier magna eſt fides tua fiat tibi ſicut petiſti.* Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demiſerunt?] Eadem eſt Optati Mileuitani ſententia, probantis exemplo noſtræ Cananææ, fidem & deuotionem parentum paruulis cùm baptizantur, ad æternam conferre ſalutem. Teſtatur & Auguſtinus non ſemel, paruulos vti parentum peccato pollui, ſic etiam illorum fide purgari, a quibus ad baptiſmum offeruntur: qui ex firma Eccleſiæ authoritate baptiſmi ſacramento initientur, ac fidelibus aliis aggregentur. Vnde porrò colligit, ſuam cuique fidem valdè prodeſſe, quando & aliena fides paruulis commodata, illis ipſis ad ſalutem proficiat. Vtitur his quoque verbis: Paruulis ad conſecrationem remiſſionemque originalis peccati prodeſt eorum fides, à quibus offeruntur.]

Ioan. 4. Matth. 8. & 9.

Serm 66. in Cant. Cant.

Matth. 9.

Lib. 4. contra Parmenian.

Sermo. 14. de verbis Apoſt. & lib. 3 de libero arbitrio & lib. 4. de baptiſmo cõtra Donat.

Ca. 2. de pœnitent. me-

QVOD ſi Cananææ huius fidelis interceſſio tuo Chri-

ſo grata,& obſeſſæ a dæmone filiæ adeo efficax fuit, vt vim hoſtis infeſtiſſimi profligaret,ac miſerrimę puellæ ſanitatem animæ ſimul & corporis obtineret,multa ego & magna mihi pollicebor de communi & vnanimi totius Eccleſiæ precatione, per quam peculiaria negotia ſummo DEO commendantur, vel creaturæ quædam benedicuntur atque ſanctificantur. Eiuſmodi precatione factum eſt,vt Petrus totius Eccleſiæ princeps & paſtor Herodiano carcere liberaretur, vtpote pro quo fiebat oratio ſine intermiſſione ab Eccleſia. Quid verò tot credentium millia,præſertim vno ſpiritu, pari fide,& conformi oratione coniuncta non impetrent, ſiue mala deprecanda,ſiue bona expetenda ſint? Videmus autem communes Eccleſiæ preces maximè adhiberi, quando à ſacerdotibus, tanquam legatione pro Eccleſia fungentibus, ſupplicationes publicæ ad altare funduntur, vel certis diei horis,ſicut & Clemens præcipit, Deo commendantur. Dici non poteſt, ſi verum fateri volumus, quanta ſit vis iſtiusmodi precationum atque benedictionum, quarum gratia Deus Eccleſiæ filijs etiam immerentibus parcit, multaq; largitur,& hoſtiũ arcet inſidias, ſicut experientia ſæpè comprobauit. Docet certè Paulus Apoſtolus, hiſce communibus votis & precationibus fidelium permultum eſſe tribuendum, quandoquidem toties in ſuis epiſtolis meminit, & amanter efflagitat,vt in ſuo ipſe miniſterio multorum interceſſione ſubleuetur, & magiſtratus quoque iuuentur. Notat & Chryſoſtomus ,tres pueros Babylonicos in ſua precatione obſeruaſſe, vt quoniam ſe ipſos ad impetrandam populo veniam ſufficere non crederent,ad patrum merita confugerent,profitentes interim, ſe nihil de ſuo adferre amplius,quàm humiliatum ſpiritum ac dolore contritum. Quicquid ergo Eccleſiæ hoſtes ac peſtes obganniant,ego de Eccleſiæ Catholicæ ſiue in terris militantis,ſiue in cœlo triumfantis ſupplicationibus publicisq; precibus præclarè ſemper ſentiam,illisque me & meos ſiue viuos,ſiue mortuos, fideliter commendabo. Tum CHRISTO totius Eccleſiæ

Actor. 12.

Lib. 7. Conſt. Apoſt. ca. 40.

Rom. 15. Ephes. 6. Hebr. 13. 1. Timoth. 2.

Homel. 4. & 41 in Matth. Dan. 3. & 9

capiti de hoc tanto theſauro nobis collato, & in articulo ſy-
dei de communione Sanctorum incluſo, gratias agere non
Matth. 15. intermittam. Sinamus autem errare cæcos & cæcorum du-
ces, qui vt ſe ipſos iam dicta Sanctorum communione de-
fraudent, ac inſuper velut reſecti à vera vite palmites, ab
Ioan. 15. omnibus agnoſcantur, cùm Eccleſia Catholica eiusq; San-
ctis, precibus & benedictionibus, hucuſq; probatis & recep-
tis, nihil volunt habere commune. Quarè nullus illorum id
ſibi verè ſumere poteſt, quod Orthodoxus in Domino glo-
Pſal. 118. riabundus cum Propheta lætè decantat: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.*

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt horrendam Satanæ nunc longè latèq; graſſantis tyrannidem comprimat, nè tam multa tẽ-pla, immò & corda humana occupet atq; vaſtet. Etenim in hac extrema mundi ſenecta magis ac magis impletur illud vaticiniũ,*
Apoc. 12. *quo prædixit Ioannes Apoſtolus fore, vt draco ille magnus & ſerpens antiquus, qui ſeducit vniuerſum orbem, quiq; nouit modicum ſibi tempus ad pugnandum ſupereſſe cum mortalibus, non ſine ira vehementi in terram deſcendat, ac nouo ſtudio mulierem Sole amictam perſequatur, prælium q; faciat cum reliquis de ſemine mulieris, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium* IESV CHRISTI.

ROGABO *inſuper Dominum, vt ſpiritus fidei, orationis ac ieiunij, qui in multis hodie iacet extinctus, hoc ſacro præſertim tempore magis magisq; reſuſcitetur. Nec mihi ſolùm, ſed etiam alijs, qui quotidianam cum Satana luctam inire debent, optabo ſanctorum Angelorum fida præſidia, quibus communiti, in ſupradictis Cananææ virtutibus maiorem progreſſionem faciant, nec de ſua tantùm, ſed aliorum etiam pereuntium ſalute procuranda ſolliciti eſſe conentur.*

AD HAEC *pro afflictis & tentatis orabo, quorum nempe fidem & patientiam tentat Deus, vel quos paterna virga corri-*

pit, vt in ſuis illi tenebris lucem, & in anguſtiis pacem diuinæ viſitationis percipiant, quemadmodum Cananæa percepit, tanto Chriſti beneficio penitus exhilarata. Commendabo inſuper Chriſto parentes, vt norint cum Cananæa iuſtam liberorũ habere curam, & gratiã illis neceſſariam precando quærant & impetrent.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE, DICTA OCVLI.

Sequentis Euangelij argumentum.

OStendit Euangelium non vulgare Chriſti miraculum in ſanato homine calamitoſo, quem & cæcum & ſurdum & mutum fecerat hoſtis in hominum perniciem coniuratiſsimus Satan. Chriſtus autem hoc ipſo Satana quantumuis robuſto & armato fortior, oculos, aures & linguam homini miſerrimo perfectè reſtituit, vt ille videre, audire & loqui, ſuorumq; ſenſuum vſum habere commodum poſſet. Etenim ſicut Ioannes affirmat: In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.] 1 Ioan 3. Præſentes verò ſpectatores de Chriſto eiuſque miraculo malè ſentiunt & loquuntur, vt ille ſuam innocentiam meritò tueatur. Vnde grauiter de ſuis miraculis, & præſertim de dæmonum expulſione, hîc diſſerit, ac fidem illis irrefutabilem adſtruit, nec modò Iudæos, ſed alios etiam impios & blaſphemos aduerſarios quatruplici ratione retundit, ſolidèque probat, miracula ſua nullo Satanæ miniſterio vel adminiculo, ſed propria & diuina virtute patrari, & ſalutem adferre mortalibus, ſignumq; præbere gratiæ latentis antea, ſed nunc patefactæ & ob-

latæ mundo, quando Meſsias tàm potenter operatur,ac regnum Satanæ,qui mundi princeps erat,magis magiſque labefactat. Admiſcentur quædam ad eundem Satanam,eiusque ſimul & Chriſti regnum pertinentia. Illud notatu dignum eſt,inter multos Euangelij auditores, adeò paucos, vt Chriſtus quæritur, electos reperiri, qui Dei verbum non ſolùm audiant, ſed etiam cuſtodiant, hoc eſt,non ſolùm in mente ſeruent, verùm etiam quod fide conceperunt,faciant & opere compleant,ſicut hunc locum Theophilactus & Beda interpretantur.Ita de mãdatis Dei cuſtodiendis Ioannes ſæpe loquitur,ſicut & in Apocalypſi, Beatus qui legit,& qui audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt.] Audiunt quidem plurimi Chriſtum hìc diſſerentem, & ſummum vident miraculum: ſed hinc alij ad bilem & liuorem cõcitantur, vt etiam horrendas in Chriſtum blaſphemias euomant: alij in admirationem tantùm rapiuntur, ac Dominum tentare, & curioſa magis quàm ſalutaria exquirere non verentur. Vnica duntaxat muliercula reperta eſt,quæ diuinitus edocta, ſuam de Chriſto fidem publicè profiteretur, ſimulque nefaria calumniatorum ora, ſuo ſermone laudatorio confutaret atq; retunderet. Poſtremò videas hoc loco execrandum hominũ genus atque ingenium, qui tumore & inuidia nequitiaq; excæcati,pro acceptis beneficijs peſsimam referunt gratiam, vt quos amare &colere maximè debebãt,illos hoſtiliter inſectentur, eorumque benefacta in peiorem partem intorqueant,mordeant ac deprauent.Eiuſmodi Satanæ filij erant liuore malitiaque pleni Phariſæi,non diſsimiles quidem ſerpentibus, qui more ſuo cuncta quæ comedunt, in venenum vertere ſolent. Tantòque magis nos admirari decet Chriſti Domini manſuetudinem,qui pernicaces ac implacabiles aduerſarios,ſi quando cum illis diſputat, tàm benignè & candidè tractare conſueuit.

Matth. 7.

1. Ioan. 3. & 5. Apoc. 1. & 22.

EIVSDEM DOMINICAE,
Euangelium Lucæ XI.

ERAT IESVS *eyciens dæmonium: & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt, In Beelzebub principe dæmoniorum eycit demonia. Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt: quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eycere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eycio dæmonia: filij veſtri in quo eyciunt? Ideò ipſi, iudices veſtri erunt. Porrò ſi in digito* DEI *eycio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum* DEI. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum: in pace ſunt ea quæ poßidet. Si autem fortior eo ſuperueniens, vicerit eum: vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem. Et non inueniens dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit ſcopis mundatã & ornatam. Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequitiores ſe, & ingreßi, habitant ibi. Et fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus. Factum eſt autem: cùm hæc diceret, extollens vo-*

cem quadam mulier de turba dixit illi, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò beati qui audiunt verbum DEI, *& cuſtodiunt illud.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Erat IESVS *eijciens dæmonium.*

QVONIAM in hoc Euangelio, ſicut etiam in præcedentibus, frequens fit mentio de ſpiritibus immundis & nequam, qui dæmones vulgò dicuntur, in mentem mihi reuocabo, quæ quantaque ſit iſtorum ſuperbia, inuidia, fraudulentia, nequitia, crudelitas, peruicacia: quomodo in vita & morte hominibus bonis & malis inſidientur, quales illorum tentationes mihi plus detrimenti adferant: tùm quibus præſidijs ad mille illorum nocendi artes & technas diſſipandas, magis egeam in mea vocatione, nimirùm vt ab eorum inſultibus liberior conſeruer, & ſub Imperatoris Chriſti ſignis expeditius militem. Quandiu enim hîc viuitur, ardua nobis & perpetua eſt colluctatio ſiue lucta non cum vno, ſed multis variorum ordinum dæmonibus,
Epheſ. 6. & ſicut Paulus vocat, principibus, poteſtatibus, mundique rectoribus, ſiue, vt Hilarius vertit, mundi potentibus. Ac mundi quidem princeps, omniumq; dæmonum caput (A-
2. Cor. 4. poſtolus & huius ſæculi Deum appellat) eſt Lucifer ſupremæ
Apoc. 12. 20. quidem Hierarchiæ ſupremus Angelus. Is à Ioanne varijs nominibus inſignitur, vt qui ſit draco magnus ſub ſe ſuos continens Angelos, ſerpens antiquus, diabolus & Satanas, orbis ſeductor, & cum illis depugnans maximè, qui mandata DEI cuſtodiunt, & IESV Chriſti habent teſtimonium. Hunc

ipſum DEI & bonorum omnium capitalem aduerſarium, humanæ ſaluti ſemper inuidentem ac obſiſtentem, præſens etiam Euangelium proponit, cumque CHRISTVS fortem vocat armatum, in atrio palatioq; ſuo præpotentem, quoad ab alio fortiore vetera illius arma tollantur, & ipſe ſpolijs priuatus & ligatus, in abyſſum proijciatur. Hîc improba & inſatiabilis eſt bellua, calliditate & verſutia cuncta præcellens animantia, tyrannus itidem ac rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, adeò ſuis confidens viribus, vt putet quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum eſſe, nullamque prorſus poteſtatem illi ſimilem ſuper terram reperiri, quemadmodum ſanctus ille Iob Satanicas technas expertus prodidit. Fortis quidem ille natura ſua, qui inter primos Angelos à Deo creatus, hoc ſibi ſumere non metuit: *In cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei, exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Fortis idem longo rerum vſu & perpetua vigilantia, qui nos dies & noctes impugnat, nihil remittens de ſua peruicacia & improbitate. Fortis rurſus inſaturabili noſtri odio, quo ad opprimendos illos fideles rapitur, qui arctiſſimis ſe cum DEO vinculis adſtrinxerunt, vt verè à Propheta dicatur, *Cibus eius electus*. Fortis demum culpa ignauiaque noſtra, qui peccando vires illius maiorem in modum augemus, ac dormitando inſuperabilem ferè illum reddimus. *A' quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*, Petro Apoſtolo teſte. Verè peruigil ac indefeſſus ille aduerſarius, qui circumeundo totum orbem perambulat, ac tanquam leo rugiens & fameſcens continenter quærit quem deuoret, ac deuoratum in ſua retineat poteſtate, cùm non ſolùm in terris, ſed etiam apud inferos hominibus dominari, & ſæuiſſimum præſtare tyrannum, maximè gaudeat.

Gen. 3. Iob. 41. Iſai. 14. Abacuc. 1. 2. Pet. 2. Iob 1. 1. Petr. 5.

QVAE cùm ita ſint, victori Satanæ CHRISTO, Regi gloriæ, Dominoque forti & potenti in prælio, vt Pſaltes regius canit, ingentes agam gratias, quoniam ſubacto Satana,

Pſal. 23.

ſuum Deique regnum nunquàm euertendum erexit, eamque virtutem fidelibus contulit, vt illum ipſum cum toto
Rom.16. ſerpentino ſodalitio ſub ſuis pedibus conterere poſsint. Agam quoque gratias, quòd ſine ingenti beneficio verbum DEI tanquàm gladium ſpiritus, & fidei ſcutum accepe-
Ephеſ.6. rimus, in quo tela nequiſsimi ignea, ſi volumus, teſte Paulo, extinguere poſsimus. Eâdem Chriſti gratia contigit, quod huic principi, ſub cuius imperio naſcuntur omnes, ſecun-
Ioan. 3. dùm inſtitutionem Apoſtolicam, quum primùm ex aqua & ſpiritu renaſceremur, abrenunciauerimus, nos quaſi ſacro & inuiolabili iuramento adſtringentes, vtrumque hoſtem deterrimum (Satanam & mundum) nobis tota vita fugiendum ac deteſtandum eſſe, vt in ſolis CHRISTI caſtris, cui nos totos dedidimus, fideliter militemus. Nec te-
Matth.6. merè quidem factum eſt, vt in Dominica precatione, ſicut Chryſoſtomus & Baſilius interpretantur, Satanæ fiat mentio, nè obliuiſcamur vnquàm cœleſti nos ope indigere, vt ab illo malo, immò peſsimo aduerſario, qui & tentator dicitur, liberi ac illæſi conſeruemur. Malus eſt ille profectò, quia
Geneſ. 3. Ioan. 8. Sapien. 2. peccati omnis author & homicida, qui ab initio in veritate non ſtetit, quique bellum homini infert perpetuum, & capitali illum infeſtat odio. Ac licet fide armatis & innocentia tectis nocere non poſsit, tamen nullum finem facit tentandi nos externis malis, & quacunque ratione fieri poteſt, diuexandi. Proinde ſi ſapio, cum Propheta precari non deſiſtam, vt nè talis inimicus mihi præualeat, atque ita dicam:
Pſal. 12. Pſal. 7. *Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me, nè quando rapiat vt leo animam meam, dùm non eſt qui redimat, neq́; qui ſaluum faciat.* Nec
De inſtitutis renuncianti-um. cap. 37. Gen. 3. obliuiſcar vnquàm ſententiæ à Caſsiano traditæ: Verſutus ſerpens calcanea noſtra ſemper obſeruat, id eſt, inſidiatur exitui noſtro, & vſque in finem vitæ noſtræ nos ſupplantare conatur.] Sæpè inſuper in mentem reuocabo, quod Bern-
Sermon. 5. de Quadrageſ. ardus notauit, Chriſti milites in hoc vocatos eſſe, vt crebros adeoque continuos habeant conflictus aduerſus dæmo-

nes

nes natura ſubtiles,& exercitatione longa deprauatos: tam in nobis eſſe ſitum, ſi manus illi dare velimus, quia nemo noſtrum ab illo deijciatur ac ſuperetur inuitus. *Sub te eſt ô homo appetitus tuus,& tu dominaberis illius.* Poteſt,ait,inimicus excitare tentationis modum: ſed in te eſt, ſi volueris dare ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris inimicum tuum facere ſeruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum.] Hinc extat præceptum illud Apoſtolicum nulli non obſeruandum: *Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo,& fugiet à vobis.* Sicut & princeps Apoſtolorum mandat omnibus fidelibus: *Sobrij eſtote & vigilate,quia aduerſarius veſter diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret,cui reſiſtite fortes in fide.* Fuit ſanè in hoc Satana debellando miles peritiſsimus Antonius Magnus, reque ipſa didicit,& alios docuit: quibus armis hoſtis ille maximè profligetur. Pertimeſcit Satanas, inquit, piorum vigilias, orationes,ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum.] Sic autem Antonium docuiſſe,immò & feciſſe, fide dignum teſtem habemus Athanaſium. Neque diſſentit ab his martyr Cyprianus, vbi monet contra immanem hunc hoſtem nos bellum aſsiduum gerere, eòque magis cauendum eſſe, nè idem in nobis domum vacantem inueniat, & arma quidem hæc nobis ad defenſionem eſſe ſumenda: Sit in manibus, inquit, diuina lectio, in ſenſibus Dominica cogitatio: oratio iugis omninò non ceſſet,ſalutaris operatio perſeueret, vt quoties inimicus acceſſerit, & clauſum aduerſum ſe pectus inueniat & armatum. Tunc enim non inueniet domum vacantem,& ad expugnandum paratam.]

Geneſ. 4.

Rom. 8.
Iacob.4.

1.Pet. 5.

In vita D.Antonij.

Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

INGENTI conſolationi & mihi & fidelibus omnibus

eſſe debet, quòd in Chriſti regno, id eſt in Catholica Eccleſia verſemur, ac proinde Spiritum ſanctum in ea veluti templo ſuo præſentem doctorem, qui veritatem nos omnem doceat, vſq; habeamus. Sed & Chriſto Domino gratias à nobis agi par eſt, qui è cœlo veniens, hoc regnum excellens in terris fundauit, atq; ſicuti promiſit, in illo ipſo adminiſtrando ad mundi finem vſque nobiſcum perſeuerat. Nam & præcipua mortis eius cauſa fuit, vt filios Dei qui erant diſperſi, in vnum hoc regnum congregaret, & congregatos in vnitate & pace Eccleſię perpetuò conſeruaret. Ex animo autem doleo, tot ac tantos aduerſarios viſibiles atq; inuiſibiles paſsim inueniri, qui huic Chriſti regno & Eccleſię ſanctę vnioni hoſtiliter aduerſentur, & ſi antehac vnquàm, nunc maximè quidē bellum funeſtiſſimum inferant. Ad quam rem non deſunt tetris dæmonibus copiæ, non arma, non artes mille nocendi, habentq; regnū ſuum ita conſtitutum, vt ſub ſuo principe viuentes, alij alijs mutuò ſubſeruiant, & communibus deinde ſtudijs ad Eccleſię hominumq; iniuriā conſilia ſua conſtanter dirigant omnia. Nō enim eſt Satanas in ſe ipſum diuiſus, vti præſens docet Euangelium, ſed nouit regnum ſuum tranquillum ſeruare & augere, ideòq; impigros & conſentientes è ſuis domeſticis adhibet procuratores, qui certis etiā legibus in officio ſuo contineantur, & Dei domum oppugnent. Hinc ego meam confirmabo fidem de cōſeruatione & profectu regni, quod Chriſtus tenet, ſemperq; tenebit in Eccleſia per bonos ac indignos miniſtros adminiſtrāda. Qui cùm ſit Rex & Monarcha omnium ſapientiſsimus, procul dubio poteſt & vult, vt cum decenti ordine cuncta in Eccleſia peragantur, vtq; varij credentiū ſtatus ſecundùm certas ſubiectionis & obedientiæ leges eò dirigantur, vt fide & charitate coniuncti, ad benè beatèque viuendum perueniant. Eòq; maioris ego poſthac faciam, ac religioſius colam vnionē & harmoniam illā ſanctiſſimam, quæ Chriſto capiti cum corpore myſtico, & inter ipſa membra eiuſdem corporis intercedit, nullo vnquam tempore diſſoluenda. Hæc enim eſt illa

Ioan. 14. & 15.
Matth. 28.
Ioan. 11.
Ephes. 5.

vnio, quam Chriſtus pro nobis moriturus, ſuis fidelibus à Patre dari petiuit, & diſcipulis quoq; poſt cœnam vltimam commendauit, imò ſine qua ipſum Chriſti regnum ſtare, & durare, ipſisq; portis inferorum præualere neutiquam poſſet. Adeò verùm eſt illud: *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum, deſolabitur.* Vbi enim diuiſio, ibi deſolatio. Vbi deeſt ordo, mox indecora ſequitur confuſio. Et ſicut concordia bonorum omnium parente, res paruæ creſcunt: ſic fœda diſcordia cunctorum nutrice malorum res maximæ dilabuntur. Eodem ſpectat & illa Chriſti ſententia: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* Qui enim pacem Chriſti & concordiã rumpit, aduerſus Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiã colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit, vt Cypriani verbis vtamur. Chriſti eſt eritq; ſemper officium; à diabolo diſperſos colligere in vnum corpus, illudq; perficere, vt totius multitudinis ſibi cohærentis cor vnum ſit & anima vna. *Ipſe facit habitare vnanimes in domo. In pace factus eſt locus eius. Non eſt diſſentionis Deus, ſed pacis.*

Ioan.14.&17 Matth 16. Luc.11.

Luc.11.

In tractat. de ſimplici. prælatorum.
Ioan.11.
Actor. 4.
Pſal.67.&75
1. Cor.14.

DOLEBO igitur vehementer, in mundo paſſim regnare Beelzebub, qui fideles etiam collectos diſpergat, Chriſtique regnum in præſentes anguſtias redigat, quantumuis à CHRISTO fuerit ſuperatus, & in tartarum religatus. Dolebo inſuper, maiorem quàm vnquàm antea, diſtractionem animorum, & ſectarum colluuiem apud Europæos apparere, indèque grauiſſimos Reipublicæ motus in religionis negotio magis magisque importari. Et neque ſpes quidem optatæ tranquillitatis affulget, quamdiu homines nouandæ fidei cupidi, in ſuo pergent ſenſu abundare, & odium potius quàm deſiderium ac ſtudium adferent Eccleſiaſticæ pacis & concordiæ reſarciendæ Propterea hunc turbulentum Eccleſiæ ſciſſæ ſtatũ, in quo nihil magis quàm dulcis & amabilis concordia deſideratur, ego ſępè deplorabo, quẽadmodum & Hierçmias ſuo ſeculo grauiter deplorauit, ſimulque Paulinũ induam animũ ad crucis Chriſti & Eccleſię eius ini-

Apoc.20.

Thren.1.& 2
Philip 3.

micos lachrymis proſequendos, quoniam Spiritum ſanctũ pacis omnis authorem & amatorem contriſtant, imm'o & extinguunt, malumque ſimul ſpiritum, qui ad ſcindendam vnitatem fidemqúe ſubuertendam cunctamolitur, ingenti ſtudio conſectantur. Prætereadiſcam à Paulo, per ſacroſanctum nomen IESV Chriſti illos obteſtati, qui nouas de fide contentiones pro ſua libidine ſpargunt atque defendunt, illisq; vnà cum Paulo dicam: *Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri* IESV *Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes: & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia*, vel ſicut legunt nonnulli: *ſitis perfecti eadem mente & eadem ſententia.* Alios verò qui conſtanter Eccleſiæ concordiam quærunt ac retinent, cum eodem Apoſtolo, ſi poſsim, confirmabo, ſimulque cohortabor, vt ſolliciti eſſe pergant ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Eiſdem repetam & illud: *Idem ſapite: pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Quam Eccleſiæ pacem atque vnitatem ego mihi & alijs tantò magis commendabo, quantò frequentius illam diuina ſcriptura proponit, eaqúe magis ad ſingularem electorum conſolationem ſtabiliendam pertinet. *Vnus enim eſt* [a] *magiſter veſter, vnus* [b] *paſtor Chriſtus*, qui & vnum amat ouile, vnum habet corpus, vnã ſponſam, columbam & amicam. Quid autẽ his Apoſtoli verbis luculentius? *Vnũ corpus & vnus ſpiritus: vnus dominus, vna fides, vnũ baptiſma.* Hoc vnitatis ſacramentum, hoc vinculũ concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini morientis non diuiditur omninò, nec ſcinditur. Myſterio enim veſtis huius declarauit Eccleſię vnitatẽ, vt Cyprianus affirmat, qui & negat Chriſti ſponſam, cum incorrupta ſit ac pudica, poſſe vnquàm adulterari: illũ verò à promiſsis Eccleſiæ ſeparari, quiſquis ab Eccleſia ſegregatus, adulteræ iungitur. Nec pertinet, inquit, ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt.] Honore autem Eccleſiæ ſaluo, ſalua pax eſt, vti præclarè dixit Tertullianus.

[Margin: Epheſ. 4. — 1. Cor. 1. — Epheſ. 4. — 2. Cor. 13. — a Matth. 23. b Ioan. 10. — Epheſ 4. Cantic. 6. — Epheſ. 4. — Ioan. 19. — De ſimplicitate prælato. — Lib de baptiſmo.]

Extol-

Extollens vocem quadam mulier de turba, dixit illi.

QVANTVMVIS inſaniat Satan, & impij fremant & frēdeant, portæq́; inferi contra Petram inſurgant, tamē ſuos habet Chriſtus vſq́; profeſſores, & teſtes, & cultores; quin & ſubinde infantes & lactentes excitat, ex quorum ore defenſionē laudemq́ue ſuam perficiat, & oppugnatam veritatem magis ac magis illuſtret vindicetq́ue. Quare mihi negligendi, imò & veluti peſtes deuitandi ſunt hoc ſeculo ſectarij, qui ſi antea vnquàm, nunc maximè quidē ſe furioſos Satanæ pugiles exhibent, quum in Chriſtum eiusq́; Sanctos, & ſacramenta ſint omninò blaſphemi atq; contumelioſi. Illos autē amabo atq; complectar, qui velut luminaria quædā, vt Paulus appellat, in medio nationis prauę & peruerſę lucent, quiq; cauſam oppugnatæ religionis nō ſolùm verbis & ſcriptis defendunt, ſed & inculpatis moribus & rerū ſuarum iactura, pręſentiq; vitę diſcrimine confirmant ac aſſerunt. Quocirca nobis agnoſcenda, & peculiariter celebranda eſt hæc inſignis Chriſti virtus ac gloria, quòd etiamnū in medio inimicorum ora multis paruulis aperiat, & linguas infantium nō raro diſertas faciat ac efficaces, vt eò magis pudefiant aduerſarij, oppugnata & veritas inclareſcat. Neq; minus curabo, vt quanto plures hodie canes contra Orthodoxos oblatrant & mordent, tantò liberius atq; conſtantius ego meā & Eccleſiæ fidem profitear, nihilq; in edenda veræ fidei confeſsione remittā, vel ob amicorum gratiam, vel ob improbitatem calumniatorū. Eſt enim Catholici cum Paulo teſtari: *Non erubeſco Euangeliū:* & cum Propheta dicere: *Credidi, propter quod loquutus ſum. Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regū, & non confundebar.* Etenim quò magis fidei veritas oppugnatur ac læditur, eò liberiorem teſtem & ardentiorem confeſſorem exigit, vt ſua Deo & veritati gloria tribuatur.

Matth. 16. Pſal. 8. Matth. 21. Philip. 2. Rom. 1. Pſal. 115. 118

RVRSVS ab hac Euangelica muliere, quam volunt Marcellam appellatam, & in domo Marthæ ancillam fuiſſe

verſatam, non iniuria diſcam ſtudium illud DEO gratum eſſe, quo CHRISTVS in ſe & Sanctis ſuis ab Eccleſia prædicatur & colitur: Ita enim nos docuit per Pſaltem regium
Pſal. 150. 67. & 115. Spiritus ſanctus: *Laudate DEVM in Sanctis eius. Mirabilis & glorioſus Deus in Sanctis ſuis. Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Et quoniam Sanctos alios, cuiuscunque ſint ordinis, incomparabilis illa Virgo virginum & lectiſſima CHRISTI mater Maria longè præcellit, ſingulari quodam honore & cultu illam proſequar, quemadmodum iſthæc laudabilis piaque matrona non ſine diuino ſpi-
Luc. 1. ritu fecit, & ſimul ante illam inſignis Angelus Gabriel & ſancta Eliſabetha ſuo nos docuerunt exemplo. Tantoque conſtantius veteri Eccleſiæ Catholicæ inſtituto me conformabo, vt caſtiſſimum Deiparæ vterum, & ſanctiſſima eius vbera celebrem, vtque cum Sedulio læte canam: Salue ſancta parens, enixa puerpera regem. Benedictus vtiq; fructus ventris Mariani, vtpote omnis diuinæ benedictionis & humanæ
Luc. 1. ſalutis fons, meritò prædicatur. *Benedicta & tu inter mulieres,* vt Gabriel & Eliſabeth inquiunt; benedicta inquam, in vitæ mortalis ingreſſu, progreſſu & exitu, in anima & corpore glorioſo, vt hinc te beatam generationes omnes iure concelebrent. Quòd ſi beati ſunt omnes qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt, vt hîc Veritas manifeſtè teſtatur, quantò beatior cæteris pijs & iuſtis Chriſti mater nobis eſt exiſtimanda, quæ antequàm ad hoc maximũ dignitatis genus vt virginea Domini mater eſſet proueheretur, ab Angelo ad ſe miſſo, & ab ipſo Filio ſibi ſubdito Dei verbũ audiuit, auditumq́, ſumma fide, humilitate, pietate & charitate cõplexa eſt, ſeq; digniſſimam verbi cuſtodem perpetuò præbuit? Igitur non ſolùm in hac noſtra Marcella, ſed etiã in præſtantibus omnium ætatum hominibus laudabo vetus inſtitutum, quo factum eſt, vt in Mariæ laudem piæ voces extollerentur, hymni decantarentur, virtutes eius & merita prædicarentur, taliſque mater & regina, quæ nec primam viſa eſt ſimilem, nec habere ſequentem, priuatim & publicè commendaretur.

Varius

Rurſus non ſine triſtitia meminero, me à Deiparæ Virginis perfectione atque iuſtitia, quæ ſatis extolli nunquam poteſt, tàm procul abeſſe, vt cum illa conferri nulla ex parte queam. Dolebo inſuper fœlicitatem mihi nequaquam competere, quam CHRISTVS diuini verbi auditoribus atque cuſtodibus ſiue obſeruatoribus hîc tribuit. *Beati* inquit, *qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Nihil magis exoptat Dominus, præterquàm vt plurimos habeat ſibi matres verè ſpirituales, hoc eſt, qui diuini verbi cœleſte ſemen myſticè concipiant ac retineant, donec in eis pariat vitam æternam. Etenim licet mater Chriſti ſecundùm carnem ſit vnica, quæ illum corporaliter conceperit ac generârit, eaque ratione homines & Angelos omnes excellat, tamen hunc maternitatis, vt ſic dicam, titulum largitur etiam Chriſtus alijs obedientibus, qui verbum Dei cum fide percipiunt, & in corde conſeruant atque ſic excolunt, vt verbi ſimul auditores & factores iure dicantur. Quocirca ſcriptum legimus. *Maria conſeruabat omnia verba hac, conferens in corde ſuo. Quicunq́ fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in regnum cœlorum.*

Iacob. 1. Rom. 2. Luc. 2. Matth. 12. Matth. 7.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro varijs hodie generibus blaſphemantium, præſertim hæreticorum, per quos, vt Petrus Apoſtolus fore prædixit, via veritatis blaſphematur, quiq́ in his quæ ignorant, blaſphemare non verentur. Nunquàm enim Eccleſia petulantiores habuit inſectatores, atq́ impudentiores illuſores, qui ſacra ferè omnia conuellerent atq́ conſpuerent, & apud populum infamarent. Qua ratione Ioannis impletur vaticinium de illis, qui authore Satana contra Sanctos bellabunt, ſimulq́ blaſphemi erunt in nomen Dei, & tabernaculum eius, alioſq́ in cœlo habitantes. Datum eſt enim Beſtiæ, eiuſq́ miniſtris, os loquens magna & blaſphemias, nimirùm vt immanem ac furioſam planeq́ diabolicam in blaſphemando libidinem expleant.*

2. Petr. 2. Iudæ. 1. Apoc. 13.

ORABO *etiam pro pleriſq́; Catholicis in Chriſti regno quidem verſantibus, ſed contra fidem Chriſto datàm Satanæ multa permittentibus, conſentientibus, colludentibus, perinde ac ſi duobus dominis inſeruire ſimul ac ſatisfacere poſſint. Neq́; enim ita Chriſti ſententiam ſecum expendunt*: Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. *Certè qui Chriſto per fidem & charitatem non adhærent, licet nomen Chriſtianum profiteantur, & de filiorum Dei familia eſſe velint, tamen non ad Chriſti, ſed ad diaboli regnũ ſpectant. Et vbi Chriſti ſpiritus non habitat, ibi nequitia ſpiritus figit pedem, ac hominem illum ſuis laqueis irretitum, ad fœdiora vſq́; pertrahit, vt ſermo Chriſti compleatur*: Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

Matth. 6.
Luc. 11.
Ibidem.

RVRSVS *in me alijsq́; petam zelum augeri ad conuertendos illos, qui captiui ſunt Satanæ, ac in illius manent poteſtate. His precabor efficacem Chriſti gratiam, vt cæci aperiant oculos, & ſurdi rectè audiant, ſed & muti ſalutarem linguæ vſum teneant, præſertim verò vt peccatorum ſuorum iuxta ritum Catholicum debitam faciant exomologeſim.* Si enim confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt CHRISTVS & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate, *Ioanne Apoſtolo teſte.*

2. Tim. 2
1. Ioan. 1.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE, DICTA LAETARE.

Sequentis Euangelij argumentum.

Laudanda

LAudanda eſt virtus diuina Chriſti tàm inſigne miraculum efficientis, vt quinque millia hominum, exceptis fœminis & pueris, quinque panibus hordeaceis ac duobus piſcibus, in vaſto deſerto ſimul alantur, adeóque ſaturentur. Maius fit iſthuc miraculum, cùm abſumtis panibus & piſcibus tantum ſupereſt reliquiarum, quantum iuſsi Apoſtoli collegerunt, vt ex micis relictis duodecim cophinos reportarent. Meretur & laudem tanta hominum turba, quæ in deſerto paſcitur: quandoquidem cateruatim & ſtudiosè pauperem Dominum ad deſertum vſque ſectatur, & commeatum interim vitæ ſuſtendandæ neceſſarium negligit, vt verbi diuini pabulo animos foueat ac recreet. Præterea ex hoc miraculo cuncti præſentem agnoſcunt Meſsiam, gratisque animis concelebrant, nec minus Chriſti mandato parent iuſsi per Apoſtolos in fœno vel gramine conſidere. Cæterùm quemadmodum Chriſtus potenti benedictione panes hic multiplicauit, & multa hominum millia in deſerto nutriuit, id quod ſæpè ab illo factum legimus: ita in hunc vſque diem idem non deſinit, quæ ſumma ipſius erga nos eſt benignitas & prouidentia, per totum orbem iacta in terram grana multiplicare, & mortales innumeros vbique gentium quotidiè paſcere, meritò vt oculi omnium erigantur, ſuamque fiduciam in illum collocent, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, cibumq; iumentis præbet in tempore opportuno. [Sed multò præſtantius eſt miraculum ab eodẽ Chriſto in Cœna poſtrema editum, quando panem Euchariſticum benedixit, & benedictum illum per manus miniſtrorum altaris vſque diſtribuit, nè deſit vnquàm Manna veris Iſraëlitis ad cœleſtem patriam in hoc mundi deſerto peregrinantibus. Ita enim vetus figura completur, de qua ſcriptum extat: Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illi ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.] Hæc illa eſt eſca, quam in ſpiritu præuidens Pſalmographus, ac velut nobis congratulans decantauit: Memoriam fecit mirabilium ſuorum,

Matth. 14.15. Marc. 6. Luc. 9.

Pſal. 144.146.

Matth. 26. 1. Cor. 11

Exod. 16.

Sap. 16.

Pſal. 110.

rum, miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit ti-
Ioan.6.& 10 mentibus ſe.] Hoc illud manna eſt de cœlo datum, & pa-
nis viuus, qui mundo vitam tribuit, Chriſto ipſo ſuas o-
ues paſcente atque ſuſtentante, ſicut præſenti miraculo
Iſraelitis exhibito præfigurauit.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Ioan. VI.

IN illo tempore. Abijt IESVS *trans mare Galileæ, quod eſt* Tyberiadis: *& ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem* IESVS, *& ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum paſcha dies feſtus Iudæorum. Cùm ſubleuaſſet ergò oculos* IESVS, *& vidiſſet quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes: vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnusquiſq; modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas, frater* Simonis *Petri: Eſt puer vnus hîc, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos? Dixit ergò* IESVS: *Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergò viri numero quaſi quinq; millia. Accepit ergò* IESVS *panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.*

Vt

Ut autem impleti ſunt, dicit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperſuerunt fragmenta, nè pereant. Collegerunt ergò, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus hordeaceis & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergò homines cùm vidiſſent, quod IESVS *fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm ſubleuaſſet oculos IESVS, *& vidiſſet quia multitudo magna venit ad eum.*

PRAEDICANDA eſt mihi DEI benignitas, quo authore præter alia dona, ſenſus videndi vt præcipuus, ita & nobiliſſimus mihi alijsque Adæ filijs tribuitur & conſeruatur. Accepi enim oculos membrum inter cætera præſtantiſſimum, ac veluti corporis animique lucernam cum Sole ipſo comparabilem ob ingentem ac multiplicem eius vtilitatem. Sicut autem extincto ſole, cuncta perturbari, ac ſuo vigore & robore deſtitui neceſſe eſt: ſic & amiſſis oculis pedes homini ſunt inutiles, manus otioſæ, ac animus ipſe mœret ac torpet. Vt hinc etiam captus oculis Tobias dicere non dubitârit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Tobiæ. 5.
Tantoque magis Chriſto Domino gratias agam, qui cum pleriſque cœcis tàm clementer egerit, vt eis valdè calamitoſis lucem, qua nihil amabilius, reſtituerit, nec minus ani- Matth. 11. 20. & 21. Ioan 9.

mo quàm corpore ipſos illuminârit, quandoquidem id proprium Meſſiæ opus fore prædixerat Iſaias. Mirabor inſuper Chriſti ſapientiam, qui ſuos oculos tàm compoſitè ac maturè gubernauit, vt præclarum nobis exemplum præbuerit ad noſtros etiam oculos in officio continendos, ac legitimè exercitandos. Nunquàm de illo ſanè ſcriptū legimus, quod vel vno ictu oculorum peccârit, eoſque vagos, leues, elatos ac petulantes habuerit, ſicut vulgaris quidem hominum eſt conſuetudo. Talem verò Chriſtum nobis proponit Euangelium, cui ſint oculi demiſſi, humiles, graues, moderati, quos ille grandia quædam dicturus aut facturus, vel etiam precaturus, ſtudioſè aperire, ſeu in cœlum leuare ſolitus eſſet, quos præterea peculiariter ad ſuos diſcipulos & pauperes turbamque plebeiam libenter conuerteret non ſine gratia ſingulari. Proinde cùm præſentem hominum multitudinem quæ multis pauperum millibus conſtaret, paucis panibus vellet explere, ſuos primùm oculos ſubleuauit, ad illos omnes humaniſsimè contemplandos. Et Euangelicam legem in monte traditurus, priuſquàm ſuum os aperiret, primùm conſpexit auditorum frequentiam, qui vndique confluxerant. Reſpexit autem homines, cùm oculos ſuos ita circumtulit, vt intuitus ille magno eſſet bono præſentibus, & eximium illis beneficium impertiret. Quare cùm vidiſſet viduam, cuius in Naim vnicus filius demortuus efferebatur, ſe vitæ ac mortis Dominum declarauit, ſimulque matri, filio & populo conſolationem maximam attulit. Videns turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati & iacentes, ſicut oues non habentes paſtorem: mox autem ipſe veluti Dominus meſſis, ſuos elegit & extruſit operarios, ad meſſem illam excolendam. Videns aliquando ciuitatem Hieroſolymam, non ſolùm in medio applaudentium ſuper illam fleuit, ſed etiam in templum ingreſſus, cæcos & claudos reſtituit ſanitati. Videns Matthæum in telonio ſedentem, & publicanorū principem Zachæum ex arbore ſpectantem, ex illo quidem Apoſtolum, ex hoc autem Abrahæ filium eueſtigiò fecit. Re-

Iſai. 35. — Matth. 5. — Ioan. 6. & 17. — Ioan. 6. — Matth. 5. — Luc. 7. — Matth. 9. — Matth. 10. — Luc. 19. — Matth. 21. — Matth 9. — Luc. 19.

ſpexit

ſpexit & Petrum in domo Caiphæ, & ſtatim amaras pœnitentiæ lacrymas in illo, qui turpiter ipſum abnegauerat, excitauit. Luc. 22. Matth. 27.

NONNE igitur me pudeat ac pigeat, quòd maiorem oculorum meorum rationem non habeam, ſed quemadmodum [a] Eua, [b] Dina, [c] Dauid, illis frequenter abutar, neque à liberiore & vago adſpectu meos abducam oculos continenter? Quoties idem mihi vſuuenit quod Hieremiæ contigit ita conquerenti: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam: Aſcendit mors per feneſtras noſtras?* Quòd ſi certa oculorum diſciplina non conſtaret ſapientibus, ſcriptura certè oculos vagos, ſublimes, elatos, & adulterij inceſſabiliſque delicti plenos, diſertè non reprehenderet, neq; grauiter hoc traderet: *In facie prudentis lucet ſapientia: Oculi ſtultorum in finibus terræ: Sapientis oculi in capite eius.* Vnde maiorem ſanè laudem promeretur, qui vt ſe animo caſtiſsimum demonſtraret, fide bona teſtari potuit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem quidem de virgine.* Quid quòd futurus omnium iudex Chriſtus tàm puros & oculos & animos exigit, vt hanc terribilem proferat ſententiam: *Ego dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Primus enim peccati gradus eſt ſpárgere oculos ad concupiſcendum, licet non concupiſcas: ſecundus concupiſcere, licet non mœcheris aut forniceris: tertius eſt peſsimus, ſeruire libidini atque mœchari. Proinde ſi concupiſcis, etiamſi opus venereum non ſubſequatur, mortale peccatum admiſiſti, neque ſine pœnitentia potes Deo reconciliari. Abſit igitur, vt vulgi more ac errore ſeductus, in ſpectando & concupiſcendo id mihi licere putem quod libet, vtque vanis me oblectem ſpectaculis, quæ plerumque ſunt irritamenta malorum, ac animos etiam bonos non rarò aut inficiunt, aut corrumpunt. Mirabantur aliquando Apoſtoli, quum ſplendida & ſumptuoſa templi Hieroſolymitani ædificia ſuis oculis obiecta ſpectarent, quin etiam Dominum ad ea contemplanda inuitabant.

[Margin: a Gen. 3. b Gen. 34. c 2. Reg. 11. — Thren. 3. Hierem. 9. — Prouer. 6. 23. 2. Petr. 2. Prouer 17. Eccleſ. 2. — Iob. 31. — Matth. 5. — Matth. 24. Marc. 13.]

bant. Is velut irridens communem hominum in ſpectando ſtultitiam atque vanitatem, haud leuiter ita reſpondit: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Perinde ac ſi dicat, ſicut alibi ſcriptum legimus: *Cuncta ſubiacent vanitati: quæ de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Væ mihi, ſi nullum oculis frenum imponam, ſed liberè illos vagari permittam, vt me ad impuram concupiſcentiam ac vetitam libidinem pertrahant. Quo ſæpius ac grauius meis oculis pecco, ſicut à mundi filijs paſsim fieri ſolet, eò maiorem de meipſo intemperantiæ ac voluptatis pœnam ſumere debeo, vt cum Propheta dicam: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Hoc enim eſt quod Paulus illis verbis flagitauit atque præſcripſit: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra inſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Cuius rei ſi quis alius, mulier illa peccatrix, quæ ad pedes Domini cos fleuit amariſsimè, exemplum nobis clariſsimum præbet. Adhæc Chriſtum Dominum in eo imitari ſatagã, vt meos oculos nõ ſolùm à mundi ſplendore, faſtu & luxu, rebuſque vanis prudenter abducam, verùm etiam eoſdem ad indigentes, miſeros & afflictos ſubleuandos, ſtudioſè conuertam. Sic enim ſcriptum legimus: *Ab inope nè auertas oculos tuos.* Ac iterum: *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Nunquàm verò precari cum Propheta deſinam: *Auerte oculos tuos, nè videant vanitatem.* Mundus inſanus fruatur, quàm diu poteſt, oculo ſiniſtro, nequam & ſcandalizante, quemadmodum ſcriptura loquitur. Pro illo mihi ſanè oculum ſimplicem, caſtum & verecundum dari & augeri deſiderabo, vt eò rectiùs dictũ Salomonis obſeruem: *Oculi tui* inquit, *recta videant, & palpebræ tuæ præcedãt greſſus tuos.* Et Chriſtus ipſe teſtatur: *Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autẽ oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit.*

Eccleſ. 3. Eccleſ. 1. Pſal. 118. Rom. 6. Luc. 7. Ioan. 12. Eccleſ. 5. Tob. 4. Eccleſ. 23. Matth. 6. 18 & 20. Eccleſ. 14. Prouer. 4. Matth. 6.

Accepit

Accepit IESVS *panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.*

CHRISTO Domino, vti optimo fideliſsimoque Paſtori, gratias frequenter agam, cui de ſuis fidelibus alendis & conſeruandis certiſsima, fidiſſima, verèque paterna ſemper cura eſt, vel nobis non cogitantibus atque dormientibus. Eſt enim non modò Pontifex magnus, verùm etiam fidelis & miſericors, ſicut à Paulo dicitur, qui poſsit compati infirmitatibus noſtris, & velut Propheta loquitur, adiutor noſter manet in opportunitatibus. Hic eſt idem, qui de paucis granis ſegetes multiplicare, ac tot hominum millia, immò verò mundum vniuerſum, quàmlibet alioquin ingratum ac impium, quotidiè ſuſtentare ac nutrire non deſinit. Eò magis illi cum viua fide acclamabo, ſicut me Propheta docuit: *Omnia à te exſpectant Domine, vt des illis eſcam in tempore: Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur: aufe-res ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Cur igitur tanta mihi de ventre, cibo, potu & veſtimento cura eſt, qualem ethnici perpetuam gerunt, & Chriſtus ſuis prohibet fidelibus? *Nolite* inquit, *ſolliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt.* Cur illi non fido, qui omnem mei curam libenter ſuſcipit, & ſuſceptam nunquàm deponit, per ſuum Prophetam ita mihi præcipiens: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*, ſicut & per Apoſtolum Petrum cunctis mandauit fidelibus: *Omnem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Quarè ſiue ſuppetant, ſiue deſint huic vitæ neceſſaria, confidenter dicã: *Dominus regit me*, ſiue vt quidam legunt: *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcua ibi me collocauit.* Nam & Chriſti cura erga ſuos diſcipulos tanta fuit, vt ipſorum teſtimonio ad victum nihil defuerit, cùm ſine

Hebr. 2. & 4.
Pſal. 9.
Pſal. 103.
Matth. 6.
Pſal. 36.
1. Petr. 5.
Pſal. 55.

Luc. 22. ſacculo, pera & calceamentis ad prædicandum Euangelium mitterentur. Cæterum ego tantò magis curabo Christum habere Dominum, atque in illius manere familia & poteſtate, quòd nullus herus ac princeps reperiatur ditior. *Gloria* Pſal. 111. 49. *enim & diuitiæ in domo eius. Meus eſt* inquit, *orbis terræ, & plenitudo eius*. Nec eſt aut fuit quiſquam eo liberalior, vtpote qui potens eſt omnem gratiam in nobis abundantiorem reddere, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, in omne opus bonum abundemus, Paulo Apoſtolo 2. Cor. 9. teſte, vtq; cum illo ipſo verè confidens Chriſto dicere queam: *Ego didici in quibus ſum ſufficiens eſſe: omnia poſſum in eo* Phil. 4. *qui me confortat*. Quid autem dulcius & amabilius à Chriſto dici, & à nobis audiri poſſet quàm illud: *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent*? Marc. 8. Tam præclarè cum Chriſti auditoribus atque diſcipulis agitur, nullam vt inopiam & egeſtatem timere debeant, quia Chriſto fideliſsimo Domino & magiſtro curæ ſunt, & præ alijs omnibus ab illo diliguntur, fouentur, proteguntur atque benedicuntur, quin etiam ſanctos ab illo Angelos accipiunt, quorum præſidio in vijs omnibus quotidiè cuſtodiantur, nè ſuos pedes in lapidem vllum impingant. *Non* Pſal. 90. Matth. 6. *enim eſt inopia timentibus eum*. Primùm quærunt regnum Dei, & idcircò reliqua illis adijciuntur, ſicut Chriſtus ipſe promiſit. Quid ergò conſultius ac ſecurius, præterquàm Chriſto fonti bonorum omnium adhæreſcere, qui ſuis auditoribus atque diſcipulis tantum habet honoris, vt illis etiam non ſollicitis, cùm ſuæ vocationi ſatisfaciunt, propensè opituletur, & ſimul eorum corporibus ac animis neceſſaria vltrò largiatur, crebrò inſuper ſaturitatem, copiam & abundantiam vel non petentibus tribuat? *Benedictio enim Domini* Prouer. 10. *ni diuites facit*: quemadmodum in Abraham, Iſaac, Iacob & Dauide clariſsimè cernimus, quos locupletiſsimos fuiſſe conſtat.

POSTREMO ſuo me Chriſtus exemplo admonet, cum proximis, præſertim verò indigentibus, humaniter a-

gere, de illorum ſubleuenda inopia cogitare, & cum amicis pijsque viris fida miſcere conſilia, ſicut ipſe hoc loco ſuos conſuluit diſcipulos, vt erga pauperes etiam non rogantes curam paternam oſtendat. *Beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beatus eſt vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Matth. 5. Pſal. 40.
Quocirca ſæpè in mentem reuocabo, quod à Tobia cuiquè noſtrum æquiſsimè commendatur: *Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſsitatis.* Pudebit me interim illius ingratitudinis, qua ſe multi grauiter obſtringunt, & ego nonnunquam polluor, quoniam acceptis à DEO donis & beneficijs per intemperantiam abutimur, frugali & moderato victu non contenti, & de ſupervacaneis ac delicatis alimentis, cultioribusquè veſtibus ſolliciti: qui præterea rerum illarum quibus non egemus, copiam & abundantiam perire potiùs ſinimus, quàm ad vſum & miniſterium pauperum conuertere curamus. Adeò nihil nos mouet clariſsimum & rationi maximè conſentaneum Chriſti præceptum: *Colligite fragmenta nè pereant.* Multos enim filios & ſectatores habet diues epulo, qui Lazaro mendico contemto, ſibi tantùm viuebat ſuauiter, maioremquè canum quàm pauperum curam ſuſtinebat. Et exemplum filij prodigi nimiùm eſt vulgo familiare, dum ſuas pecunias & opes vanè, ſuperbè & luxuriosè viuẽdo plerįq; conſumant, tantùm vt mundo, libidini ac ventri ſatisfaciant. Petrus autẽ & Paulus etiam in mulierculis ornamenta veſtium reprehendunt, & propter illa iratus DEVS, qui faſtum & luxum prohibet, per Iſaiam graues pœnas fœminis interminatur. Proinde mihi curandum putabo, vt maiorem vitæ frugalitatem, temperantiam ac ſimplicitatem à me ipſo exigam, quandoquidem Apoſtoli & alij ſectatores Domini non niſi panibus hordaceis & piſciculis paucis aluntur, & quæ illis fragmenta cibi ſuperſunt, nè quod pereat, in aliorum etiam

Tob. 4. Luc. 16. Luc. 15. 1 Pet. 3. 1. Tim. 2. Iſaiæ. 3.

commodum colligere & conſeruare non intermittunt. Prę-
tereà meminero fraternæ miſericordiæ in pauperes exercen-
Iſai. 58. dæ, quoniam diuino præcepto ſancitum eſt: *Frange eſurien-
ti panem, & egenos vagosq́, induc in domum tuam.* Et Paulus
Epheſ. 4. ita præſcripſit: *Eſtote inuicem benigni, miſericordes: ambulate
in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Is miſericordiam
Matth. 9. magis quàm ſacrificium exigit, ac euidenter affirmat: *Bea-*
Actor. 20. *tius eſt magis dare quàm accipere.*

Hic eſt verè Propheta qui venturus eſt in mundum.

EX vno beneficio benefactorem, immò & mundi Sal-
uatorem agnoſcunt, gratisq́ue animis concelebrant ſatura
ti paucis panibus Iſraëlitæ. Quantò autem rectiùs me alios-
q́ue Chriſtianos id facere decet, vt in acceptis à DEO ſum-
mo beneficijs, ſiue parua, ſiue magna videantur, nos fonti
1. Cor. 10. bonorum omnium gratos verbis factisq́ue teſtemur? *Siue
ergò manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis*, inquit A-
Homel. de vita monacho. poſtolus, *omnia in gloriam Dei facite, gratias agentes Deo &
Patri per ipſum.* Extat autem apud Chryſoſtomum peculia-
ris gratiarum actio, quam ille à pijs alijs acceptam ac vſita-
tam ſtudioſè commendat, & ego ad menſam rectè ſectabor.
Habet autem hymnus ille in hunc modum: Benedictus De-
us qui me paſcis à iuuentute mea. Qui das eſcam omni car-
ni, imple gaudio & lætitia corda noſtra, vt omnem ſufficien-
tiam habentes abundemus in omne opus bonum in Chri
ſto IESV Domino noſtro. Cum quo tibi gloria, honor &
imperium cum ſancto Spiritu in ſecula. Amen. Gloria tibi
Domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi Rex, quoniam dediſti
nobis cibos: imple nos gaudio & lætitia in Spiritu ſancto,
vt inueniamur in conſpectu tuo acceptabiles, nec pudefia-
mus, quando reddes vnicuiq́ue ſecundùm opera ſua.

IN primis autem gratias agam de ſummo exhibito my-
ſterio & excellentiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, quod
Chriſtus iam tunc præſenti miraculo præludebat, nimirùm

ſubin-

ſubindicans fore, vt ipſe ſicut præpotenti benedictione panes in deſerto multiplicaſſet & auxiſſet, ita & mirabili diuinaque virtute ſua cœleſtem inſtitueret panem, nouumque manna præſtaret, quo fideles in hoc mundi deſerto paſceret, eumque panem benedictum per miniſtros conſtitutos populo diſtribueret, ac tanto quidem cum fructu manducantium, vt illi diuinæ benedictionis virtutem, ſi vellent, maximam perciperent, ſanctéque ſaturarentur. De hoc pane Chriſtus apud Ioannem eodem capite aduerſus Capharnaitas fusè diſſerit, ac manifeſtè promittit: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Ac iterum inquit: *Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Qui manducauerit hunc panem, viuet in æternum*. Ideòque Ignatius illum vitæ panem appellat, quo fideles in Eccleſia primitiua quotidiè Luca teſte, veſcebantur. [a] Iuſtinus Martyr & [b] Ambroſius hunc panem non eſſe communem & vſitatum, ſed ſuperſubſtantialem, & cibum ſermone Domini conſecratum, diſertè teſtantur. [c] Cyprianus panem illum vocat non effigie, ſed natura mutatū, & verbi omnipotentia carnem factum. Panis quidē in altari nobis videtur, ſi carnis & oculorum ſequamur iudicium, ſed qui ineffabili operatione in corpus ſanguinéq; Chriſti transformatur, ſicut Theophilactus affirmat. Igitur ô me felicem, ſi hoc pane filiorum Dei, quo nihil ſanctius, dulcius ac præſtantius eſſe poteſt, ſciam vti conuenienter, quemadmodum vtuntur illi, de quibus canit Pſalmographus: *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæcula ſæculi*. Sic enim eundem locum Euſebius, Auguſtinus & Euthimius de proprijs Euchariſtiæ effectibus dictum interpretantur.

Exod. 16. Num. 11.

Ioan. 6.

In epiſtol. ad Epheſios.
Actor. 2.

a Apolog. 2.
b Lib. 4. & 5 de Sacram.
c De cœna Domini.

In cap. 14. Marci.

Pſal. 21.

QVONIAM verò tempus imminet, quo Chriſtianus populus Euchariſticum panem ſumere, & Chriſto ſe vnire debet maximè, etiam atque etiam deſiderabo, vt ſacra illa communio legitimè peragatur, neque ad iudicium & condemnationem, ſed ad ſalutem æternam fidelibus conferat. Huc autem cumprimis pertinet, vt ſciant, à quibus Eccleſiæ

1. Cor. 11.

miniſtris hunc diuinum panem petere & accipere debeant. CHRISTVS quidem in deſerto panem per ſe benedixit, & benedictum Apoſtolis dedit, toto populo diſtribuendum. Nec minorem fructum ſumentibus impertijt, quàm ſi omnes ex ipſis CHRISTI manibus illum percepiſſent. Eſt enim ipſe Sacramentorum noui teſtamenti author, inſtitutor atque ſanctificator: ex ipſius benedictione pendent omnia, quæ in ſacris & venerandis myſterijs peraguntur, ac ipſius nomine conſecrantur, atque in ipſis credentibus operantur. Viſum eſt autem illi, ſacerdotum operam & miniſterium adhibere, qui ſuccederent Apoſtolis, panemque ſanctum proprijs Domini verbis conficerent, ac populo diſpenſarent. Dolebo igitur illorum vicem, qui panem non Euchariſticum, ſed profanum ac pollutum à nouis falſisque miniſtris accipere ſolent, vtpote qui tanti ſacramenti ſiue conficiendi, ſiue diſpenſandi nullam obtinent facultatem, quoniam à nullis Catholicis Epiſcopis ordinati. Non igitur miſit illos CHRISTVS ad benedicendum, ſuaque ſacra populo miniſtranda, cùm non ſint myſteriorum DEI diſpenſatores, & idonei miniſtri noui teſtamenti, legitimique Eccleſiæ ſacerdotes, ſed omnis ſacri ſacerdotij & ſacrificij, quod per preſbyteros exercetur, ex profeſſo hoſtes atque contemtores. Nihil autem referre putabo, hanc ſacram alimoniam per ſacerdotes, ſiue dignos, ſi vitam ſpectes, ſiue indignos populo exhiberi. Etenim æquè mali ſicut boni miniſtri verè conficiunt ſacramenta, & alijs porrigunt, modò ea forma & materia vtantur, quam ex CHRISTI inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſeruauit, idque facere proponant, quod eadem facit Eccleſia in ſacramenti adminiſtratione. Nam & præſens docet Euangelium, Philippum, Andream & reliquos Apoſtolos ſuis næuis laboraſſe, quòd firmos in fide & precatione animos non adferrent, nihil autem hoc vetuiſſe, quò minùs populi ſui Chriſtus miſereretur, turbas aleret ac ſaturaret pro ſumma ſua benignitate. Adeò verum eſt quod Auguſtinus tradidit,

Malach. 1.

1 Cor. 4.
2. Cor. 3.

Lib. 4. de Baptiſmo contr. Donat. ca 13

didit, ſanctitatem ſacramenti ab immundis & indignis Eccleſiæ miniſtris non pollui, ſiue cùm per eos datur, ſiue cùm ab eis accipitur.

DENIQVE monebit me præſens hiſtoria, vt officium meum in agendis CHRISTO gratijs præſtem ſedulò, quoties nobis ſacroſanctus & Euchariſticus ille panis maxima CHRISTI liberalitate donatur, & ex altari porrectus editur, nimirùm vt manducantes tam diuino cibo non modò reficiantur, ſed ſaginentur, ac ſpiritualibus chariſmatis compleantur. Benedictus ille, qui corpus ſuum ſub ſpecie panis quotidiè offert ac exhibet fidelibus, vt eos hoc pane viuo, qui de cœlo deſcendit, datque mundo vitam, tam lautè, tam largè munificèque paſcit in Eccleſia. Panem enim Angelorum, qui omne in ſe habet delectamentum, æquè pauper ac diues, ſeruus ac dominus, ancilla ac hera manducat vbique gentium, vbi Catholici hoc ſacramentum diſpenſant. Benedictus præterea, qui ſuis imitatoribus admirandum Lætare hucvſque concedit, adeòque perennem quæ verbis nullis explicari poteſt, abundantiam & ſaturitatem in cœleſti patria, vt promiſit, ita præſtabit liberaliſsimè. *Faciet enim Dominus exercituum omnibus populis conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum,* vt Propheticis verbis vtamur. Ad hanc ſaturitatem, quæ ſola humanos explet animos, cum Dauid adſpirabo, ſimulq; ex animo dicam: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ac iterum: *Replebimur in bonis domus tuæ.* Ioan. 6. Sapient. 16. Iſai. 25. & 51. Pſal. 16. & 46.

PRECABOR *pro Chriſtiano populo, qui proximum Paſcha celebrabit, vt ad ſalutarem eſum ſanctiſsimi Sacramenti ſeriè componat, eiusq; vim & effectum in vita & morte efficacem ſentiat. Huc plurimum contulerit obedientia, quam populus in fœno iuſſus diſcumbere, CHRISTO & diſcipulis eius ante diſtributum panem alacriter declarauit, nihil interim de calice vel potu ſollicitus. Nam* & ſcriptum eſt, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Ioan. 6.

ORABO *itidem pro ingratis & auaris prodigisq́; donorum Dei diſpenſatoribus, & illis omnibus, qui tùm corporali, tum ſpirituali Chriſti benedictione per intemperantiam, auaritiam & prodigalitatem abutuntur, ac interim pauperum alendorum, & frugalitatis temperantiaeq́; adhibendae curam habent exiguam, vt Chriſtum pauperem in electis eius membris agnoſcant ac foueant. Tantum abeſt, vt ſectentur propoſitam Apoſtolorum liberalitatem, qui tametſi forent egeni, totum tamen victum & commeatum ſuum in gratiã alendae turbae libenter offerebant & impendebant, tantòq́; maiorem Chriſti benedictionem in plenis reportatis cophinis ſentiebant.* Fœneratur enim Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.

Prouer. 19.

ROGABO *etiam, obedientibus Eccleſiae filijs dari conſtantiam, atq́; vt ex iuſtis hoc tempore iuſtiores, & e ſanctis ſanctiores fiant optabo: quin etiam quod in me fuerit, adlaborabo, ſacrum vt Paſcha dignè à multis celebretur, & communes gratiae Chriſto, qui diues eſt in miſericordia, ab Orthodoxis agantur.*

Apoc. 22. Rom. 10.

DOMINICA PASSIONIS, SIVE IVDICA.

Sequentis Euangelij argumentum.

HOc Euangelium quaſi Apologiam Chriſti continet, qua ſuam ille vitam atque doctrinam vt irreprehenſibilem tuetur, ſimulque ſe Deum eſſe declarat. Agit autem contra Iudæos Euangelij auditores peſsimos, qui veritatem diuinam audire & fide complecti non ſuſtinent,

nent, ipſumque Prophetarum Dominum ac Meſsiam ſuum infenſis animis verbisque contumelioſis publicè inſectantur, immò & lapidibus in ſacro templo perdere moliuntur. Tam immane odium iſtorum animos occupârat, vt in Chriſti perniciem furioſè conſpirarent, nullumque ſæuitiæ ſuæ finem facerent, niſi Regem gloriæ, quem hîc lapidibus obruere in votis habebant, atroci mortis ſupplicio tandem interemiſſent. Præterea Euangelium docet, quanta Chriſtus lenitate hoſtes implacabiles exceperit, vtpote qui cùm malediceretur, non maledixerit, ſed charitatem tum in reſpondendo, tum in benefaciendo illis maximam declarârit, & ſecedens ad tempus, implacabili illorum furori ceſserit. Sic enim docere nos voluit, vt nè accepta iniuria malum malo penſemus, ſed ſicut Paulus loquitur, cum omnibus hominibus, quantum in nobis eſt, pacem habeamus, & malum in bono vincamus, nullum iræ & amarulentiæ locum concedentes. Nec enim temerè dixit Salomon: Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem: lingua ſapientum ornat ſcientiam.] Rurſus confirmat Euangelium ad electas Chriſti oues pertinere verbum Dei, quod cum fide ac deſideranter audiatur, ſimulque opere fideliter compleatur, & veros Abrahæ filios faciat. Is non modò in fide nobilis, vt hinc pater credentium appelletur, ſed etiam obedientia & operibus valdè commendatus fuit, vt amicus Dei vocetur, & Iacobus de illo aſſerat, quòd fides eius operibus fuerit cõſummata. Quarè Chriſtus etiam Iudæis apertè teſtatur: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.] Hic idem eſt Abraham, cui contigit ingens beneficium, vt Chriſti Meſsiæ in carne venturi diem ſiue tempus, quod poſt mille & nongentos annos conſequutum eſt, oculis fidei videret, eaque ſpirituale viſione delectatus, exultaret plurimùm, quòd iam tum intelligeret, è ſuo ſemine naſciturum illum, in quo gentes omnes benedicerentur. Multa & magna ſunt mortem effugere, quia nihil mundi filijs formidabilius, & vitam æternam ſeu immortalitatem, qua nihil optabilius, conſequi. Vtrumque promittit Chriſtus in

[Margin notes: 1. Petr. 2. — Ioan. 11. — Rom. 12. — Prouer. 15. — Rom. 4. — Iacob. 2. — Ioan. 8. — Geneſ. 15. 22.]

hoc

hoc Euangelio iis, qui verbum Dei tum audiunt, tum ſeruant, quemadmodum germanos Abrahæ & Dei filios cum Zachæo facere decet.

Luc. 19.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Ioan. VIII.

IN illo tempore dixit IESVS *turbis Iudæorum & principibus ſacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex* DEO *eſt, verba* DEI *audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit* IESVS*: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergò ei Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Propheta: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt? Quem te ipſum facis? Reſpondit* IESVS*: Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt: & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et*

ſi dixero quia non ſcio eum: ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: & vidit, & gauiſus eſt. Dixerunt ergò Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis IESVS, *Amen amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergò lapides vt iacerent in eum.* IESVS *autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

EX Euangelica hiſtoria colligam & perpendam, quatuordecim ferè dies ante paſſionem Domini effluxiſſe, quibus Iudæi ira odioque flagrantes, in Meſſiæ ſui mortem conſpirauerint, & contra illum vt anteà nunquàm, conſilia miſcuerint ſanguinolenta. Quo tempore ſeditioſi & furibundi homines in has voces impias, ſicut prædictum antè fuerat, proruperunt: *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum,* vt cætera prætermittamus. Nec ſanè ignorabat Dominus, quid iſti tenebrarum filij molirentur, & ſuæ luctuoſę paſſionis tempus imminens, ac ſæpè ſuis prę-

Ioan. 11. & 12.

Sap. 2.

Ioan. 12. dictum, non ſine mœrore quodam expectabat. *Nunc anima mea*, inquit, *turbata eſt: & quid dicam? Pater, ſaluifica me ex*
Luc. 12. *hac hora. Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* Ego verò tantò magis amplectar Eccleſiæ ſanctæ inſtitutum, quantò illud vetuſtius ac laudabilius eſſe intelligo, dum huic Dominicæ nomen à Chriſti paſſione peculiare inditur, & credentes omnes excitantur, vt ſeſe deinceps ad ſacratiſſimum eiuſdem paſſionis myſterium meditandum religiosè componant, & poſtremam quidem Quadrageſimæ partem in Domini & Redemptoris noſtri cruce morteque recolenda collocent. Eôdem præſens Euangelium referam, in quo capitales Chriſti hoſtes, tantorumque cruciatuũ eius authores egregiè depinguntur. Eſt illis frons
Pſal. 13. profectò ænea, *ſepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, vt Prophetæ verbis vtamur. Quapropter minus ego facere non poſſum, præterquàm vt optimo Redemtori gratias reuerenter agam, qui cùm eſſet ſan-
Hebr. 7. ctus, innocens & impollutus Pontifex, ſicut illum Paulus
1. Pet. 1. appellat, Agnuſque ſemper immaculatus, vt neque ab immaniſſimis & petulantiſſimis aduerſarijs vnius criminis vel peccati poſſet conuinci, tamen nefandis illorum conuitijs nihil reſpondit, aut in reſpondendo ſummam obſeruauit modeſtiam, atque à furentibus illis omninò ſeceſſit, ſicut
Luc. 4. quando in Ephrem eſt commoratus. Id verò fecit, non vt ſi-
Ioan. 8.
Ioan. 11. bi conſuleret, aut quia mortem timeret, cùm poſſet æmulos ſuos odiosè retundere, miraculis obruere, ac verbo perdere. Fecit autem, nè liuorem inimicorũ vltrò videretur prouocaſſe, ſubtrahens occaſionem impij facinoris, ſi fortè illi miteſcerent, aut reſipiſcerent. Ad hunc modum ſuo reſpon-
Iſaiæ. 53. dit officio verus ille Meſsias, de quo ſcriptum eſt: *Iniquita-*
1. Pet. 2. *tem non fecit, neque dolus fuit in ore eius, qui cùm malediceretur, non maledicebat. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quaſſatam non confringet,*

get, & linum fumigans non extinguet, ſicut Mattheus Prophetica verba nobis recitauit. Nihil ergò mirum, quòd Chriſtus ipſe cunctos ad ſui exemplum prouocans dixerit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Diſcimus ab eo ſanè, malorum ſæuitiam non prouocare, & perſequutionem non acceſſere, quum & temeritatis proprium ſit vltrò ſe tradere, & leui de cauſa ſeipſum in mare præcipitare. Diſcimus, multorum furori cedendum eſſe, vt ſi illi non reſipiſcant, ſaltem nè benefactis irritati lædant innoxios, ac reddantur etiam ipſi ſceleratiores. Diſcimus ab eo ipſo, fuga periculum declinare, & perſequutorum inſaniæ locum dare, ita vt de ciuitate in ciuitatem fugere nobis liceat. Diſcimus demùm, Euangelicam doctrinam non terroribus, conuitijs aut contentionibus indigere, ſed manſuetudine, modeſtia, pietate noſtra ornandam atque defendendam eſſe. Matth. 12. Iſai. 42. Matth. 11. Matth. 10.

VBI me ipſum nō iniuria incuſabo, qui à perpetua Chriſti Domini innocentia, lenitate atq; manſuetudine tam procul diſto, quàm ſum ad impatientiam, iram, contentionem atque odium facilis ac procliuis, in peccatis vtique conceptus, ac natus, qui poſt acceptum etiam baptiſmum ſine peccato non poſſum viuere, & cum iuſtis vel quotidiè cado ſepties, ſemperque Deum rogare habeo: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Verùm hæc peccatorum confeſsio (*nam & iuſtus prior eſt accuſator ſui*) me nihil impediet, quò minus veteris vitæ pœnitentia ductus, ad melioris nouæque vitæ ſtudium totus adſpirem, meque bonæ conſcientiæ & ſanctæ confidentiæ teſtimonio magis magisque munire contendam. Siquidem vt Scriptura confirmat, *ſemper ſana præſumit perturbata conſcientia, ſecura verò mens eſt iuge conuiuium.* Nec ego conſcientiæ tantùm, ſed etiam famæ meæ rationem habendam putabo, vt vitam vbiqúe inculpatam, de qua nullus iure poſsit queri, tranſigam, nulli nempe crimini ob- Prouer. 24. Pſal. 50. Pſal. 129. Prouer. 18. Sap. 16. Prouer. 15.

1. Timoth. 3. Tit. 1. noxius, quod apud Paulum dicitur aliquem irreprehenſibilem, vel ſine crimine eſſe. Quarè laudantur Ioannis Baptiſtæ parentes, quòd iuſti eſſent ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela. Vnde Paulus etiam à fidelibus hoc exigit: *Prouidentes bona non ſolùm coràm Deo, ſed etiam coràm hominibus.* Ac rurſus: *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo.* Cæterùm vbi de peccatis agitur, multùm aduigilabo, vt valdè diſcernam inter ea quæ ex ignorantia & infirmitate, ac rurſus quæ ex induſtria meraque malitia cum Dei & proximi offenſione committo. Peccauit ex ignorantia Paulus Eccleſiam perſequens: peccauit & Petrus ex infirmitate Chriſtum abnegans: longè autem grauiùs peruicaces & obſtinati Iudæi deliquerunt, vtpote Chriſto & Apoſtolis præfractis animis repugnantes. Si autem volens & ſciens Deum offendam aut conſcientiam, perinde fecero, ac ſi manum in flammam ardentem injiciam, aut me ipſum nudus in mare præcipitem, quoniam culpam & pœnam in hoc futuroque mundo conduplico. Notabo igitur in veteri lege aliud ſacrificium pro eo, qui neſcienter vel ex fragilitate peccaſſet, & aliud pro grauioribus peccatis expiandis à Deo ipſo decerni, & Chriſtum non obſcurè peccantium diſcrimen his verbis expoſuiſſe: *Ille ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius: vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis: vapulabit paucis.* Nec diſſentit lex vetus, quæ per Moyſen tradita præcipit. *Tam indigenis quàm aduenis vna lex erit omnium qui peccauerint ignorantes. Anima verò quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, quoniam aduerſus Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo.*

Margin notes: Luc. 1. — Rom. 12. — 1 Cor. 10. — 1 Tim. 1. — Matth. 26. — Actor. 7. — Leuit. 4. 5. 6. — Luc. 12. — Num. 15.

Propterea verbum Dei non auditis, quia ex Deo non eſtis.

MEIPSVM ſedulò inſpiciam, & omnes conſcientiæ meæ angulos perſcrutabor, vt ſciam, an ſummi Dei volun-

tatem & verbum, quo nihil eſt ſanctius, cupidè, læte ac ſtudioſè audiam atque complectar. Qui enim ex Deo eſt, hoc ipſum Dei verbum audit, non frigidè quidem & oſcitanter, ſed auidè ac deſideranter, nec minus reuerenter ac ſedulò. Quòd ſi hunc tantum cœleſtemque theſaurum negligo, ſi vocem ſummi paſtoris libenter non audio, ex Deo prognatus non ſum, nec illis annumerari debeo, qui ſe veros Dei probant electos, quoniam alacres & fidi ſunt verbi diuini auditores atque cuſtodes. *Oues enim meæ*, inquit Dominus, *vocem meam audiunt & ſequuntur*. Væ igitur non modò Iudæis, ſed & credentibus omnibus, qui prauis affectibus imbuti, curiſque terrenis impediti, verbum Christi vt Dei verbum audire atque complecti recuſant, vel certè cum faſtidio & ſine fructu illud percipiunt, & Dominicum hoc ſemen, cuius inexplicabilis eſt potentia, in ſuis ſuffocari animis vltrò patiuntur. Cur ergò me ipſe non arguo & corrigo, quòd ad nugas & fabulas non inuitus aures arrigo, in lege autem Domini ſiue audita, ſiue lecta, die ac nocte cum Dauide non meditor, nec illam vnà cum Magdalena toto pectore haurio, vt ex illius præſcripto integrè pendeam, ſenſuſque meos omnes illi ſubijciam? An non expreſsè Chriſtus tradidit: *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Cur verò Dei ſpiritum nobis promiſſum & in baptiſmo communicatum habemus? an vt otioſè viuamus, licenterque peccemus? *Spiritum meum*, inquit, *ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.* Torqueant alij verbum ad ſola promiſſa, & adiuncta præcepta negligant, ac illa impoſſibilia eſſe fingant, vt ſe tantùm fide conſolentur, quæ certè ſine obedientia & operibus eſt manetque mortua. Ego ſemper meminero, illos omnes miſerè falli, qui ſunt verbi tantùm auditores, & nolunt operis eſſe factores, ſicut Iacobus euidenter affirmat. Nec obliuiſcar Chriſtum hîc de verbo Dei diſſerere, quod non modò diligenter audiatur atque credatur, ſed etiam fideliter obedienterque

Ioan. 10. Pſal. 118 Luc. 10. Luc. 6. Ezech. 36. Iacob. 2. Ibidem. Ioan. 8.

ſeruetur, hac addita inſigni promiſsione: *Amen amen dico vobis; ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Rectè igitur ab Hieronymo dictum legimus: Præcipua tibi cura ſit legem noſſe diuinam: nec ſufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere & operibus obliuiſci: ſed ideò illa cognoſce, vt facias quicquid faciendum didiceris. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*

Epheſ. 2.
In epiſtol. ad Celanciam.
Rom. 2.

EGO autem hoc ſacro tempore, quod pœnitentiæ doctrinam & vſum flagitat maximè, illud Dei verbum & præceptum inprimis mihi commendatum habebo, quod peccatoris cum Deo reconciliandi ſeriam conuerſionem & integram pœnitentiam exigit. Nam apertæ ſunt Dei voces, nec poſſunt à quoquam eludi: [a] *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* [b] *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* [c] *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* [d] *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* [e] *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Atque hoc ipſum Dei verbum, cui nemo niſi impius contradicat, talem requirit conuerſionem ac pœnitentiam, quæ cor contritum & ſpiritum humiliatum offerat Deo, neque ſolùm anteacta peccata per ſinceram confeſsionem Deo & ſacerdoti factam, ſed etiam per fructus pœnitentiæ dignos exhibitos caſtiget ac vindicet. Hoc eſt quod Chryſoſtomus præclarè tradidit ſcribens: Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas.] Dignum enim eſt, ac rationi conſentaneum, vt quibus modis ſummum Deum offendi, offendi autem corde, ore ac opere, eiſdem offenſo Deo reconcilier; corde quidem per contritionem, ore per confeſsionem, ac opere per ſatisfactionem, ſicut hoc nomen citra omnem iniuriam Redemtoris noſtri, qui pro peccatis mundi propitiatio factus eſt, à Patribus receptum atque probatum durat. Ceterùm in agnoſcendis cenſendisq; peccatis non ſequar morem il-

a Matth. 4.
b Ioel 1.
c Zachar. 1.
d Luc. 13.
e Ezech. 18.
Pſal. 50.
Serm. de pœnitentia.
1 Ioan. 2.

rem illorum iudicum, qui duntaxat de craſsis, fœdis, enormibus & cum publica honeſtate pugnantibus criminibus ferre iudicium ſolent, ſed in decem Dei præceptis, velut in illuſtri ſpeculo, me vitæque meæ maculas corde, lingua & operatione, immò & omiſsione contractas, enixè contemplabor, ita vt in amaritudine animæ meæ transactum tempus recogitem, humilique confeſsione meam conſcientiam detegam iudici ſpirituali, qui loco CHRISTI remittendorum ac ſimul retinendorum peccatorum poteſtatem nō humanam, ſed diuinam accepit. *Si enim confiteamur peccata noſtra*, quemadmodum à Ioanne Apoſtolo dicitur, *fidelis eſt & iuſtus Dominus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ac præceptum eſt Apoſtolicum nulli non neceſſarium, qui Deum ſibi propitium, & communionem ſalutarem petit: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Quæ animi mundatio atque purificatio ſine operibus pœnitentiæ ad placandum Deum haudquaquàm fieri poteſt. *Vidit autem Deus non ſolùm Niniuitas, ſed & illorum opera, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitia quam loquutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Si enim nos ipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur à Domino.*

Ioan. 20. Matth. 18. 1 Ioan. 1. 2. Cor. 7. Ion. 3. 1. Cor. 11.

Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt.

MIRABOR vim & potentiam diuinæ gratiæ in Abraham Patriarcha operantis, vt Chriſtum nondum natum, multisque ſeculis eſxpectandum, in ſpiritu præuideret, illumque veluti præſentem haud ſine ſingulari voluptate & profuſa lætitia complecteretur. Nec ſolus Abraham, ſed & multi Reges, Prophetæ & iuſti eundem Meſſiam in Spiritu longè antè conſpexerunt, & conſpiciendo mirabiliter exultârunt: de quibus verè Paulus teſtatur, quòd iuxta fidem defuncti ſint, non acceptis repromiſsionibus, quas à longè

Luc. 10. Heb. 11.

adſpexerunt & ſalutârunt. Eo magis ego meam deplorabo ſortem, qui priſcis eiuſmodi Patribus, ſi auream noui teſtamenti ſpectem ætatem, beatior videri poſſum, & in ſpiritu tamen ſum mancoque languidior atq; frigidior, quando tantum ardoris & fructus, quantum illi è ſola venturi Meſſiæ promiſſione hauriebant, ego ex maximo eiusdem Meſſiæ exhibiti beneficio non capio, neque fidelibus aliis, ſicut illi fecerunt, pro debita gratitudine communicare laboro. Vnde ſancta & ſpirituali conſolatione, qua propter donatum orbi Meſſiam Chriſtianum pectus affici & incendi oportebat, deſtituor, vt in me non impleatur dictum illud Propheticum: *Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Iſraël*: quemadmodum & Zacharias ob præſentem in carne Meſſiam exultare nos iuber atq; iubilare. Ac multò magis dolebo, multos hodiè mihi ſimiles eſſe, qui neque gaudij, neq; doloris ſenſu propter optimum maximumque Meſſiam commoueantur, ſed velut degeneres filij, à ſuæ matris Eccleſiæ iam gaudentis, iam lugentis ſalutari inſtituto planè deſciſcant. Vexilla Dominicæ crucis nunc propoſita & erecta non ſpectamus, & ſaxis ferè duriores, ſuſcepta pro nobis Chriſti vulnera cæcis quaſi oculis prætérimus: tantum abeſt, vt nos ad pium luctum, veramque pœnitentiam, huic tempori congruam, excitemus. Longè aliter fideles Epiphanij ſeculo factitârunt quorum animos effuſus ille Chriſti ſanguis mirabiliter vulnerabat, & amoris dolorisque lachrymas exprimebat, nec minùs alebat greges ſeriò pœnitentiũ. Sic enim illi poſteriores Quadrageſimæ dies expendebant, vt partim Dominicæ paſſionis viuam gratamque memoriam declarârent, partim grauioris pœnitentiæ vltrò ſuſceptæ officijs, ac ardentioris pietatis ſtudijs, ſi antè vnquàm, nunc maximè quidem incumberent. Proinde forenſibus negotijs renunciabant, humi cubabant, ſicca duntaxat aridumque cibum edebant, vigilias, ieiunia & precationes augebant, ac omnes demùm animarum ſalutes (Epiphanii verbis vtor) per ſanctas afflictiones

Iſai.12. Zachar.9. Vide Epipha: li.3.hæres75.

ones

ones exquirebant & exercitabant. Væ igitur huius ætatis tepori atquе torpori, quando tàm paucos reperire licet verè in cruce Domini ſui gloriantes, & carnem ſuam crucifigentes, IESV quе mortificationem in corpore ſuo circumferentes, quemadmodum Apoſtolis ac veteribus Orthodoxis erat familiare. Gala. 5. & 2. Cor. 4.

CVR igitur me ipſum non arguo atquе caſtigo, qui ſummum & grauiſſimum Dominicæ paſſionis myſterium vel nunc tandem, cùm ſic iubet Eccleſia, non magis recolo, honoro, ſanctifico? Quarè cum Paulo ipſo crucem amplectens non pronuncio: Ego ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto? An me pudeat ac pigeat aliquid pro Chriſto patiente agere vel ſuſtinere, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me? Non fallit profectò Apoſtolica regula: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Quàm ego vereor, nè aliquando vti malefactorum, ſic quoquе tàm ſupinæ ſocordiæ & fœdæ ingratitudinis noſtræ pœnas graues dare cogamur, vtpote qui alijs & profanis & domeſticis in rebus tàm ſolertes ac induſtrij, in Dei autem cultu Chriſtiquе amore ſupra modum negligentes ac nauſeabundi verſamur, totquе modis à piorum maiorum patrumquе veſtigijs aberramus. Vtinam vtinam noſtro magno malo, ac nimium ſerò tandem non experiamur, quàm verè Propheta dixerit: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Quod autem inenarrabiles Chriſti cruciatus, ſiue internos, ſiue externos conſideres, ſingulari communiquе luctu piorum excipiendi ſint, non ſolùm docet Eccleſia, ſed iam pridem quoquе Zacharias Propheta, immò per illum Chriſtus ipſe non obſcurè verbis illis prædixit: *Adſpicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eũ, vt doleri ſolet in morte primogeniti.* Qua de re pluribus alibi diſſeretur. Galat. 6. Galat. 2. 2. Cor. 1. Hierem. 48. Zachar. 12.

PRECANDVS *eſt mihi Chriſtus pro perfidis hæreticis &*

cunctis Eccleſiæ infeſtis perſequutoribus, ſiue ignoranter ſiue malignè peccantibus. Etenim in funeſta illa tempora incidimus, de
2. Tim. 3. *quibus hoc Paulus eſt vaticinatus*: Mali homines & ſeductores proficient in peius: errantes & in errorē mittentes. *Illud Catholicos ornat maximè, ſi norint ex hoſtium inſectatione atq́; iniuria fructum capere ſalutarem, ſi præterea in his quæ mater Eccleſia eos docuit, firmi ac ſtabiles perſeuerent, iuxta illud Apoſtoli dictum*: Tu verò permane in his quæ didiciſti & credita ſunt tibi.
Ibidem

ORABO *etiam Deum pro legitimo vſu verbi diuini in multorum animis reſtituendo, vt non ſolùm fide, ſed etiam operibus, ac in primis obedientia probent ſe germanos Abrahæ filios, iuxta*
Ioan. 8. *illud Chriſti*: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite, *cuius*
Iacob. 2. *nimirùm fides, vt Iacobus inquit, operibus conſummabatur.*
Geneſ. 12.17. *Quid aliud Abrahæ vita quæſo fuit, niſi perpetua quædam obe-*
18.22.&26. *dientia in obſeruando illo Dei præcepto*: Ambula coràm me & eſto perfectus: *Obediuit in ſuis facultates ac patriam relinquere, & vnicum mactare filium: peregrinos excepit ac tractauit humaniter, Dei leges cermoniasq́; ſeruauit.*

ADHAEC *petam à Deo gratiam, vt ab hoc tempore vſq́; ad Paſcha, Chriſtum crucifixum & quæ ad ſacram eius paſſionem ſpectant, mihi ſæpè multumq́; proponam, & cum fructu*
1 Cor. 2. *mediter, verèq́; cum Paulo dicere queam*: Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum. *Præcipua igitur myſteria, quæ ad ſacra illa Petræ foramina, & ad immenſos Redemtoris mei dolores & angores pertinent, his diebus legam ſtudioſius, totamq́; hiſtoriam velut in illuſtri ſpeculo à quatuor Euangeliſtis fabricato contemplabor, ſimulq́; orandi & pœnitentiam agendi ſtudium augebo, ad* IESV
Iſai. 53. *crucifixi amorem referens omnia, vt qui vulneratus eſt propter*
1. Pet. 2. *iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra, vt ipſius liuore ſanaremur, & peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus.*

DOMI-

DOMINICA PALMARVM, QVÆ ET VLTIMA EST QVADRAGESIMAE.

Sequentis Euangelij argumentum.

DE Palmarum die, vti vulgus appellat, inſignis latèque patens extat hiſtoria ab omnibus Euangeliſtis deſcripta, vt ſciamus Chriſtum Dominum Prophetæ Zachariæ vaticinio ſatisfeciſſe, quandoquidem aſino vectus, & Hieroſolymam ingreſſus, verum ſe Meſsiam agnoſcendum, publicèque honorandum præbuit Iſraelitis. Eum ingreſſum non ſolùm Apoſtoli, ſed refertæ etiam hominum turbæ, ciueſque ſimul & pueri Hieroſolymitani egregiè cohoneſtârunt. Apoſtoli quidem aſinum vnà cum pullo ſoluunt, ad Chriſtum adducunt, ac ſuis tegunt veſtibus: Populus autem in turmas diuiſus: alij enim præcedebant, alij comitabantur Dominum, varijs modis ac lætis indicijs, fauſtiſque vocibus produnt ſuam erga illum beneuolentiam ac gratitudinem vel inuitis hoſtibus ex mera inuidia hîc obmurmurantibus. Ingens profectò celebriſque pompa illa fuit, qualem Iudæi IESV Nazareno, vt ſuo Regi ac Meſsiæ, nunquàm anteà exhibuerant, fœlices haud dubiè futuri, ſi talem fidei confeſsionem, paremque animi gratitudinem mordicus retinuiſſent. Verùm illi ad vetus ingenium reuerſi, & in ſummæ ingratitudinis crimen relapſi, Chriſtum tot modis à ſe laudatum citò deinde abnegant, atque vt ſuis perfidis impijſque proceribus ac Phariſæis ſatisfaciant, ad atroces cruciatus, mortemq;

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12. Zachar. 9.

Matth. 21.

Actor. 13. 14. horrendam illum rapiunt, ſimulque gratiam, Euangelium & Apoſtolos eius præfracti & ſæui repudiant. Quæ res vt eorum Reipub. ruinam extremam attulit, ita Chriſto etiam in medio illo triumfo lachrymas amaras expreſsit. Nec deſunt è Chriſtianis hodie plurimi, qui Iudæorum inſtar, ad tempus credant, ſuamque fidem externis tantùm ritibus profiteantur, immò & Chriſti beneficijs ac meritis egregiè glorientur: ſed qui in tempore tentationis à vera fide, aut certè à ſancta obedientia recedant, adeòque diuini timoris expertes fiant, vt ſi-

Hebr. 10. & 6. cut Paulus loquitur, voluntariè peccare, & Chriſtum iterum crucifigere non vereantur. Tantum abeſt, vt ſaltem hoc ſacro tempore ſe colligant ac iudicent, criminaque ſua veris pœnitentiæ fructibus diluant, atque ad ſacroſanctum Paſcha dignè ac reuerenter excipiendum ſeſe componant. Omitto cætera iam ſuprà in hoc ipſum Euangelium dicta, quum circa Dominicam primam Aduentus verſaremur.

EIVSDEM DOMINICAE,
Euangelium Matth. XXI.

CUM appropinquaſſet IESVS *Hieroſolymis, & veniſſet Betphage ad montem oliueti, tunc miſit duos diſcipulos dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis aliquid vobis dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis.*

Euntes

tes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis IESVS. *Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & ſequebantur, clamabant, dicentes: Oſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna in excelſis.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm appropinquaſſet IESVS *Hieroſolymis, & veniſſet Betphage ad montem Oliueti.*

QVANTVM ego indignus debeo clementiſsimo & maximo Redemtori, qui hoc die à palmis dicto tam multa & magna pro ſua ingenti charitate confecit? Iterum peregrinatur, vt ſibi dilectos Hieroſolymitanos, quorum proceres in mortem ipſius iniquiſsimè conſpirauerant, etiam non rogatus vel exſpectatus inuiſat. Ioan. 11. Per ſuos diſcipulos petit & accipit, vt verè pauperem decebat, aſinum alienum, quo vectus Prophetæ Zachariæ vaticinium compleat, ſimulq́ue ſe Regem & Meſsiam promiſſum exhibeat Iſraëlitis. Zachar. 9. Occurrentem ſibi habet turbam hominum, à qua & lætè & honorificè excipitur, atq́ue per vrbem ipſam deducitur, licet obſtrepant inuidi Phariſæi. Ille verò oblatis vulgi laudibus & fauſtis præſentium acclamationibus atq́ue gratulationibus adeò non delectatur, vt

ad conſpectum vrbis & in medio applaudentium triſtes fundat lachrymas, & apertè prodat hunc ſuum luctum ad vrbis patriæquе ſuæ funeſtum, miſerandum & deplorandum exitium pertinere. Porrò in templum ingreſſus, Euangelium docuit, & curauit ægros, ſimulq; Patris ſui ædem, eiectis inde negotiatoribus, ardenti zelo purgauit. Multo igitur labore hic dies Chriſto conſtitit, qui deinde cùm nullus in vrbe vel hoſpitium, vel cibum auderet offerre, ex eadem vrbe digreſſus, ad amicos rediјt in Bethaniam. Quæ omnia mihi cordi eſſe debent, ac iuſtum in me deſiderium excitant & ſtudium, Chriſto Domino meo in ſuſceptis ſuis laboribus compatiendi, ac ſimul de meis proximis, ſiue amici ſint, ſiue hoſtes, vbiquе benemerendi, nullum vt defugiam officium, quod illis etiam immerentibus ad Dei gloriam à me poteſt attribui & impendi. *Non* enim *eſt ſeruus maior Domino ſuo,*
Ioan. 13: qui toties hanc vrbem ſanguinariam clementer inuiſit, illamquе profundis flagitiorum vndis obrutam præclaris beneficijs ſibi deuincire nunquàm deſtitit. Hinc illa ipſius verba ex ingenti miſeratione atquе charitate prolata: *Ieruſa-*
Luc. 13. *lem Ieruſalem* inquit, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti.* Ita me docuit Chriſtus non parcere laboribus, ſed omnia potius experiri in aliorum gratiam, quibus prodeſſe poſſum, etiamſi nullus vel exiguus fructus inde conſequatur. Nam & ipſe rerum tàm futurarum quàm præſentium conſcius, optimè noue-
Matt. 8. & 20. Ioan. 5. 8. 9. 10. & 15. rat, ſuisquе prædixerat inuincibilem iſtorum fore malitiam, qui acceptis beneficijs longè deteriores atquе damnabiliores effecti, incredulitatis & peruicaciæ ſuæ excuſationem nullam haberent, ipſumquе vitæ authorem eſſent excruciaturi. Tantò magis mihi commendatum habebo quod Sa-
Prouer. 25. Rom. 12. lomon & Paulus diſertis verbis præceperunt: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da illi aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.* Hoc tantùm Paulus adiungit: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono*

malum.

malum. Ergònè mihi otio, luxui ac deſidiæ vnquam vacandum, aut labor vllus recuſandus eſt, ſi fratrum ſaluti vel commodo conſulere poſsim? quando IESVS corpori tam tenero ac delicato nihil indulget, ſed perpetuis excurſionibus, vigilijs, concionibus & occupationibus incumbit, nullam vt temporis partem ſine fructu abire permittat. Vnde ſuis etiam mandat fidelibus: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Ambulate dum lucem habetis, vt nõ tenebræ vos comprehendant. Negotiamini dũ venio.* Ioan. 6. & 12 Luc. 19.

NEQVE oſcitanter notabo, Chriſtum Dominum in tanto vrbis applauſu, ac in medio veluti triumpho conſtitutum, adeò ſibi non placere, vt etiam mœſtiſsimo ſit animo, verbaque triſtiſsima proferat, & lacrymas vberes fundat, ſicut Lucas oſtendit. Propterea vt me aliqua ex parte Chriſto Redemtori conformem, à quocunque lauder, & in obſlatis quibuslibet honoribus ſingularem ſeruare modeſtiam nitar, nihil vt mihi placeam, quemadmodum & ſibi Dominus non placuiſſe, ſed potiùs probra, maledictiones & miſerias exſpectaſſe, illiſque ſaturatus eſſe ſcribitur. Quid verò arridente fortuna, quæ blandiendo plures quàm ſæuiendo perdit, inconſtantius, fragilius atque fallacius poteſt excogitari? Ingentem ſanè honorem & celebrem pompã Chriſto, vt Regi ac Meſsiæ ſuo, hoc die exhibent Hieroſolymitani. Eam verò lætitiam, tantumque decus incredibilis crudelitas & incomparabilis ignominia in eadem vrbe ac hebdomada excipit atque comitatur. Siquidem ingratiſsimi ciues illum ipſum vitæ ac ſalutis authorem, quem filium Dauid & regem Iſraël, ac benedictum Patris legatum publicè ſalutant & celebrant, paulò poſt latroni nefario poſtponunt, maleficum, ſeductorem, blaſphemum & regni affectati reum faciunt, eundem ad crucem, teterrimum nempè mortis genus rapiunt, ſpinis & ſentibus caput eius dilacerant, totumque corpus flagris concidunt immaniter. Cur igitur magni faciam, ac non potius, contemnam quorumlibet mortalium laudem, fauorem, applauſum? cùm ſit veluti res planè vitrea,

Luc. 19.

Rom. 15. Pſal. 68. Thren. 3.

1 Timot. 1. Iudæ. 1. Dan. 9. vitrea, caduca, inanis, multiſque peſtifera. *Soli enim Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Tibi Domine iuſtitia*, inquit Daniel; *nobis autem confuſio*. Neq; ingenti vacant periculo, qui popularem auram venantur & conſequuntur, ſi Propheta

Pſal. 52. verè dixit: *Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos*. Chriſto gratiæ, qui me docuit futura potiùs quàm præſentia conſiderare, dulceſq; vitæ huius illecebras, & quælibet mundi blandimenta ſpernere, rebus quoque lætis præſens antidotum, quod in triſtiū memoria ſitum eſt, opponere ſapienter. Cùm enim vrbs Hieroſolymitana in Oriente nobiliſſima & celeberrima floreret, ac ſibi pacata & proſpera cuncta polliceretur, Chriſtus imminentia illius Reipub. pericula, & ſuam præterea crucem ac mortem funeſtiſsimam in mentem reuocauit, & hinc dolorem ſenſit maximum. Quocirca mihi quoquè dictum & mandatum illud eſſe cenſebo: [a] *In die bonorum nè immemor*

a Eccleſ. 11. *ſis malorum. Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius.* [b] *Quicunq; voluerit ami-*

b Iacob. 4. c Eccleſ. 7. *cus eſſe huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur.* [c] *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

d Iſaiæ. 40. [d] *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri*. Quod vltimum Iſaiæ dictum Eccleſiaſticus hiſce verbis complexus eſt: *Omnis caro ſicut fœnum* (vel vt alij legunt, veſtimentum) *veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi.* Tantoquè diligentiùs aduigilabo, vt ſi gloriari velim, non in carne ſed in ſpiritu, nequè in mundo, ſed in Chriſto crucifixo meā gloriam conſtituam, & hoc quidem tempore potiſsimùm

Galat. 6. cum Apoſtolo Paulo ſæpè dicam: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Nihil ſanè Chriſto nunc gratius, nihil homini conducibilius, & Eccleſiæ inſtituto congruentius fuerit, præterquàm vt nos patientes & ardentes crucis

Luc. 24. Chriſti amatores reipſa probemus. *Sicut enim Chriſtum pati oportuit, ac ita intrare in gloriam ſuam*; ita de viuis CHRISTI membris cum Paulo veriſsimè dixerimus: *Per multas*

tribu-

tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Si autem commortui ſumus, & conuiuemus. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. Actor. 14. 2 Timoth.

Euntes autem diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis IESVS.

NON temerè factum arbitrabor, quòd Chriſtus duos diſcipulos ad aſinum eiusquè pullum adducendum, & rurſus ad agnum paſchalem parandum emittat, quemadmodũ idem Dominus binos diſcipulos ante faciem ſuam deſtinauit in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipſe venturus. Hac enim ratione commendatur mihi & fidelibus omnibus Euangelicum & ſuaue iugum, quo nihil nobis debet eſſe commendatius, iugum ſcilicet Chriſtianæ charitatis & fraternæ concordiæ, vt hac nota oues ab hœdis, fideles ab infidelibus probè diſcernantur. Igitur in hac ipſa virtute, qua nihil Deo gratius, & ad internam externamq; pacem fouendã Chriſtianis eſt æquè neceſſarium, me domi ac foris exercitabo. Eſt enim præceptum Domini, quod ſatis infigi mentibus & opere compleri nunquàm poteſt: *Mandatũ nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionẽ habueritis ad inuicem.* Atquè his conſonat illa principis Apoſtolorum ſententia: *Ante omnia mutuã in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Iam verò his duobus miſsis diſcipulis fœliciter ceſsit, quòd Chriſti mandato paruerunt, licet ſui magiſtri mentem conſiliumq; nondum intelligerent, ac fortaſsè mirarentur etiam, cur de adducẽndo aſino eiusq; pullo vt nunquàm antea, ſollicitus eſſet. Ita mihi certò perſuaſum habebo, quòd quicquid obedientia duce aggrediar, id mihi non poſſe perperã ſuccedere, imò & Chriſto placiturum, (*Obedientia* enim *melior eſt quàm victima*) idemquè opus ſi non alijs, at certè quidem mihi profuturum eſſe. Quòd ſi obedientiæ virtutem, quæ fidei ſoror, & humilitatis eſt filia, cum chari-

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 10.

Matth. 11.

Ioan. 13.

Ibidem.

1 Pet. 4.

1 Reg. 15.

charitate ſancta coniunxero, non potero in mea vocatione non ſtabiliri & creſcere: nec dubium, aduerſa & moleſta quæque diligentibus ac obedientibus in bonum cooperari *Omnia enim ſanctis in bona*, vti monet Eccleſiaſticus, *impijs verò & peccatoribus* (qui filij Belial, id eſt, ſine iugo eſſe dicuntur) *in mala conuertentur*. Vnde cùm Saul in oculis adhuc ſuis paruulus, ex voluntate patris aſinas amiſſas quæreret, regnum inuenit. Obediuit Petrus Domino, vt eius iuſſu in mari Genezareth piſcaretur, & mox ingentem piſcium multitudinem cepit, immò & piſcator hominum, & paſtor paſtorum electus eſt. Quid abiectius pauperibus & idiotis Apoſtolis apud vulgus? ſed quoniam Chriſto parebant, & ex charitate ſuos panes quinque hordeaceos Domino benedicendos offerebant, longè facti ſunt locupletiores, tantamque hominum turbam ſuis panibus exſaturârunt, atque ad ſummum dignitatis gradum in Eccleſia peruenerunt, populorum etiam principes in Scriptura nominati.

PRAETEREA de his ipſis Domini diſcipulis mecum expendam, quod in tota illa hominum Chriſto adhærentiũ frequentia primas tulerint, ac pulchrè ſimul typum geſſerint paſtorum atque doctorum Eccleſiæ. Horum enim eſt proprium, vocari ac mitti à Chriſto, & præcipuam cum illo familiaritatem alere, propter peccata ligatos licet viles ac ſimplices, in Chriſti nomine ſoluere, & ſolutos ad illum ipſum adducere, ſuaque veſtimenta, vt Dei habitaculum fiant, ſubſternere. Nota ſunt enim verba Domini, quibus peculiariter demandauit: *Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Sinite paruulos venire ad me. Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Vnde Paulus quoque dixit: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquàm Deo exhortante per nos. Poſuit enim in nobis verbum reconciliationis.* Iam verò quod ad turbam hominũ, Chriſtum hîc comitantium attinet, ſingularem mihi conſolationem adferet, tam multos diuerſi ordinis, ætatis & ſexus homines ad celebrandum Chriſtum conuenire, vnoque fidei, ſpei &

charitatis afflari ſpiritu, atque vno demùm corde & ore Deum glorificare. Quid pulchrius ac fœlicius obſecro, quàm in præclara & ſancta illa tot mille fideliū Eccleſia reperiri, quæ relictis ſectis omnibus, ſeſe cum Chriſto rege & capite coniungit, illi ſe totam offert ac dedicat, illius laudes, vel inuitis aduerſarijs, celebrat continenter? *Laus enim eius in Eccleſia Sanctorum*, ſi Pſalmographo credimus: omniſquè Deum timentis conſtans debet eſſe profeſſio: *Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*. Optabo inſuper, me pueris ac paruulis illis poſſe aggregari, qui cum cœtu ſanctorum coniunguntur, ac pro ſua quidem imbecillitate Chriſto inſeruiunt, & voces etiam non intellectas Deo fundunt. Vtinam verò mihi liceat ex illis eſſe paruulis, de quibus Chriſtus ipſe verba illa Prophetica repetiuit, ac ſuis æmulis nimiùm prudentibus obiecit: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, vt ex corde & ore meo diuina quoquè laus, apud amicos & inimicos perficiatur. Quid quòd Chriſtus cum aſino tàm clementer agit? cùm illum ad ſe perduci præcipit, ac tàm vilis iumenti miniſterio vtitur, illiquè ſe ſeſſorem ac rectorem exhibet. Deſiderabo igitur, vt cum Propheta ſyncerè poſſim dicere: *Tanquàm iumentum factus ſum apud te*, nec erubeſcam, ſed gaudebo potiùs, me Chriſti aſinum iuxta ſenſum myſticum exiſtimari. Nam præclarè mecum agi putabo, ſi aſino, licet abiecto & deſpecto, multis in rebus conformari, ac vitam illi ſimilem inſtituere queam. Eſt enim hoc animal exiguo pabulo contentum, penuriæ, famis ac laboris patiens, ad plagas ferendas aſſuefactum, ab arrogantia & ſuperbia alienū, ſimplicitatis amans, ad humilia quæquè propenſum ac facile. Habuit ſanè Chriſtus & ſemper habebit ſuos aſinos, hoc eſt, longo peccatorum iugo preſſos & oneratos, grauiterq; laborantes & inertes, qui diuino potiùs quàm humano indigent præſidio atquè medicamento. His à Chriſto ipſo benigniſsimè acclamatur: *Venite ad me omnes qui laboratis &*

Pſal. 149. & 21.

Pſal. 118.

Matth. 21. Pſal. 8.

Pſal. 72.

Matth. 11.

onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos. Nam vt ſapiens quoquè teſtatur: *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqua eſt illi cura de omnibus.* Quicquid ergò de me cogitent ac iudicent alij, ego qui inter Chriſti ſeruos me ſemper infimum ac minimum conſtituam, bonas aſini dotes æmulabor, & ex animo petam aliquam cum illis habere partem, qui non grauatim, ſed libenter iugum Domini, immo Chriſtum ipſum vnà cum iuſto Simeone portant, ſeque illi regendos ſubjiciunt, vt hinc Chriſtiferi ſiue Chriſtophori meritò appellentur. Magna enim vis eſt illius præcepti Apoſtolici. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

Turbæ quæ præcedebant & ſequebantur, clamabant.

ISRAELITAE hoc die multa in Chriſti gratiam tentant atquè perficiunt, quæ vt Phariſæis liuore plenis diſplicuerunt, ita Deo certè non ingrata fuerunt, licet nullo in ſcripturis præcepto exigerentur. Nam turmatim Chriſto procedunt obuiam, ſuas veſtes in via ſternunt, illiquè & aſino conculcandas exhibent, palmarum ramos ab arboribus auulſos manibus circumgeſtant, lætis & conſonis vocibus Chriſto, non ſecus quàm principi maximo, & filio hæredique Regis Dauidis exoptato applaudunt & congratulantur. Neque diſſimilis eſt paruulorum quàm virorum affectus in Chriſto, licet à maximis tunc proceribus contemto uotis ardentibus excipiendo. Ita enim diuinitus erant edocti, vt corde, ore ac opere vnanimiter profiterentur, quòd IESVS Nazarenus qui aſino humiliter inſidebat, verè eſſet & à cunctis haberi deberet tot ſeculis exſpectatus, & patribus antiquis promiſſus, iamquè ab æterno Patre in orbem deſtinatus, ac ſummis miraculis declaratus Meſsias, vnicus ille Iſraelitarum Rex, & ſemen inclytum Abrahæ, in quo gentes omnes benedicuntur. Addit hoc quoquè Lucas de pietate populi: *Cùm appropinquaret Dominus iam ad deſcenſum montis oliueti, cœperunt omnes turba deſcendentium laudare Deum voce magna*

ce magna ſuper omnibus quas viderant virtutibus, dicentes, Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo: & gloria in excelſis.

HINC meam ego fidem confirmabo, vt quæ ad decoros Eccleſiæ ritus in cultu diuino ſeruandos pertinent, licet ſine ſcripto, & veluti per manus ad nos transmiſſa peruenerint, ſuum tamen apud me pondus habeant, ac ſedulò cuſtodiantur. Nam & Paulus Corinthios laudat, quòd viua voce ab ipſo tradita & accepta firmiter obſeruarent, ac fidelibus omnibus ita præſcribit: *State & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*. Neque ſolùm in ceremonijs Eccleſiaſticis, verùm etiam in Catholicæ fidei rebus mihi ſemper commendatū habebo, quod ab Origene vetuſto Theologo didici: Illa ſola credenda eſt veritas inquit, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat.] Ac velut ſe ipſum explicans magis: Non debemus ait, exire à prima & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodū per ſucceſſionē Eccleſiæ Dei nobis tradiderunt.] Dinde ſingularem mihi dolorem creabit prædictū Iudæorum in honorando Chriſto ardorē adeò deferbuiſſe apud Chriſtianos, vt paucos reperire liceat in exercenda pietate, & diuino cultu flagrantes, quantumuis in clara Euangelij, gratiæq; ſplendentis luce verſentur, & complures Chriſti Domini gloriam ore iactent, & illius meritis glorientur. Vincunt nos profectò Iudæi in ſuis cœtibus colligendis, in Chriſto publicè celebrando, in beneficijs eius atque miraculis recolendis, in ceremonijs Eccleſiaſticis obſeruandis. Quam nos demum gloriam tanto Redemtori debitam, ſiue apud amicos, ſiue inter inimicos reddimus, qui magis ac magis in eius cultu, obſequio ſeruitioq; torpemus? Quid ſummo illis amori rependimus, qui eiuſdem præceptis & exemplis, ſi non ſermone, at re ipſa quidem repugnamus, vt impiorum etiam iuſta cenſura damnemur? Quis nos ardor occupat, quod ſtudium ad regnum illius illuſtrandum, vel modicis ſumptibus exornandum impellit? Quàm exigua cura

1. Cor. 11.

2. Theſſ. 2.

Lib. 1. Periarch. & in Euang. Matth.

tenet ampliſſima illius beneficia, præſertim ſub mortem acerbiſſimam mundo exhibita, ſacris ſaltem his diebus piè commemorandi? Fatemur immenſos Chriſti labores, & grauiſſimos cruciatus pro nobis ex amore ſuſceptos & exantlatos fuiſſe: ſed neq́ue illius merita neq́ue vulnera, ferreos & lapideos animos nobis emolliunt, vt ad pœnitentiam & gratitudinem ſeriò conuertamur, illumq́ue redamemus, qui viuens ac moriens ſe totum nobis impendit. Vnde Paulus de illo commemorat: *Sanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiã noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.* Addit autem & illud: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem.*

Hebr. 9. & 12.

ET iam anteà quidem dictum eſt, quid ſcripſerit Epiphanius de feruenti veterum fidelium pietate ac pio feruore, vt ſanctum hoc Quadrageſimæ tempus cum fructu abſoluerent. Subiungam nunc Chryſoſtomum, præclarum ſanè Eccleſiaſten, qui ſuos auditores, immò Catholicos omnes, grauiter admonet de ſtudijs huic tempori congruentibus, vt ſanctam hebdomadam legitimè celebremus: Ecce inquit, tandem ad finem ſanctæ Quadrageſimæ venimus, & ieiunij nauigationem perfecimus, appulimusq́ue Dei gratia in portum. Verùm non ideò negligentes ſimus, ſed hac de cauſa iterum maius ſtudium, maiorem diligentiam, maioremq́ue vigilantiam exhibeamus. Itaq́ue quemadmodum naucleri & curſores & athletæ vbi ad finem veniunt, magis enituntur & vigilant, eodem modo & nos facere oportet. Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus Dei gratia, nunc maximè & ieiunij curſus intendendus, & magis cõtinuandæ ſunt preces, faciendaq́ue diligens & pura peccatorum confeſſio, & in bonis operibus ſedulitas, eleemoſyna larga, æquitas, manſuetudo aliæq́ue virtutes, quibus ornati, vbi in diem Dominicum venerimus, Domini liberalitate fruamur. Magnam autem vocamus, inquit, hebdomadam, quia magna quædam & ineffabilia bona contigerunt nobis

Homil. 30. in Geneſin.

in illa. Solutum enim tunc eſt bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis diſſoluta, vaſa eius direpta. Deus hominibus reconciliatus eſt, cœlum penetrabile factum eſt, Angeli hominibus conuiuunt, diſtantia coniuncta ſunt, ſepes ſublata, ſeptum remotum. Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in cœlis & quæ in terris. Hac de cauſa Magnam Hebdomadam vocamus, quia tantam nobis donorum multitudinem in illa largitus eſt Dominus. Et idcircò fideles & ieiunium intendunt, & vigilias, & pernoctationes ſacras, & eleemoſynas faciunt, vt hebdomadæ huic honorem habeant. Nam ſi Dominus talia bona in illa nobis donauit, quomodo non & nos debemus, quantum poſſumus, reuerentiam & honorem oſtendere?] Vbi deinde Chriſtianorum regum ſeu principum ſuo ſeculo vſitatum morem ſubijcit, qui hoc ipſo tempore prohibuerint ciuilibus vacare negotijs, & fores clauſerint iudiciorum, ſed & reos in carceribus ſoluerint à vinculis, vt omnes ad curanda ſpiritualia eſſent expeditiores. Proinde Rogo inquit, vt ſi vnquàm aliâs, nunc repulſis vanis cogitationibus, & mente purgata ac vigili adeſſe velimus.] Suffecerit autem è multis ſuperiora repetiuiſſe, vt omnes intelligant, ſanctam & ſeueram veteris Eccleſiæ diſciplinam, à qua proh dolor, nos tantopere diſceſſimus, vt Propheticum illud meritò nobis occinatur: *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant* (vt ſanè oportebat) *ad ſolennitatem*. O ſi hanc nobis gratiam daret Deus, vt Apoſtolica turba, quæ nunc in Catholicis perſtrepit Eccleſijs, noſtris etiam auribus & mentibus inſonaret, atque ab omnibus intimè perſentiretur. Sic autem habet: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto* IESV, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemet ipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Thren. 1. Philip. 2.

PRECANDVS *mihi* CHRISTVS *eſt pro Catholicis*

breui ad ſacram confeſſionem & communionem de more a ce‍ſu‍ris, vt non modò ſynceros animos in Catholica fide fundatos ad ferant, ſed etiam ad benè beatèq́ viuendum, ſacroſanctæ paſſionis & mortis, immò & reſurrectionis Dominicæ participes fiant.

ORABO *etiam pro inimicis crucis, omnibusq́ in peccati morte conſiſtentibus, vt ad ſpiritualem vitam reuocentur, nè fruſtra pro illis* CHRISTVS *ſuum fuderit ſanguinem: quoniam in cruce fuit exaltatus, vt ad ſe traheret omnia.*

DABO *etiam operam, vt nouam à* DEO *gratiam impetrem, qua me paruulum exhibeam cum pueris Hebræorum in* CHRISTO *reuerenter excipiendo, & ſi opus ſit, publicè honorando, quin etiam fideliter ad crucem vſq́ comitando, quicquid demùm inſtabiles vicini, prauiq́ ſocij moliantur. Perinde ac ſi cum Thoma dicam*: Eamus & nos, vt moriamur cum ipſo.

DEMVM *per hanc hebdomadam ſanctam, Græci magnam vocant, vt diximus, quotidiè aliquid fecero, vt me mortificationis & pœnitentiæ memorem, immò & ſtudioſum amatorem oſtendam, idem nimirùm ſentiens, quod in* CHRISTO IESV *pro me capto, illuſo, flagellato, vulnerato, crucifixo ac mortuo, id eſt, miſerandum in modum excruciato, vt ego perditus vitam in ipſo, ac ſalutem perpetuam inuenirem. Nec enim obliuiſci debeo Apoſtolicæ ſententiæ*: CHRISTVS ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: vt nos offerret DEO, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. *Fælix qui cum Paulo verè dixerit*: Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum CHRISTI in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.

IN DIE COENAE DOMINI.

Sequentis Euangelij argumentum.

IN hac memorabili hiſtoria, quæ Chriſtum ſeruili linteo præcinctum, & ſuorum diſcipulorum pedes lauantem exhibet, cunctis mortalibus admirandum ſimul & imitandum Chriſtianæ humilitatis exemplum proponitur atque commendatur. Petrus Apoſtolus nonnihil cum Chriſto Domino, ſed ex modeſtia religioſa contendit, ſuam nempè indignitatem cum præſentis Domini maieſtate conferens: ſeriò autem admonitus, non ſine pudore ſuos pedes lauandos offert, ac Domini mandato paret, vt filium decebat obedientiæ. Cæterùm vt præſentes norint myſterium, minusque mirentur exemplum inuſitatum, Chriſtus ipſe facti ſui rationem exponit, & ſingularem ſubmiſsionem fraternumque obſequium, quo fideles omnes omnibus ætatibus inter ſe mutuò certare debent, præſcribit & exigit. Quod verò ad Petrum dicitur: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet,] eò ſpectar, vt ſciamus eos, qui cum Apoſtolis Chriſtiano baptiſmo mundati ſunt, ſine omni peccato non poſſe viuere, atque ad quotidianas vitæ humanæ ſordes, quas etiam iuſti contrahunt, abſtergendas, purgatione quadam indigere. Quarè Apoſtolus baptizatos affatur: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.] Auguſtinus ergò vult Dominum hic ſignificaſſe, vt propter humanos quibus in terra verſamur affectus, nouerimus

2. Cor. 7.

Tractat. 58. in Ioan.

mus nos ſine peccato non viuere, quantumlibet in iuſtitia profeciſſe videamur: opus autem eſſe ad purgationem, vt charitatis & humilitatis miniſterium vel maximè adhibeamus. Et quoniam plærique diuini timoris obliti, grauiùs polluuntur, & maioribus vitiorum ſordibus ſeſe conſpurcant, debent illi, quemadmodum Beda monet, accuratiore purgationis exercitio ſeſe purgare, ſicuti orationibus, vigilijs, ieiunijs, lachrymis ac eleemoſynis, vt adhærentes animæ ſordes, ſicut Cyprianus loquitur, quotidiana ſatisfactione lauentur. Etſi enim fide corda purificari legimus, tamen cùm eâdem diuina Scriptura ingenuè profiteri debemus, peccata eleemoſynis redimi, & iniquitates miſericordijs pauperum, charitatem eſſe quæ operiat multitudinem peccatorum, iuſtitiam à morte liberare, per miſericordiam & fidem peccata purgari, & peccata hominum propter pœnitentiam à Deo diſsimulari ſiue remitti.

EIVSDEM DIEI EVANGElium Ioan. XIII.

ANTE diem feſtum Paſchæ ſciens IESVS *quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas* Simonis *Iſcariotes, ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergò ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi la*

hi lauas pedes? Reſpondit IESVS, *& dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modo: ſcies autem poſtea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Reſpondit ei* IESVS: *Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput. Dicit ei* IESVS: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum, propterea dixit: Non eſtis mundi omnes. Poſtquàm ergò lauit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua: & cùm recubuiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter & Domine: & benè dicitis: ſum etenim. Si ergò ego laui pedes veſtros, Dominus & magiſter: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

MIRIFICA & incredibilis charitas, quæ in tota Chriſti vita ſeſe prodidit, ſub eius mortem erga diſcipulos & credentes omnes magis eluxit, eaque mihi & pijs omnibus qui matrem Eccleſiam audiunt ac ſequuntur, hoc tempore diligenter expendenda eſt. Charitatis erat, cùm tanta non ſolùm humilitatis, ſed etiam amoris ſignificatione ſeruíret diſcipulis quamuis abiectis, vt ſingulorum, & inter hos Iudæ quoque traditoris pedes ſanctis ſuis manibus ipſe magiſter ac Dominus lauaret ac tergeret. Charitatis

erat, longo & ardenti quo flagrabat deſiderio [illegible] ſuum vt corpus & ſanguinem in ſacroſancta Euchariſtia ſub ſpecie panis & vini inſtitueret, ſummumque hoc donum [illegible] perpetuò relinqueret fidelibus. Ita enim re ipſa præſtitit quod iam antè promiſerat inquiens: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Charitatis erat, ſuam erga diſcipulos inſignem beneuolentiam poſt extremam cœnam prodere, quando mirè ſuauē longumq; ſermonem habuit vt eos paternè inſtrueret, & ante diſceſſum conſolaretur. Charitatis erat, non ſolùm diſcipulos, ſed & fideles omnes, qui aliquando crediturì eſſent, cœleſti Patri ſollicitè commendare, & pro illorum ac totius Eccleſiæ vnitate conſeruanda precari. Charitatis demum incomparabilis argumentum erat illuſtre, pro immerentibus, adeòque impijs Satanæ ac gehennæ filijs vltrò ſe offerre Patri ad bibendum calicem tàm amarum quàm ignominioſum, vt ad ſolam imminentium cruciatuum triſtiſsimam memoriam Dei filius totus cohorruerit, ac prolixè orans in horto, ſudorem ſanguineu fuderit, eoque terram ipſam humectârit, Angelum verò de cœlo habuerit conſolantem. Abſit igitur, vt ego tantæ tamque multiplicis charitatis obliuiſcar, quam clementiſſimus Dominus tam copioſè, potenter ac excellenter hoc ipſo die manifeſtauit. Is velut amore ebrius, vt cum Paulo loquar, *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Is inuſitata ſui ſeruentis amoris indicia ſuis vt nunquàm priùs, declarauit, & præterea ſicut Ioannes affirmat, *dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Is eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Quid ergò retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* pro omnibus inquam, hoc ipſo die peculiariter à Chriſto Domino geſtis, vel per Eccleſiam Catholicam vt quotannis agantur inſtitutis? Etenim ſicut vetuſtus author, (Cyprianū fuiſſe putant) perſpicuè tradit, dies iſta multiplicibus myſterijs honoratur. Hac die primùm commendata eſt nobis fractio panis, & menſa Eccleſiæ panem Angelorum h[illegible]

Ioan. 6.
Ioan. 14. 15. & 16.
Ioan. 17.
Matth. 26. Marc. 14.
Luc. 22.
Galat. 2.
Apoc. 1. 1 Ioan. 2.
Pſal. 115.
Serm. 4. de vnctione chriſmatis.

nibus propoſuit ad manducandum. Hodie Chriſtus pedes lauit Apoſtolis,& hoc ſolenni deuotione omni tempore agendum inſtituit. Hodie in Eccleſia cum cæteris vnctioni bus ad populum acquiſitionis ſanctificandum in participationem dignitatis & nominis, ſacrum Chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum, regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis diuinitus eſt vnctio inſtituta. Hodie reconciliantur Eccleſiæ peccatores, & eiecti foràs ad matris vbera reducuntur, & excluſi à cœtu ſanctorum ad communionem qua caruerant reuertuntur. Hodie patent carceres,& damnati libertate donantur.] Accedit his omnibus, quòd ex veteri more Pont. Max. diem Cœnæ Domini non celebrat, niſi publicè promulget ſententiam excommunicationis in omnes hæreticos & alios grauioribus criminibus obnoxios,nimirùm vt illos velut Sacramentorum omnium vſu indignos arceat, ſimulque commonſtret, illorum peccata coram Deo & Eccleſia retineri, quàm diu per ſeriam pœnitentiam cum Eccleſia Catholica non fuerint reconciliati. Quocirca hunc ego præclarum,totque Chriſti beneficijs illuſtratum, & iam pridem ab Eccleſia honoratum diem in precio libenter habebo, & ſingulari cultu tranſigam. Præcipuè autem curauero, Chriſti charitatem in meo animo renouare, quando ille diues & copioſus in miſericordia, peccatores omnes ad ſe redamandum, tàm blandè ac ſuauiter allicit, vt meritò cum Dauide canam? *Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipſum ore meo clamabo, & exultaui ſub lingua mea.*

Ioan. 10.

Pſal. 65.

Cœpit lauare pedes diſcipulorum & abſtergere linteo, quo erat præcinctus.

TRIA ſunt opera hodiè à Chriſto geſta, quæ mihi peculiariter habebo commendata, & accuratè perpendã. Primum eſt obedientiæ opus in veteris legis obſeruando præ-

cepto

cepto poſitum, quando Chriſtus cum ſuis agno paſchali
Exod. 12. veſcitur. Ita enim per Moyſen iniunxerat Deus: *Edent carnes*
agni ſcilicet anniculi & immaculati *nocte illa aſſas igni, & a-
zymos panes cum lactucis agreſtibus. Renes veſtros accingetis,
& calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in mani-*
Matth. 5. *bus, & comedetis feſtinantes.* O ritus admirandos, multisque
myſterijs plenos, quos in illa cœna Chriſtus ad vnguem ob-
ſeruauit, quia venerat ad legem veterem non ſoluendam,
ſed adimplendam, quamque obedientiam à nobis credenti-
bus exigit, ipſe numeris omnibus abſolutam præſtitit, factus
Rom. 15. etiam miniſter circumciſionis, vt eum Paulus appellat. De
Matth. 26. hac ipſa cœna ſolliciti Apoſtoli Dominum ita præmonue-
Luc. 22. rant: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* quemadmo-
dum ex illis duo (Petrus & Ioannes) à Chriſto miſſi Hiero-
ſolymis parauerunt, nihil illorum quæ tum ex lege, tum ex
conſuetudine ſeruabantur, prętermittentes. Nec eſt vlla cer-
tè, cùm ad cœnam Dominicam accedendum eſt, dignior
præparatio, præterquàm obedientiæ ſtudium, vt obſequen-
tes animos Deo Eccleſiæque prętemus, ſimulque in exte-
riore cultu nos pijs fidelibus conformemus. Tunc enim ma-
1. Cor. 10. ximè locum habet, quod & alibi ſeruandum præcipit Pau-
lus: *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſi-*
1. Cor. 14. *cut & ego per omnia omnibus placeo.* Ac iterum: *Omnia* inquit,
honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.

ALTERVM Chriſti opus in lauandis diſcipulorum
pedibus verſatur, quod ſicut horrorem Petro primùm attu-
lit, ita nobis meritò ſummam præbet admirationem, maxi-
mè ſi lauantis eximiam dignitatem cum noſtra & lauando-
rum, qui ob peccatum impuri ſunt, miſeranda indignitate
comparemus. Docet verò Chriſtus, vt hoc exemplo ſuo mo-
niti, faſtum omnem abijciamus, ſummamq; ſubmiſſionem
Ioan. 13. non ſolùm Deo, ſed & fratribus declaremus, quantumuis a-
lios multis in rebus excellere videamur. *Si ego* inquit, *laui pe-
des veſtros Dominus & magiſter, & vos debetis alter alterius
lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum*

ego

vobis, ita & vos faciatis. Mandatum igitur ſimul & exem-
m complexus eſt (Cypriani verbis vtor) vt hoc exem- Serm. de ablutione pedum.
inſtructi, non dedignemur in alterutrum agere, quod
tum eſt à Magiſtro, & mandato poſteris religionis autho-
is firmaretur. Nō erubeſcat ſeruus, ſi facere iubetur quod
or fecit Dominus: nec difficile nobis eſſe debet, ſi ſicut
nobis donauit, & nos inuicem condonamus.] Ac recep-
n quidem iam olim probatumque fuit officium humili-
s, vt alter alteri pedes lauaret, quemadmodum & Paulus 1. Tim. 5.
hriſtianis requirit viduis, & piæ matronæ Theodoſij mai- Vide lib. 2. ca. 2. Eccleſ. hiſt. & Sulpitium in vita Martini.
s & Maximi Cæſarum coniuges re ipſa præſtiterunt. Ve-
n Chriſtus externam illam lotionem non tantoperè vr-
, quàm illud exigit, vt ſecundùm Apoſtolicæ doctrinæ
mam, fideles omnes in humilitate ſuperiores ſibi inui- Philip 2.
n arbitrentur, non quæ ſua, ſed quæ aliorum ſunt ſinguli Rom. 12.
ſiderantes, vtque charitate fraternitatis inuicem dili-
t, & honore ſe mutuò præueniant. Vnde & Chriſtus ipſe Luc. 22.
cepit: *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior: & qui præ-
r eſt, ſicut miniſtrator*. Atque hoc præſenti lauantis Chri-
pectaculo ita commoueor, vt me ipſum accuſans atque
ciens, cum Cypriano ingenuè dicam: Clementiſsime In ſermo. de ablutione pedum.
giſter quoties ego doctrinæ tuæ transgreſſus ſum regu-
quoties edicta tua Domine ſancte contempſi: & cùm di-
es mihi Reuertere, non ſum reuerſus, cùm minarêris, nō
ui, cùm bonus eſſes & lenis, exaſperans fui, vltrà ſeptua-
ſepties in cœlum & coram te peccaui. Quis tot ſordes
iet? quis abradet ſtercora conglobata? Neceſſè eſt vt
nos abluas: Neq; enim lauare nos poſſumus, ſed in om-
us quæ agimus, indulgentiæ tuæ lauacro indigemus.]

TERTIVM Chriſti opus ad ſtupendum & incredibi-
amorem pertinet, quo ille flagrans, ſe ipſum totum no-
ribuere voluit in ſacroſancta Euchariſtia, ideòque hic
à cœna Domini nomen ſuum pulcherrimè traxit. Quid
maius & melius ac pretioſius ille donaret, præterquàm
auguſtiſſimum corporis ſanguiniſq; ſui ſacramentum,

hoc

hoc mundum & iuge, totoque orbe celebrandum la[illegible]um, hunc nobiliſſimum cibum, ampliſſimumque The[illegible]ū Eccleſiæ in terris peregrinantis? De quo cœleſti pane cum
Pſal. 110. Propheta nobis identidem cantandum eſt: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam
Ioan. 13. *dedit timentibus ſe.* Cùm enim Dominus dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, & ſciens horam iam aduenisſe, vt tranſiret ex hoc mundo ad Patrem: admirando planè conſilio effecit, nè vllo vnquàm tempore à ſuis abeſſet, ſuique ingentis erga illos amoris pignus in hoc mundo ad Antechriſti tyrannidem vſque manſurum reliquit. Igitur poſtquàm cœnam, Paſchalis Agni cum diſcipulis celebraſſet, vt figura veritati & vmbra corpori cederet, panem accepit, Deoque gratias agens benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis & dixit: *Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem accepit, poſtquàm cœnauit dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.* Quibus Chriſti verbis de hoc ſacramento certiſsimè pronunciatis ſuamque adhuc vim obtinentibus, quum à ſacerdote legitimè proferuntur, adiungendæ ſunt ſententiæ, quas Ioannes hoc modo deſcripſit: *Panis quem ego dabo, inquit Chriſtus, caro mea eſt pro mundi vita. Qui manducat me, viuet propter me: ipſe manet in me & ego in eo. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendit. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex quibus omnibus vnà cum Ambroſio colligam, ac mihi firmiſsimè perſuaſum habebo, hoc ſacroſanctum & viuificum Dominici corporis & ſanguinis eſſe myſterium, quo fideles quotidiè in Eccleſia paſcuntur, atque vnius diuinitatis participes efficiuntur, ipſumque Chriſtum ſacerdotem & ſacrificium mirabiliter & ineffabiliter illìc adeſſe, & carnem eius, qua nihil ſanctius, in hoc ipſo ſacramento veraciter cõtineri, exhiberi ac percipi.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Ioan. 6.

QVOCIRCA ſi vllum ego ſacramentum aliud, hoc vel maximè colam ac venerabor, [illegible] ipſum ſanctitatis the-

morem & fontem continet, & in quo Saluator noſter diui-
tias immenſas diuini ſui erga homines amoris velut effudit,
quodque ſumi voluit tanquàm ſpiritualem animorum ci-
bum, quo in fide ambulantes alamur & confortemur, *Qui* Ioan. 6.
enim *manducat me*, inquit, *& ipſe viuet propter me*: Admira
bor plurimùm, tam multa verè ſuſcipienda in hoc ſacramẽ-
to concurrere, nimirùm poſt verba ſacra conſecrationis ve-
rum & proprium Chriſti Domini corpus, quod in cœlis iã
ſedet ad dexteram Patris, illîc adeſſe, nullam verò eleemen-
torum ſubſtantiam remanere, & accidentia quidem panis &
vini quæ cernuntur oculis, aut ſenſibus alijs percipiuntur,
ſine vlla re ſubiecta, eſſe & per ſeipſa conſtare: ſed & eiuſdem
ſacramenti vſum vt benè præparatis ad ſalutẽ conferre ma
ximè, ſic alijs indignè illud vel tractantibus vel ſumentibus,
non niſi ad graue iudicium & damnationem extremam ob-
tingere, ſicut Paulus apertè monſtrauit. Putabo hîc Domini
mei mortem repræſentari, quam ego extinctis & quaſi ſepul
tis corporis affectibus exprimere debeam, vt in nouitatem
vitæ reſurgam, vtque vnum cum illo capite & ſimul cum ei-
us corpore myſtico fieri poſſim. Dolebo inſuper, complures
hodiè reperiri, qui tanti ſacramenti gratiæq; diuinæ fructus
omnes amittant, ſummo etiam ſcelere ſeſe obſtringentes,
quandoquidem corpus Domini non dijudicant, & hunc di-
uinum cibum à communi ciborum genere non diſtinguũt,
neque illud vti par erat, honorant, adorant ac offerunt cum
Eccleſia Dei. Poſtremò erit mihi hoc ſacramentum, ſicut di-
citur, Euchariſtia, hoc eſt, bona gratia, quia Chriſtum Domi-
num, qui vera gratia, atque omnium chariſmatum fons eſt,
in ſe continet, illamque vitam æternam, de qua ſcriptum
eſt *Gratia Dei vita æterna*, præſignificat. Tum rurſus erit mi- Rom. 6.
hi Euchariſtia, ſicut hoc nomen interpretantur, gratiarum
actio. Cùm enim hæc puriſſima hoſtia, quæ omnes oblatio-
nes excellit, immolatur, immenſas quotidiè gratias pro vni-
uerſis beneficijs in nos collatis Deo agimus, ac inprimis pro
eius gratiæ tàm excellẽti bono, quę nobis hoc ſacramẽto cõ

f rtur

iticam ſiue hæreticam prorſus excludam, meumquе intellectum hic maximè captiuem in obſequium Chriſti. Non enim Apoſtoli in carnis iudicio, quum ſolum panem & calicem præſentem cernerent, ſed in verbo Chriſti, ſuum corpus & ſanguinem inuiſibilem illis promittentis, acquieſcebant, nihil dubitantes veriſsimum eſſe quod ſupra naturæ facultatem affirmabat Dominus æterna veritas dicens: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur*. Docent, non ſolùm fide, ſed etiam charitate, tanquàm nuptiali veſte, opus eſſe, nimirùm vt ante Sacramenti ſumptionem in gratiam redeam cum aduerſarijs & offenſis proximis, omneſque tanquàm in Chriſto fratres, ſyncera dilectione complectar. Hanc quippe Chriſtus eodem loco tantoperè inculcauit, & alibi diſertè docuit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Docent iterum, de hoc ſummo beneficio, quod à gratiarum actione ſuum, vti dictum eſt, nomen ſumpſit, fonti bonorum gratias agere, quemadmodum illi poſt hunc diuinum cibum acceptum, & priuſquàm ad hortum exirent, vnà cum Chriſto hymnum dixiſſe narrantur. Quæ omnia non ſuffecerint, niſi præterea ex lapſu Apoſtolorum non ſatis vigilantium, Chriſtumquе in tentatione deſerentium, diſcam illud obſeruare præceptum: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*. Igitur vt ſuum fructum mihi præſtet Euchariſtia, ſpirituali quadam armatura munitus & inſtructus eſſe debeo, vt non ſolùm ad hoc cœleſte conuiuium paratus accedam, ſed acceptam quoq; ſacramenti gratiam ſollicitè vigilando & orando conſeruem, inprimis autem vt ſalutarem timorem aduerſus falſam ſecuritatem opponam, nè fortaſsè hoſtibus ac eorum inſidijs, ſine quibus non viuitur, in pugna ipſa ſuccumbam. *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur*. Longum ſit reliqua perſe

Matth. 26.

Matth. 5.

Ioan. 18.

Matth. 26.

Galat 5.

qui

qui, quæ ad rectum Sacramenti huius vſum & fructum ſpectant,& quæ,ſi placet,ex feſtoCorporis Chriſti accipi, & huc transferri facilè poterunt. Præclarè quidem docet Baſilius Magnus: Oportet accedentem ad corpus & ſanguinem Domini, ad rememorationem eius qui pro nobis eſt mortuus ac reſurrexit, non ſolùm purum eſſe à quouis inquinamento carnis ac ſpiritus,nè ad iudicium edat & bibat, ſed & euidenter oſtendere & exprimere memoriam eius qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, in eo quod & mortificatus eſt peccato, mundo ac ſibijpſi, & Deo viuit in Chriſto Domino noſtro.]

Homil. de Baptiſmo.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt graues, impios & pernicioſos, de hoc maximo Sacramento errores, qui hoc æuo longè latèq́ graſſantur, è medio tollat, vtq́ contra illos vbiq́ gentium Catholicæ Eccleſiæ filios in vera fide confirmet. Nunquàm enim plures & pertinaciores Capharnaitas atq́ Sacramentarios orbis vidit: nunquàm de hoc altiſſimo ac difficillimo myſterio maiores ac fædiores diſceptationum flammæ exarſerunt.*

ORABO *itidem, vt hoc Sacramentum apud Catholicos qua par eſt, cura, ſedulitate ac reuerentia ad altare conficiatur, offeratur atq́ percipiatur, nè alioquin quod nobis Orthodoxis in ſalutare antipotum à Chriſto datum eſt, id ad iudicium atq́ dānationem perpetuam, Iudæ ſocijs conuertatur. Vt enim Apoſtolus diſertè teſtatur:* Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.

1. Cor. 11.

PRAETEREA *miſericordiæ diuinæ commendabo hæreticos, qui ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate ſeiuncti, cœnam Dominicam in ſuis ſynagogis ſacrilegè tractant, & communem populum miſerè fallunt, dum panem & vinum pro Chriſti corpore & ſanguine porrigunt, hominesq́ faciunt, ſicut Oſeas prædixit, ſine ſacrificio, ſine altari & ſine ephod, nè ſcilicet Satanæ ſatellites &*

Oſeæ 3.

Anti-

Antichriſto præcurſores deſint, qui ſacerdotio, ſacrificio & ſacramento ſacramentorum, ſicut Dionyſius vocat, impiè prorſus abolendo ſe ad miniſtros præbeant. Lib.3. de Eccles. Hierar.

FERIA SEXTA PARASCEVES.

Sequentis Euangelij argumentum.

LAtiſsimè patet hiſtoria nunquàm ſatis laudata, & nobis maximè veneranda, ſummatim verò ab Euangeliſtis propoſita, de paſsione ac morte ſanctiſsima Chriſti Redemtoris. Initium huius Euangelicæ hiſtoriæ à Iuda proditore ſumi poteſt, finem verò in cruce Chriſti cũ alijs, quæ circa illam geſta ſunt, ſtatuere licet. Intercedunt ſudor Chriſti ſanguineus, fraudulenta proditio, ſæua captiuitas, longus per varia Iudicum impiorum tribunalia circuitus. Accedit turpis fuga diſcipulorum, Petri lapſus, Iudæ deſperatio, Iudæorum ſimul & gentilium nefaria conſpiratio, tortorum immanitas, horrendaque varietas ſuppliciorum, donec tandem ad ſupplicium crucis omnium & atrociſsimum & ignominioſiſsimum veniatur. Nè verò quis putet, inter Chriſti & Sanctorum cruciatus parùm intereſſe, ſcitè dixit Leo Magnus: Quamuis in conſpectu Domini multorum Sanctorum pretioſa fuerit mors: nullius tamen inſontis occiſio, propiciatio fuit mundi. Quis eſt qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam, ſicut Paulus aſſerit, in odorem ſuauitatis? Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ.] Habet præterea Chriſtus cauſas dolendi, quales nullus alius habere po-

Serm. 12. de paſsio. Domin.

Epheſ. 5.

teſt grauiſsimas acerbiſsimasque, ſi ſpectes incomparabilem ipſius patientis perſonæ dignitatem, perpetuam vitæ innocentiam atque ſanctitatem, tenerrimam tàm ſacri corporis conſtitutionem, ac incredibilem tantarum afflictionum vehementiam & acerbitatem. Neque parùm illius dolores auxit mater triſtiſsima, ſcandalum diſcipulorum, Iudaici populi peruicacia, cum horrendo totius patriæ exitio ſequente coniuncta: ſed & noſtra Chriſtianiq; populi futura ſocordia & ingratitudo, quũ præuideret tantorum cruciatuum fructum, & ſui ſanguinis profuſi precium non ita multis, ſicut plærique ſentiunt, eſſe profuturum. Multi enim vocati, ſed pauci electi, & Chriſtus in cruce conſummatus, ſi Paulo credimus, factus eſt, non voluntariè peccantibus, ſed omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Errant igitur, qui paſsionem Domini ad ſolam conſolationem, non autem ad exemplum ac imitationem ſibi alijsque meditandam proponunt. Non enim fruſtra Petrus Apoſtolus docuit: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.] Tum Paulus clarè pronunciat: Si commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.] Tum alibi: Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.] Ac iterum: Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.] Baſilij Magni Diaconus Ephræm inter alia, cùm de hoc ſacro die diſſerit, ſic fideles prudenter hortatur: Caueamus ſollicitè fratres, nè iſta omnia ſimpliciter audiamus quæ pro nobis Dominus pertulit, ſed ea ſeriò ruminemus, & iugi meditatione voluamus.] Et rurſus: Hac die, inquit, Chriſtus Saluator noſter per iniquorum manus iniuſtiſsimè ligno crucis affixus eſt. Venite omnes, & corpus noſtrum abluamus lachrymis atque gemitibus, quia Dominus noſter & Rex gloriæ pro nobis impijs morti eſt traditus. Metuamus ſemper, habentes ante oculos paſsionem Redemtoris noſtri: meditemur aſsiduè pœnas ipſius atq; ſupplicia.] Sic ille.

Matth.20. Hebr.10.&5. 1.Petr.2. 2 Timoth. 2. 1 Cor. 1. Rom.6. In Serm. de paſsion. Do.

Succinctè & præclare ab Auguſtino dictum eſt: Duo ſunt ad ſalutem neceſſaria, Chriſti paſsio & noſtra imitatio.

EVANGELIVM DE CHRISTI DOMINI PASSIONE.

Iohan. XVIII. & XIX.

EGRESSVS eſt IESVS *cum diſcipulis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter* IESVS *conuenerat illuc, cum diſcipulis ſuis. Iudas ergò cùm accepiſſet cohortem & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc, cum laternis & facibus, & armis.* IESVS *itaq; ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſsit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum: Stabat autem & Iudas qui tradebat eum, cum ipſis. Vt ergò dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergò interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergò me quæritis, ſinite hos abire. Vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Simon ergò Petrus habens gladium eduxit eum, & percuſsit pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Dixit ergò Ieſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Cohors au-*

tem, & tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annam primùm. Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergò diſcipulus alius qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ: & introduxit Petrum. Dicit ergò Petro ancilla oſtiaria: Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum. Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat: & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis Petrus, ſtans & calefaciens ſe. Pontifex ergò interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus ſum ipſis. Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens. Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: Si autem benè, quid me cædis? Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe. Dixerunt ergò ei: Nunquid & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille & dixit: Non ſum. Dixit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergò nega-

uit Petrus,

uit Petrus, & ſtatim gallus cantauit. Adducunt ergò Ieſum à Caipha in prætorium, Erat autem manè & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Exiuit ergò Pilatus ad eos foràs, & dixit: Quam accuſationem adfertis aduerſus hominē hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergò eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergò ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt ſermo IESV *impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergò iterum in prætorium Pilatus: & vocauit Ieſum, & dixit ei:* Tu es *Rex Iudæorum? Reſpondit* IESVS: *A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Reſpondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? Reſpondit* IESVS: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaq; ei Pilatus. Ergò Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? & cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergò dimittam vobis regem Iudæorum? Clamauerunt ergò rurſum omnes, dicentes: Non hunc, ſed Barrabam. Erat autem Barrabas latro. Tunc ergò ap-*

prehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant. Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foràs, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foràs, vt cognoſcatis quia nullam in eo inuenio cauſam. Exiuit ergò IESVS *foràs, portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis:* ECCE HOMO. *Cùm ergò vidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige eum, Crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Cùm ergò audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum: Unde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergò ei Pilatus, Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit* IESVS: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes, Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones adduxit Ieſum foràs, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem Paraſceue Paſchæ hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis, Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem ve-*

ſtrum

ſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem niſi Cæſarem. Tunc ergò tradidit eis illum, vt crucifigeretur. *Suſceperunt autem Ieſum: & eduxerunt. Et baiulans ſibi crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgotha, vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Ieſum.* Scripſit *autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *Hunc ergò titulum multi Iudæorum legerunt: quia propè ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus: Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergò Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Milites ergò cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes: vnicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergò Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Poſtea ſciens Ieſus quia omnia iam conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dicit, Sitio. Vas ergò erat poſitum aceto plenum. Illi au-*

tem ſpongiam plenam aceto, hyſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergò accepiſſet Ieſus acetum, dixit, Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Iudai ergò (quoniam Paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergò milites: & primi quidem fregerunt, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc vt ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem tranſfixerunt. Poſthac autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, (eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergò & tulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum. Acceperunt ergò corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat: ibi ergò propter Paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.

NOTAE QVAEDAM DE PRAECIPVIS CHRISTI DOMINI AFFLICTIONIBVS, CVM SAEPE ALIAS, TVM IN hebdomada ſancta maximè per partes expendendæ.

I.

De horto in monte Oliueti.

FOELIX hortus, quia conſcius & teſtis immenſæ triſtitiæ ac ſollicitæ precationis Domini mei, qui cõfecto Euangelicę prædicationis officio, ad mortem properans, verbis, geſtibus, ac ſudore ſanguineo, vt antea nunquàm, incredibilem animi ſui anguſtiam declarat, ſeque totum ad bibendum pro nobis amariſsimum calicem ex amore & obedientia offert Patri. *Oblatus eſt enim quia ipſe voluit,* ſeipſum nempè ad patiendum offerre, excluſo omni ſubſidio alieno. *Circumſpexi* inquit, *& nõ erat auxiliator: quæſiui, & nõ fuit qui adiuuaret. Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum,* Nec omittit interim ſuos diſcipulos ad vigilandi & precandi officium in eodem horto excitare.

Matth. 26. Marc. 14 Luc. 22

Iſaiæ. 53.

Iſaiæ. 63.

II.

De cruciatibus nocte ſuſceptis.

HEI mihi, quàm acerba & funeſta nox Filio Dei? quæ omnem illi libertatem & quietem adimit, atque contra illum tempeſtatem per Iudaicos magi-

giſtratus

th. 26. .22. n.18. giſtratus ſæuiſsimam concitat. Tunc ille (Angelorum deliciæ) à diſcipulo Iuda traditur, à nefarijs capitur, conſtringitur, abducitur, examinatur, accuſatur, damnatur, pro latrone blaſphemo impioque cenſetur à flagitioſis. Quàm verò indignè & crudeliter in Annæ & Caiphæ pontificum ædibus tractatur, tot alapis, colaphis, ſputis & irriſionibus pro inſana Iudæorum libidine diuexatus? l. 21. *Circumdederunt me* inquit, *vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* ren. 4. Ita demum Hieremiæ completur vaticinium: *Spiritus oris noſtri Christus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.*

III.

De Apoſtolis Domini.

IMBECILLES & inſtabiles ſe diſcipuli præbent, qui lectiſsimum optimumque Præceptorem contra fidem datam deſerunt, ac ſe turpi fugæ cōmittunt, quùm vident illum ab impijs comprehendi. atth. 26. arc. 14. Tantus enim illos metus ac terror inuaſerat, vt pati ſcandalum viderentur, ſicut Chriſtus illis fore prædixerat. Tum præcipuus inter illos Petrus, primum illum in pugnando ardorem cito remittit, & cùm inter impios verſatur, timidus magiſtrum optimum abiurat, & palam abiurat, quùm antea in carcerem & mortem cum Chriſto ire promiſiſſet. Sceleratior verò Iudas eſt, qui vt pacto impio ſatisfaciat, amicum quidem oſculum, ſed ad prodendum innocentem ſacrilegis hoſtibus Domino præbet, cumque paulò poſt fœdiſsimæ proditionis illum pœnituiſſet, infœlix laqueo vitam ipſe ſuam abrupit. atth. 26. 27. Quæ mala diſcipulorum Chriſtum haud leuiter afflixerunt, ſimulque Prophetica illa dicta confirmârūt: achar. 13. *Percute paſtorem, & diſpergentur oues.* al. 68. *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filius matris meæ.* al. 40. *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.*

IV.

De Chriſti manſuetudine.

Qvam præclara & amabilis illa Domini eſt manſuetudo, quum totam cohortem Iuda duce aduētantem, blandè ſalutat, verbo ad terram ſæpè proſternit, Iudam perfidè oſculantem admittit, & amicè compellat, ſeqúe armatis & ferocibus hoſtibus capiendum, ligandum abducendumqúe permittit? Sed & abſciſſam Malcho aurem vltrò reſtituit, nec minùs Petrum iam fœdè lapſum & relapſum reſpicit, vt ſe agnoſcat & corrigat. Eâdem benignitate tractat latronem poſtea, ſuum illi conſortium in paradiſo eo ipſo die pollicens, qui & velut ſui oblitus, pro capitalibus & ſanguinarijs hoſtibus Patrem in cruce clementer inuocat. Quid igitur Agno illo manſuetius? qui tollit peccata mundi, quiqúe per Hieremiam teſtatur: *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam,* & in cuius ſanguine lauantur & dealbantur, vt à Ioanne ſcriptum eſt, ſtolæ beatorum.

Ioan. 18. Luc. 22. Luc. 23. Ioan. 1. Hierem. 11. Apoc. 7.

V.

De Chriſti vinculis.

Amabo & colam pretioſa vincula Domini mei, quæ illi velut facinoroſo inijciuntur, & ſacras eius manus violenter adſtringunt. Nam à Satanæ miniſtris furentibus dirè ligatur ac religatur, ſimulqúe ad varia impiorum Iudicum tribunalia non ſecus quàm facinoroſus latro raptatur, columnæ fortiter alligatur, & clauis craſſis ac ferreis ita configitur, vt corpus cruci adhære-

Matth. 26. Ioan. 18.

ret com-

ret compaginatum, manusq́ue & pedes vulnerati dolorem
illi adferrent acerbiſsimum. Ad hunc modum impleri opor
l. 21. tuit vaticinium, ab eo ipſo prædictum: *Foderunt manus me-*
as & pedes meos. Vt hinc etiam demirantes Angeli dixerint:
char.31. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

VI.

De patientia Domini.

STVPENDA illa Chriſti patientia fuit, cùm ſuſti-
neret hoſtes leonibus rugientibus lupiſq́ue rapa-
cibus immaniores, à quibus accuſaretur, damna-
atth. 27. retur, percuteretur, totoq́ue corpore dilacerare-
uc. 23. tur. Nam & caput eius venerandum arundine durè cędebant, & ſpinis præacutis configebant, priuſquàm ſententia Iudicis in illum eſſet pronunciata. Cùm maiorem in modū ſitiret, non aquæ paululum, ſed acetum & fel obtrudunt moribundo, eiq́ue inter extremos dolores palàm illudunt, nec ſolùm clauis, ſed etiam verbis virulentis illum crucifigunt, mortiſq́ue genus vt atrociſsimum, ita & ignominioſiſsimū ingenti rabie illi procurant ac inferunt, vt nequiſsimi & crudeliſsimi homines in hunc Agnum maximè deſęuirent. Ha-
ſal.68. bet ergò Chriſtus quod iure lamentetur, & per Prophetam dicat: *Intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam, infixus ſum in limo profundi, veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis. Confortati ſunt qui perſequuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui tunc exſoluebam.*

VII.

De Chriſti modeſtia.

uc. 23. INGENS & perpetua Chriſti patientis fuit modeſtia, præſertim cùm ad aulam Regis Herodis per

traheretur,

traheretur, multiſque illic nominibus falsò & grauiter inſimularetur ab his, qui apud Iudæos plurimùm authoritate valebant. Ita enim ſubmiſsè apud Herodem ſe geſsit, vt multa roganti ne verbum quidem reſponderit, nè gratiam illius ambire, vel aulicis placere velle videretur. Non recuſat ſumma ſapientia pro ſurdo, muto, immò & pro ſtulto & morione deputari, quando & alba veſte probroſè induitur, ac palàm illuditur, & velut exploſus, non ſine vulgi ludibrio ad Pilatum reducitur. Hoc eſt nimirùm quod ipſe per Dauidē loquens prædixerat: *Improperium exſpectauit cor meum & miſeriam, & ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur & non inueni*. Quarè nos etiam cum alio Vate meritò dixerimus: *Vidimus illum deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem*. Pſal. 68. Iſai. 53.

VIII.

De Chriſti taciturnitate.

ET admirandum & imitandum putabo Chriſti Domini ſilentium, qui cùm malediceretur, non maledicebat, & cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, ſicut Petrus affirmat. Nam & à Pontifice ſummo per Deum viuum adiuratus, vix pauca reſpondit. Tacet à falſis teſtibus in iudicio Iudaico ſæpè multumque accuſatus. Tacet, cùm Pontifices illum coràm præſide non ſine aperta calumnia inſectarentur. Tacet in aula Herodiana, ſicut & à Pilato interrogatus, ita vt vix pauca maximèque neceſſaria ei fuerit proloquutus. Non vindictam aduerſus quenquam expetit aduerſariorum, nec malè ſed benè precatur omnibus, etiam palàm conuiciantibus, ac immaniter affligentibus. Audit multos impudenter mētientes, & contra ipſum importunè vociferantes, impièque ſubſannantes, quos omnes pertinaci excipit ſilentio, nihil 1 Pet. 2. Matth. 26. Luc. 23. Ioan. 18.

ſollicitus

ſollicitus de ſua innocentia defendenda. Tàm ſedulo compleuit vetus illud Iſaiæ vaticinium: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*. Inſaniebant interim aduerſarij ira odioq; flagrantes, de quibus ipſe per Dauidem fuerat vaticinatus: *Factus ſum illis in parabolam, aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum. Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam.*

.53.

l.68.

IX.

De Domini noſtri benignitate.

ILLVSTRIS Chriſti benignitas in tota eius paſſione mirè refulget, ſiue illum in Annæ vel Caiphæ palatio, ſiue in Herodis aula, vel in Pilati prætorio, ac in cruce ipſa præſentem ſedulò intueare, peculiariter verò cùm idem iuſſu Præſidis dirè flagellatur. Veſtes enim illi innocentiſsimo detrahuntur, vt nudus inter ſceleratos milites appareret. Offert illis manus duræ columnæ alligandas, præbetq; totum corpus funibus adſtringendum, nullam vt membrorum haberet liberam poteſtatem. Quàm patienter & clemēter flagra excipit? cùm fortaſsis & ſcorpionibus ſæpè multumq; conciderent, à vertice quidem capitis ad plantas vſq; pedum corpus tenerrimum immaniter flagellantes. O belluas, non homines, à quibus ille pudibundus ſemperq; caſtus diras tot plagas accipit, toto vt corpore liuidus ac ſanguinolentus relinquatur. Hanc miſeram ſortem ille non obſcurè verbis illis Propheticis indicauit: *Quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar, & aduerſum me lætati ſunt & conuenerunt: Congregata ſunt ſuper me flagella.* Ac iterum: *In me tranſierunt iræ tuæ*, inquit ad Patrem, *& terrores tui conturbauerunt me.*

Pſal. 34.
Pſal. 87.

DE

X.

De obedientia Chriſti.

MERITO mihi cordi erit incomparabilis illius obedientia, qui Patri ſuo cœleſti vſq; ad mortem, mortem autem crucis, quæ omnium eſt atrociſsima, perfectè paruit, & calicem pro nobis omnibus amariſſimũ bibit. Quid quòd nefarijs etiam Pontificibus ac æthnico iudici, eiusque militibus efferatis ſeſe ſubiecit, illisque pro ſua libidine ſe iudicandum ac torquendum planè obtulit atque permiſit? plura etiam & acerbiora, ſi voluiſſent, cum ſumma obedientia tolleraturus, nullumq; ſupplicij genus quod excogitare potuiſſent, recuſaturus. Etenim noſtra & contumax & vetus illa obedientia id merebatur, vt Chriſti obedientia Deum nobis placaret offenſum, & idcircò verè illud ſibi ſumeret: *Ego ſum vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me, ſicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Tum per aliũ Prophetam rectiſsimè affirmatur: *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnusquiſq; in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.*

Philipp. 2. Geneſ. 3. Pſalm. 21. Iſai. 53.

XI.

De fortitudine Domini.

LAVDANDA eſt vtique Chriſti conſtantia, & admiranda fortitudo tàm in angoribus animi, tùm in cruciatibus corporis omnibus perferendis. Fuit enim ille, vti Propheta dixit, *factus ſicut homo ſine adiutorio*, qui ſolus illam ſibi vocem vſurpare potuit: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Habitus eſt idẽ deterior latrone flagitioſo, qualis fuit Barrabas, & inter duos latrones

Pſal. 87. Pſalm 21. Matth. 27.

medius in cruce pependit, poſtquàm ad hoc acerbiſſimo ſupplicij genus ab omni populo poſtulatus, & ab iniquiſſimo præſide publicè condemnatus eſſet. Is ipſe iam totus ferè confectus, viribuſque deſtitutus, & corpore fractus, tam ingens quàm graue ligni pondus ſuis humeris impoſitum excepit, nec ſine vi & contentione maxima deportauit, ſequenti populo ſpectante, protrudentibus militibus, ridentibus æmulis, mulierum turba plorante. Ac per mediam quidem vrbem ad funeſtum illum ſupplicij locum vſque

Marc. 15. crucem hanc probroſiſſimam pertulit, à nullo quidem, niſi à Simone Cyrenæo vel inuito ſubleuatus. Proinde inter afflictos omnes nullus æquè ac Christus hoc ſibi dictum vendi-

Thren. 1. cârit: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Ac iterum velut vnumquemq; no-

Iſai. 43. ſtrum compellans, per Iſaiam ita queritur: *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

XII.

De crucis ſupplicio.

BENEDICTA, quę prius apud omnes maledicta erat, Crux à tali Rege, ſceptri & vexilli loco electa, defatigatis humeris tam diu, tam ægrè, tam laborioſè geſtata, pro cubili & lecto Domini mei ſuſcepta, in perpetuum ſpeculum & exemplar omnibus qui ſalutem veram quærunt, propoſita, tum Filio Dei ad extremum certamen perficiendum, & ad mundi principem ſuperandum tradita, demùm ſupremo altari Redemptoris ac Pontificis ad ſublime ſacrificium pro mundi peccatis immolandum, arcano Dei conſilio deſtinata. O mirum & miſerandum ſpe-

Ioan. 19. ctaculum, quod Marię matris & cuiuſque pij animam meri-

Luc. 2. tò vulneret, ſi rectè ſpectetur Rex gloriæ, qui in cruce ſupinus iacet à vertice vſque ad calcem dilaniatus, nudus & ſœdus, ſub dio ventis & frigori expoſitus, & ſic ligno affixus

ſpe-

ipſo, vt eius caro laceretur, nerui rumpantur, & vulnera momentis ſingulis dilatentur. De hac cruce Domini apud Hieremiam loquuntur Iudæi impij: *Venite mittamus lignum in panes eius, & eradamus de terra vitam eius.* Vbi lignũ Crucem ſignificat, & panem corpus Domini, Lactantio teſte: ſicut & Irenæus, Tertullianus & Cyprianus locum illum accipiunt. Eodem referunt veteres dictum illud Moyſi: *Erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Et antequàm Iudæi interpretationem ſeptuaginta corrumperẽt, in Pſalterio lectum fuit: *Dominus regnabit a ligno*, ſicut ex Iuſtino & Tertulliano licet conuincere. Nihil autem illo dicto apertius: *Foderunt manus meas & pedes meos. dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Hierem.11. Lib.4. de vera ſapientia. Deut.28. Pſalm.49. Pſalm.21.

XIII.

De Chriſti charitate.

QVOD à Propheta dictum eſt: *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans*, ad Chriſtum quoque pro nobis afflictum & crucifixum referam, qui ſuum ineffabilem & incredibilem erga nos amorem tũc declarauit maximè, cùm ſeſe adeò exinaniuit, vt cùm ſummus eſſet Dominus, ſe infimum ſeruum, virum nouiſſimum, opprobrium hominum, vulgi fabulam, & quemadmodũ Paulus vocat, legis maledictum effecerit. *Maledictus enim omnis qui pendet in ligno.* Etenim velut alter Ionas, vt magnam ſedaret tempeſtatem, in qua pereundum erat alioquin cunctis mortalibus, in altiſſimum dolorum pelagus ſeipſe ſponte demiſit, corpuſque ſimul & animam amaris fluctibus afflictionum prorſus immerſit. Ad hanc ſuæ erga nos dilectionis vehementiam deſignandam, cùm longè minore negotio redimere hominem poſſet, flagellis eſt cæſus, ſpinis coronatus, clauis confoſſus, affixus patibulo, ſceleratis annumeratus, & opprobriis ſaturatus, truculentis etiam hoſtibus ita Hierem.31. Pſalm.21. Galat.3. Deutero.21. Ion.1.

[illegible], vt illis a Patre veniam ex amore maximo precare-
tur. Eâdem charitate duce verba illa ſeptem in cruce mori-
bundus protulit, eaque conſummauit omnia, quæ ad Pro-
phetica oracula complenda, & ad ſalutem humano generi
perdito reſtituendam ſpectabant. Amantis erat brachia in
cruce ſua extendere, ſacrumque caput tempore mortis in-
clinare, perinde ac ſi ad amicum oſculum & fidum amplexum
cunctorum animas veluti ſponſas pelliceret, atque ad ſe re-
damandum ſuauiſſimè inuitaret. Cæteris quidem benefic-
is, quæ infinita ſunt, nos ad ſui amorem Chriſtus incitauit;
moriens autem tantùm non compulit, quemadmodum &
oan. 12. illo verbo ſubindicauit: *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia*
om. 5. *traham ad meipſum.* Hinc à Paulo aſſeritur. *Commendat cha-
ritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſe-
mus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Is amore velut ebrius, nos
miſeros ac perpetuæ damnationis obnoxios tanti habuit ac
fecit, vt in redimendis nobis nullam rationem habere vo-
luerit ſuæ naturæ innocentiſſimæ, perſonæ digniſſimæ, cor-
poris tenerrimi, animæ ſanctiſſimæ, vitæ nobiliſſimæ, ac ſan-
guinis demum pretioſiſsimi, quo vbertim effuſo mundum
vniuerſum reſtituit, omniaque in cœlis ac terris pacificauit.
Coloſſ. 1. De hoc amore iuſtè Ioannes prodidit, *Ieſus Chriſtus eſt teſtis*
Apoc. 1. *fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ, qui
dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit
nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.* Et ante Ioannem
Iſai. 53. Iſaias, vt ſuam Chriſto daret gloriam, apertè profeſſus eſt:
*Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe porta-
uit: Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt
propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuo-
re eius ſanati ſumus.*

XIV.

De Chriſti corpore.

AVE Chriſti corpus virgineum, omnis næui ac labis expers, perpetuò purum, & omni ex parte ſanctũ, optimè ſemper conſtitutum, pulcherrimisque animi dotibus, & ampliſsimis virtutibus mirabiliter exornatũ. Aue corpus Angelis iuxta ac hominibus reuerendũ, in vegeta & florẽti illa ætate pœnis acerbiſsimis à Iudæis & Gẽtibus excruciatũ. Aue corpus flagellis laceratum, ſpinis transfixũ, alapis & pugnis liuidum, clauis perforatum, lancea confoſſum, & in aëra cum cruce ſubleuatum, ac velut vua in torculari pro nobis expreſſum. Aue corpus pro cunctis omnium peccatis expiandis traditum, & ſuper altare crucis oblatum, vt hoſtia Deo eſſet in odorem ſuauitatis. Aue corpus, cuius & ſenſus omnes, & membra ſingula proprio ſingulariq; tormento diſcruciata, id effecerunt, vt oblatus ille Agnus fieret nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Aue corpus, quod ſicut ſummè humiliatum, depreſſum, afflictum & morte conſumptum fuit: ſic etiam à morte ad vitam rediens, maximum dignitatis gloriæque gradum obtinuit, vt iam ſuper omnia quæ in cœlo & in terris & ſub terris viuunt, exaltatum maneat, ac ſimul adoretur. De hoc ipſo corpore, quod veri & perpetui fœderis Dei cum hominibus arca viua fuit, Chriſtus longè ante per Iſaiam denunciârat: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & cõſpuentibus.* Ad hoc ipſum corpus plagæ pertinent, quas indicat Zacharias, vt Chriſti vulnera, eorumque cicatrices in Chriſti carne reſiduas comprobet: atque hoc etiam Chriſti nomine adiungit: *Adſpicient ad me quem confixerunt.*

Epheſ. 5.

1. Corin. 1.

Philip. 2.

Iſai. 50.

Zachar. 13. & 12.
Apoc. 1.

XV.

De morte Domini crucifixi.

an.10. MIRABILIS eſt ſanè mors illius magni verè[...]
ni paſtoris, qui vitam ſuam ſimul & ſanguinem [o]uibus redimendis clementer impendit. Et[...] ſua morte tot mille credentium mortem ſuſtulit, ip[ſoſque] mortuos, cùm nulla vitæ & ſalutis humanæ ſpes reliqua e[ſ]ſet, ad vitam perpetuam reuocauit. Mors vtique crudel[is] & acerba, quam homines impij & ſcelerati tam nefariè, perturbatè, tumultuanter, immaniter procurarunt, tantisque illu-
ue.23. ſtrata miraculis, vt ad eius adſpectum non ſolum homines
atth.27. præſentes obſtupeſcerent, ſed cœlum etiam ac terra cohorreſcerent, ac elementa ipſa ſui authoris occiſi deceſſum vel
Euang. lugere, vel vindicare viderentur. Nam vt Hieronymus quo-
atthæi. que dixit: Omnis creatura compatitur Chriſto morienti.
att.27. Sol obſcuratur, terra mouetur, petræ ſcinduntur, velū templi diuiditur, ſepulchra aperiuntur.] Mors demum iſthæc pretioſa, potens & efficax fuit, tot malorum in vtroque ſeculo præſenti & futuro profligatrix, bonorumque omnium ad iuſtitiam & ſalutem hominis pertinentium ferax, qua mortuis vita, ſeruis libertas, & ſalus perditis reſtituitur, iraq; diuina placatur mortalibus. Ita demum impleri cōſtat diuina illa oracula: *Diſpertiam ei plurimos & fortium* (dæmonū)
ai.52. *diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.* Apud Danielem Angelus ita lo-
Daniel. 9. quitur: *Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus qui eum negaturus eſt.* Sed quid ego multis? quando de hoc noui teſtamenti Mediatore ac eius mor-
lebr. 9. te & ſanguine Paulus præclarè diſſerit Hebræis, & inter alia nos omnes ita conſolatur: *Sanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcient*

ſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti: Ac iterum: *Conſummatus*, inquit, *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Adoramus igitur & benedicimus te Domine Ieſu Chriſte, *quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes.* Qua demum ratione *dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem*, quemadmodum & cœlites ipſos conteſtari Ioannis prædicat Apocalypſis. Nõ prætenbo Ignatij teſtimonium de hoc ipſo die, qui Paraſceue dicitur, & ab illo Apoſtolico viro ita deſcribitur: In Paraſceue Chriſtus hora tertia ſententiam accepit à Pilato, permittente id Patre. Sexta hora crucifixus eſt, nona exſpirauit, ante Solis occaſum ſepultus eſt. Sabbatho ſub terra in monumento remanſit, in quo poſuit eum Ioſeph Arimathæus. Complectitur itaque Paraſceue paſſionem, ſabbathum, ſepulturam, Dominicus dies reſurrectionem.]

Hebr. 5.
Apoc. 5.
Apoc. 5.
In Epiſt. ad Trallianos.

DE RECTO ET CHRISTIANO VSV DIEI PARASCEVES.

QVONIAM *hic dies eſt vderiq; debet ſacroſanctus, quem veteres magna religione & grauitate in templo domiq; celebrarunt, non abs re fuerit pauca ſubiicere, quæ ad Catholicam pietatem hodie tum exercitãdam*,

tum confirmandam facere videantur. Ac primum ego corde & ore confitebor inſignem illum & ſolidæ conſolationis plenum fidei noſtræ articulum ab Apoſtolis traditum, nempè, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Hic enim æreus ille ſerpens eſt ab Iſraëlitici populi magiſtro Moyſe erectus in ſolitudine, cuius ſimulacrum conſpectum à venenatis ſerpentibus ſaucios ac morti obnoxios mire curabat. In huius cruce, ſicut in re nulla alia, quæ iuſtitiam & ſalutem æternam homini conferat gloriabor, memor teſtantis hoc Apoſtoli: Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Optabo mihi gratiam dari in hoc ſummo myſterio philoſophandi, de quo idem Paulus, licet in cælum tertium raptus, arcana multa & ineffabilia didiciſſet, tamen fidenter affirmauit.* Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. *Gratulabor & illis omnibus, qui Chriſtum hodie crucifixum & mortuum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ſimulq; vocatis Iudæis ac Græcis Dei virtutem & Dei ſapientiam, ingenue profitentur, illumq; cum ſacrilegis Iudæis non falsò, ſed cum fideli Thoma verè adorant, vt ex animo dicant ſinguli:* Dominus meus & Deus meus. *Maioris idcirco faciam, ac libentius venerabor Eccleſiæ ſacramenta, quòd ſint veluti canales à Chriſti crucifixi latere deriuati, per quos ſacratiſſimæ paſſionis eius virtus ad nos manat, nimirùm gratia, charitas, remiſſio peccatorum, robur ſpiritus, & omnia demum infirmitatis noſtræ medicamenta. Vt hinc ab Auguſtino*

Numer. 21. Ioann. 3. Galat. 6. 2. Corin. 12. 1. Corin. 1. Ibidem. Ioan. 20.

dictum

dictum legamus: Latus Chriſti apertum eſt, vnde ſacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam quæ vera vita eſt, non intratur.] Ac de ſacramentis eiſdem pronunciat Cyprianus: Quicunq; ſunt ſacramentorum miniſtri, qualescunq; ſint manus quæ vel mergunt accedentes ad baptiſmũ, vel vngunt qualecunq; pectus, de quo ſacra exeunt verba, operationis authoritas in figura crucis omnibus ſacramentis largitur effectum, & cuncta peragit nomen, quod omnibus nominibus eminet à ſacramentorum vicariis inuocatum.] In Euang. annis, & li 15. de ciui Dei. cap. 2 — In ſermon de paſsion Chriſti.

Atq; inter omnia Chriſti beneficia nobis collata, nullum ego præſtantius, magiſq; neceſſariũ, & ſæpius expendendum putabo, præterquàm quod hic noui teſtamenti Mediator ac mundi Propitiator, cùm adhuc peccatores & inimici eſſemus, ſuum pro nobis ſanguinem vitamq; profudit. Hoc enim ipſo & Pater æternus, qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus in mortem verè funeſtam tradidit, & Filius ipſe qui nos immundos à peccatis abluit in ſanguine ſuo copioſè profuſo, charitatem incomparabilem declarauit. Cui quidem Opt. Maximoq; Redemptori vt me gratiorem oſtendam, certò ſtatuam illi gratiam à me non minorem deberi, quàm ſi idem non ſolùm pro omnibus Adæ filiis, ſed pro me ſolo hauſiſſet calicem amariſſimæ paſſionis. Unde cum Apoſtolo fidenter & frequenter dicere habeo: Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me: *nimirùm vt hoc inæſtimabile beneficium non ſecus æſtimem, amplectar ac diligã, quàm ſi mihi ſoli fuiſſet impẽſum. Hoc enim affectu me præditum eſſe conuenit, quo ille inſignis Chriſti amator Ignatius flagrans dixit:* Amor meus crucifixus eſt. *Atq; vt re-*

Hebr. 9: 1. Ioan. 2. — Roman. 8. — Apocal. 1. — Galat. 2. — In epiſt. ad Romanos.

Pſalm 83. *ctus obſeruem præceptum illud:* Reſpice in faciem Chriſti tui, *hunc ipſum gloriæ Dominum velut in cruce pendentem, ac vulneribus plenum mihi ob oculos ponam, hisq; illum verbis, vt me docuit Auguſtinus, affabor:* In Meditat. cap. 7. *Quid commiſiſti dulciſsime puer, vt ſic iudicareris? quod ſcelus tuum, quæ noxa tua, quæ cauſa mortis, quæ occaſio tuæ damnationis? Ego enim ſum tui plaga doloris, tuæ culpa occiſionis. O mirabilis cenſuræ cõditio, & ineffabilis myſterij diſpoſitio. Peccat iniquus, & punitur iuſtus. Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat ſeruus, exoluit Dominus: quod committit homo, ſuſtinet Deus.*] *Quapropter ſollicitè mihi cogitandum eſt, quid Chriſtus pro tanto beneficio à me potiſsimùm requirat, & quid ego viciſsim repẽdere debeam. Illud verò in eo conſiſtit maximè, ſummo vt odio deteſter peccatum, quod Filius Dei morte, mortisq; tormentis acerbiſs, magisq; inuiſum habuit. Veriſsimum enim eſt quod Pater* Iſai. 53. *Deus per Iſaiam teſtatur:* Propter ſcelus populi mei percuſsi eum: Omnes enim nos quaſi oues errauimus, vnuſquisq; in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omniũ noſtrûm. *Unde & Chriſtus ipſe per eundem Prophetam homini lo-* Iſai. 43. *quitur:* Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi dolorem in iniqultatibus tuis. *Id quod Bernardus magis explicat, quum Chriſtum Dominum ingrato peccatori exprobrantem ad hunc modum inducit: Nonne ſatis propter te vulneratus ſum? nunquid non pro iniquitate tua afflictus ſum? Cur addis afflictionem afflicto? magis aggrauant*

uant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.] *Quocircà vt Chriſti paſſio & mors, quam nunc Eccleſia maximè repræſentat, fructum nobis genuinum ac neceſſarium adferat, imprimis mori debemus omnes peccato, nec obliuiſci Apoſtolicæ ſententiæ:* Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. *ſicut & Paulus ob eandem cauſam affirmat:* Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, *ſimulq; renatis iniungit omnibus:* Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius. 2.Cor. 5. Roman. 6.

Adhæc præſens dies requirit, Chriſtianum vt luctum libenter ſuſcipiam, & publicè præ me feram. Etenim non ſolùm de hoc die, verùmetiam de præſenti tota hebdomada Bernardus, vt conſtantem veterum Orthodoxorum morem repetat & confirmet, veriſſimè dixit: Uniuerſi Chriſtiani ſacra hæc ſeptimana aut præ ſolito, aut præter ſolitum pietatem colunt, modeſtiam exhibent, humilitatem ſectantur, induunt grauitatem, vt Chriſto patienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam religioſus inquit, qui non compungatur? quis tam inſolens vt non humilietur? quis tã iracundus vt non indulgeat? quis tam delicioſus vt non abſtineat? quis tam flagitioſus vt non contineat? quis tam malitioſus vt non pæniteat his diebus? Meritò quidem: nempè adeſt paſſio Domini vſq; hodie terram mouens, petras ſcindens, aperiens monumenta.] *His conſonat ſæpè Rupertus* Feria 5. de hebdomada pœnoſa.

Abbas,

Lib. 6. de diuinis officiis. cap. 2. & 3.

Abbas, inter alia ſcribens: Non ita gaudere debemus de gratia tradentis, vel de charitate morientis, vt non etiam doleamus, quòd tanto Domino, tormẽtorum & mortis cauſa ſumus. Siquidem non gaudere ingratitudinis, non dolere autem crudelitatis eſt.] *Ac iterum: Hac die triſtitia regnet, hac die contriſtemur ad pœnitentiam: ferrum Dominicæ paſſionis noſtram pertranſeat animam: Claui manuum ac pedum eius, carnem noſtram configant: Crux eius noſtram ſuſpendat concupiſcentiam: compatiamur vt cõregnemus.*] *Et qui multò eſt vetuſtior Chryſoſtomus, tradit ea quæ Chriſtus pro nobis eſt paſſus, cum pœnitentia & planctu perpendi oportere. Humiliauit ſeipſum inquit, vt homo, te pretioſo ſanguine ſuo redemit: qui dat eſcam omni carni, ieiunauit propter te: qui mellis dulcedinem creauit, qui cœlum ſtellarum cœtu coronauit, ſpinis propter te coronatus eſt, & vſq ad mortem obediens factus eſt. Igitur in his non lætari ſed plangere conuenit, & credere dicenti: Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Propterea & Saluator ait: Beati qui lugent.*] *Quare mihi quoq; dictum putabo, quod Propheta Hieremias hortatur:* Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem: Non des requiem tibi, nè taceat pupilla oculi tui: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectũ Domini.

Homel. 22. ad popul. Antiochenſem.

Pſalm. 4.

Matth. 5.

Thren. 2.

Quod verò Chriſtus cruce grauatus, ad lugentes mulieres dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, *iuſta eſt reprehenſio mulierecularum, cæcum & præpoſterum planè luctum præ ſe ferentium, quia non agnoſcebant diuinam Filij Dei potentiam & ineffabilem charitatem, quæ*

Luc. 23.

volens libenſq; pro ſalute perditorum properauit ad mortem, ſed eum ſpectabant vt infirmum & imbecillum hominem, inuito animo tam dira & indigna patientem, qui nec poſſet, ſi vellet, ſe ab hoſtilibus iniuriis ac pœnis defendere. Igitur huiuſmodi Hieroſolymitanæ mulieres egebant correptione, vt indignum indecorumq; fletum compeſcerent, vtq; ſeipſas potius ac filios ſuos deplorarent, quibus, ſicut & vniuerſæ vrbi ac regioni, ineluctabilis, extrema & horrenda prorſus calamitas immineret. Non autem Chriſti mens & ſententia fuit damnare vel prohibere pium ac religioſum lugendi modum, quo Chriſtiana Eccleſia hoc die memoriam paſſionis & mortis eius lugubri pompa & flebilibus ceremoniis concelebrat, quo praètereà pij mortem Domini dolore ac lachrymis, ſuſceptiſq; pœnitentiæ operibus tot ſeculis proſequuntur. Quod quum faciunt, nihil de Chriſto indignè ſentiunt, ſed matrem Domini Chriſto intimè compatientem imitantur, & ſui laudabilis Chriſtianiq; in Chriſtum amoris ſine omni hypocriſi produnt argumenta, ac demum Zachariæ complent vaticinium, quo prædictum fuit de morte Domini ſtudioſè deflenda. Nam & condoleſcentis naturæ ſenſus ſuggerit, & charitatis amicitiæq; ratio poſtulat, vt membra ſuo capiti dolenti & patienti condoleant, ſiue compatiantur, neq; ſint prorſus aſtorgi. Deflebo igitur cum Paulo inimicos crucis, ſiue ſint veteres, ſiue noui, quibus nullum flendi tempus placet in Eccleſia, quiq; perfidis Iudæis tam inſanè quàm importunè ridentibus hodie ſeſe conformant, quum ſe nec à nuptialibus conuiuiis abſtinent, & crucifixi Domini obliuiſcentes, genio, ventri ac luxui inſani deſeruiunt. Ego cum piis maioribus

Ioan. 19.

Zachar. 12.

Roman. 12.

Philip. 3.

Paſchale gaudium expectabo, atq; ad illud me per ſalutarem luctum præparabo, maximè tùm mea, tùm aliorum hominũ peccata ponderans & deplorans, vt quæ adeò ſunt enormia & pernicioſa, vt non niſi perquàm acerba morte ac pro-
Rom.5. Eſai.53. *fuſo ſanguine Filij Dei potuerint expiari. Cùm enim ille Agnus eſſet immaculatus, traditus eſt propter peccata noſtra, vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, vt Scripturæ verbis vtamur.*

Neq; lugendi ſolùm, ſed & precandi ſtudium hoc die mihi augebitur, quandoquidem Chriſtus Dominus paſſionem
Matt.26. & 27. Hebr.5. *ſuã ab orando in horto auſpicatus eſt, & relictus ab omnibus, in cruce ſimul abſoluit, quando ſuum ſpiritũ Patri non ſine clamore & lachrymis commendauit. Tum probatiſſimus Eccleſiæ mos durat, vt ſolennes hodie preces fundantur pro Eccleſiaſticis & politicis Magiſtratibus, pro variis ordinibus Catholicorum, pro hæreticis ac infidelibus, atq; adeò pro perfidis ac ſacrilegis Iudæis authorem vitæ excruciantibus. Accedit quod Redemptoris noſtri oratio & cruenta oblatio hodie in cruce peracta, & à nobis æterno Patri cum vniuerſi Filij meritis propoſita, virtutem immenſam porrigit ad bene ſperandum & poſtulandum, ad impetrandum iidem & accipiendum ea bona, quæ nobis ac aliis deſideramus. Eſt e-*
Pſalm.129. Luc.23. *nim nunc apud Dominum miſericordia & copioſa redemtio, quando & latro ſerò pœnitens, vt primus cum Chriſto paradyſi eſſet incola, orando tam facile impetrauit, & claman-*
Geneſ 4. *te pro nobis de terra in cœlum iuſti fratris Abel ſanguine, pia vota mortalium irrita eſſe non poſſunt. Omni tempore pro ſtatu ſanctæ Eccleſiæ fideliter orandum eſt, inquit Ru-*

pertus,

pertus, ſed hac die præcipue, qua Saluator noſter pro cunctis orauit, & commune pro omnibus ſacrificium factus eſt. Lib.6.de diuin.offic.cap.17.

PRECABOR autẽ, vt bona prætermiſſa quæ indignus ego in omni vita operari debueram, clementer Chriſti meritis ſuppleantur, mala verò cõmiſſa, & meritæ peccatorum meorum pœnæ hoc efficaciſsimo Mediatoris ſacrificio prorſus deleantur, atq; ſic immundus ego, tam pretioſo Agni immaculati ſanguine totus abluar atq; ſanctificer, ac ſimul ad meliorem vitam inchoandam potens auxilium Chriſtianæ gratiæ adipiſcar.

PRECABOR ad amoliendas communes fratrum Eccleſiæq; Catholicæ, ac adeò totius mundi calamitates, vt quæ nullius magis quàm tanti Redemptoris incredibili charitate & immenſa virtute depelli, mitigari, ac ſuperari poſſunt.

PRECABOR pro infidelibus, hæreticis, ſchiſmaticis ac impiis omnibus, vt per eum ipſum vitæ fontem, fideiq; noſtræ authorem atq; conſummatorem IESVM, ſuorum errorum, cunctęq; impietatis tenebris liberentur, ſicq; ad Catholicæ fidei lucem & Eccleſiæ Apoſtolicæ vnitatem amplectendam ſeriò transferant. Heb. 12.

PRECABOR pro Chriſtianis Catholicis in vnitate & obedientia fidei conſeruandis, & pro

ſummo Paſtore, Petriq; Apoſtoli ſucceſſore Pontifi. Romano, vt ouile ſibi concreditum ritè moderetur, & vnà cum aliis Epiſcopis benè præſit Eccleſiis.

PRECABOR pro Regibus, Principibus & Magiſtratibus, vt ſuſcepto muneri ſatisfaciant, inter ſe coniunctè viuant, pacem conſeruent publicam, Eccleſiæq; militantis ſtrenui & fidi ſint propugnatores.

PRECABOR pro afflictis, perturbatis, oppreſſis fidelibus toto orbe terrarum, vt in Christi pro ipſis mortui gratia & miſeratione reſpirent, & in ſuis angoribus ac periculis efficacem Dei opem & conſolationem ſentiant.

PRECABOR inſuper pro iuſtis, vt in vera fide, & via bona confirmentur atq; proficiant. Tum pro iniuſtis & charitatis expertibus, vt è morte peccati ad vitam gratię reſuſcitati, nè Chriſtus pro illis fruſtrâ ſit mortuus, offenſo Creatori per pœnitentiam reconcilientur. Sed & pro animabus Purgatorij, vt pœnarũ diuinæ iuſtitiæ debitarum vinculis liberatæ, deſideratam quietem & neceſſariam pacem in cœlis acquirant. Ac demum pro quibuſuis fidelibus viuis ac defunctis Catholicis, hoc tanto Mediatore & Propitiatore ſemper indigentibus, quàm diu Chriſti in regno cœleſti cohæredes

hæredes

hæredes non ſunt, cum vniuerſa Eccleſia ſupplex orabo: Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus IESVS Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum.

AD PASCHALES FERIAS DE CHRISTI DOMINI RESVRrectione introductio præliminaris.

Reſtè ab Auguſtino traditur, antiquam Eccleſiæ Catholicæ traditionem eſſe, vt cum mœrore Quadrageſimam, & cum lætitia Quinquageſimam poſt Paſcha celebremus: ideòq; ieiunia ſolennia quæ hactenus durauerunt relaxari, & lætum cani Alleluia. tum diebus omnibus inter Paſcha & Pentecoſten intercedentibus, beatam æternitatem nobis hoc Eccleſiæ ritu ſignificari. Fuit ſanè illud quod Paſcha præceſſit, tempus mœroris, mortalitatis, tentationis ac pœnitentiæ: ſuccedit autem à Paſchate conſolationis, lætitiæ & regni tempus, quo Dei laudes à fidelibus frequentantur, ac ſimul futura nobis cum Chriſto in cœlo fœlicitas adumbratur. Nihil verò dubium, Apoſtolos & Apoſtolicos viros diuino Spiritu illuſtratos præclarè ſanxiſſe, Dominicum diem per totum annum ſingulari religione Chriſtianis eſſe colendum, quandoquidem eo die Dominus & Redemptor noſter à mortuis reſurrexit,

In epiſto.119. ad Ianuariũ. Et ſerm.15. de verb. Apoſtoli, & ſerm.251 de tempore.

quemadmodum nos antea probauimus, ac Theophilus Alexandrinus, quem ab Hieronymo Latinè conuerſum habemus, hiſce verbis oſtendit. Et mos & honeſtas à nobis exigit,

In fine lib. 3. Epiſt. Paſchalium.

vt omnem diem Dominicum honoremus, eumq́ celebremus, quoniam Chriſtus Dominus noſter præclarum in ea ſuæ reſurrectionis munus obiuit. Et ideò in ſacris ſcripturis ipſe & primus appellatus eſt, vt ſit nobis vitæ principium, & octauus, vt qui Iudæorum ſabbathiſmum exuberauerit.] Clemens autem Romanus inter Apoſtolicas conſtitutiones quas

Lib. 7. Apoſtolic. conſtitut. cap. 31.

recenſet, hanc quoq́ ponit: Die reſurrectionis Domini quem Dominicum dicimus, conuenite ſine vlla conuentus intermiſſione ad agendum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Chriſtum affecit.] Et poſtea ſequitur: Diem feſtum reſurrectionis Dominico die celebrantes,

Ibidem cap. 37.

in eo lætamur qui vicit quidem mortem, illuminauit vero vitam & immortalitatem.]

Præterea ex veterum Patrum & ſacrorum Cōciliorum authoritate fit euidens, ſacroſancto feſto Paſchatis ſuum certum & legitimum conſtare tempus, quod mutare ſit nefas, neq́ illud iuxta ritum Iudaicum obſeruari oportere, quemadmodum & prima ſynodus Nicena confirmauit. Eſt & illud extra controuerſiam, inter omnes ferias inde à principio in Eccleſia celebratas Paſcha excellere, multiſq́ præclaris nominibus inſigniri. Vocatur enim prima ſabbathi, dies quam fecit Dominus, ſolennitas ſolennitatum, vt eſt apud Gregorium, prima & principalis ex dominicis omnibus, dies

Homel. de Paſchate.

à Chriſto ſanctificatus, regale feſtū, Chriſti reſurrectione conſecratum, de quo pluribus poſtea diſſeremus. Ignatius Mar-

tyr

[illegible] habet in hunc modum: Omnis Chriſti amator Domini- In epiſtola a Magueſian.
*cum celebret diem, diem reſurrectioni conſecratum Domi-
nicæ, reginam & principem omnium dierum, quam expe-
ctans Propheta dicebat, in finem pro octaua: in qua & vita
noſtra exorta eſt, & per Chriſtum mors deuicta.] Quoniam
verò in auguſta Chriſti reſurrectione, vt norunt omnes, hoc
feſtum Paſchale fundatur, & ex ea fidei ſalutiſq; noſtræ ba-
ſis & virtus dependet maxima, quæſtiones aliquot propone-
mus, quibus argumentum hoc latiſſimè patens nonnihil con-
trahatur, ac facilius ab omnibus cognoſcatur. Ita quoq; fieri
poterit, vt maior anſa ſuppetat de hoc præſtantiſſimo myſte-
rio ea meditandi, quæ per haſce Paſchales ferias Eccleſia tot
ſeculis modulatur, ac piis animis vult maximè commendata
eſſe.*

Quis ergo reſurrexit?

MVLTOS *quidem mortuos legimus reſurrexiſſe,
quemadmodum filium viduæ per* [a] *Eliam, & filium Suna-
mitidis per* [b] *Eliſeum ad vitam reuocatos. Reſurrexit &*
[c] *Lazarus quatriduanus, &* [d] *filia Iairi,* [e] *filiúsque viduæ,
ſicut ex Euangelio diſcimus. Nos verò Chriſtum ſolum ho-
die reſurgentem celebramus, & ſancti Angeli teſtimonio fi-
dem habemus, vbi ſic loquitur mulieribus defunctum Do-
minum in ſepulchro requirentibus:* IESVM quæritis Marc. 16.
Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. De- Roman. 4.
us enim propter nos ſuſcitauit IESVM Chriſtum
Dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt
eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iu-
ſtificationem noſtram, *ſicut Paulus perſpicuè aſſeuerat.*

a 4. Reg. 2. b 4. Reg. 4. c Ioan. 11. d Matth. 9. e Luc. 7.

Coloſſ. 1. *Hic ſolus eſt primogenitus ex mortuis, & p[illegible]*
Apoc. 1. *tuorum, primitiæq́ Gentium appellatus, quan[illegible]*
1. Cor. 15. *ter omnes alios, qui poſt mortem vnquam in [illegible] runt, primum & ſummum locum promer[illegible] vitam immortalem reſurrexit, idemq́ viuorum [illegible] rum dominator eſſe cœpit, qui nō ſolùm alio[illegible] ſed eti[illegible] ſum ad vitam reſuſcitauit, ac vnicè illud ſibi vendi[illegible]*
Ioan. 11. *teſt:* Ego ſum reſurrectio & vita.

Quoties autem reſurrexit?

Hebr. 9. & 10 *Ut ſemel Chriſtus pro nobis & peccatis noſtri[illegible]*
Rom. 6. *ita & ſemel à morte reſurrexit, &* reſurgēs ex mortuis, *ſicut Paulus affirmat*, iam non moritur, & mors illi [illegible] trà non dominabitur. *Quicquid enim ad abole[illegible] minis peccatum requirebatur, vnica ſui corporis ob[illegible] & morte Chriſtus expiauit, ac pœnitentibus & obedie[illegible] omnibus voluit applicare. Reſurrexerunt quidem & [illegible] ſed non ſemel, quoniam ad vitam reſuſcitati iteratam [illegible]*
Pſalm. 87. *endi neceſſitatem effugere non potuerunt. Solus aute[illegible]*
Oſeæ 13. *mortuos liber eſt Chriſtus, & qui iure ſuo dicere poſſit:* Ero mors tua ô mors.

Quando ille reſurrexit?

Poſt ſuum ad inferos deſcenſum, poſt patres in l[illegible] liberatos, poſt deſtructum Satanæ regnum, poſt b[illegible] vnionem, quæ inter ſanctam Chriſti animam [illegible] cor[illegible] in ſepulchro facta eſt. Reſurrexit ille Domin[illegible] die, qui à morte quidem tertius appetebat, & ante [illegible]

adhuc tenebræ eſſent, vt illud vaticinium compleretur, Exurgam diluculo, *& quod rurſus per eundem Oſeam promiſerat*: Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius. Pſalm.107. Oſeæ 6.

Quid autem de Chriſti deſcenſu ad inferos?

Nihil ſanè dubium, in cruce Dominum expiraſſe, ſuumq́; reddidiſſe ſpiritum Patri, quando anima eius à corpore ſeiuncta eſt, & ad inferos ſeu infernalia loca deſcendit, & veteres Patres velut in carcere quodam concluſos inuiſit, adeòq́; liberauit. Primus enim hominum parens Adam tali tantoq́; crimine ſuos filios ſiue poſteros omnes obſtrinxerat, vt ex illis fideles etiam qui in Dei timore vixerant, ac piè defuncti fuerant, offenſo Deo perfectè reconciliari, & ab omni poteſtate Sathanæ liberari, atq; ad cæleſtem patriam ingredi nō poſſent, quàm diu generis humani debitum per Chriſti ſummi Pontificis, æterniq́; ſacerdotis mortem non eſſet perſolutū. Longum interim & acerbum illis exilium ſubeundum fuit, ac patienter ferenda ſeruitus atq; captiuitas ad Chriſti vſq; aduentum maximè deſideratum, quoniam ſpes quæ differtur, affligit animam, *teſte Sapiente. Cæterùm quantò plures hodie hunc Chriſti deſcenſum ad inferos, Patrumq́; lymbum quos Chriſtus velut ex carcere liberauit, in dubium vocant, adeòq́; pro nihilo ducunt, tantò magis ego meum in vera fide animum confirmabo, nullumq́; locum concedam hoſtibus Eccleſiæ, qui ſingularem Chriſti gloriam hic obſcurare, immò & extinguere moliuntur. Nec enim nouus aut vulgaris, ſed firmus & conſtans, valdèq́; conſolatorius eſt ille* Luc.23. Hebr.7. Prouer.13.

Orthodoxæ fidei articulus, quo Chriſtum vt Sathanæ Domi-num, & Sathanici regni deſtructorem, Patrúmq; ve[illegible] liberatorem ad inferos deſcendiſſe profitemur. Ita enim [illegible] ipſa monſtrauit, ſe forti armato potentiorem ac ſuperiorem eſſe, qui illum in ſua ipſius domo arripuerit, arreptum [illegible] ac miſerit in abyſſum, vniuerſis eius armis, in quibus [illegible] confidebat, ablatis atq; diſtributis. Atque rurſus [illegible] Chriſtus non ſolùm vim ac poteſtatem, ſed & admira[illegible] ſuam in genus humanum benignitatem demonſtrauit, [illegible] doquidem non tãtùm pro nobis acerbiſſimam mortem [illegible] re, ſed infimas etiam terræ partes penetrare voluit, [illegible] riſſimas animas ex hoc loco ereptas ad beatitudinem tradu ceret, ſuæque cæleſtis gloriæ participes redderet. Quare hunc fidei articulum, qui magna & præclara continet, diuini Apoſtoli condiderunt, ſicut & Athanaſius Magnus eum [illegible] adiunxit ſymbolo, quem inſuper Eccleſia Catholica tùm Græca tùm Latina tot ſeculis concorditer vbiq; gentium profeſſa eſt, hodiéq; publica & ſolenni ceremonia multis in locis religioſè teſtatur. De illo ipſo Petrus Apoſtolus Spiritu ſancto plenus, in prima concione verba fecit, & impoſſibile [illegible] dixit, vt Chriſtus mortuus in inferno detineretur. Mox Dauidis Propheta teſtimonium profert, qui Chriſti perſonam referens, Caro mea *ait*, requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. *Quæ verba ſic Auguſtinus interpretatur: Caro mea non deficiet in interitum, ſed in ſpe reſurrectionis obdormiet. Quoniam neq; animam meam inferis poſſidendam dabis: neq; ſanctificatam*

Luc. 11. Apocal. 20.

Actor. 2.

Pſalm. 14.

In eundē Pſalmū, & lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 18.

carn-

corpus corrumpi patieris.] *Eadem verò eſt Hieronymi, immò & Cypriani & Athanaſii ſententia. Tum idem Apoſtolus Petrus rurſus de Chriſto teſtatur: quòd mortuus his qui in carcere erant ſpiritibus coràm prædicarit, quemadmodum ea verba Hilarius, Ambroſius & Cyrillus intellexerunt. Sed & Paulus Apoſtolus Chriſto tribuit, quod deſcenderit in partes terræ inferiores, ſic infernum appellans, ad quem Dominus iuxta Hieronymum idcircò deſcendit, vt ſanctorum animas quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cœlos victor adduceret. Unde & poſt reſurrectionem eius plurima corpora iuſtorum in ſancta ciuitate viſa ſunt, vt Matthæus aſſerit Euangeliſta. Quod inſuper à Dauide dictum eſt:* Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum, *propter Chriſtum ab inferis redeuntem & exultantem propriè dictum eſſe Cyprianus & Arnobius, eundem locum exponentes affirmant. Clariſſimè dixit Ignatius: Deſcendit ad infernum ſolus: regreſſus eſt autē cum multitudine, & ſeptum illud æternum rupit.*]

1.Petri 3.

Epheſ. 4. & ibid. Hierony.

Matth. 27.

Pſalm. 24.

ad Trallianos.

Eapropter meipſum excitabo, vt coràm ex animo ſanctis illis gratuler Patribus, quos tam diu expectatus, totáq; flagrātibus votis exoptatus Meſſias clementer tandē inuiſit, ac ineffabili prorſus modo, vel inuitis dæmonibus, exhilarauit. Ita enim per ſeipſum Dominus cōplere voluit, quod in ipſius perſona Ieſus Sirach prædixerat atq; promiſerat: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. *Horum piorum animas Propheta Zacharias indicat, ad Chriſtum ita loquens:* Tu quoq; in ſan

Eccleſ. 24.

Zachar. 9.

guine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. *Idipſum præterea expreſſit Apoſtolus illis verbis:* Expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo. *Quod Anſelmus in hunc modum explicat: Chriſtus expoliauit principatus & poteſtates dæmonum, auferendo illis animas iuſtorum, quas in inferno propter culpam primi parentis detinebant.] Ac rurſus: Magnum gaudiũ factum eſt in lymbo, quando anima Chriſti ad ipſum deſcendit, & Patres inde liberauit.] Teſtatur & Gregorius Magnus, Chriſtum ad inferos deſcendentem per ſuam gratiam ſolos eos liberaſſe, qui eum et venturum eſſe crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant. Quibus & Rupertus conſonat, cùm ſcribit, præpotentem Chriſti animam deſcendiſſe ad Patres, & principes tenebrarum diſſipaſſe, iuſtos autem de tenebris exeuntes, in paradiſum eſſe receptos, & cum latrone crucifixo admodum exultaſſe, Chriſtum ipſum toto ſabbatho cum illis ipſis requieuiſſe. Quis ergo nunc infidelis negauerit, vt cum Auguſtino loquar, Chriſtum apud inferos extitiſſe? Quis niſi prophanus & inſanus, Filio Dei tantoperè ſe demittenti, tam amanter conſolanti, tam potenter liberanti ſuam adimat gloriam, & ſanctis patribus obſtrepat impudenter, imò & expreſſum fidei noſtræ articulum audeat in dubium reuocare? Alioquin ſi noſtrorum inſulſam petulantiam libeat æmulari, quis erit modus ac finis erit? quando illi ex infer[...] hoc loco ſepulchrum faciunt, & præterea [...] Dominum ſepul[...] obſtructoq; lapide [...] Iudæorum [...]*

Coloſſ. 2.

In epiſt. ad Coloſſen. & in dialogo de paſsion.

Lib. 12. Moral. cap. 6. & epiſtola 179.

Lib. 7. de diuin. officiis.

Luc. 23.

Epiſt 59. & 99.

[...]

uerat inuiolatis, ex mortuis ſurrexiſſe, quemadmodum & contra expreſſum Ioannis Euangelium fingunt, Chriſtum clauſis ianuis ad diſcipulos non penetraſſe. Is enim illorum eſt mos, vt quæ ſanctæ fidei, Eccleſiæq́ Catholicæ doctrinæ ſunt conſentanea, humanæ rationis modulo metiãtur, Deiq́ verba & opera ad carnis iudicium referant ſæpe. Quod igitur à Ioãne Apoſtolo mandatũ eſt, vt nõ recipiatur nec ſalutetur, quiſquis in Apoſtolica & ſyncera Chriſti doctrina nõ permanet, id præſenti etiam loco mihi faciendũ putabo, omneſq́ huic articulo fidei repugnantes, vt Eccleſiæ veræ hoſtes ac peſtes fugiã, veterum Orthodoxorũ authoritate contẽtus. Ioan.20. Ioan.2.

Quomodo facta eſt iſthæc reſurrectio?

Ingenti certè, nec humana, ſed diuina Filij Dei potentia, qui propterea dixit: Poteſtatem habeo ponendi animam meam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. *Ac iterum cum Iudæis diſſerens:* Soluite *inquit,* templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. *Præterea reſurrexit non ſucceſſiuè, ſed velociter ac momentaneè, integrè quoq́ ac glorioſè, ſicut Paulus illis verbis oſtendit:* Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. *Idem ergò* reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, qua etiam poſsit ſubiicere ſibi omnia, *ſicut idem Apoſtolus aſſerit.* Ioan.10. Matt.28. Ioan.2. 2.Cor.13. Philip.3.

Qualis autem Chriſti reſurrectio in corpore?

Nimirùm ſine naturalibus defectibus, quicunq́ in corpus

hominis mortale cadere poſſunt. Reſurrexit corpus illud incorruptum, glorioſum & præclaris dotibus pulcherrimè cohoneſtatum, nimirùm claritate, impaſſibilitate, agilitate atque ſubtilitate, ſicuti Theologi vocant. Reſurrexit idem corpus Sole ſplendidius, Chriſto interim Apoſtolorum imbecillitati ita conſulente, vt cùm corpus eius adſpicerent, oculi eius claritate non offenderentur. Auguſtinus perſpicuè dixit: Moli corporis Chriſti, vbi diuinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt. Ille quippe foribus non apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas Matris inuiolata permanſit. Quare nihil huic corpori obſiſtere, vel impedimento eſſe potuit, quod vbi, quando & qua forma vellet apparuit, ſeq; conſpiciendum non omnibus, ſed diſcipulis & mulieribus piis præbuit. Unde teſtatur etiã Theophilactus, corpori Domini naturale fuiſſe, clauſis ianuis ingredi, & abſq; labore è loco in locum tranſire.

Traċt. 121. in Ioann.

In cap. 24. Luc.

Cur Chriſtum decuit à mortuis reſurgere?

Potiſſimùm quidem idcircò, vt ſcripturis Propheticis fieret ſatis, quas Chriſtus à Moyſe incipiens, de ſua reſurrectione duobus diſcipulis explanauit, quemadmodum & antea dixerat, ea quæ de ipſius Paſſione & Reſurrectione ſcripta fuerant, conſummari oportere. Ac de Iona quidem Propheta nominatim illud exponit: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, *nimirùm vſq; ad ipſam reſurrectionem. Hunc quoq; Samſon fortiſſimus adumbrauit, vt qui ab armatis hoſtibus obſeſſus, nocte ſurrexit, ſuamq; virtutem oſtendit ma-*

Luc. 24.
Luc. 18.
Ionæ 2.
Matth. 12.
Iudic. 16.

in debellandis hoſtibus, ac Dei populo liberando. Reſurgentis Meſſiæ vox propria eſt: Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me. *Rurſus & illa conſonat:* Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſsionem meam & reſurrectionem meam. *Deinde iuſtitiæ diuinæ congruebat, illum qui ſummus erat, ſeq́; infra cunctos alios abiecerat, gloria & honore circundari, & ſupra omnia in reſurrectione exaltari, ita vt maximam in cruce deiectionem, & Filij Dei exinanitionem, ſicut Paulus appellat, gradus honoris ampliſſimus comitaretur. Quocirca Chriſtus ipſe ita de ſe loquitur:* Ego ſum primus & nouiſsimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis & inferni. *Fuit & conſentaneum, hoc modo naturæ humanæ ſuccurri, quæ cùm in primo parente fœdè lapſa eſſet, ob peccatum morti & Satanæ ſeruiebat, ac talem requirebat medicum, per quem & erigeretur, & in libertatem priſtinam reſtitueretur.* Chriſtus igitur & traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, *ſicut Apoſtolus prædicat: quia non ſolùm morte ſua nos à peccatis liberauit, ſed reſurgens etiam præcipua nobis bona reſtituit, quæ peccando amiſeramus. Hinc iure ſuo Chriſtus ipſe per Prophetam hoc pronunciat:* De manu mortis liberabo eos. *Ac iterum:* Ego ſum *inquit,* reſurrectio & vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. *Apoſtolo teſte. Præterea plurimùm hûc confert iſtiuſmodi reſurrectio, vt conſer-*

uetur

Pſalm. 3.
Pſalm. 138.
Philipp. 2.
Apoc. 1.
Rom. 4.
Oſeæ 13.
Ioan. 11.
1. Cor. 15.

uetur & alatur in nobis fiducia ad hoſtes arcēdos, periculaq; tū corporis, tū animi ſuperāda. Cur enim timeant membra ſub tali Capite? quod peccatum, mortem, Satanam & infernum tam potenter quàm glorioſè deuicit, ſibiq; fideles conformes decreuit, vt nō ſolùm contra inimicos animæ perfectè victores eſſe poſſint, ſed qui etiam incomparabilem corporis gloriã & claritatem perpetuam aſſequantur. Rectè igitur à Gregorio dictum eſt: In ſe exhibuit caput noſtrum, quod nos etiam in nobis tandem in nobis complendum eſſe ſperare debemus. Etenim

1.Cor.15. ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, *iuxta illã*

Ioan.17. *promiſſionem:* Ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis. *De hac autem pluribus poſtea.*

Quibus indiciis Chriſti reſurrectio confirmatur?

Actor.1. *Teſtatur Lucas, Chriſtū poſt paſſionē ſuam in terris quadraginta dies cum ſuis manſiſſe diſcipulis, & multis quidē argumentis ſe viuū illis præbuiſſe, haud dubiè vt reſurrectionis eius veritas, quæ naturæ legem omnem excedit, & ipſis etiam Apoſtolis creditu difficilis fuit, facilius ac certius comprobaretur. Qua ratione factū eſt, vt idem Dominus in manibus pedibusq; cruci affixus, & in latere lãcea perfoſſus, illorū vulnerū cicatrices ac notas, de quibus poſtea dicendū eſt, in reſuſcitato etiã corpore conſeruârit, ſuisq; diſcipulis conſpiciendas præbuerit, omnē de ſpiritu vel phãtaſmate ſuſpicionē illis eximens, ſuumq; corpus nō imaginariū, ſed ſolidū illis oſtendens.*

Luc.24. Videte *inquit,* manus meas & pedes meos, quia ego

Ioan.20. ipſe ſum. *Et quoniã vulnerati lateris plagã ſeruauit apertã, & eandē diſcipulis coràm oſtēdit, ſic Thomã affatur:* Affer manum tuam, & mitte in latus meum. *Siquidem ille*

ferr

[illegible] non eſt, ſi quas dixiremus corporis partes (manus, pedes & latus) videndas proponeret, niſi eaſdem & diſcipulorũ manibus contrectandas exhiberet. Palpate *ait,* & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. *Adhæc communem cum diſcipulis menſam tenere, & cibum quoq; ſumere non eſt dedignatus, ſicut princeps Apoſtolorum in domo Cornelij confirmauit. Rurſus ex Ioanne intelligimus, Chriſtum in diſcipulos inſufflaſſe, & corporeo flatu, qui non niſi viuentis eſt, naturam reſurgentis integram declaraſſe. Illud eſt magnificentius, quod veram & perfectam reſurrectionem non ſolum ipſe in ſuo corpore rediuiuo, ſed in alijs etiam multis ad vitam excitatis confirmauerit, cùm Matthæus aperte ſcribat:* Multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem: & apparuerunt multis. *Quid quod Apoſtolus Paulus palàm affirmat, Chriſtum poſt reſurrectionem viſum eſſe Cephæ, & poſt hoc vndecim, deinde plus quàm quingentis fratribus ſimul? vt omittamus interim quæ per Dominum reſurgentem miracula contigerint, de quibus Ioannes hoc prodidit:* Multa quidẽ & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. *Qua de re plura ſi quis legere volet, ſcribit Ignatius, vt veram & perfectam Chriſti adſtruat reſurrectionem. Qui vt ſuam erga nos bonitatem ac ſapientiam eximiam declararet, & communi mortalium imbecillitati proſpiceret, grauiſſimũ fidei articulum eundemque difficillimum, qui nõ [illegible] fidei noſtræ colu-*

Luc. 24.

Actor. 10.

Ioann. 20.

Matth. 27.

1. Cor. 15.

Ioan. 20.

In epiſt. ad Smyrnenſes.

mnis

mnas Apoſtolos initiò torſit, tot modis aſſeruit atq; ſtabiliuit, vt contra Iudæos, Gentes, hæreticos, adeóq; aduerſus ipſam humanæ mentis infirmitatem, carnis reſurrectionem tum in ipſo Capite præteritam, & in membris mortuisq; omnibus futuram, cuncti meritò credant, & certiſſimè profiteantur. Cætera quæ huc ſpectant, longius perſequi non attinet, quoniam illa cum lectionibus Euangelicis ſequentibus, earumq; notis, facile coniungentur.

IN FESTO SANCTISSIMO PASCHATIS, SEV DOMINICAE RESVRRECTIONIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

TRactat Euangeliũ de piis matronis, iam antea Chriſti amori & obſequio deditis, nunc verò, id eſt, Paſchali & Dominico die, ad mortuum eius corpus honorificè in ſepulchro curandum & vngendum accedentibus. His Angelus ſepulchri lapidem ingentem amolitur, ac velut iuuenis, eaſdem in ipſo ſepulchro cum fulgenti veſte ſedens, vel ſtola candida coopertus, blandè conſolatur, factamque Domini reſurrectionem primum denunciat. Monet præterea, vt lætum eiuſmodi nunciu ad Petrum & cæteros diſcipulos mortem Domini lugentes perferant, foreque promittit, vt omnes illi ſuum Dominum & Magiſtrum in Galilæa coram ſpectent. His tribus Mariis, vt vulgus illas vocat, Deipara virgo non [illegible]

annumeranda, cui Chriſtus rediuiuus iam antè, vti dicemus, ſeorſim apparuerat, & quæ in fide vtique perfectior cognoſcebat, hoc filij ſui corpus vnguento diuinitatis delibutum, quam diu in ſepulchro maneret, nullis indigere aromatibus, vt à corruptione præſeruaretur. Laudem tamen & priores illæ promerentur, quoniam, vt Cypriani verbis vtar, primæ viderunt & cognouerunt quæ ardentius dilexerunt, quæ deuotius quæſierunt: illæ ſermocinatæ cum Chriſto, certificatæ quod ipſe eſſet qui à mortuis reſurrexiſſet, nunciant Petro & cæteris, quod Chriſtus reſurgens a mortuis, iam non moritur.] Atque vt minus admiremur, Chriſto vt mortis Principi, rediuiuum corpus reſtitui, cum Bernardo & aliis Theologis confitendum eſt, hanc Chriſti propriam, & nulli mortuorum communicatam vnquam fuiſſe gratiam, vt ſeipſum à morte reſuſcitaret, vereque diceret: Poteſtatē habeo ponendi & iterum ſumendi animam meam. Neque ſine ingenti miraculo contigit, corpus hoc perfectè integrum, totumq; glorioſum, ſua vi per clauſum ſepulchrū penetrare, quemadmodum & cum naſceretur, è clauſo Virginis matris vtero in lucem prodiit, ſimulque poſt reſurrectionem clauſis ianuis ad ſuos diſcipulos, vt Ioannes oſtendit, intrauit. Quibus de rebus, ſicut & aliis ad myſterium Dominicæ Reſurrectionis pertinētibus, nos deinceps plura dicemus. Hodie lætantur vtique homines & Angeli, viui & mortui, cœlum & terra, immò ad infernum vſque pars lætitiæ gloriæque Paſchalis deſcendit, quandoquidem Chriſto reſurgente infernus apertus, renouatus mundus, & via ad cœlum ſtrata eſt. Hæc ſunt feſta Paſchalia, in quibus verus ille Agnus celebratur occiſus, cuius ſanguine poſtes celebrantur, & à quo mortui ad vitam immortalem reſuſcitantur. Paſcha quippe noſtrum immolatus eſt Chriſtus, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit, quandoquidem ruptis funeſtæ mortis vinculis aditum nobis patefecit ad patriam cœleſtem, à qua tot annorum millibus exulauit totum genus humanum.

Serm. de reſurrect. Chriſti.

Serm. in die ſancto Paſchæ.

Ioan. 10.

Ioan. 20.

Exod. 12.

1. Cor. 5.

EIVS-

EIVSDEM FESTI EVANGElium. Marci XVI.

IN illo tempore. *Maria Magdalene & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent* IESVM. *Et valde mane vna ſabbathorum, veniunt ad monumentum, orto iam ſole: & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida: & obſtupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expaueſcere:* IESVM *quæritis Nazarenum, crucifixum: Surrexit, non eſt hic. Ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM ET OCTAVAM feſti Paſchalis vniuerſam.

I.

Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Pſalm. CXVII.

CVm nouo & ardenti ſtudio, nec ſine lætitia quadã, hunc diem ſacroſanctum celebrabo, quemadmodum Propheta Dei ſpiritu plenus verbis ſuperioribus fideles omnes hortatur. Ac primùm cœleſti æternoq; Patri non modo cum creſcentibus in hac vita, ſed etiam cum cœlitibus omnibus ac triumphante Eccleſia ingentes gratias agere par eſt, quandoquidem dilectum Filium ſuum, eiuſque ſanctam humanitatem ſi antehac vnquam, nunc vel maximè clarificauit. Impletum eſt enim quod idẽ Chriſtus ante mortem fuerat precatus: *Pater clarifica filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Etenim Pater illum clarificauit, quem in mortem crucis traditum, & in monumento nouo ſepultum, tertio die ſummo mane à mortuis reſuſcitauit, ita vt beata Domini noſtri anima non ſine ineffabili gaudio rurſus cum corpore mortuo coniungeretur: membraq; eius omnia inæſtimabili honore & perfecta gloria complerentur, Chriſtusq; incomparabili dono immortalitatis ampliſſimè dotaretur. Hoc enim eſt, quod idem Chriſtus Patrẽ ſuum alloquens, longè antè per Prophetam prædixerat, ſicut & Petrus Apoſtolus ea verba eſt interpretatus: *Caro mea* inquit, *requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meã in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo*: vel ſicut in Actis legimus: Replebis me in iucunditate cum facie tua. His conſonat idem Princeps Apoſtolorum affirmãs: *Hunc IESVM reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus.*

Ioan.17.

Pſal.15.
Actor.2.

Actor 2.

Act.2.& 3.

Sed & Chriſto ipſi velut auguſtiſſimo Principi, ac ſupremo Monarchæ, immò & præpotenti Deo, qui claues habet mortis ac inferni, quas poſſum gratias agam maximas, quòd ſuo promiſſo iampridem per Dauidem facto abundè reſponderit: *Ego* inquit, *dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi.* Vnde & illa reſurgentis aperta vox extat: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Etenim vt naturam diuinã nulli communicabilem, & ipſius propriam declararet, ſuapte virtute corpus illud excarnificatum quod in ſepulchro iacebat ex-

Apoc.1.

Pſalm 3.
Matth. 28

[illegible], a mortuis ad vitam redierunt, ſimulque gloriam [illegible] immortalem condidit, dignus planè, qui [illegible] [illegible]
uioſſ 1. [illegible] poſt mortem reuixerunt, primogenitus [illegible]
pocal.1. & primitiæ dormientium appelletur. Primum [illegible] cum inter mortuos obtinet, qui omni rurſus moriendi neceſſitate liberatus, ad vitam immortalem re[illegible], ac [illegible] omnes mortuos excitare conſtituit. Vt hinc etiam Paulus
Cor.15. clarè pronunciet: *Chriſtus reſurrexit a mortuis, primitiæ dormientium: quoniamquidem per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Ac rurſus alio loco, *Chri-*
Rom.6. *ſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.*

Quam Christi Domini reſurrectionem, vt [illegible] ac maximũ fidei noſtræ myſterium ego tanto promptiore [illegible]
Actor.1. & 2. ardentiore complectar animo, quanto illud Apoſtoli [illegible]
Rom.1. cti eius à Deo teſtes crebrius inculcant, quantoque cu[illegible]
1.Cor 15. t[illegible] per illud Chriſtus ſeſe declarat verum ac æte[illegible]
1.Pet.1. filium, qui ſolus de morte & Satana talem triumphum reportauit, vt cuncti iure cum Paulo dicamus lætiſſime: *Deo*
1.Cor.15. *gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Cæterùm de corporali ſimul & ſpirituali reſurrectione Chriſti & noſtra commodius poſtea diſſeremus. [illegible] interim mihi valdè gratum ac ratum vetus inſtitutum, quo iampridem ſancitum habemus, vt hic dies verè Dominicus, longèque ſanctiſſimus religione maxima tranſigatur, ac [illegible] ſtis aliis omnibus in vniuerſa Eccleſia præponatur. Etenim eo die Imperator noſter ab inferis adſcendit, ac ſimul diem luci effecit, in quo cæcitatis tenebræ fugerent, [illegible] ſtitiæ Sol ſplendidius, quàm anteà vnquam, exori[illegible], dum Victor ab inferis rediens, priſcos patres tanquam [illegible] ſyderum choros ſecum adduxit, ac non paucos [illegible] ſtupen-
Matt.27. dæ Reſurrectionis conſortes effecit. Monet igitur Chryſoſtomus, omnes canere Alleluia, & pulſare citharam Dauid
In Serm. de Reſurrect. Domini. Pſaltis Regij hoc modo cantantis: *Hæc eſt dies quam fecit* [illegible]

[illegible] propter Dei ſapientiam inquit, conuertamur ad Chriſti clementiam: triumphemus in Chriſto, qui nobis donauit miſericordiæ medicinam.] Vbi Græco Chryſoſtomo latinũ Cyprianum libet adiungere, vt ſingularis & eximij feſti huius iam antè laudati ſolennitas plurimum teſtimonio cõmendetur. Honorificatus eſt inquit, Chriſtus reſurgens à mortuis, victor mortis, ſpolians inferos, & captiuos præmittens ad ſuperos. Huc uſq; per humilitatis gradus aſcendens, modò gloria & honore coronatus, nil mortale, nil paſſibile retinens, impaſſibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria, & reſurgẽtes in beatitudine conſtituit ſempiterna.] Multa ſcribit & Maximus de ſanctâ lætitia cum Paſchate commungenda. Lætemur inquit, in Chriſti reſurrectionis die. Communis enim omnium, communis eſt noſtra lætitia. Cõmunis planè, quia omnes illo reſurgente ſurreximus. Omnium enim reuixit ſaluti, qui pro omniũ peccatis addictus eſt paſſioni.] Ac iterum: In Saluatore omnes ſurreximus, omnes reuiximus, omnes ad cœleſtia tranſmigrauimus. Eſt enim in illo Chriſti homine vniuſcuiuſque noſtrũm carnis & ſanguinis portio. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo: vbi dominatur ſanguis meus, me ſentio dominari: vbi glorificatur caro mea, me glorioſum eſſe cognoſco.] Demum Rubertus hoc ingens feſtum decenter ita prædicat: O verè feſta dies, verè beata nox, nobilitas anni, menſis decus, árma dierum, ſplendor horarum, nox in qua deſertus infernus, apertus eſt paradiſus. Paſcha Hebraicè, Latinè dicitur tranſitus. Quis ergo tranſiuit? vnde & quò tranſiuit? Chriſtus Dominus tranſiuit de hoc mundo ad Patrem, de morte ad vitã, de ignobilitate ad gloriam, de ſeruitio ad regnum, de contumeliis ad honorem, de fluctibus ſeculi ad portum cœli, de medio latronum ad Patris conſeſſum. Tranſiuimus & nos. Paſcha enim noſtrum Chriſtus eſt, tranſitus noſter immolatus eſt CHRISTVS. Tranſiuimus inquam, de tenebris ad lucem, de fatigatione ad requiem, de planctu ad canticum, de nuditate ad tegumentum, de paupertate ad o-

Serm. de reſurrect. Chriſti.

Homel. 3. in feſto Paſchatis.

Lib. 6. de diuinis officiis. cap. 26.

pulentiam, de reatu ad gratiam, de pœna ad gloriam

Eapropter exiſtimabo, illos nomine Chriſtiano indignos, vereque lugendos eſſe tanquam mortuos, quos non Paſchalis lætitiæ ſenſus afficit, quique guſtum non capiunt tam inſignis ac potentis triumphi à Chriſto poſt labores ac dolores maximos meritò reportati. Is paulo antè inter nefarios latrones damnatus, crucifixus ac mortuus, ita nunc caput auguſtum erigit, vt Dominus virtutum, rex gloriæ ac leo de tribu Iuda non minus ab Angelis quàm ab hominibus perpetuò ſalutetur. Triumphârunt olim de ſuis hoſtibus Alexander Magnus, Iulius Cæſar, multique Romani heroes, ſed quorum nullus vel vmbram victoriæ à Chriſto partæ aſſequi potuit: quia hic ſolus mortem, dæmonem & inferos, vt nihil de aliis ab illo ſubactis hoſtibus dicam, fortiſſimè ſuperauit, & quod eſt admirabilius, ſuis etiam miniſtris poteſtatem tribuit, vt eoſdem aduerſarios, quibus nihil eſt formidabilius, debellare, ſibique ſubiicere & conculcare poſſint. Hic dies eſt ille tertius, quo ex mediis fluctibus maris Ionas prodiit, & Chriſtus noſter ex imis inferis, & per occluſum ſepulchrum reſurrexit, ſuamque victoriam mortalibus denunciauit, & ſimul certos electos omnes reddidit, quod in anima & corpore lætè ſint reſurrecturi. Ergóne hunc ego diem reuerenter habeam, diémque proprium exultationis ducam, in quo totus præ lętitia exiliam, & iucundè cum Propheta decantem: *Cor meum & caro mea exultauerũt in Deum viuum? Vox enim exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorũ,* nunc per omnes Hieruſalem vicos cantantium Alleluia. Cur non plenus gaudio cum Iſaia dixerim: *Laudate cæli, & exulta terra, iubilate montes laudem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur?* Habeo ſanè, cur vnà cum Angelis ipſis admirabundus exclamem: *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ? Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ?* Quid multis? neque Chriſti ca[illegible] nec corporis eius Eccleſiæ viuum dici membrũ [illegible]

Pſalm. 23. Apoc. 5. Ionæ 2. Pſalm. 83. Pſalm. 117. Tobi. 13. Iſai. 49. Pſalm. 23.

mini ſanctoque piorum omnium gaudio deſtitutus, & in ſordidis mundi carniſque rebus detentus, hodie non exhilaratur, hodieque in Chriſto rediuiuo non lætè gloriatur. Tanto magis concinamus & recinamus omnes veteris & præſentis Eccleſiæ probatiſſimum canticum:

Salue feſta dies toto venerabilis æuo,
Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.

II.

Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata.

DE mulieribus ego nunquàm contemptibiliter loquar, ſed omnem fœmineū ſexum, vtpote à ſummo Deo in paradiſo conditum, tanto ſtudioſius honorabo, quanto magis eum Chriſtus die Paſchatis è morte reſurgens cohoneſtauit, ac reipſa præſtitit, quod Apoſtolus pronunciat: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Reſpexit hodie matrem ſuam Virginem, (fœminarum omnium decus incomparabile) cui ſe rediuiuum, vt Ambroſius, Bernardus, Rupertus, aliique præclari Theologi autumant, & rationi prorſus eſt conſentaneum, vel primùm oſtendit, cui & poſt ſummos animi compatientis exantlatos angores, reſurrectionis ſuæ gloriam feſtiuius haud dubiè communicauit. Reſpexit & Mariam Magdalenam, cui inter teſtes, vt vocant, prærordinatos, poſt Matrem ſuam inprimis ſecundùm Marcum apparuit. Reſpexit & ſocias huius Magdalenæ fidaſque ſectatrices, quarum laus extat apud omnes Euangeliſtas: his enim ſeorſim ſe videndum, immò & tangendum adorandumque in via præbuit. Eiſdem ſanctis mulieribus, quas multi Marias ab aliis appellari diximus, de cœlo miſit Angelum conſolatorem (Lucas duos Angelos ponit) & in ſepulchrali lapide amoliendo adiutorem, qui nouum

[Margin: Geneſ.2. — 1 Cor.1. — Marc.16. — Matth.28. — Luc.24.]

uum Euangelium de hac augusta reſurrectione primum hominibus denunciaret. Reſpexit & Apoſtolos in ſummo errore verſantes, ac Petrum maximè, quos per eaſdem mulieres reſurrectionis ſuæ cōſcios initio reddidit. Quod ſi totam hiſtoriam paſſionis, mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Dominicæ repetamus, fatendum eſt, eaſdem matronas viris omnibus fuiſſe conſtantiores, fideliores, religioſiores & erga ſuum ac noſtrum Redemptorem in magnis etiam diſcriminibus magis officioſas. Fecit igitur illis magna qui potens eſt, vt primæ fierent reſurrectionis Domini non ſolum auditrices, ſed & poſt Angelum prædicatrices, natura quidem & ſexu fragiles ac imbecilles, ſed quarum ſancta ſollicitudo, operoſaque charitas mirum in modum eluxit, vt vbicunque hoc de reſurgente Domino Euangelium recitatur, celebris etiam illarum vigeat memoria, & in toto mundo recolatur, indeq; Paſchale gaudium tum viris tum mulieribus credentibus in hunc vſque diem quotannis augeatur.

Cuiuſcemodi ſanctæ fœminæ, fidæq; Chriſti Domini diſcipulæ, ſectatrices ac amatrices, tantò mihi & bonis omnibus chariores eſſe debent, quanto conſtantius eidem Domino in vita & morte, immò & poſt mortem familiarius adhæſerunt, vt ab eo diuelli non poſſe viderentur. *Fortis enim vt mors dilectio*, ipſaque morte nonnunquàm fortior, Paulo ipſo de ſe aſſeuerante: *Certus ſum, quia neq; mors, neq; vita, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto* IESV *Domino noſtro*. Hæ velut bonæ magiſtræ, docent me non parcum, ſed largum ac liberalem eſſe, vbi pecunia Chriſti amore in pios vſus conferenda eſt. Etenim Chriſtum in terris euangelizantem vltrò de ſuis alebant facultatibus, ſiue vt Lucas ait, miniſtrabant, & ad Ieſu demortui corporis vngendum aromata non vulgaria procurabant, [illegible] ad monumentum nullo etiam adhortante ferebant. Nec diſſimiles his fuêre Ioſeph ab Arimathæa & Nicodemus Phariſæus, adeò non parcentes ſumptibus, vt corpus Chriſti [illegible] mortuum nō ſolum [illegible] [illegible] etiam [illegible]

Cant. 8. (beside "ſerunt, vt ab eo diuelli…")
Rom. 8. (beside "ſo de ſe aſſeuerante…")
Luc. 8. (beside "ſiue vt Lucas ait…")
Ioan. 19. (beside "ſimiles his fuêre…")

[illegible] in ſepulchro condire voluerint, ferentes mixturę myrrhæ & aloës quaſi libras centum, ſicut Ioânes affirmat. Murmuret interim auarus Iudas cum ſuis aſſeclis, quãtum velit, & ſubdolè queratur, immodicum omnem eſſe ſumptum in Chriſti corpus magis quàm in egenos à religioſa Magdalena ac illarum veluti duce, collatum. Ego ſecus cùm Chriſto iudice ſentiam, & iſtiuſmodi mulierum Euangelicarum exemplum nobis imitandum putabo, nihil dubitans, bonum Deóque gratum opus eſſe, licet vnà cum pueris ramos palmarum, vel ſimul cum paupere vidua pium donum attulero, vnde cultus Dei, aut Eccleſiæ fabrica vel ſuſtentatio aliqua ex parte promoueatur. *Si enim oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit* iuxta Chriſti ſententiam. Docent nos præterea, infractum retinere pectus in mediis periculis, vt maximè hoſtium terrores ac minæ obiiciuntur. Siquidem iſtæ quamuis inermes & fragiles, armatos milites qui ad ſepulchrum Dominicum aduigilabant, aliósque feroces Iudæos, qui Chriſti familiam oderant, nequaquam extimuerunt, cùm ad idem ſepulchrum viſendum properarẽt. Nã cœleſtibus potius quàm humanis præſidiis nitar, vt confidenter in meis tentationibus cum Propheta cantem: *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo, In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* Rurſus hæ mihi confirmant diuinũ illud oraculum, *Ego diligẽtes me diligo*, & quod Pſaltes nõ ſine admiratione iuſta cantauit: *Quàm bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde?* Magnis enim prærogatiuis, vt diximus, ornat illas Chriſtus, ſeque tantò blandiorem illis oſtendit, quanto illæ maioribus officiis ipſum antea ex amore non ficto cohoneſtârãt. Adeò verum eſt Apoſtoli dictum: *Sicut ſocij paſſionem eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Qua ratione Propheta de ſeipſo etiam teſtatus eſt: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Proinde cùm adeò fidum & ſuauem Dominum habeamus, qualem hæ mulieres expertæ ſunt, etiamſi ad tempus angar in cruce, & a-

Ioan. 19.
Matt. 26.
Ioan. 12.
Matt. 21.
Luc. 21.
Matth. 6.
Pſalm. 117. & 107.
Prouer. 8.
Pſalm. 72.
2. Cor. 1.
Pſalm. 93.

marum calicem bibam, tamen certa ſpe nitar, & expectatione affuturæ mox conſolationis meum fulciam animum, ac
ſalm.36. illud mihi quoque dictum arbitrabor: *Expecta Dominum & cuſtodi viam eius, & exaltabit te.* Poſtremò non obſcurè com monſtrant, fidelibus conuenire ſtudium curandi [illegible] funera, quos Chriſtiano luctu & piis officiis proſequuntur,
eneſ.23. & quemadmodum cum laude fecerunt Abraham Patriarcha,
o.
ctor.8. filij Iacob, & qui Stephani lapidati corpus terræ mandarunt.
ccleſ.7. Scriptum eſt enim: *Mortuo non prohibeas gratiam.* Quæ dere
n lib. de re- alibi tempeſtiuius: tantùm ex Hugone Etheriano, qui non
reſſu anima- ignobilis author eſt, ſequentia ſubiiciam. Si ſepulchra re-
ũ ab inferis. quit, orationes, obſequia defunctis fieri magiſter noſter Chriſtus renueret, nequaquàm ſuum corpus [illegible] plum expoſuiſſet vniuerſo. Ecce Ioſeph & Nicodemus (idē
oan.19. de noſtris Mariis eſt iudicium) multam inſumpſerunt pecu niam, vt illud tantum à vermibus defenderetur.]

III.

Et valde mane Sabbathorum veniunt ad monumentum.

MEAM ergò ſegnitiem, pigritiam ac tarditatem, quæ in cultu Dei ſæpè recurrit, cum harum mulierum vigilantia, alacritate & ſedulitate haud immeritò comparabo. Etenim illæ non ſolis ortum expectant, neque
oan.20. ſomno inerti vacant, ſed Magdalena quidem cùm adhuc te nebræ eſſent, ad monumentum properat; & de aliis ſodalibus Lucas aſſerit, quod valde diluculò, ſiue vt Marcus ha
Luc.24. Marc.16. bet, valde manè venerint ad monumentum. Ignorantes lo cem iter non omninò ſecurum arripiunt, atque in ipſo iti nere ſanguinarios Chriſti hoſtes, ac impios Dominici ſepul chri cuſtodes negligunt potius quàm reformidant. Præte
oan.19. reà illis nō erat ſatis, Chriſti Domini corpus à Ioſepho & Ni

cod[illegible]o

eo demo iam pretioſis & exquiſitis aromatibus eſſe conditum, ſed iuuat illa idem corpus aliis non vulgaribus adhi bitis vnguentis, non alienis, ſed propriis vngere manibus, nec horrore vllo mortui corporis, vt aliis contingere ſolet, in hoc officio ſe ſinunt impediri. Tā ardens iſtarum in Chriſtum erat affectus, quæ lachrymis haud dubiè & ſingultibus crebris, vt Cyprianus quoque notauit, mortem dilectiſſimi Domini deplorârunt, ac noctem illam vigiliis magis quàm ſomno tribuerunt. Nec minus interim ad feriandum rationem ſabbathi habuerunt, vt præcepto diuino ſatisfacerent, quia, vti Lucas aſſerit, ſabbatho ſecundùm mādatum ſiluerunt. Dolebo igitur hos pios æſtus & affectus, tantumq; ſtudium ſanctè amantium mihi ſæpenumerò deeſſe, certoque proponam in animo, torporem, ocium, ſomnum, pigritiā, incuriam, & quicquid in amando Chriſto me impedit ac retardat, fortiter excutere, ac veteri homini ad laxiora procliui ſupra modum indulgere cauebo. Scio enim, quàm malè ceſſerit Apoſtolis nocturnæ orationis tempore dormientibus, vt idcircò Chriſtus eos increpans dixerit: *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Et Apoſtolicum præceptum illud exigit, *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in charitate fiant.* Quod ſi bona conſcientia teſtari non poſſum: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ*, quemadmodum & Chriſtus Dominus noctu vigilandi & ſedulò precandi conſuetudinem habuit, ſaltem illud mihi ſumam, vt cum Rege Dauid verè confirmem: *In matutinis meditabor in te*: vtque illud Iſaiæ obſeruē: *Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Etenim inter alia iuſti officia id quoque poſtremum non eſt: *Cor ſuū tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Atque vt præclarè docet Chryſoſtomus, veros Chriſti milites decet, Angelicam vitā iuxta communionem vitæ Domini, & reſurrectionem mortuorum viuere, quibus vigiliæ ſint quàm ſomnus gratiores,

In ſerm de reſurrect. Chriſti.

Luc.23.

Matth.26. Marc.14.

1. Cor.16.

Pſalm.118.

Luc.6. Ioan.18. Pſalm 26.

Iſai.26.

Eccleſ.39.

In Homel. de militia Chriſtiana.

quique noctes pro diebus transigant, in hymnis cœlis va-
gentes, atque colloquia cum Deo crebriora traducentes,
Cor.10. ita vt in carne ambulantes, ſicut Apoſtolus loquitur, non ſe-
cundùm carnem militent. Etenim *qui Christi ſunt*, vt idem
Galat.5. affirmat, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, paſſionibus &
concupiſcentiis.*

IV.

*Quis reuoluet nobis lapidem à monumento? Et reſpi-
cientes viderunt reuolutum lapidem.*

SECVNDVM naturam & facultatem humanam fieri non poterat, vt ſaxum ingens, quo ſepulchrũ Domini vndique claudebatur, per haſce mulieres, ac nè per viros quidem tam facilè moueretur. Cœleſti autem & Angelica poteſtate factum eſt, vt non modò ſaxum illud dicto citius aperiretur, ſed & illæ in monumentum Domini abſque labore & difficultate, ſicut optabant, ingrederentur, ac præſentes illic duos Angelos, vt
Luc.24. Lucas aſſerit, fulgenti veſte amictos contemplarentur. Illuſtre hoc exemplum admonet, ne humanæ potentiæ & curioſitati, externiſque ſenſibus multùm tribuam, vbi de ſacris ſanctis & arcanis fidei noſtræ myſteriis percipiendis agitur, quantumuis caro & ratio, ſed & mundus & hæreſis aduerſentur, illudque opponere videantur: *Quomodo poſſunt hæc*
Ioan.3. *fieri?* Errauit prima & infœlix mater Eua, ab aſtuto illo ſer-
Genes.3. pente ſeducta, quoniam prohibitæ arboris blando aſpectui nimium indulſit, & in verbo Domini audito à ſancta fidei ſimplicitate diſceſſit. Puniuit & Angelus Gabriel patrem
Luc.1. Ioannis Zachariam, quoniam humanam ratiocinationem ſectari voluit, & ob decrepitam vxoris ætatem de promiſſo ſibi filio dubitauit. Peccârunt itidem craſſi Capharnaitæ cùm
Ioan.6. Chriſtum de Euchariſtia diſſerentem audirent, remque om-

dinum

diuinam ſenſu proprio metirentur: quoniam ſenſus carnalis, vt Cypriani verbis vtar, ad intellectum tantæ profunditatis non penetrat, niſi fides accedat. Hinc & Christus quoſdã e ſuis diſcipulis redarguit, quod ſuæ reſurrectionis myſteriũ tot modis comprobatum, tam ægre aſſequerentur, quia cõmuni illorum ducerentur errore, qui ſecundùm carnem iudicant, atque ab Abrahæ fide & obedientia procul abſunt. Is enim fide confortatus, gloriam Deo dedit, *pleniſſimè ſciẽs, quia quæcunq; promiſit ille, potens eſt & facere.* Serm. de cœna Domini. Marc. 16. Roman. 4.

Proinde multis mihi modis procurandum eſt, vt in rebus arduis quæ captum humanum ſuperant, carniſq; iudicium excedunt, ego Dei omnipotentiam in virtute ac vigore fidei apprehendam, ac totus ex Dei verbo per Eccleſiam nobis reuelato pendeam. Gratiam enim Dei, qua nihil fortius, nihil præſtantius eſt, humanæ naturæ tam inconſtanti & fragili ſemper anteponam, neque mihi vel rationi, aut ſenſui, vel experientiæ (omnis enim homo mendax) ſed humanæ æternæque veritati DEO, qui nec falli poteſt, nec fallere, fidendũ ac inhærendum putabo, & in eius authoritate irrefutabili conquieſcam. Quod enim miſſus è cœlo Angelus pronunciauit, & Virgo ſacroſancta credidit, id ego citra omne dubium retinebo, certiſſimèque profitebor: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Tum ex Euangelio planiſſimè patet, omnia eſſe poſſibilia credentibus, ſperantibus, precantibus atque diligentibus. Ac ibi ſcriptum habemus: *Omne quod voluerit Deus, faciet: & ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis?* Miſſam ergo faciam omnem de diuinis myſteriis inquirendi curioſitatem, & diuina iudicia, eorúmque rationem ac cauſam non peruestigabo, ſed ſancta fidei ſimplicitate cõtentus, vnà cum Gregorio Magno dicam: Diuina operatio ſi ratione comprehendatur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.] Atque hîc locum habent diuinæ ſententiæ: *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne ſis ſapiẽs apud temetipſum. Noli altum ſapere, ſed time. Væ qui ſapientes* Pſalm. 115. Luc. 1. Marc. 9. Roman. 5. Ioã. 16. & 14. Sapien. 8. Homel. 26. in Euangel. Prou. 3. Rom. 11. Iſai. 5.

eſtis in oculis veſtris, & coràm vobiſmetipſis prudentes. Etenim *corde creditur ad iuſtitiam*,(in his nempè omnibus, quæ veritatis omnis columna,firmamentum & magiſtra Eccleſia nobis credēda proponit) *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, Apoſtolo teſte. Hac ipſa fide imbutus ego,quicquid Eccleſiæ hoſtes garriant, apertè profitebor,Chriſtum Dominum ad inferos deſcendiſſe, & ad ſuos diſcipulos per clauſum ſepulchrum & obſeratas fores cum glorioſo corpore penetraſſe, vulnerúmque cicatrices in carne ſua retinuiſſe, à quo & ſeptem ſacramenta ſint inſtituta, & qui Petri fidem non deficientem,Eccleſiámque ſuam portis inferorum vſque robuſtiorem faciat,ac demum per Spiritum ſanctum fideles ſuos veritatem omnem creditu neceſſariam doceat,& vſque confirmet.Eôdem ſpectat quod è mundo diſceſſurus ille aſſeuerauit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi.* Ac iterum in extrema cœna: *Cum venerit ille Spiritus veritatis,docebit vos omnem veritatem. Ieſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula.* Quid multis? Melior eſt fidelis ignorantia, vt ab Auguſtino traditur, quàm temeraria ſcientia.

V.

Nolite expaueſcere: IESVM *quæritis Nazarenum.*

SI Euangelicam hiſtoriam,quæ Chriſti reſurrectionem exponit,ritè conſiderem,certè multa & præclara ſunt,quibus ad Paſchale gaudium celebrandum exciter ac impellar.Etenim Angelus,qui mulieribus hodiè primùm apparet, ac lætiſsimum Dominicæ reſurrectionis adfert nuncium, florentem & æquè iucūdam adoleſcentis ætatem præ ſe fert,nec niſi ſtola candida ſeu veſte fulgenti coopertus apparet, pauidas verò mulieres ſermone blando recreat, omníque metu ſoluit. Quid autem lætius & optabilius,præterquàm de crucifixi & mortui Do-

mini

mini reſurrectione nunciaret? nec ſolùm hoc mulieribus, ſed & peccatoribus iubet reuelari, ne Petro quidē excepto, qui crebrius ac fœdius reliquis diſcipulis magiſtrum ſuum paulò antè abnegârat. Iam verò ſi mulieres ipſas nobis proponamus, hæ gaudio plenæ, de ſepulchro alacriter currunt, ac eiuſmodi nuncium in ſummo mœrore conſtitutis diſcipulis exponunt, iubéntque bono illos eſſe animo, quoniam communis ipſorum magiſter, quem ipſi mortuum deplorarent, viuat immortalis. Dici porrò non poteſt, quantus gaudiorum cumulus acceſſerit, quum diſcipuli Chriſtū ipſum viuum adſpicerent, cumque in cœna Hieroſolymitana præſentem & colloquentē & conueſcentem haberent, qui commune & incredibile illorum gaudium verbis & ſignis magis ac magis augeret. Frequenter enim & familiariter eos Chriſtus inuiſit, ſuúmque excellētem erga illos amorem per dies quadraginta modis variis declarauit, vt futuri orbis magiſtri, & Eccleſiæ architecti myſteria regni Dei rectius intelligerent, & in vera fide atque doctrina ſeſe & alios ſolidè corroborarent. Marc.16. Ioan.20.

Quæ omnia mihi ac piis omnibus iuſtam præbent cauſam, vt hoc tempore præceptum illud Apoſtolicum obſeruemus, quo dictum eſt: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Cum hoc gaudio coniungam congratulationem quæ ad Chriſtum ipſum, ad priſcos Patres, ad electos diſcipulos, atque ad totam demum Eccleſiam recta dirigatur. Cur enim Chriſto in prælio maximo tam potenter pugnanti, tam glorioſè vincenti non gratuler, cui & muta elementa iam lætius quodammodò congratulando ſeruiunt, quòd primus & ſolus ille de mundi principe verè forti armato, & ſimul de inferni carcere, mortiſque aculeo & imperio admirabiliter, vt nemo vnquàm aliâs, triumphauit? Is paulo ante mortem precatus fuerat, & exauditus eſt pro ſua reuerentia: *Pater* inquit, *clarifica Filium tuum.* Etenim illius anima, quæ toto paſsionis tempore gaudio priuata, & ineffabili triſtitia repleta fuerat in hac reſurrectione ſummum gaudium & in Philip.4. Luc.11. Ioan.17.

comprehenſibilem

comprehenſibilem gloriam atque quam cùm ea quæ digna- tem etiam aliis, præſertim in lymbo miſere verſantibus, in- ſigniter communicauit. Tum qui ſenſus & membra ſua tor- mentis ac pœnis horrendis ſubiecerat, reſurgendo corpus illud incomparabili honore gloriáq; compleuit, ſed & ſuis electis glorioſi corporis dotes impertiri conſtituit, quo- lorum perfectionem & gloriam ſiue in anima, ſiue in corpo- re, ſuam eſſe ducat, & in illis veluti membris ſe ipſe capite ma- ximè cupiat glorificari. Vnde moriturus pro illis Patrem o- rauit, ſimúlque promiſit: *Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam quam dediſti mihi.* Deinde cùm ſpiritus charitatis fideles gaudere cum gaudentibus poſtulet, priſcis gratulabor Patribus tam diuturno & acerbo lymbi carcere concluſis, quòd ardentiſ- ſimi voti ſui tandem facti ſint compotes, vt cùm antea eſſent velut populus ſedens in tenebris & vmbra mortis, nũc quia lucem illam mundi Chriſtum apud inferos relucentem a- ſpiciunt, ſe velut in paradiſo verſari putent, ſummámque Re- demptoris conſolationem cum perfecta libertate coniun- ctam percipiant. Nec minus electis & dilectis Domini diſci- pulis gratulabor, quibus Paſcha fœlix præter expectationẽ omnẽ illuxit, vt ex mœſtiſsimis ob magiſtri ſui Reſurrectio- nem auditam atquе́ conſpectam lætiſsimi omnes efficeren- tur. Efficax enim in illis fuit Chriſti promiſsio, qua ſibi præ- dictum audierant: *Vos nunc quidem triſtitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Cur demum toti Eccleſiæ non gratuler, quæ capitis & ſponſi ſui reſurrectionem non poteſt pro im- menſo theſauro non ęſtimare atquе́ complecti, & illo ve- luti fonte maximorum bonorum ita ſe cõfirmat ac recreat, vt cum principe Apoſtolorum non ſine voluptate ſumma in templis omnibus pronunciet: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri* IESV *Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis*, vt cætera interim prętermittam. [illegible]

Ioan. 17.

Ioan. 16.

1. Pet. 1.

ſectioni Eccleſia fert acceptam victoriam electorum, qui ab æterna peccati morte liberati, nunc in nouitate vitæ ambulare, & poſt mortem corpore iam velut ex ſomno excitati, vitam immortalem agere, & cum Chriſto Domino etiam ſecundùm carnem regnare, atq; ita filij reſurrectionis eſſe perpetuò poſſunt. Pro quibus inenarrabilibus beneficiis, quæ ex hac ipſa nunquàm ſatis laudanda reſurrectione proficiſcuntur atque tot millibus fidelium quotidie communicantur, ſanctam ego lætitiam præ me feram, & per hanc octanã, ſi poſſim, hymnum vel canticum aliquod ſtans & gaudens recitabo, vel breuiter ſaltem cum Paulo illud repetam: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Alleluia. Luc. 20. 1. Cor. 15.

VI.

De Chriſti reſurrectione ad futuram electorum reſurrectionem applicanda.

EST id quidem extra omnem cõtrouerſiam, Chriſti reſurrectionem opus verè mirificum, ſublime, diuinum, adeoque reſurrectionis noſtræ cauſam efficiẽtem & exemplarem eſſe, & quod in illo ceu capite reſurgente præceſſit, velut figuram & prototypum eius exiſtere, quod in viuis eius membris poſt mundi finem ſecundùm carnem reſurrecturis certiſsimè ſubſequetur. Id quod Apoſtolus verbis planiſsimis ſemel ac iterum confirmauit. *Scientes* inquit, *quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.* Ac rurſus: *Si credimus quòd* IESVS *mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Ieſum adducet cum eo. Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſq; autem in ſuo ordine,* vt idem Paulus affirmat. Nec obſcura eſt collatio, ſi aduertamus animum, quomodo membris cum Capite ipſo 2. Cor. 4. 1. Theſſ. 4. 1. Cor. 15.

pulchrè

pulchrè conueniat in reſurrectione. Vtrúmque ſummo con
Ioan. 5. ſtat miraculo, Chriſtum per ſe reſurgere, & mortuos audita
in ſepulchris voce Redemptoris ac Iudicis, ad vitam ipſa lu-
1. Theſſ. 4. uante protinus excitari. Chriſtus carnem mortuam & ſepul-
tam recepit integrè: ita verò quiſque reſuſcitatus carne &
cute ſua quam nunc circumfert, & in morte ponet, circum
dabitur, nihil vt deſit vſquam corporis integritati, quod ad
illius veritatem, atque ad hominus decus & ornamentum
poſſet deſiderari. Reſurrexit Dominus, vti dictum eſt ſouel
1. Cor. 15. & ſubitò, ſed & ætate florente. Eadem mortui cum Chriſto
Epheſ. 4. habebunt communia: ſemel in corpore, & in ictu oculi ad
vitam reſuſcitandi, quando in menſuram ætatis plenitudinis
Chriſti ſuo occurrent Iudici. Ad immortalitatem reſurrexit
Dominus, & idcircò rediniuus impaſsibile corpus perpetuò
1. Cor. 15. ſeruat. Ita & corruptibile hoc, in quo nunc viuitur, induet
immortalitatem, neque mortis tantùm, ſed defectus & in-
commodi omnis expers vſque permanebit. Reſurrexit Do-
minus cum glorioſo, claro, lucido corpore, licet hanc eius
miam gloriam, quam nullus mortalium ferret adſpectum, co
ràm ſuis diſcipulis prudenter occultârit. Ita ſanctorum cor-
Matth. 13. pora tanquàm Sol, in regno Patris eorum fulgebunt, & ſo-
Philipp. 3. lari luce clariora, corpori claritatis Chriſti conformabun-
tur. Reſurrexit ille cum dote quam vocant, agilitatis, vt facil-
limè & celerrimè in quamcúnq; partem moueri poſſet. Ad
quem modũ electi tanta corporis virtute & pernicitate con
Iſai. 40. firmabuntur, vt ſicut Iſaias inquit, aſſumant pennas ſicut a
quilæ, currántque & non laborent: ambulent & non deficī-
1. Theſſ. 4. ant: ideòque ſicut Paulus affirmat, in nubibus Chriſto ob-
uiam in aëra mirandum in modum rapientur. Reſurrexit de-
mùm Chriſtus cum ſubtili corpore, vt per clauſum ſepul-
chrum & obſeratas ianuas ſine mora non minus quàm Sol
per feneſtram vitream, atque adſcendens ad Patrem, cœlos
abſque illorum inciſione pertranſiret. Nec erit diſsimile in
corporibus beatorum, quibus nihil obſiſtet, ſed peruadent
omnia ob incredibilem penetrãdi virtutem illo Paulo dein

dignus.

ſignificatam. *Seminatur* inquit, *corpus animale, & ſurget ſpirituale*, id eſt ſpiritui ſimile, quandoquidem inſtar ſpiritus, animæ dominio erit planè ſubditum, vt cœlorum quoq; corpora penetret. Fiet igitur quod pulchrè Cyprianus de eiuſmodi corpore glorioſo ſcripſit, vt poſt reſurrectionem non aggrauet animam, ſed ſit caro ſine mole & pondere agilis & mobilis, nullis clauſa obſtaculis, viſu & auditu penetrãs omnia & attingens, quocunq; voluerit ſine impedimento diſcurrens.] 1.Cor.15. Serm. de reſurrect. Chriſti.

Ex quibus omnibus abundè cõſtat, Chriſtum Dominum reſurgentem, non modò de ſua, ſed de noſtra etiam iuſtorúmque omnium reſurrectione futura mortales omnes ſapientiſsimè commonuiſſe. Illam ipſam ego, vt officio meo ſatisfaciam, ritè, frequenter ac ſedulò meditabor, ſimúlque tanto mortis victori & naturæ humanæ reſtitutori gratias ampliſsimas agam, ſicut & Petrus & Paulus Apoſtoli, vt antea meminimus, nobis agendas optimè cenſuerunt. Hinc præterea me aliosque mœrentes, ac in grauiſsimis etiam ærumnis poſitos conſolabor, quemadmodum Iob affictiſsimum & morti proximum feciſſe conſtat. Etenim ad humanas imbecillitates ac ægritudines ſuſtinendas, nec minus ad mortis metum ac horrorem abiiciendum præſentiſsimũ eſt antidotum, ſi cum eodem Iob fide ardens, illud mecum reputem, & ex animo dicam: *Scio quòd Redemtor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum. Quẽ viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Quibus & illa Pauli ſententia conſonat: *Si ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitãtem ſpiritum eius in vobis.* Ac iterũ alibi: *Cũ Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Poſtremò hæc futuræ tum reſurrectionis, tum immortalitatis memoria & expectatio acre mihi calcar addet, vt me vitámq; omnem accu- 1.Pet.1. 1.Cor 15. Iob.19. Rom.8. Coloſſen.3.

raté componam, nihílque prudens ac volens admittã, quod
in illo ter fœlici beatorum ſtatu iuſtum mihi pudorem, ſe-
Cor.5. rámque pœnitentiam adferre poſſit. *Omnes enim nos mani-*
feſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; pro-
pria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Ac tum quidẽ
Rom 2 vt nunquàm aliàs, gloria & honor & pax omni bonum ope-
1. Cor.15. ranti rependetur, tunc ſtella à ſtella differet in claritate, tunc
1. Cor.3. vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum
laborem, Paulo Apoſtolo teſte. Quid multis? diuinam Chri
ſti promiſsionem electis factam, & qua nihil optabilius, im-
Ioan.17. pleri neceſſe eſt: *Volo*, inquit, *vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum:*
vt videant claritatem meam quam dediſti mihi, nimirùm in re-
ſurrectione & aſcenſione. Erimus enim filij reſurrectionis,
capiti noſtro Chriſto conformes, & oppreſſa morte, ſuba-
ctísque hoſtibus omnibus, perfecta tum animæ, tùm corpo-
Galat.6 ris beatitudine perfruemur, tantoq; magis ac plenius, quan-
to nũc expreſsiora paſsionis Chriſti ſtigmata, in hoc corpo
2. Cor.1. re mortali quiſq; portauit. Etenim *ſicut ſocij paſsionum eſtis, ſic*
1. Cor.7. *eritis & cõſolationis*: éritque tunc Chriſtiana virgo quãuis vi-
dua, & hæc honeſta coniuge beatior. *Qui autem docti fue-*
rint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam e-
rudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, ſicut An
Daniel.12. gelus apud Danielem affirmat. Ego interim cum Paulo etiã
Philipp.1. atque etiam deſiderabo, vt anima mea corporis carcere li-
berata, in Chriſti regno priorem beatitudinem aſſequatur:
2. Cor.5. ſed & corpus ſuo tempore ſtola immortalitatis fœliciter ſu-
Apoc 21. perueſtiatur, quando nimirùm lachryma omnis à iuſtorum
Iſai.65. oculis abſtergetur, nec vltra vox fletus & doloris, ſed laudis
ac iubilationis duntaxat in Hieruſalem perpetuò reſonabit.

VII.

Qua ratione Paſcha meum celebrabo, feſtiq; tam au-
guſti & celebris fructum aſſequar ſalutarem?

NEMPE ſi nouo & auguſto Regi ab inferis & tumulo reſurgenti, mortiſque ac hoſtium victori ad ſuos redeunti, inter tot electorum millia & ipſe inter extremos lætabundus occurram: ſi præterea cum Mariis & Thoma, eiuſdem maieſtatem incomparabilem (*Data eſt enim mihi* ait, *omnis poteſtas in cælo & in terra*) reuerenter agnoſcam, & ſupplex adorem; ſi inſuper huic ex mortuis Primogenito ſuper omnia exaltato, eidemque viuorum & mortuorum dominatori & iudici, me totum ſubmiſsè cōmendem, ac velut mancipium addicam deuotiſſimum. Hic etenim vita mea, ſpes mea, reſurrectio mea: in hoc IESV qui declaratus eſt filius DEI, & noua facit omnia, exultabo, nouumque illud cantabo canticum cum his, qui cùm Leonem de tribu Iuda victorē in cœlis aſpexiſſent, in facies ſuas proſtrati, & vno ore parique cordis ardentis affectu incenſi, in has voces prorumpere nō ceſſant: *Allelu-Ia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparabit ſe.* Adhæc illum velut ſponſum animæ meæ brachiis ac obuiis vlnis amplectar, qui vnus vitæ & ſalutis meæ author atque conſeruator eſt, qui me regni ſui gloriæque ſuæ participem facit, qui non ſolùm de anima, ſed etiam de carne mea glorificanda curam gerit fidiſsimam, & cùm de cœlo reuerſus apparuerit, me ſibi prorſus ſimilem efficere ſtatuit. *Scimus* enim, *quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, vt Ioannes affirmat. Meum igitur Paſcha erit, nouo ardentique ſtudio huic glorioſo & immortali adhærere Principi, illi perfectè colendo curam induſtriamque omnem impendere, ac reſurrectionē quandam ſpiritualem duobus argumentis teſtatam reddere, Primùm quidem, vt ad benè beatèque viuendum voluntatem in me firmam atque conſtantem tuear: deinde vt in iugi veteris hominis mortificandi cura ſtudioque perſiſtam. Huc enim planè ſpectat, quod Paulus Chriſti reſurrectionem ita commendat, vt ſimul renatos hortetur, ſicut diximus, in no-

Marci 16. Ioan. 20. Matth. 28. Coloſſ. 1. Rom. 14. Habaccu. 3 Rom. 1. Apocal. 21. Apoc. 19. 1. Ioan 3. Rom 6. Coloſſ 3.

uitate vitæ ambulare, & eos qui in baptiſmo ſacro ſpiritualiter cum Chriſto reſurrexerunt, ea quæ ſurſum ſunt quærere ac ſapere, neque minus membra ſua ſuper terram mortificare, & veterem hominem cum ſuis actibus expoliare, atq; vt ab omni vitiorum fermento maneant expurgati.

Eòque magis infœlicem illorum ſortem deploro, qui vt ſanctum Paſcha, nouamque Reſurrectionem profanè cõſpurcent, nullam vitæ nouitatem cum illo coniungunt, ſed ſtatim ad veterem peccandi licentiam redeunt, & qui paulò antè per pœnitentiam Deo cœperant eſſe reconciliati, velut immundæ ſues, vix dum relictis vitiorum ſordibus ſeſe rurſus immergunt. Hos Bernardus amatores ſeculi, & crucis Chriſti inimicos appellat, quibus peccandi tempus facta ſit reſurrectio Saluatoris. Ex hoc nempè inquit, commeſſationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitię repetuntur, & laxantur concupiſcẽtiis frena: quaſi ad hoc ſurrexit Chriſtus, & non magis propter iuſtificationem noſtram. Timendum valdè ait, ne dies iſta, ſiquidem & ipſa poſita eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël, reprobet nos vel tanquàm manifeſtè alienos à Chriſto, Chriſto non communicantes, vel tanquàm ſocios Iudæ, in quem intrauit Sathanas poſt buccellam. Igitur vt ſacro temporis & Eccleſiæ inſtituto ſatisfaciamus, Paulinum illud pręceptum in Eccleſiis Catholicis decantatum obſeruare par eſt: *Epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſynceritatis & veritatis.* Celebrant Iudæi ſuum Paſcha, quod iam antiquatum eſt, cum azymis, panibus, lactucis agreſtibus, arreptis in manum baculis, & pedibus ad iter expeditis, atque ſic aſſum igni agniculum feſtinanter manducant. Aliud Paſcha Chriſtianis cõuenit, vt agnum Dei Chriſtum ipſum edant infermentati, non ſolùm propter nouam regenerationem in ſacro baptiſmo perceptam, verumetiam ob Euangelicæ doctrinæ veritatem & ſynceræ vitæ nouitatẽ aſſumtam, vt hoc argumento reſſentur, ſe ſpiritualiter cum Chriſto reſuſcitatos, ac demum glorioſo corpore cum eo

ipſo

ipſo ſemper victuros eſſe. Bernardus de teſto celebrado pulchrè ſic dixerit: Quicunque nouam quandam deuotionem & gaudium in Spiritu ſancto ingreditur, nec tàm compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoria & inflammatur æternorum deſiderio præmiorum, is planè eſt qui cum Chriſto reſurgit, qui Paſcha celebrat, qui feſtinat in Galilæam.] Quarè maiorem in modum caueбo, nè vti pleriſque autore Satana vſuvenit, his tā ſolennibus & lætis feriis licenter abutar, ideoque non tantummodò fœlicem Chriſti & ſanctorum, ſed etiam infœlicem ac horrendam malorum reſurrectionem, in animum mihi reuocare contendam. Etenim de his qui dormiunt in terrę puluere, ſicut Daniel Propheta nos admonet, *alij in vitam æternam euigilabunt, alij in opprobrium*, ſiue vt Hilarius legit, *in confuſionem reſurgent, vt videant ſemper*, id eſt, nō tantum afficientur opprobrio, ſed illud etiam ipſi ſemper intuentes, incredibiliter cruciabuntur. Quod ipſum Chriſtus hoc ſermone confirmat: *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò malè egerunt, in reſurrectionem iudicij*, hoc eſt, iudicio Dei æternis ſuppliciis deputabuntur. Vt hinc Paulus etiam prudenter admonuerit: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. Boni quippe non tantùm reſurgent, ſed etiam ad conſequendā gloriam immutabuntur, ex quibus Iob beatæ reſurrectionis cupidus fidenter aiebat: *Expecto donec veniat immutatio mea.* Etſi verò reſurgent etiam reprobi, futuri quoque immortales & incorrupti, tamen ſtatu glorioſo carebunt, & reſurgent velut paleæ leuiſſimæ, non autem in concilio iuſtorum vel ſanctorum Eccleſia, ſed in cœtu condemnatorum, cum quibus ibunt in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Sed enim tu Domine IESV, qui es vita & reſurrectio noſtra, trahe me poſt te, vt vbi corpus tuum eſt, illic & ego cum Aquilis tuis congreger, ac tecum in gloria perpetuò viuam, quemadmodum Paulus etiam magnoperè deſiderauit. Nulla mihi ſit pars cum fidelibus & infidelibus malè viuentibus,

In Serm. de die ſancto Paſchat.

Daniel. 12.

In Pſalm. 52.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

Iob. 14.

Pſalm. 1

Matth 25

Ioann. 11.

Cantic. 1.

Luc. 17.

Philipp. 1.

uentibus, peius morientibus, ac peſſimè demum reſurrecturis, vt ſecunda mors in illos habeat poteſtatem, illiq; gehennæ inextinguibilis fomites & pabula, tum corpore, tum animo ſine fine cum tetris dæmonibus excrucientur. *Pars enim illorum erit,* ſicut Ioannes aſſerit, *in ſtagno ardenti, igne & ſulphure,* & ſecundùm Iſaiam *præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabunt.*

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt potens ac efficax reſurrectionis Dominicæ fructus non ſolùm ad fideles, ſed etiam ad infideles, totumq; orbem ſe porrigat per quem, ſicut Petrus Apoſtolus loquitur, in ſpem viuam & hæreditatem incorruptibilem regenerentur, vt non modò Chriſtum reſurgentem videant & credant, ſed* credentes etiam exultent lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei ſalutem animarum.

INVOCABO *Chriſtum Dominum, vt ſicut olim lugentes ac plorantes diſcipulos per Angelos & Marias, immò & per ſeipſum hodie plurimùm eſt conſolatus: ita ſingularem & Paſchalem lætitiam illis impertiat, qui pace & conſolatione tum ſpirituali, tum corporali vbiq; gentium indigent: nimirùm vt mærentes in Chriſto* IESV *crucifixo, mortuo & reſuſcitato reſpirēt, nouumq; iam auguſti feſti fructum & effectum in ſe ſentiant. Etenim vt primùm Chriſtus Dominus ab inferis rediens triumphator, ſeſe rediuiuum terris reddidit, hoc Paſchatis die minimè fuit ocioſus, ſed ſui corporis reſurrectionem, quæ ſummam omnibus præſentibus conſolationem adferebat, variis in locis manifeſtauit, & noui velut ſolis immiſſo ſplendore, cunctorum oculos & animos mirabiliter paſcere voluit & exhilarare.*

ORABO *inſuper Deum pro magna turba fidelium, qui præſenti feſto die, quē ſanctificare maximè oportuit, indignis modis abutūtur, ſeq; Chriſto Domino ingratos, nec minus Eccleſiæ matri immorigeros exhibent. Nam Iudæorum inſtar, diuini timoris obliti, à cæleſti manna ad ollas carnium Ægyptiacas, id eſt, ac*

veterem carnalis vitæ licentiam, munziq́ vanitatem per hasce ferias cupidè prouolant, vt quod ſpiritu cœperant, carne conſumant. Ego verò non amittam confidentiam, quæ non confundit, magnamq́ habet remunerationem, & in illa rogabo Dominum ingemiſcens, quòd huius tabernaculi diſſolutio & corporis mei redemptio tam diu differatur: Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potẽs eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem, quo apparebit gloria Redemptoris, *illumq́ regem gloriæ cernent electi omnes in decore ſuo, vt in carne ipſa videant Deum, vtq́ pedibus eius omnia ſubiciantur.* Si enim Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, (*Paulinis verbis vtor*) qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. *Præclarè ſcripſit hoc Martyr Polycarpus: Reſuſcitaturus eſt nos Deus ad vitam, ſi fecerimus voluntatem eius, & ambulauerimus in mãdatis ipſius, & dilexerimus quæ & ipſe dilexit, auocantes nos ab omni iniuſtitia.*]

Galat. 3.
Roman. 5.
Hebræ. 10.
Philip. 2.
2. Tim. 1.
Iſai. 33.
1. Theſſ. 4.
In epiſtola ad Philippen.

FERIA SECVNDA PASCHAE.

Sequentis Euangelij argumentum.

HOc Euangelio Lucas oſtendit, Chriſtum Dominum ipſo Paſchatis die ſuis diſcipulis frequenter apparuiſſe, nimirùm vt eos de facta ſui corporis reſurrectione certiores redderet, atque ob mortem ſuam mœrentibus atque plangentibus ſingularem conſolationem adferret. Apparuit igitur duobus illis in caſtellum Emaus

ab Hieruſalen. profectis,quorum alter a Luca Cleophas,
In apologia Dauid. alter ab Ambroſio Ammon nuncupatur. Apparuit deinde
Ioannis 20. vndecim Apoſtolis in Hieruſalem veſperi congrega-
Luc. 24. tis, vt Ioánes & Lucas exponunt,ac ſeparatim etiam,neſcio vbi, Apoſtolorum principi Petro ſe videndum præbuit, quem haud dubiè fuerit mirificè conſolatus. De aliis apparitionibus mœſtiſsimæ matri & amicis aliis eodē die factis iá antè meminimus. Præcipua verò hiſtoria, quá hîc tractat Lucas, ad illos duos pertinet diſcipulos, quos Chriſtus peregrini forma ſuſcepta, vt agnoſci non poſſet, comitari & inſtruere, ſuisq; ſermonibus inflāmare dignatus eſt. Illos ipſos velut in rebus fidei rudes obiurgat,his de reſurrectionis ſuæ myſterio ſcripturas veteres aperit, & ab illis inuitatus ad menſam accedit,ſeq; in fractione panis eiſdem cognoſcendum exhibet, vt ipſi deinde alios fidei ſuæ cóſcios è veſtigio reddant.Id quod illi ſedulò ſanè præſtant, qui poſt Chriſtum agnitum ſtatim relicta cœna, nocteque contemta Hieroſolymam redeunt, & aliis diſcipulis, ſuisq; fratribus læta denunciant. Et quia Lucas hic meminit de Emmaus, ſiue vt alij vocant, Emaunte, non omittemus adſcribere, quod So-
Lib. 5. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 20. zomenus refert: Romanos poſt captam Hieroſolymam ex hoc caſtello ſiue pago feciſſe vrbem dictam Nicopolim,& ante hanc vrbem eſſe fontem ſalutarem,in quo nó homines modò qui ægrotant,loti curantur:verùm etiam alia animalia, quæ variis morbis laborant. Nam ferunt ait, Chriſtum vnà cum diſcipulis quodam tempore è via ad fontem illum diuertiſſe, inq; eo lauiſſe pedes, & aquá ex eo tempore vim morbis medendi habuiſſe.] Cæterū ſæpè variisq; modis apparet Chriſtus iam rediuiuus non omnibus, ſed diſcipulis, quos peculiariter delegerat, vt apud Iudæos & gentes eiuſdem reſurrectionis teſtes forent, cumq; fidei articulum longè difficillimum, de quo
1. Cor. 15. credentes etiam Corinthij contendebant, omnium animis firmius infigeret. Quomodo autem ſe vel alios e mòrte vnquàm reſurrecturos crederent aut ſperarent, qui eo tempore cum Epicureis, Lucretio & Seneca poſt mortē cuncta finiri,nullamque animæ humanæ vitam poſt hanc

vitam ſupereſſe, multóque minus mortuos in corpore tandem reuicturos omninò perſuaſum habebant. Certè Athenieſes, apud quos Ethnica philoſophia cumprimis florebat, cùm audirent hanc reſurrectionem à Paulo aſſeri, illam ludibrio habuerunt. Et mixti Iudæis Sadducæi, ſicut & inter Chriſtianos hæretici Simon, Baſilides, Carpocrates, Valentinus, Apelles, Marcion, vt alios taceam, quibus Hymenæum & Philetum annumerare licet, futuram hanc reſurrectionem prorſus reiecerunt. Quàm ſcitè autem Chriſtus reſpondet his impiis omnibus? Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei.] Præclarè dixit Tertullianus. Fiducia Chriſtianorum reſurrectio mortuorum. Nec dubitat affirmare Damaſcenus: Si reſurrectio non eſt, nec Deum eſſe, nec prouidentiam, ſed caſu omnia ferri & agi. Nam ad iuſtitiam DEI ſpectat, vt piorum caro quæ laborum, ieiuniorum & vigiliarum ſocia fuit, ſit etiam & conſolationis ac mercedis particeps.

Actor. 17.
Matth. 22.
1. Timot. 2.
Matth. 22.
Lib. 4. de fide Orthodoxa.

EIVSDEM DIEI EVANGElium. Luc. XXIV.

DVO ex diſcipulis ibant ipſa die in caſtellum quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine Emmaus, & ipſi loquebãtur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt: dum fabularentur & ſecum quærerẽt, & ipſe IESVS *appropinquans ibat cum illis. oculi autem eorum tenebantur, nè eum agnoſcerẽt. Et ait ad illos, Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei. Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & nõ*

cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coràm Deo & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël, & nūc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quòd hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita inuenerunt ſicut mulieres dixerūt, ipſum verò non inuenerunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quò ibant: & ipſe ſe finxit longius ire. Et coëgerunt illum dicentes, Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cū illis. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit & fregit, & porrigebat illis Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum Et dixerunt ad inuicem. Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Hieruſalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes. Quòd ſurrexit Dominus verè, & appa-

ruit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo.

RECTE ſcriptum eſt à Sapiente, *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Tantoque magis laudabo Chriſtum Dominum à mortuis reſurgentem, omniſq; ſanctæ reſurrectionis authorem, cui & gratias ex animo agam, quòd in vita mortali tam præclarè ſe geſſerit, vt à morte laudem publicam & nunquam interituram ab omnibus toto orbe promereatur. Fuit vtique, quemadmodum hi duo diſcipuli, quamuis in fide nondum perfecti, aſſerunt, *Propheta potens in opere & ſermone coràm Deo & omni populo*: qualis nempè nec Moyſes, nec Helias, nec Heliſæus, nec quiſquā alius Propheta vnquàm extitit, qui ſuum in docendo & agendo munus maiore cum fide, authoritate & poteſtate præſtaret. Etſi enim certam firmamque fidem his commodare maximè debeam, quæ in ſacris literis de Chriſto Dei & Mariæ filio prædicantur: tamen non adſpernabor, ſed libenter amplectar etiam aliorum teſtimonia, qui tametſi plena fide caruerunt, ſcripturis tamen ſacris conſentanea in medium adferunt, & Chriſtianam nobis comprobant veritatem. Ex hiſce poſt Sibyllas nō eſt poſtremus Ioſephus, inſignis olim apud Iudæos Rabbinus, ſimulque ſcriptor Romanis perceleberis habitus, cuius de Chriſto teſtimonium vnà cum veteribus

Eccleſ. 11.

Lib. 18. antiquitatū. cap. 4. & Sozomen. lib. 1. hiſtoriarum.

Theologis recipiam & approbabo. Vocat is Ieſum operum mirabilium effectorem, & veræ doctrinæ magiſtrum, adeóq; Chriſtum ipſum, qui poſt infinita miracula, & crucis mortiſque perpeſſionem tertio reuixerit die, quiq; multos tum Iudæos tum Gentiles ad ſuam doctrinam perduxerit, & à quo Gens peculiaris nomen ſuum fuerit mutuata. Cæterùm & huius Ioſephi & præſentium duorum diſcipulorum confeſſio plenior atque perfectior foret, ſi vnà cum principe A-
Actor.10. & 3. poſtolorum agnoſcerent ac faterentur, ſicut Orthodoxis omnibus firmiſſimè perſuaſum eſt, hunc Ieſum non ſolùm à mortuis tertia die reſurrexiſſe, ſed etiam præordinatis à Deo teſtibus cũ ſuo corpore apparuiſſe, ſimulq; illum viuorũ ac mortuorum iudicem & vitæ authorem eſſe, cui omnes quidem Prophetæ teſtimonium perhibent, & per cuius nomen quotquot credunt in eum, remiſsionem accipiunt peccatorum. Agam inſuper Chriſto gratias, quòd pro ſua ſumma benignitate ſe diſcipulis, licet infirmis ac increpatione dignis, adeò ſe comem ac familiarem peregrinum præbeat, illóſque amanter comitari, verbíſque blandis ſimul & aſperis informare dignetur, donec illi perfectam ipſius agnitionem in Emmaus aſſequantur. Hoc enim officium ve-
Iſai. 42. ro Meſsiæ conuenit, calamum quaſſatum non conterere,
Matth.12. linum fumigans non extinguere, conſolari lugentes, mederi
Iſai.61. contritis corde, & prædicare captiuis indulgentiam, clau-
Apoc 3. ſiſque apertionem. Hic eſt qui clauem habens Dauid, ſcripturas aperit, & germanum illarum ſenſum ignaris ac rudibus explicat, & cum eo quidem fructu, vt ex incredulis verè fideles, & ex frigidis ac torpidis ardentes ac perfectos Euangelij faciat profeſſores. Idem ſe nobis peregrinum o-
Hebræ.2. ſtendit & exhibuit, quia per omnia debuit fratribus aſsimilari, vt hinc etiam colonus & viator, hoc eſt, peregrinus à Propheta dicatur. Sic enim illum Hieremias affatur:
Hier.4. *Quarè quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus?* Sed audi hunc exulantem, & extremè pauperem peregrinum:

Iul-

Vulpes inquit, *foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Quid ergò mirum, nos qui Chriſti capitis membra ſumus, taliq; peregrino & paſtore ſuas errantes oues requirente maximè gloriamur, etiam aduenas & peregrinos in ſacris literis appellari? ſicut & Rex præpotens Dauid hac oratione teſtatur: *Peregrini ſumus coram te* (Domine) *& aduenæ, ſicut omnes Patres noſtri. Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora.* Nec eſt diſſimilis Iacob Patriarchæ confeſſio, qui de ſua ætate rogatus, regi Pharaoni hoc modo reſpondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſq; ad dies patrum meorum quibus peregrinati ſunt.* Cùm ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, ſicut Paulus affirmat, verèque peregrini ex hoc triſti exilio ad cœleſtem patriam habemus contendere, vt quilibet dicere debeat: *Aduena ego ſum apud te & peregrinus.* Cur ergò demens diuitias atque delitias amo? Quare mundi delector inſanis cupiditatibus, variaque præſentis peregrinationis impedimenta conſector, vt vel nunquàm, vel tardè quidem patriam mihi promiſſam attingam? Non enim habemus hic manentem ciuitatem: ſed futuram inquirimus. An fruſtrà monuit princeps Apoſtolorum? *Chariſſimi obſecro vos tanquàm aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* Quotidie ad mortem proficiſcor, nec meas tamen ædes inſtruo, & neceſſarium parare commeatum negligo, cùm interim ſcriptum eſſe ſciam: *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudiciũ interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.* Verè pij cum Paulo ad mortem expeditè peregrinantis eſt dicere: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Omnia arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam: Deſiderium habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Mihi viuere Chriſtus eſt & mori lucrum.* Cæterùm in hiſce duobus diſcipulis cumprimis notabo, quod cùm Chriſtum Dominum ignorarent, ac pro vulgari peregrino ducerent, ſe inde

Matth. 8. Luc. 15. 1. Paralip. 29. Gen. 47. 2. Cor. 5. Pſalm. 38. Hebr. 13. 1. Pet. 2. Eccleſ. 18. Philip. 3. & 1.

ab initio ſeuerè admoneri ac liberè corripi ſuſtinent. Nec propterea vel iraſcuntur,vel obſtrepunt: quin potius monitori ſe dociles ac gratos exhibent, ipſumque de reſurrectione diſſerentem non interpellant. Ita verò illi me docent,
Iacob. 1. quod & Iacobus exigit, vt verbum Dei quod poteſt ſaluare animas noſtras, in manſuetudine ſuſcipiam, quemadmodũ
Luc.10. & Magdalena, cùm ſederet ad Dominicos pedes,Euangeliũ tranquillè & modeſtè percepit, ſuoque infixit pectori. Vbi
Prou.29.& 17. præterea moneor, quàm verè dixerit Salomon: *Virga atq; correctio tribuit ſapientiam, & plus proficit correptio apud prudentem, quàm centũ plagæ apud ſtultum.* Facit Chriſtus quod
Lucæ 10. optimum Samaritanum decet, vt non modò lene oleum, ſed etiam acre vinum vulneribus ægrotorum curandis in-
Prou.27. fundat. *Meliora quippe ſunt vulnera diligentis,quàm fraudulenta oſcula odientis*, teſte Salomone. Sapiunt & diſcipuli, libera correptione Domini non offenſi, ſed ad illum magis ac magis amandum incenſi, quemadmodum illis ipſi verbis oſtendunt: *Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis,dum loqueretur in via,& aperiret nobis ſcripturas?* Dolebo igitur mecũ agi perperam,quòd cum electis Chriſti ouibus ex verbo Dei arguente ac terrente non proficiam,ſed in illo meras quærã delicias atquè conſolationes, ideòquè perſæpè frigidus perſeuerem,nequè calorem aut feruorem vllum in me ſentiam ſpiritualem,ſicut iſti ſanè diſcipuli perſenſerunt. At verò do-
2.Tim.3. cet Apoſtolus, ſcripturam omnem diuinitus inſpiratam nõ ſolùm ad docendum, ſed etiam ad arguendum & corrigen-
Ioan.16. dum valere. Et proprium eſt Spiritus ſancti officium, mundũ in nobis arguere, ac deinde conſolari, idq; ille nõ ſolùm per ſe,ſed etiam per organa ſua, legitimos nempè doctores, facere ſolet, quando hi ſic verbum Dei prædicant,vt ex præ-
1.Timot.5. cepto Pauli peccantes coràm omnibus arguantur, & cæteris improbis timor ac pudor iniiciatur. Væ igitur mũdo præſenti, qui cùm ſit longè corruptiſsimus,& iram Dei maximã mercatur, nihil impenſius quàm concionatorum blandiloquentiam ac dulcedinem quærit; ſuámque ſtultitiam & im-

pietatem

pietatem foueri, non autem detegi aut increpari iubenet. Vox enim illorum eſt propria: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Sed Propheta Iſaias talibus meritò exprobrat: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiũt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Ac ſtatim illis de futuro & tremendo Dei iudicio pergit concionari. Petam ego ſæpe à Domino, vt fides mea de Chriſto mortuo & reſuſcitato in me non hęreat frigida, ſed per charitatem, ſicut in hiſce diſcipulis, accendatur, adeòque in corde meo conualeſcat, vt tot tantiſque Chriſti beneficiis quaſi facibus ad diuinum amorem inflammer, vtque in meditatione mea, ſicut in mẽte Dauidis, ſpiritualis ignis magis ac magis inardeſcat. Ita enim & ipſe dicere potero: *Quid mihi eſt in cœlo? & à te qui volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum eſt. Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt,* ex Apoſtoli ſententia.

Iſai.30.
Iſai.3.
Pſalm.38.
Pſalm.72.
1.Cor.6.

O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus.

ACRIS & vehemens eſt iſthæc reprehenſio duos diſcipulos verberans, qui circa fidem Dominicæ reſurrectionis hærebant, nihilque certi eo tempore, quo veritas tanti myſterij nondum erat propalata, conſtituere poterant. Neque hos tantùm, ſed & alios diſcipulos grauiter ſanè perſtringit Dominus, quum iam iam cœlos petiturus, illis incredulitatem cordiſq; duritiam exprobrat, eò quòd aliis qui viderant eum reſurrexiſſe, ſiue viris ſiue mulieribus, fidem non adhibuiſſent. Eâdem libertate Paulus corripit, & inſenſatos ſiue ſtultos vocat Galatas, quòd acceptam fidei Apoſtolicæ doctrinam & normam deſeruiſſent, ſéque in religione inſtabiles præſtarent, nouis & falſis Euangelij doctoribus adhęrentes. Quod ſi Chriſtus tam durè ſugillat diſcipulos in vno fidei articulo hallucinantes, tardiúſque credentes, quantò minus idem hodie parceret, quantòque iuſtius ſuccenſeret omnibus, qui veterem, iampridem promulgatã, receptam & probatam religionem cum noua ſæpèque damnata do-

Marc.16.
Galat.1.& 3.

ctrina commutant, & apertis Eccleſiæ hoſtibus magis, quàm legitimis ſuis paſtoribus fidunt, ea interim dogmata cõtemnentes, quæ totius Eccleſiæ calculum tot ſeculis meruerũt? O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ veſtri maiores ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris inſtituti, de Canonicis libris, de verbo Dei viua voce tradito, de libera hominis voluntate, de peccatorum iuſtificatione, de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, de Sanctorum cultu, de præceptis ac traditionibus Eccleſiæ vnanimes crediderunt, totque probatæ ſynodi ſtabilierunt. Quæ iſthæc íncogitantia, temeritas ac perfidia eſt, vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicã fidem fideique doctrinam proſtituere, & pro ea recens natam, inauditam, ſectariam & apoſtaticam religionem amplecti, quę ſubinde ſicut luna mutatur, & infames habet authores, tótque ſeditioſis motibus ac nefandis ſacrilegiis orbem vniuerſum offendit? Matth.7. *A fructibus enim eorum cognoſcetis eos. Vſq, quo* 3.Reg.8. *igitur in duas partes claudicatis?*

Quocirca vicem illorum dolebo maximè, qui hoc ſeculo ad nouandam religionem tot modis adſpirant, ac velut paruuli ſint fluctuantes, vt Paulus appellat, omni nouitiæ (Epheſ.4.) doctrinæ vento ſeſe ínſtar arundinis agitari ſuſtinent, eoque ſtultitiæ prolabuntur, vt ſectis nouís addicti, neque ſcripturę ſacræ teſtimoniis, neque concordibus Patrum ſententiis, neque præclaris Dei miraculis, aut vllis rationum momentis ad ſaniorem mentem reduci poſſe videantur. Hos verè ſtultos & ad credendum tardos, immò & incredulos rectè dixerim, pro quorum incolumitate, nè adeò cæci & ſtultià recta via veritatis aberrare pergant, ſi antehac vnquàm, nunc maximè quidem Chriſtum cœleſtem medicum implorabo. Marc.16. Qui enim non crediderit, aut qui circa vnam fidei partem errârit, ſuumque iudicium Eccleſiæ iudicío antepoſuerit, is certo certius condemnabitur. Non enim audit, ſed contemnit matrem Eccleſiam, quam deſerens, etiam ex Chriſti ſen- Matth.18. tentia publicanus ac ethnicus dici haberíque promeretur, quoniam à Chriſti corpore per errorem ſe ipſe pręſcidit. Pugnat

gnat prçterea cum Apoſtolo, in quo idem Chriſtus pronunciat: *Si quis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*, obnoxius nimirùm æternæ maledictioni. Ac iterum: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita.* Galat.1. Tit.3.
Demùm mihi & Catholicis omnibus eam optabo gratiam contingere, vt veræ ac ſalutaris fidei donum, quo tam multi hodie deſtituuntur, ſumma ſimplicitate tueamur atq; conſeruemus, omni tum ingenij vani curioſitate, tum fallacium hominum fraude aſtutiáque reiecta, ita vt ſuum quiſque intellectum in captiuitatem redigat in Chriſti obſequium, ac ſanctæ matri, quæ columna & firmamentum eſt veritatis, ſyncerè confidat ac promptè pareat. Ita enim ſcriptum habemus: *Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ.* Tum Apoſtolica iubet regula, quam violare ſit nefas, vt fideles omnes idipſum inuicem ſentiant, nec alta ſapiant, ſed humilibus conſentiant, vtque relicto ſchiſmate, idipſum dicant omnes, eadem mente & ſententia præditi, ſempérq; ſollicici ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. 2.Cor.10. 1.Tim.3. Prouerb.1. Rom.12. 1 Cor.1. Epheſ.4.

Coëgerunt illum dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit.

QVANTO breuior & incertior eſt periodus vitæ huius, quæ vitro fragili & vapori parumper apparenti iure confertur, tanto diligentius mihi proſpiciam, vt Chriſtum futurum mox iudicem, quoniam ante ianuam aſſiſtit, ad amicum & fauentem habeam. Is autem verè fidelium precibus ex animo fuſis, & officioſæ charitatis ſtudiis proximo ſyncerè declaratis, nulli non facilè conciliatur, atque his duobus velut vinculis (oratione & miſericordia) mirè adſtringitur ac ligatur, nihil vt homini negare poſſe videatur. Certè niſi Propheta Moyſes oratione ſua quaſi manum ſupremo numini attuliſſet, & illi quodammodò vincula inieciſſet, non diuinum hoc accepiſſet reſponſum: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos* Nam & Regius Propheta Iacob.4. Exod 32. Pſalm. 105

confirmat, quòd Moyſes electus Dei ſteterit in conuerſione in conſpectu eius, vt iram diuinam auerteret, nè diſperderentur Iſraëlitæ. Præterea niſi benignus & hoſpitalis Loth duos peregrinos, erant autem Angeli, apud Sodomitas comiter excepiſſet, iuſtitiæ titulum non mereretur, neque ſcriptura de illo aſſereret: *Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum: ingreſsiſq́; domum fecit conuiuium.* Ac iſtorum beneficio factū eſt, vt ipſe poſtea potenter ereptus atque conſeruatus fuerit, neque cum Sodomitis impiis, ſimúlque ab omni humanitate, vt oſtendit Ezechiel, alienis, flamma ſulphuréque conſumptus interierit. Proinde maiorem in modum curauero, vt hoſpitalitatis iuſtitiæque Chriſtianæ certem officiis, quibus regnum ſuum quodammodò vendit Deus, ſéque à nobis cogi & expugnari lætatur, quum nobis amicos facimus de mammona iniquitatis. Ac de oratione quidem ita præcipit Paulus: *Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia.* Miſericordiam verò ſatis illo dicto commendat: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Ac iterum: *Charitas fraternitatis* inquit, *maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* Cuius hoſpitalitatis & erga egenos beneficentiæ laude cum alij multi, tum Martinus, Nicolaus, Paulinus & Gallicanus in Eccleſia egregiè floruerunt. Eòque magis mihi diſplicere habeo, quòd ſicut in orationis vſu, ſic etiam in miſericordiæ operibus ſim tepidior atque negligētior, nullam vt vim mihi aut Deo faciam, cùm tamen æterna Veritas dixerit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Genes.19. 2. Pet. 2. Ezech.16. Luc.16. Ephes.6. Hebræ.13. Ibidem. Matth.11.

Sunt & alia in hiſce diſcipulis mihi non probanda ſolùm, ſed etiam, ſi ſapiam, imitanda, præſertim vt feſti dies à me ritè ſanctificentur. Huc enim ſpectat audire verbum Dei, quod illi quidem à Chriſto in via etiam traditum reuerenter exceperunt, & flagrantibus animis comprehenderunt. Vndè hortatur Paulus: *Propterea abundantius oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, nè fortè pereffluamus,* ſiue vt Chryſoſtomus in-

Exod.20. Hebræ.2.

mus interpretatur, pereamus. Quid enim verbo Dei & doctrina ſpiritus efficacius inuenitur? Deo ipſo teſtante: *Nunquid non mea verba ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras?* Adhæc iſti nobis exemplo eſſe poſſunt, vt ſacrũ tempus nugis fabulíſque vanis non teramus, ſed in rebus grauibus tractandis, & in dictu auditúque dignis colloquiis vtiliter expendamus. Etenim de cruce mortéque Domini non ſine quadam triſtitia colloquuntur, atqúe ita vetus piorum inſtitutum comprobant, qui feſtos dies, ſicut & peregrinationes religionis ergò ſuſceptas, honeſtis & ſacris condiunt colloqniis, ac potiſſimùm de Redemtoris noſtri myſteriis, aliíſque ſacris de rebus vel Sanctorum hiſtoriis libenter inter ſe conferunt, ſéque inuicem prouocant ad meliora. Hoc ſanè vbi fit, Chriſtus non inuitus, præſtò eſt colloquentibus, illíſque non modò ſuam præſentiam, ſed gratiam quoqúe ſpiritualem frequenter impertit, vt ſuum promiſſum compleat: *Vbi enim* inquit, *ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et quemadmodum bonis piíſq; colloquiis multa bona promouentur, & charitas fraterna, illúdque Pauli præceptum obſeruatur: *Sermo veſter in gratia ſale ſit conditus:* ita viciſſim dici vix poteſt, quantam nocendi vim ac perniciem adferãt verba impura & improba, quibus honeſtæ aures ac mentes inficiuntur, quoniam iuxta Poëtæ Menandri ſenarium à Paulo citatum: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Tantòqûe diligentius rogabo Deum, vt quia linguæ difficillima eſt moderatio (*ſi quis enim in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*) verum & ſalutarem loquendi vſum ipſe me doceat, vtqúe verba mea, de quibus rationẽ Chriſto iudici aliquando reddere debeo, ad diuinam ipſius gloriam & proximi commodum perpetuò referãtur Neqúe verò mihi ſat erit, feſtos dies verbum Dei audiendo, & ſacris de rebus legendo aut colloquendo piè cohoneſtare, ſed enitar etiam, vt meas ad Chriſtum preces fundã religioſius, illúmque vt optimum chariſſimúmque hoſpitem, ad meas ædes pertraham, vt mecum ſit, ac mecum laboret, vtqúe cũ

Hierem.23.
Matth.18.
Coloſſ.4.
1.Cor.15.
Iacob.3.
Matth.12.
Sapient.9.

hiſce diſcipulis dicam: *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit.* Ea res mihi præbebit anſam de ſanctiſſimi ſacramenti communione cogitandi, & feſtis diebus illam ipſam percipiendi, quando Chriſtus ab hiſce diſcipulis rogatus, menſam cum illis communem habere voluit, quibus & ſeipſum in fractione panis patefecit, totúmque tribuit. Credã enim antiquis Theologis, vti Chryſoſtomo, Auguſtino, Theophilacto ac Bedæ, quorum iudicio Chriſtus non communem, ſed Euchariſticum, verèque benedictum & cœleſtẽ panem in Emmaus porrexit, ita vt conſentaneum ſit, duos illos diſcipulos ſub vna duntaxat ſpecie panis ſacramentum ſumpſiſſe, ſimúlque ſacramenti percepiſſe virtutem, quoniã ad Chriſtum verè cognoſcendum in mente fuerunt illuminati. Nec dubium, hunc proprium Euchariſtiæ ſacræ fructũ & effectum eſſe, vt ad cognitionem diuinorum, immò ad omnis quoq; gratiæ incrementũ edentibus conferat, quemadmodum primi Chriſtiani, cùm quotidie hoc cœleſti pane veſcerentur, ſpiritualibus bonis mirificè cumulati, reipſa ſenſerunt. De illis ita Lucas meminit: *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Magnam & ineffabilem vim habet caro Chriſti, inquit hoc loco Theophilactus. Proinde diſpiciam & annitar, vt Chriſtum Dominum & meipſum rectius agnoſcam, ideòque vt frequenter & libenter, ſic confidenter etiam ac reuerenter, præſertim in ſacris feriis, benedictum Euchariſtiæ panem percipiam. Hic enim panis eſt de cœlo deſcendens, quem Chriſtus velut ad menſam ſedens, etiamnum ſacerdotibus ſub vtraque, & aliis ſub vna ſpecie in Eccleſia ſua porrigit, atque id ipſum quod de ſacramenti huius effectu promiſit, dignè ſumẽtibus efficaciter præſtat. *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum, in Chriſto manebit, & Chriſtus in illo, ac reſuſcitabitur in nouiſſimo die.* De hoc ſacramento vir planè Apoſtolicus Ignatius clarè pronunciat: Date operam, vt crebrius congregemini ad Euchariſtiã & gloriam Dei. Quando enim ſæpius in idem loci conuenitis, la-

beſactantur

befactantur vires Satanæ,& ignita illius ad peccatum iacula irrita reſiliunt.] Præterea quod Chriſtus precari nos docuit: *Panẽ noſtrum quotidianũ da nobis hodie*, ſiue vt Matthæus dixit:Panẽ ſuperſubſtantialẽ,vbi & græcus additur articulus,id veteres Theologi ad ſanctũ Euchariſtiæ panẽ referũt,quemadmodum Cyprianus,Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus oſtendunt. Tum ex Anacleti ſcriptis fit euidens, fideles omnes, quoties olim quotidiano Miſſæ ſacrificio intereſſent,ſacram ſumpſiſſe communionem.Magnam igitur operam adhibebo,nè animam meam hoc tam diuino quàm ſalutari pane ciboque defraudem, certè perſuaſus, longè rectius ac laudabilius eos facere, qui peccatis lethalibus non grauati,ex amore & fiducia diuinæ miſericordiæ ad hunc vitæ panem Dominicis ſaltem diebus ſumendum accedunt, ſicut & Auguſtinus faciundum ſuadet, quàm qui ex timore, vel ob reuerentiam duntaxat ab illo abſtinent, vel ſibi aliiſque abſtinendum arbitrantur.

PRECANDVS *eſt mihi Deus,vt ſanctæ hoſpitalitatis virtutem ac ſtudium in multis,quorum nunc friget charitas, excitare dignetur. Eget enim vehementer Eccleſia eiuſmodi beneficis hominibus,qui inſtar Abraham & Loth, de peregrinis atq; pauperibus benè mereri gaudeant: quiq; cum Abdia & Habacuc miniſtros Eccleſiæ ſuis ſumptibus nutriant ac proueh ant. Tum Paulus eas commendat viduas,quæ hoſpitio excipiunt exteros, & ſanctorum pedes lauant, ſed & tribulationem patientibus ſubminiſtrant. Serium enim Dei præceptum eſt non minus Chriſtianos quàm Iudæos adſtringens:* Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagóſque induc in domum tuam.

ORABO *itidem pro dubiis & errantibus in fide, vt diuinitus illuſtrati, ſeipſos agnoſcant, & in viam regiam veritatis reuertantur. Quod fieri certè non poteſt, niſi Paulinam illam obſeruent ſententiam:* Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor.

RVRSVS Deum inuocabo, vt Catholici in ſuis colloquiis minus offendant, magisq́; ſtudeant eſſe ſpirituales, neq́; ſolum Dei verbum audire & legere contenti ſint, ſed & maiorem ſibi gratiã comparent digna & frequẽti Dominici corporis perceptione, præſertim quæ hodie à plurimis per ſummam ſocordiam negligitur, ac toto anno nè in feſtis quidem maioribus iteratur. Sic enim nos decet cum Auguſtino ratiocinari: Si Rahab meretrix ſalutem conſequuta eſt cum omni domo ſua, quia ducis à Deo miſſi exploratores ſemel excepit: quid ille cõſequetur, qui Deum intra mentis ſuæ domum frequenter ac deuotè receperit?

FERIA TERTIA PASCHAE.

Sequentis Euangelij argumentum.

RECITAT Lucas apparitionem, qua Chriſtus die Paſchatis, cùm Apoſtoli aliique plures diſcipuli in Hieruſalem veſperi conueniſſent, corpus ſuum rediuiuum euidenter oſtendit, & cum illis vixit familiariter. Nec enim ſolùm ſe illis videndum & cõtrectandum exhibuit, ſed cum illis etiam in menſa edere ac bibere voluit, ſimulq́; ſenſus illorum obtuſos ad ſcripturas probè intelligendas aperuit & illuſtrauit, ac præterea verũ ſuæ mortis & reſurrectionis vſum & fructum in orbem longè latèque diffundendum explicauit. Præcipuè autem hic à Chriſto laboratur, vt ſubortam ſpiritus ſiue ſpectri ſuſpicionem ſuorum animis eximat, ac indubitatam humani corporis ſui veritatẽ aſtruat & confirmet. Etenim præuidebat æterna ſapientia, plurimos de hac ſua & aliorum mortuorum reſurrectione contentiones maximas exci-

taturos,& humani captus tátam imbecillitatem eſſe nouerat, vt futuram carnis reſurrectionem ægrè admodum firmis animis complecterentur. Verumenimuerò ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabũtur, Apoſtolo teſte. Et ſicut primitiæ mortis in Adam, ita etiã primitiæ reſurrectionis in Chriſto, vt ſcribit Ambroſius. Extat celebris ac probata hiſtoria de ſeptem fratribus apud Epheſum olim dormientibus, & inter ſanctos habitis in Eccleſia, qui ſæuiente in Chriſtianos Decio Cæſare in ſpeluncam ſeipſi abdiderunt, vbi tam forti longoque ſomno latuerunt oppreſſi, vt ad ætatem Cæſaris Theodoſij ſenioris vſque, id eſt, trecẽtis ſeptuaginta duobus annis nõ fuerunt experrecti, & ſani tamen ac integri omnes manſerint conſeruati. Cuius miraculi rumor ita commouit Cæſarem Theodoſium, vt ad illos inuiſendos Epheſum venerit, remque omnem ita ſe habere, ſicut diximus, certò compererit. Et quoniam de mortuorum reſurrectione magna tunc contentio fuerat exorta, multi per hanc ipſam hiſtoriam in ſana fide confirmati ſunt, Deo nimirùm hoc velut antidotum illorum imbecillitati prouidente. Narrationem eandem præter alios cõfirmat Euiratus, Simeon Metaphraſtes, Nicephorus & Gregorius Turonenſis. Cur verò dubitemus quæſo de Chriſti poteſtate diuina, per quam aliquando mortui velut è ſomno excitentur, & cum ſuis corporibus integris ad iudicium congregentur, ſi Chriſtus idem Epheſiis dictis hoc contulit, vt illi tot annos velut noctem vnam dormiendo ſuperarent, ac nullo interim detrimento corporum afficerentur? Quid multis? ſi Chriſtus primitiæ dormientium non reſurrexit, inanem Euangelij prædicationem, inanem & fidem Chriſtianam eſſe Paulus apertè concludit.

EIVSDEM DIEI EVANGElium. Luc. XXIV.

STETIT IESVS *in medio diſcipulorũ, & dixit eis: Pax vobis: Ego ſum, nolite timere. Conturbati autem & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit, Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cùm manducaſſet coràm eis, ſumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum: quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Pax vobis, ego ſum, nolite timere.

MIRABOR ingentem Redemtoris mei bonitatem atque clementiam, qui ad maximum honoris gradum euectus, iamque Rex gloriæ factus, omnis in-

iuriæ à diſcipulis ſuis acceptæ obliuiſcitur. Nam cum nullo illorum expoſtulat, cunctos in primo cōgreſſu amanter excipit, perinde ac ſi nihil in illum antè peccaſſent, nullamque ingratitudinis & inconſtantiæ pœnam cōmeruiſſent. Et tamen hos malè ſibi conſcios ille tam blandè reſpicit, ac ſuauiter ſalutat omnes, neque modò ſuam pacem illis exoptat, ſed & conſolationem & gratiam offert ſingulis, ex animo condonans Petro & aliis grauem offenſam, & quicquid veterem illā amicitiam poterat impedire, ſubmouēs. Quo minus admirādum putabo, quod Ioannes hunc incredibilem Christi amorem extollens inquit, Chriſtum cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem vſque dilexiſſe, non ſub mortem tantùm ſcilicet, verùm etiam poſt ſuam reſurrectionem, quum ab humanis curis & affectionibus alienus planè factus poterat exiſtimari. Tam ſeriò Chriſtus illud ſeruat promiſſum, quo eoſdem diſcipulos in eadem cœna fuerat conſolatus: *Pacem* ait, *relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ac mundi quidem ingenium ac morem in illo pincernarū principe depictum cernimus, qui communem cum Ioſeph carcerem tenens, ſuam illi fidem obſtrinxerat, quod liberatus innocentis amici cauſam tuendam ſuſcepturus eſſet. Is verò priſtino gradui reſtitutus, ſicut Ioſeph prædixerat fore, omnem eius abiecit curam atque memoriam, ac vix tandem veteris amici ac interpretis eſt recordatus. Vt enim blanda, ſic & fucata & fallax, ſæpè & peſtilens eſt mundi huius amicitia, de qua idcircò dixit Iacobus Apoſtolus: *Quicunq; voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Eſt quippe mundus non diſſimilis meretrici à Salomone deſcriptæ, quæ ſplendidè ornata, & ad capiendas animas multis modis inſtructa, blanda quidem & ſpecioſa ſuis amatoribus pollicetur, vecordes autem & incautos ſuis illaqueat ſermonibus, vt captos demum eos, perinde ac bouem qui ligatus ad macellum ducitur, ad inferos vſque pertrahat atque perdat. Quocirca mihi commendatum erit, quod idem Salomon ſubiicit ac præcipit:

Ioan

Ioan.

Gene

Iacob

Prouer

pit: *Nè abſtrahatur in viis illius* (meretricis) *mens tua, neq́ decipiaris ſemitis eius. Multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quiq́ interfecti ſunt ab ea. Via inferi domus eius*, vel ſicuti

Prou.9. poſtea ſequitur: *Qui applicabitur illi, deſcendet ad inferos: nam qui abſceſſerit ab ea, ſaluabitur.* Quàm iuſtũ igitur ac conſultũ fuerit, me fucato vanóque mundo nuncium mittere, Chriſtóque ſeruire, qui non terrena nec caduca, ſed ſpiritualia ac ſolida bona promittit ſimúlque præſtat, nihil vt illo ſit

Prouerb.8. fidelius, qui nec fallit vnquàm, nec fallitur. *Ego* inquit, *diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quod ſi Chriſtus diſcipulis tam libenter ignoſcit, ſéque perhumanũ ingratis exhibet, mœſtos ſuauiter conſolatur, ac veterem beneuolẽtiam omnem etiam non rogatus vltrò declarat, meritò certè pudore ſuffundor, cùm cogito, me in amando fratre tam frigidum, immò nonnunquam & amarulentum & moroſum & aſperum eſſe: quoniam ſecundùm charitatem non ambulo, ſed Apoſtolicum præceptum violo, quo ſan-

Epheſ. 4. & 5. citum eſt: *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos. Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.*

Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.

Num.22. Daniel.10. Lucæ 1. Natura ſic comparatum eſt, vt bonorum malorúmq; ſpirituum apparitio non modò impios, ſed & fideles, ſicut Danielem & Zachariam Prophetas, maiorem in modum perturbet atqúe terrefaciat. Quid quod Chriſti rediuiui cõſpectus, cùm primùm ad ſuos à morte reuiſendos veniſſet, ſpectantium diſcipulorum animis metum iniecit atque ſollicitudinem, adeò vt ex Chriſti corpore ſpectrum & phantaſma vellent conſtituere? Ego verò hanc communem hominum imbecillitatem atqúe fragilitatem agnoſcens, peculiarem a

nimi conſtantiam induam atque præſtabo, quoties inopinati triſtesque caſus mihi ſe offerent inopinatò. Vbi meminero, ſanctos etiam inſolitis viſionibus, quæ à ſpiritu bono ac maligno fiunt, turbari, has autem ea nota diſcerni, quòd electi Angeli territos & pauefactos piorum animos benignè conſolentur, vt ſtatim timor ſoluatur, iterúmque quieſcat, ſicut Zachariæ & Mariæ contigit. Dæmones autem cum apparent, horridius terrent, & ſupra modum animos angunt, ſicut Iulianus Apoſtata fuit expertus, teſte Sozomeno. Quādocunque autem huiuſmodi viſiones vel apparitiones fiūt, in tali trepidatione non ociabor, ſed ad armaturam ſpiritualem confugiam iuxta illam Pauli regulam: *Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Hæc fortis armatura & perfecta conſtitutio à me præſtari non poteſt, niſi viua in primis fide meum pectus muniā, & fragilitatem humanam, quam in Daniele quoque cernimus, ardenti precatione depellam & adiuuem. Igitur cum Propheta Moyſe precabor: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* AEqualis fiducia & precatio in Dauide fuit, quocum aduerſus repētinos motus & terrores dixerim cōfidenter: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciā inimicos meos.* Nec temerè quidem ſuos docuit Antonius Magnus, vt cùm dæmones viderent, tam ſe quàm domos ſuas crucis armarent ſignaculo. Confeſtim inquit, ſoluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo ſaluator æreas expolians poteſtates, eas fecit oſtentui, quemadmodum ab [a] Athanaſio ſcriptum eſt, & [b] Ignatius, [c] Cyrillus Hieroſolymitanus, ac [d] Ephrem Baſilij Diaconus comprobant. Cæterùm vt circa huiuſmodi apparitiones minus ego fallar, plurimi enim fraudibus & fallaciis dæmonum hic decipiuntur, duo mihi obſeruanda proponam: Alterum, vt ſiue mihi, ſiue aliis tales fiant apparitiones, nō facilè illis fidem adhibeam, nec meum de illis iudicium præceps feram. *Qui enim citò credit, leuis eſt*

corde,

Luc. 1.
Lib. 5. Eccleſ. hiſt. c. 2.
Epheſ. 6.
Daniel. 10.
Num. 10.
Pſalm. 26. & 117.

a In vita S. Antonij.
b Ad Philippen.
c Catecheſi 4.
d De vera pœnitent.

Eccleſ.19. *corde*, ſicut dixit Eccleſiaſticus. Vbi nimiùm credulæ ac ſim-
plices mulierculæ plurimùm peccant, ac idcircò perſæpè fal
Geneſ.3. luntur, ſicut Euæ improuidæ nimiúmque curioſæ antiquus
2.Cor.11. & aſtutus ſerpens impoſuit ac illuſit. Alterum eſt, ne nocturnas
viſiones & ſpirituum apparitiones eodē veluti pede metiar,
ſed vt prudēter potius diſcernam inter bonas & malas,
inter veras & falſas huiuſmodi apparitiones, iuxta illud Apoſ
1.Ioan.4. ſtolicum dictum: *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed
probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Nouit enim & Sathanas, vt Pau
2.Cor.11. lus aſſerit, ipſeque rerum docet vſus, ſe in Angelum lucis
Hierem.23. & 14. transfigurare, nonnunquàm & faſcinare Prophetas, vt ſomnient
mendacium, & ſeducant populum, Deique verba peruertant.
3.Reg.22. *Ero* inquit, *ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum
Genel.37. & 40. Achab.* Neque tamen negari poteſt, Ioſeph Patriarchæ,
Matth.1. & 2. & Ioſeph Chriſti nutricio, ſicut & Magis Orientalibus, im-
Actor.12. & 27. mò & ſanctis Apoſtolis ſuas & legitimas apparitiones & re-
2.Cor.12. uelationes conſtitiſſe, quę non à malo, ſed bono ſpiritu proſ
fectæ, magnam illis vtilitatem adtulerunt, certámque DEI
voluntatem denunciârunt. Tum de Moyſi & Helia Prophe-
Matth.17. tis eximiis in Matthæo legimus, quòd in monte excelſo ap-
Luc.9. paruerint, & cum Chriſto Domino fuerint colloquuti, quos
etiam tres Apoſtoli coràm adſpexerint, & vnà cum illis cu-
piuerint commorari. Abſit igitur, vt pro meris ſpectris, nedū
diabolicis illuſionibus habeamus omnes mortuorum appa-
ritiones, ſicut ſectarij contra omnem fidem veterum, cer-
támque experientiam nobis perſuadere conantur. Nam &
Matth.27. Matthæus Euangeliſta disertè teſtatur, corpora multa ſanctorum
qui dormierant, non ſolùm è monumentis ſurrexiſſe,
ſed etiam in ſanctam veniſſe ciuitatem, ac multis mortalibus
apparuiſſe, nimirùm vt indubitatiorem Chriſti reſurrectionem
redderent, eúmque veluti ducem & caput in cœlū
Epheſ.4. vſque comitarentur. De his enim & Paulus aſſerit: *Aſcendens
in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Demum è Cypriani
operibus conſtat, quòd reuelationes ſibi & piis aliis factas in
medium frequenter adducat, ſicut & alij non obſcuri no-

minis

minis patres, vt Seuerus, Gregorius & Damaſcenus facere ſolent.

Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.

QVI Apoſtolos de vero ſacræ ſcripturæ ſenſu docuit, is quia nobiſcum vſque manet, docet etiamnum, ſempérque docebit Eccleſiam Catholicam, adeò vt veris Chriſti ouibus & veritatis amantibus, de ſcripturæ libris & ſenſu, deq; rebus creditu neceſſariis locus non ſit dubitandi, ſed certi & firmi aliquid conſtituendi atque pronunciandi habeant facultatem. Multis autem & præclaris modis Chriſtus Eccleſiam docet, atq; ad cognoſcendam veritatem adducit. Docet enim per Prophetas & Apoſtolos in verbo ſcripto, quod vtile eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, ſicut Paulus perſpicuè tradit. (2.Tim 3.) Docet per paſtores & doctores in verbo non ſcripto, ſed viua voce per Eccleſiæ miniſtros legitimè inſtitutos, vocatos, ac miſſos tradito. Vnde cùm Petrus Apoſtolus ex Iſaia citaſſet, (1.Pet.1. Iſai. 40.) *Verbum Domini manet in æternum*, ſubiicit protinus: *Hoc eſt autem verbum quod euangelizatum eſt in vobis.* Et Paulus Timotheo Epiſcopo mandat: (1.Tim.6.) *Depoſitum cuſtodi.* Nam vt Origenis quoque tradit regula, Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat. (Lib. de P arch.) Docet in OEcumenicis ſacríſq; conciliis, quorum vt Auguſtinus inquit, ſaluberrima eſt authoritas. (Epiſt.118. Ianuar.) Docet in Romana Eccleſia, cuius fidem non deficientem Petro promiſſam vſq; hîc conſeruat, (Luc. 22.) & in qua ſemper viguit, vt cum Auguſtino fatentur veteres, Apoſtolicæ cathedræ principatus. (Epiſt.162.) Atq; huc ſpectāt lucuiētæ, & ad omnes ſequentes ætates nobis referendæ Chriſti promiſſiones: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* (Luc.10. Matt. 10.) *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* (Luc.21.) Tanto magis igitur amabo & honorabo Chriſtum Dominum, vtpote doctorem iuſtitiæ, ſicut à Ioële (Ioel. 2.)

vocatur, iuſtitiæ inquam omnis, ſiue ad rectè credendum, ſiue ad benè beatéque viuendum homini neceſſariæ, quoniam is multis modis Chriſtianæ prouidit Eccleſiæ, *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, veritatem autem* (ſcientes &) *facientes in charitate creſcamus*, quemadmodum Paulus expoſuit. Qua ratione ſingulares huic Legiſlatori gratias agam omnium Orthodoxorum nomine, quos ille pro ſumma gratia & ſapientia ſua ex omnibus nationibus, linguis & populis collectos, ad magnum iuſtificantis & ſaluantis fidei donũ adduxit, & hactenus in domo Eccleſiæ ſuæ tam pulchrè conſeruat, alit, ac promouet, vt illorũ plurimi ab improbis eiuſdem fidei hoſtibus oppugnati, non modò nihil detrimenti capiant, ſed ipſum quoque fidei finem, animarum nempè ſalutem, ingenti cum lucro ſibi ac aliis aſſequantur. Sunt enim Philippenſibus non diſſimiles, quòd velut luminaria ſplendeant & fulgeant in medio nationis prauæ & peruerſæ, hoc eſt, in medio impiorum ac hæreticorum, verbum vitæ continentes, & in veritate fidei ac ſynceritate charitatis irreprehenſibiliter ambulantes, quemadmodum de nonnullis ſui temporis fidelibus Ioannes quoque teſtatum reliquit.

Ephe[s].4. 1. Pet. 1. Philip. 2. In 2. & 3. epiſtola.

Vbi ego cum piis ter miſeram illorum ſortem deplorabo, qui cum magnis ignorantiæ perfidiæq; tenebris immerſi iaceant, tamen ſibi prudentes & catti, verèque à Chriſto illuminati videntur, ac præ ſe contemnunt alios, qui in media veritatis luce verſantur. Egebant Apoſtoli, vt Chriſtus illis aperiret oculos ad ſcripturas probè intelligendas. Hi verò ſacras literas adeò faciles, luculentas ac perſpicuas faciunt, vt à ſe & aliis ferè ſine negotio cognoſci & explicari poſſint, earúmque ſenſum & iudicium permittunt omnibus. Atqui doctiſſimi Patres vno velut ore profitentur, ſicut & res ipſa comprobat, ſingularem obſcuritatem ac frequentem difficultatem in ſcripturis diuinis ineſſe, quemadmodum & Petrus Apoſtolus diſertè teſtatur. Deinde tum in Iudaica ſynagoga, tum in Chriſtiana Eccleſia ſemper obſeruatum fuit, vt

2. Pet. 3.

certum

certum de fide & ſcripturis iudicium non ad populum, ſed magiſtratus eccleſiaſticos referetur, illique tanquàm ſacrorum antiſtites conſulerentur & audirentur. Vnde dixit quoque Christus eos audiri oportere, qui ſuper cathedrā Moyſi ſederent, rectèq; monuit Apoſtolus, omnia quæ à Deo ſunt, ordinata eſſe, hoc eſt, legitimum & ordinarium habere progreſſum. Quàm verò præpoſterè & inordinatè cum iſtis agitur, qui nè parùm ſibi ſapere, & vt multùm aliis inuidere videantur, tam probatos quàm receptos magiſtrorum gradus & ordines in Eccleſia inſulsè confundunt, & quantum quidem Pontificibus, Epiſcopis, horúmque Conciliis & Patribus omnibus impudenter derogant, tantum ſibi ſuiſq; collegis indignè arrogant in genuino ſcripturæ ſenſu cognoſcendo, & in vera Chriſti Eccleſia deſignanda. Nec enim ſecus quàm olim à peſtilentibus damnatíſque magiſtris Nouato & Donato factum fuit, rectam fidem & legitimam Eccleſiam ad ſe ſolos pertinere audacter confingunt, atq; inaniter iactant. Quid verò iſthuc eſt aliud, ſi verum fatebimur, niſi omnem de ſacris indicandi ac definiendi authoritatem vel tollere, vel incertam reddere, & ea quæ hactenus de religione ſunt conſtituta, in dubium reuocare, nullámq; rationem habere illius quod Salomon prudentiſſimè dixit: *Nè tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui?* Ego verò Apoſtolicum ſequar præceptum, quo ſancitum eſt, vt obſeruentur ac deuitentur noui falſique doctores, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam traditam & acceptam faciunt. Non ſanè in illis loquitur & docet Chriſtus, qui neque cum Patribus, neque cum veteribus, neque præſentibus Catholicis, ſed neque inter ſeipſos quidem in fidei doctrina & ſcripturæ intellectu conſentiunt, ſed lites irrecōciliabiles fouent: vt & cæci videant eos non eſſe ciues Hieroſolymitanos fidei & pacis vinculo colligatos, ſed potius Babylonicæ turris ædificatores perpetuò tumultuantes. Ac de Chriſto quidem conſtat, illum ad ſcripturas probè intelligendas nobis eſſe neceſſarium, vt hinc [a] lux mundi, & vnus

Deut.17. Matth.23. Rom.13. Prou.22. Rom.16. a Ioan.9.

b Matth.23.3. c Apoc.3. [b] magiſter omnium à Patre declaratus, qui clauem [c] Dauid habeat, meritò prædicetur. Sed neque illud negari poteſt, hunc ſapienter & prouidè facere omnia, qui ordinatium in docendo & illuminando apud ſuos modum obſeruet. Minores enim per alios maiores inſtruit, ouésque ſuas per paſtores dirigit atque paſcit, quemadmodum alimoniam ſequenti ſe turbæ porrecturus panes benedixit, illosque non niſi Apoſtolorum manibus populo diſtribuendos curauit. Ioan.6. Habenda igitur eſt inprimis ratio Apoſtolorum, quos Eccleſiæ ſuæ fundamenta poſuit, vt Ioannes affirmat, quóſque totius corporis velut oculos primùm illuminauit, & quibus perpetuum veritatis doctorem Spiritũ ſanctum ſemper affore diſertè promiſit. Apoc.21. Ioan.14. Reſpiciam deinde ordinem Epiſcoporum, vtpote Apoſtolis ita ſuccedentium, vt Paulus teſtetur, illos à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam eſſe conſtitutos, & qui præ cæteris hominum ordinibus in Eccleſiaſticis iudiciis ſemper valuerunt, ſempérque valebunt excellẽti authoritate. Actor.20. Illorum eſt, non autem principum, non populi, vel ſciolorum, vendicare ſibi quod ſeniores cum Apoſtolis in prima ſynodo congregati, verbis apertis pronunciarunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Actor.15. Epiſcopos autem proximè ſequuntur paſtores, doctores, atque præpoſiti Eccleſiarum, quos tanti fecit Paulus, vt fidelibus omnibus præceperit, illis ipſis obedire & ſubiacere, pacémque cum illis habere: quoniam & pro ſubditorum animabus Deo iudici rationẽ ſint reddituri. Ephes.4. Hebræ.13. 1.Theſſ.5. Cæterùm quod ad obſcuros & controuerſos diuinæ ſcripturæ locos attinet, ſemper meminero præclaræ admonitionis, quam de illis Clemens Petri Apoſtoli diſcipulus peritiſſimus, hoc modo ſcriptum reliquit: Sunt ait, multa in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt ad eum ſenſum trahi, quem vnuſquiſque ſibi præſumit. Et ideò ſcripturarum intelligentiam oportet ab eo diſcere, qui eam à maioribus ſuis ſecundùm veritatem ſibi traditam ſeruat.] Epiſt.5.& lib. 10.Recognit. Eóque magis laudantur præcipui Græcorum Theologi, Gregorius Nazianzenus & Baſilius Magnus, quòd cum omnibus authorum

ſecu-

ſecularium libris remotis, ſolis diuinæ ſcripturæ voluminibus dediſſent operam, ſicut Ruffinus commemorat, corũ intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & authoritate ſequuti fuerint, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione regulam intelligendi ſuſcepiſſe conſtabat.] Lib. 2. Eccleſiaſt. hiſtoriæ cap. 4.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt gratiam diſcernendi ſpiritus nunc maximè neceſſariam largiatur, quum tam multi ſpiritu veritatis relicto, ſpiritibus vertiginis & erroris attendant, pauci verò probare ſciant ſpiritus, ſi ex Deo ſint, ſicut Ioannes exigit.* 1. Ioan. 4.

PETAM *inſuper cognitionem mihi aliiſq́; multis congruentem ad veras ac falſas reuelationes & apparitiones ritè diſcernendas, vt Chriſtiana in illis prudentia & zelus ſecundùm ſciẽtiam obſeruetur: nec vllus locus ſerpentis antiqui technis tribuatur, qui cùm ſit Satanas, nouit ſe ſubdolè in lucis Angelum transformare, ſæpè & pios circumuenire. Paucorum eſt ſanè cum Paulo dicere:* Non ignoramus Satanæ cogitationes. 2. Cor. 11. 2. Cor. 2.

ORABO *etiam pro miniſtris verbi Dei, vt cum Chriſti ſpiritu & Eccleſia Catholica doceant conſentienter, vtq́; pœnitentiæ prædicationem ſeriò vrgeant, ſicut Chriſtus hoc loco mandauit:* Oportebat *inquit,* Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. *Vult enim mortis & reſurrectionis ſuæ ampliſſimum beneficium ſalutare cunctis reddi mortalibus, ideòq́; prædicandi officium delectis miniſtris iniungit, qui in ipſius nomine peccatorum remiſſionem omnibus gentibus annuncient, & ab illis partim fidem, partim pœnitẽtiam exigant. Errant igitur turpiter ac perniciosè, qui ſola fide contenti, de Chriſti gratia & remiſſione peccatorum gloriãtur, at de agenda peccatorum pœnitẽtia curam abiiciunt, ſibiq́; ac aliis, licet ſine timore peccantibus, ſalutem ſecurè audent polliceri. Vbi enim pœnitentia non præcedit, Chriſti gratia & peccatorum remiſſio fru-* Luc. 24.

Luc. 13. *ſtrà offeratur, & minimè obtinetur.* Niſi enim pœnitentiam egeritis *inquit,* omnes ſimul peribitis. *Idem igitur ciuitatibus*

Matth. 11. *exprobrauit, quod poſt auditum Euangelium, viſaq́; miracula, pœnitentiam non egiſſent, eisq́; gehennam interminatus eſt.*

DOMINICA PRIMA POST PASCHA,

quæ in albis dicuntur.

Sequentis Euangelij argumentum.

QVO die ſurrexit è ſepulchro Chriſtus, decem Apoſtolis (aberat enim Thomas) in Hieruſalem veſperi apparuit, & octauo deinde die ad eoſdem rediit, ſed ob Thomam tum præſentem maximè, quem ab errore concepto reuocauit. Prior apparitio vt excellentem Chriſti erga ſuos amorem multis modis declarauit: ita præſentium etiam animos maiorem in modum exhilarauit, ac ſingulari compleuit gaudio, quemadmodum & Lucas in Euangelio proximè antecedente comprobat. (Luc 24.) Illud Paſchalem diem exornat, quod in eo Chriſtus Apoſtolis ac miniſtris Eccleſiæ ad remittenda hominum peccata non ſine flatu & verbo, tribuit Spiritum ſanctum, ſicut etiam Hieronymus notat, indeque ſacerdotum authoritatem ſtabiliri certiſsimè conſtat. Ac benè quidem cum Thoma hîc agitur, qui ſuum agnoſcit errorem, nec modò fidē negatæ anteà reſurrectionis aſtruit, ſed & Chriſti diuinitatem non minus quàm humanitatē apertè confitetur. Idem verò non obſcurum præbet exēplum hominis in fidei rebus nimium curioſi & ſecūdùm

carnem ſapientis, quando ſe diiungit à communi Eccleſiæ iudicio, ſuamque opinionem quamlibet abſurdam contentioſè defendit. Is verò mos eſt proprius hæreticorum, qui teſte Apoſtolo Iuda, ſegregant ſemetipſos, ſuntque animales, ſpiritum non habentes. Noſtrum eſt Chriſti optimi medici atque paſtoris ſequi charitatem, vt in reducenda oue errãte nihil ſtudij ac operæ prætermittamus, fratremque lapſum vt reſurgat, omni ſtudio ſubleuemus. Illud ad ſingularem cõmendationem Gentium facit, quod licet Chriſtum eiuſque Apoſtolus de facie non cognouerint, tamen æternæ fœlicitatis participes eſſe poſsint, modò credant. Credant autem & confiteantur neceſſe eſt vnà cum Thoma, ab omni incredulitate alieni, neq; ſolùm Chriſtum Deum & hominem eſſe ſentientes, ſed & firmis animis complectentes, quæcunque idẽ Chriſtus ſiue per ſe, ſiue per Apoſtolos, ſiue per Eccleſiam nobis credenda commendat: quæ fides per charitatem operans iuſtificat atque ſaluat.

Iud. 1.

Galat. 5.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium Ioann. XX.

CVM ſerò eſſet, die illo vno Sabbathorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit IESVS *& ſtetit in medio, & dixit, Pax vobis. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gauiſi ſunt ergò diſcipuli, viſo Domino. Dixit ergò eis iterum: Pax vobis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur*

eis: & quorum retinueritis retenta ſunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis quando venit Ieſus. Dixerunt ergò ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpōdit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Ieſus, Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius DEI, *& vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Pax vobis, pax vobis, pax vobis.

MORTIS victor, veræq; vitę reſtitutor CHRISTVS rediuiuus redit ab inferis, & è ſepulchro cum corpore glorioſo reſurgens, ad ſuos diſcipulos eiſdem ædibus concluſos ingreditur, quum illi Hieroſoly-

mis die Paſchatis ſub noctem vnà commorarentur. Vbi pri mùm ille de pace ſermonem orditur, pacemque omnibus ſic ſatis afflictis ſæpè & amanter exoptat. Ego autem ex animo gratias agam, & ab omnibus mortalibus agendas putabo huic optimo maximoque Redemtori, qui vt nemo alius, ſummam à pace habet ac retinet commendationem. Eſt enim ipſe princeps pacis, ſicut ab Iſaia vocatur. Eſt & magiſter ſiue doctor pacis, vt cuius proprium eſt, per ſe ſuosque legatos pacẽ euangelizare Iudęis & Gẽtilibus, qui Euãgelium pacis volẽt amplecti. Eſt & pacis procurator, vtpote propterea de ſummo cœlo miſſus, vt pax noſtra efficeretur. Venit enim ad grauiſsimas & diuturnas inimicitias inter Deum hominesque tollendas, & ad totum genus humanum per firmiſſimam pacem authori ſuo reconciliandum. De illo igitur Zacharias Propheta prædixit: *Loquetur pacem gentibus.* Et Paulus affirmat: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem materiæ ſoluens inimicitias in carne ſua.* Duos enim populos Iudæorum ac Gentilium in vnum velut corpus redegit, ſeque illis vnum caput effecit, peccatis hominum in carne ſua per paſſionem & mortem interfectis. Quid verò pace, & Chriſti pace optabilius, præſtantius, dulcius, perfectius ac dignius poteſt excogitari? quid in hac & futura vita iucundius poſſideri? *Deus erat in Chriſto,* inquit Paulus, *mundum reconcilians ſibi, & per ſanguinem crucis eius pacificans omnia, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Cæterùm vt Chriſti pacem (bonorum omnium quaſi matrem & theſaurum) mihi comparem atque ſeruem, in hoc enim maximè laborandum eſt, præſentibus diſcipulis me conformare nitar, quos in monte Sion congregatos, & obſeratis foribus incluſos fuiſſe non temerè legimus. Mons ille Sion Eccleſiæ veræ typus & imago eſt, in qua ſola Deus ſe videndum fidelibus exhibet, ſuáque bona largitur. Quarè nihil ducam antiquius, præterquàm in hac domo Dei perſiſtere, vt ad Chriſti pacem aſſequendam nullo vnquàm vel errore, vel ſcandalo ab eccleſiæ vnitate & authoritate diſiungar. Ete-

Pſalm.132. nim de ſpirituali hoc monte Sion ſcriptum eſt: *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.* Ac rurſus: *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationē*
Pſalm. 131. *ſibi.* Immò verò de hoc mõte Deus ipſe teſtatur: *Haec requies*
Ibidem. *mea in ſeculum ſeculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Sed & fores mihi manebunt occluſæ, vt ſi ſapiam, mei ſenſus tum interiores, tum exteriores parùm aut nihil negotij habeant cum huius mundi ſtrepitu, illecebris atque vanitate, ita vt meipſum potius quàm alios reſpiciam atque curem. Quanto enim longius à mundo abſum, tanto propius ad Deum
1 Ioan.5. accedo, rectiùſque potiora mentis bona conſector. *Totus e-*
1.Ioan.2. *nim mundus in maligno poſitus eſt: tranſitq́; mundus & concupiſcentia eius. Qui autem facit volūtatem Dei, manet in aeternum.*
Eccleſ.13. Eſt ſanè mundus velut atra pix, de qua dixit Sapiens: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Quod ergò Propheta de ſe
Pſalm. 84. dixit, mihi quoque ſumam, libereque teſtabor: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebē ſuā, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*

Quoniam verò Chriſtus in hoc Euangelio non ſemel, ſed ter pacem ſuis precatur domeſticis, non abs re fuerit, vt ego triplicem à Deo pacem expetam, aliiſque ſubinde commendare ſtudeam, pacem nimirùm externam, internam ac ſupernam, ſiue vt alij vocant, pacem temporis, pectoris ac aeternitatis. Et quidem Chriſtianæ, placidæ & iucundæ pacis me ſtudioſum, verúmque cultorem oſtendam, ſi ab illis abſtinuero, quæ pacem charitatémque fraternam diſſuunt ac labefactant. Miſſos ergò faciam contentioſos, iracundos, feros, turbulentos, inquietos, obtrectatores, ſuſurrones, multòque magis genus illud hominum Deo maximè deteſtabile, qui neſcio qua libīdine inſana ductī, velut aliorum paci &
Prou.6. concordiæ inuideant, non ſine diabolico ingenio ac more ſeminant diſcordias inter fratres. Vnde Paulus quàmlibet
Galat.5. lenis & clemens, de huiuſmodi inquietis ac fratrum perturbatoribus, *Vtinam* inquit, *abſcindantur qui vos conturbant.*
Ibidem. Ac iterum: *Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunq́; eſt*

ille. Tum alio in loco: *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neq̨ Eccleſia Dei.* Nec temerè dixit Salomon: *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus.* Fecit hoc Abraham Patriarcha, qui vt pacis fœdera inuiolata ſeruaret, ac ſuo etiam damno pacem fraternã redimeret, nepotem Loth tam ſapienter quàm modeſtè affatus eſt: *Nè quaſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos, fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coràm te eſt: Recede à me obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo.* Nam & quæ vtilia nobis, ac propè neceſſaria videntur, Paulus bono pacis & charitatis poſthaberi vult, quando ita ſcribit: *Iam quidem omninò delictum eſt in vobis quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare nõ magis fraudem patimini?* Vnde monet etiam Alexander, qui ſub Traiano claruit Pontifex & Martyr, in hunc modum: Boni nempè & verè Chriſtiani hominis eſt, rem ipſam omnibus amicitiæ ac pacis legibus prius tentare, quàm in iudicio, vbi frequenter amariſſimus animæ rancor innaſcitur, ſuum ius pertinaciter experiri. Si quis enim cum Deo qui eſt pacis author, habitare cupiat, ei neceſſe eſt, vt pacem (cum proximo) inquirat. Tantoq̨ magis mihi commendatus erit Apoſtolicus ille Canon: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Nam & Chriſti Domini mandatum eſt: *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* Nihil enim Chriſtiani hominis tam eſt proprium, quàm diligenter conciliare pacem & pacificum eſſe, atque à cõtentionionibus ac litibus abſtinere: *Beati pacifici, quonim filij Dei vocabuntur.*

1. Cor. 11. · Prouer. 20 · Geneſ. 13. · 1. Cor. 6. · Epiſt. 1. ad orthodoxos. · Rom. 12. · Marc. 9. · Matth. 5.

Dolebo autem plurimorum piorum vota reddi nunc irrita, quoniam licet pacem priuatam & publicam hodie paſſim deſiderent, & à Deo ipſo precentur, tamen res ipſa teſtatur, domos, vicos, oppida, prouincias inteſtinis odiis, apertis diſſidiis, & exitialibus bellis, ſi aliâs vnquàm, nunc maximè conflagrare, pacis verò cultores, cuſtodes ac promotores paucos apparêre. Cuius grauiſſimi mali, quod rem Chriſtianam affligit maximè, cauſam eſſe cogitabo, quòd hic

mundus nimium ſe conformat Hieroſolymitanis, qui cùm de externa, politica & œconomica pace admodum ſolliciti eſſent, ſuámque libertatem vrgerent, Chriſti quidem conſcientiæque pacem in poſtremis habuerunt, ſicut Dominus flentibus etiam oculis totam illam monuit ciuitatem. Ac alibi de ciuibus illis teſtatur: *Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negociationem ſuam.* Accedit & radix malorum omnium cupiditas, quæ veram ſanctámque pacem nobis vel eripit vel diſturbat. Quantò enim magis propriis vacamus commodis Chriſtiani, tanto iuſtius à Deo plectimur, vt communi etiam bonorum poſſeſſione priuemur, atq; ita pro pace bellũ, pro charitate inimicitias, pro iuſtitiam nequitiã hominum, pro diuitiis paupertatem, p delicijs miſeriã experiri cogimur. Precatus eſt quidẽ Chriſtus pacẽ diſcipulis, & maximè mortem iam iam ſubiturus, ſed cum hoc additamento: *Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ac rurſus: *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.* Sic & Apoſtolus nè duntaxat hæreamus in pace mundana & temporanea potius quàm ſpirituali, pacem cum gratia Chriſti libenter coniungit, ſicut & cum ſanctimonia, inquiens: *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniã, ſine qua nemo videbit Deũ.* Multis præterea imponit ficta pax, quæ à fidelibus cum infidelibus & hæreticis inita, triſtes exitus plerunque ſortitur. Quare cùm pius rex Ioſaphat, ſeſe cum Ochozia impio rege Iſraël fœdere amicitiáq; iunxiſſet, ſic Prophetica voce corripitur: *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritaq́; ſunt naues, nec potuerũt ire in Tharſis.* Tum alius Propheta eundem regem Ioſaphat, quòd pacem cum Achab nefario rege foueret, ita reprehendit: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris.* Fuit quidem inter Pilatum & Herodem iam ſimultas, iam pax: ſed pacem illam ſtatim ſcelerata contra Chriſtum conſpiratio eſt conſecuta. Ea demum pax Deo grata, Reipub. ſalutaris, firmáque & diuturna

Luc. 19.
Matth. 22.
1. Timot. 6.
Ioan. 14. & 16
Roman. 1.
1. Cor. 1.
Philip. 1.
Hebr. 12.
2. Paralip. 20.
2 Paralip. 19.
Luc. 23.

eſſe

eſſe conſueuit, quæ Chriſti ſpiritu conglutinata, & in vnitate ſynceræ fidei fundata, puris animis excolitur atque ſtabilitur. Et Paulo quidem Apoſtolo eſt frequens, aliis pacem precari, ſicut & Chriſtus iniunxit: ſed hanc pacem ille cum gratia ferè coniungit, vt ſciant fideles, ſe neque cum Deo, neque inter ſe, neque cum eccleſia vera diu manere coniunctos, niſi proprium & excellens donum Spiritus ſancti, quod pax eſt, diuina gratia illis conferatur atque conſeruetur. Fucata & fallax omninò pax eſt mundi amatoribus, quantumuis blandè ac lætè ſe illi mutuò amplectantur, multoque laudabilius eſt bellum pro religione vera tuenda ſuſceptũ, quàm illi paci dare operam, quæ nos à Deo Deique eccleſia & religione vera diſiungit ac ſeparat. Demùm ſæpè rogabo Dominum, qui pacis author & amator eſt, vt idem de noſtri temporis eccleſia vndique concuſſa & perturbata dici poſſit, quod Lucas de primitiuo illo cœtu credentium aſſeruit: *Eccleſia quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Spiritus ſancti replebatur.* Præterea Regis Ezechię precationem mihi vſurpabo, *Fiat tantùm* inquit, *pax & veritas in diebus meis.*

Luc. 10. Rom. 1. 1. Cor. 1. Epheſ. 1.

Actor. 9.

Iſai. 39.

Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus, immò & pedes, ſicut Lucas adiungit.

O immenſam ac vſque prędicandam Chriſti benignitatẽ, qui vt diſcipulorũ conſuleret imbecillitati, ac rediuiui corporis ſui veritatem omnibus comprobaret, non ſolùm ſe Apoſtolorum oculis ſæpè ſpectandum, ſed & eorum manibus contrectandum ac palpandum vltrò præbuit. Is prætereà vulnerum ſuorum cicatrices nunquàm expungendas, in glorioſo illo corpore, & clauorum figuras quibus confixus fuerat, in manibus ac pedibus reſeruauit. Teſtatur igitur & Lucas, Dominum dixiſſe diſcipulis: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum*, quas partes corporis palàm illis

Luc. 24.

etiam ad contrectandum dedit. Eâdem ratione & ſignificã-tius quidem Thomam inuitat, vt digitum ille ſuum in fixurã clauorum, & manum in latus ſuum inſerat, omni dubitatione ſemota. Nec dubitant Ambroſius, Auguſtinus ac Theophilactus aſſerere, Thomam Chriſto paruiſſe, vt illum non modò Deum & hominem fateretur, ſed etiam digito ac manu tangeret. Quapropter ingentes eidem Domino gratias agam, qui pro ſumma prudētia & bonitate ſua glorificatam de ſepulchro carnem reſuſcitauit, & in ea præcipuorum vulnerum ſuorum veſtigia, quæ obliterare poterat, in illo immortali corpore ſuo cůſtodiuit. Cum illis ipſis in ſummum cœlum aſcendit, eadem paſſionis ſuæ ſigna, cùm ad extremum venietur iudicium, toti mundo commonſtrare decreuit. Non enim amici tantùm ac fideles, qui tunc immortales omnes aderunt, ſed inimici etiam ac maligni hoc ſibi commune habebunt, vt ſui crucifixi Redemtoris confixas manus, & latus à milite perfoſſum coràm intueantur. Nam de impiis etiam Iudæis & ſceleratis Chriſti tortoribus hoc Zacharias Propheta prædixit: *Adſpicient ad me in quem confixerunt*, vel ſicut apud Ioannē legimus: *Videbunt in quem transfixerunt*: Quod etiam alibi ſic expreſſum habemus: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Hunc enim germanum huius loci eſſe ſenſum non modò Græci, quemadmodum Chryſoſtomus & Theodoretus, ſed Latini etiā patres, vt Auguſtinus & Leo, confirmant. Eandem veritatem Iſaias Propheta comprobat, cùm beatos Angelos introducit, qui ob eiuſmodi notas in Chriſti carne ſeruatas tantùm nō obſtupuerunt, ſummámque tanti Victoris gloriam demirātes, in has voces prorumpunt: *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* vt cætera prætercam, quæ Iuſtinus, Hieronymus & Cyrillus ad hunc modum explanant. Nec diſſimilia profert Zacharias propheta, vt oſtendat Angelos ob dicta plagarum veſtigia Chriſtum in cœlos euntem, ſiue ex ingenti gaudio, ſiue ob aliam rationem ſic interrogaſſe: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Eas enim plagas ad figuras clauorum, quas

ſibi

ſibi Dominus in carne ſeruauit, refert etiam Cyrillus Alexandrinus. His veteris eccleſiæ Patribus, qui toti ſunt orbi percelebres, adſtipulabor, nullúmque concedam locum nouis & blaſphemis eccleſiæ hoſtibus, qui conſtantem hanc Orthodoxorum fidem de Chriſto cum ſuis in carne cicatricibus reſurgente, apparente, aſcendente, ſimúlque venturo mundi iudice adeò non recipiunt, vt etiam ſtultum & anile delirium pro ſua inſipientia vocent. Ego certè cum venerabili Beda ingenuè profitebor, quòd ſicut Chriſtus poſt reſurrectionem clauorum vel lanceæ loca pandendo, diſcipulorum fidem ac ſpem roborare dignatus eſt: ita etiam in die iudicij eadem paſsionis ſuæ indicia, & ipſam pariter crucem monſtrando venturus ſit, vt impietatem ſuperborum infidelitatémque confundat. In cap. 24 Lucæ.

Ac multis quidem de cauſis conueniebat, vt hic Redemtor humanæ naturę miſertus, inter alia diuini erga nos amoris documenta atque teſtimonia, ſuorum cicatrices vulnerũ in glorioſo illo corpore non aboleret, ſed retineret. Ita enim, ſicut diximus, diſcipulorum conſuluit imbecillitati, vt maiorem ſuæ reſurrectionis fidem illis aſtrueret, ſimúlque poſteros qui cum Thoma dubitare poterant, omni hæſitationis ſcrupulo liberaret. Deinde hæc vulnerum veſtigia triumphantis ipſius augebant gloriam, & præclarum perfectæ ipſius victoriæ, quam de hoſtibus retulit, documentum oſtendebãt. Videmus enim fortes quoque milites commendari, ſi quaſdam in corpore cicatrices vulnerum reſeruẽt ac monſtrent in corpore, quas inter pugnandum ab hoſtibus pro patria reportârunt. Vnde Cyprianus laudat Celerinum martyrẽ, de illo ita pronuncians: In ſeruo Dei victoriã gloria vulnerũ fecit, gloriã cicatricum memoria cuſtodit. Adhęc illuſtre ſpecimen nobis Chriſtus his plagis edidit, vt rectius obſeruemus illud præceptũ: *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Chriſtum enim vt Dominum contemplari debemus vulneratũ, & clauis in manibus pedibúsque confixum, & ad ſummam illam dolorum acerbitatem ignominiámq; deductum, ſicut

Ioan. 20. Lib. 4. epiſt. 5. Pſalm. 83.

Iſaias

Iſai.53. Iſaias illum quoque depinxit, inquiens: *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Io-
1.Ioan.2. annes illum vocat aduocatum, quẽ apud Patrem habemus:
Hebr.7. de quo ſcribit & Paulus: *Saluare in perpetuum poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Cuiuſmodi contemplatio ſalutarem & mortis & reſurrectionis Dominicæ memoriam nobis ac redemtis om-
Pſalm.88. nibus præclarè innouat, ſimúlque hortatur, vt miſericordias Domini in æternum cantare non ceſſent, ſed ex animo con-
Pſalm.117. cinant, quoniam ille bonus & in ęternum miſericordia eius. Mirum igitur in modum hîc excitatur & augetur credẽtium pietas, cùm recolunt illa vulnera pro miſeris homuncionibus non modò ſuſcepta, ſed etiam in carne Domini conſeruata, cœlum ipſum penetraſſe, & nunquàm abolenda eſſe, nimirùm vt Deo Patri immenſum precium humanę redemptionis oſtendant. Quãtum igitur illi debeo Liberatori, qui hæc illuſtria velut trophæa circumferens, me admonet præpotentis victoriæ de peccato, morte & Sathana reportatæ? Qui præterea hæc veneranda ſummæ humilitatis, obedientiæ ac charitatis documẽta ſimul & excitamẽta meis ingerit oculis, nè talis tantiq́; Mediatoris & Aduocati vnquã obliuiſcar, quãdo is in ſalute hominũ, ꝓcuranda apud Patrẽ ſuum ſe nobis fidiſſimum aſsiduè præſtat. Quare nè prorſus ingratus ſim, hos perennes fontes donorum ac bonorũ omnium mihi ob oculos ſæpè proponam, quum de illis dulciſsima
Iſai.12. extet promiſsio: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salua-*
Cantic.2. *toris, & dicetis in die illa: Confitemini Domino.* Ad hæc ipſa ter beata Petræ non diruendæ foramina confugiam, in illis meũ nidum firmiſsimum ponam, nihil habens antiquius, præterquàm vt in meis angoribus atq́; periculis vulnerum Domini memorando reſpirem. Hæc ſunt erúntque ſemper languentis animæ meæ medicamenta, firmáque contra hoſtes omnes præſidia, quæ non modò magna religione venerabor: ſed etiam flagrãti amore & ardore in omni vita complectar. Rurſus in mentem hæc vulnera mihi reuocabunt, quanta ſit

electorum futura conſolatio, quum in extremo iudicij die ſuum Redemptorem cum hiſce cicatricibus apparentem, ipſóſque ad cœleſtem gloriam humaniter euocantem, certò certius conſpecturi ſunt. Cogitabo præterea de impiis tũ iuſtè damnandis, quibus nihil ſanè triſtius erit, quàm iſtum iudicem ſua illis vulnera exprobrantem & publicè oſtendentem, palàm intueri. Vbi ſanè locum habet quod ab Hieronymo ſcitè dictum eſt: Cerne manus Iudææ, quas fixeras: cerne latus Romane quod foderas: Videte corpus an idem ſit quod dicebatis clam nocte ſuſtuliſſe diſcipulos.]

Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

SVMMO ſacerdoti & æterno Pontifici Chriſto gratias agam vt poſſum maximas, qui miſſus à Patre cœleſti in hunc mundum, munere ſuo probè perfunctus eſt, vt peccatores ſaluos faceret, quique conſulturus Eccleſiæ, poteſtatem dimittendi peccata, quam vt homo acceperat, in ſuos transfudit diſcipulos per Spiritum ſanctum, quem illis viſibili ſigno inſufflationis clementer impertiuit. Si enim viſum eſt Deo, de ſpiritu qui erat in Moyſe, auferre ac tradere ſeptuaginta viris, vt eandem prophetandi gratiam cum illo communem haberent, ſicut Moyſes ipſe teſtatur, quomodo non magis decuit ſpiritum Chriſti ſic propagari, vt primum ille in Apoſtolos, ac deinde in ſucceſſores illorum transfunderetur? Quarè permagni faciam, & ex animo venerabor ſacerdotes Euangelicos, qui Spiritum Chriſti participantes, vice Domini ſacerdotio initiantur, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ miniſtri ordinantur, vt per omnem vitam corpus & ſanguinem Dominicum in Eccleſia conſecrare, offerre, ſimul & diſpenſare poſſint. Non enim obſcurè fuit illis iniunctum: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod me ſcilicet in hac cœna facere & ſacrificare vidiſtis. Accedit quòd eoſdem ſacerdotes Chriſtus in die ſacro Paſchatis, hac noua & inaudita

pote-

poteſtate cumulauit, vt ad peccata hominum dimittêda vel retinenda, quod alioquin ſolius Dei eſt proprium, ampliſſima polleant facultate. Etenim hîc abundè complet atque præſtat, quod anteà promiſerat clariſſimis verbis: *Quæcunq́ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunq́ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Hæc autem poteſtas, ſi ritè perpendatur, ſacerdotes Chriſtianos ad ingens & ſublime dignitatis faſtigium euehit, vt ciuilem & regiã quoque dignitatem excellant, immò & Angelis hac in parte præſtent, omnibúsque veteris legis ſacerdotibus longè præcerantur. Vnde vt [a] Chryſoſtomum & [b] Ambroſium prætermittam, ſcribit in hunc modum [c] Hieronymus: In veteri quidem lege quicunque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus, lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpirituali mucrone truncatur; aut eiectus Eccleſia, rabido dæmonum ore diſcerpitur.] Solis ergò Chriſtianis competit ſacerdotibus, vt diuina poteſtas in peccatis remittendis poſita, ſingulari Chriſti munere in ipſos per Spiritum ſanctum transferatur, & ab illis petatur atque accipiatur. In horum enim arbitrio eſt munus ſoluendi & ligandi, ſicut & remittendi retinendique peccata quælibet mortalium, quamuis atrocia & pudenda illa videantur. Illi verè dicuntur & ſunt ſpirituales medici, iudices animarum, Chriſtique legati & vicarij ab omnibus adeundi, qui peccatorum ſuorum a Domino veniam conſequi, & offenſo Deo reconciliari ex animo petunt. Horum eſt proprium inter peccata atque peccata diſtinguere, & eorum qui ſoluendi ligandiq; ſunt, rationem diligentem habere, vt poſt examen habitum norint, quorum peccata in Chriſti nomine vel remittere & condonare, vel retinere & abſolutione indigna cenſere debeant. Proinde qui hos à Chriſto inſtitutos Eccleſiæ miniſtros & peccatorum iudices reiiciunt, atque ita impœnitentes perſiſtũt, cùm illorum alioquin poteſtate & Eccleſiæ clauibus gaudere poſſint, ſuorum peccatorum vinculis manẽt

adſtri-

adſtricti, & in ſuorum vitiorum ſordibus perpetuò pereunt, ita vt Deum vel in præſenti, vel in futuro ſeculo ſibi fore propitium fruſtrà polliceantur. Verè igitur à Cypriano dictum eſt: Qui Chriſto non credit ſacerdotem facienti, poſtea credere incipiet ſacerdotem vindicanti.]

Vbi demirabor cæcum vulgi iudicium de peccatis mortalibus (ſtipendium enim peccati mors eſt) deque illorum remiſsione, cùm putent homines rem leuis eſſe momenti, & ſine negotio ferè confici, vt quis offenſo Deo reconcilietur, & ex iniuſto iuſtus ac ſaluus fiat. Atqui ex Euangelicis & Apoſtolicis literis fit euidens, ſummam hominis peſtem atq; incomparabilem perniciem in peccato conſiſtere, illudque non ignoſci à Deo, niſi in vera Eccleſia fides hominis accedat, & in Chriſtum propiciatorem eiúsque ſanguinem intueatur, qui cùm ſit Agnus Dei, mundi quoque peccata tulit, & emundat nos ab omni peccato. Deinde præter fidem opus eſt pœnitentia, quam Chriſtus & Ioannes à peccatoribus exigunt, ſine qua nulli peccata condonantur. Hæc pœnitentia tum interior ob commiſſi peccati odium ac deteſtationem, tum exterior ob ſacramentalem, vt vocant, confeſsionem & abſolutionem eſt neceſſaria, certúmque requirit Eccleſiæ veræ miniſtrum, qui Chriſti merita homini purgando per claues applicet, ſicut inde ab Apoſtolorum tempore ſemper fuit obſeruatum. Quam iudiciariam ſacerdotũ poteſtatem, ſine qua nullus in conſcientiæ foro reus abſoluitur, Chriſtus hoc loco docet ac vrget maximè. Supereſt inſuper obſeruandus ille Canon Sapientis: *De propiciato peccato noli eſſe ſine metu.* Et ille: *Fili, peccaſti? non adiicias iterum; ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Siquidem perfecta hominis cum Deo reconciliatio fieri non poteſt, niſi melioris vitæ ſtudio, & perpetuo peccati odio accedente, cum quo & ſancta ſollicitudo ad dignos pœnitentiæ fructus edendos coniungatur. Ergóne lugendi ſunt omnes, qui hanc neceſſariam de peccatorum remiſsione doctrinam vel contemnunt vel negli-

gunt, vt bona quidem pars Chriſtianorum facit, qui abſque illa ſeſe per Chriſtum iuſtificari atque ſaluari poſſe confidūt, licet nullum peccandi finem faciant, & ab actione pœnitentiæ ſint alieni? Parum enim expendunt, quod grauiter ab Apoſtolo dictum eſt: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Fiet proculdubio in me & aliis omnibus quod Veritas æterna prædixit clariſsimè: *Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Ac iterum irreuocabile verbum eſt: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Pœnitentiam autem agit (Cypriani verbis vtor) qui diuinis præceptis mitis & patiens, & ſacerdotibus Dei obtemperans, obſequiis ſuis & operibus iuſtis Dominum promeretur.] Et Auguſtini dictum eſt: Pœnitentiam certam nō facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Quarè mihi opera danda eſt, vt ad graue onus peccatorum meorum abiiciendum, & cum ſummo iuſtiſsimóque Deo, & cum ſacerdotibus Catholicis pacem ineam, certóq; conſtituam, Chriſtum in cœlis mihi clementem iudicem nunquàm fore, niſi per legitimum eius miniſtrum à peccatis, quorum me pœnitet, in terris abſoluar. Iudicabit me vtique Deus, cuius iudicium effugere nullus poteſt: idē me in Eccleſia ſua per miniſtros ſuos iudicat, vt ſine illis de remiſsione peccatorum accepta certus eſſe non poſsim. Iudicabo & meipſum, tanto indulgentiorem habiturus vtique iudicem Deum eiúsque miniſtrum ſiue vicarium, quanto ſeuerius in meipſo puniēdo verſabor. *Si enim noſmetipſos diiudicaremus: non vtiq; iudicaremur,* vt nempè perpetuis peccatorum pœnis per ſeueram Dei iuſtitiam plecteremur. Cæterùm in eo miſericordias Domini in æternum cantabo, qui poteſtatem talem ſacerdotibus Catholicis dedit, vt ſiue boni illi, ſiue mali exiſtant, ab ira Dei & gehennæ flammis mortales liberare poſsint, quando pœnitentibus in Chriſti nomine peccata remittunt. Id quod larè

Hebr. 10.
Ioan. 5.
Luc. 13.
Lib. 3. epiſt. 18.
Serm. 7. de Tempore.
1. Cor. 11.

longè

longè eſt amplius, quàm lepra infectos mundare, vel mortuos reſuſcitare. Idcircò quantò grauius ego Deum offendi, & conſcientiam meam conſpurcaui, tantò reuerentius me clauibus Eccleſiæ ſubiiciam, illóſque velut ſummos magiſtratus honorabo, qui non modò verbum Dei (theſaurum ineſtimabilem) ſed etiam ſacramenta, vt cœleſtia pharmaca, nobis ſemper infirmis ex authoritate diuina diſpēſant, Chriſtíque & Apoſtolorum locum in Eccleſia tenent. Hinc ego ſæpius ad ſacerdotum principem & vindicem, verúmq; Samaritanum Chriſtum confugiam, & peccatorum omnium nomine gratias agam, quòd is charo ſui precioſi ſanguinis merito tam efficacem ac ſalutarem medicinam, quam per ſacerdotum abſolutionem in confeſſione accipimus, nobis clementiſſimè comparauit, illámque ad perpetuam fideliũ conſolationē, qua ſine plurimi de ſalute ſua deſperarent, pœnitentibus peccatoribus in hunc vſq; diē offert & applicat. Quæ res mihi augebit fiduciam, vt impenſius amem ac laudem Agnum illum immaculatum, qui pro peccatis noſtris factus eſt propiciatio, vtque contendam ſatisfactionis & reconciliationis per mortem eius obtentæ particeps fieri, potiſſimum verò per Eccleſiæ ſacramenta, quæ huius paſſionis applicationes & canales rectè dicuntur, ſempérque in conuerſis plurimùm operantur. Itaque quum verbum reconciliationis per ſacerdotem abſoluentem audio, nō dubitabo, me in Dei gratiam per peccatum amiſſam reſtitui, mihíque virtutem Dominici ſanguinis applicari, & conſcientiæ meæ ſanari vulnera, nouámque animi pacem recuperari, ita vt in poteſtate clauium regni cœleſtis, quas Chriſtus ſacerdotibus tradidit, ſecurè acquieſcam. Et ſanè Paulus hoc beneficium abſolutionis, quod confitentibus peccatoribus conſolationem adfert maximam, non tacuit, vbi de miniſterio Sacerdotum ita diſſeruit: *Deus nos reconciliauit ſibi per Chriſtum. Deus dedit nobis miniſterium reconciliationis. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos* Ac iterum: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſato-*

res myſteriorum Dei. Quos miniſtros & diſpenſatores tanto
magis colam, quanto illorum ordo nunc vulgo habetur &
[In Epiſt. ad Heliodorum.] eſt contemtibilior, & cum Hieronymo dicere non dubita-
bo: Abſit vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, quæ Apoſto-
lico gradui ſuccedentes; Chriſti corpus ſacro ore conficiũt,
per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claues regni cœlorum
habentes, quodammodò ante iudicij diem iudicant. Quæ
porrò ad hiſtoriam Apoſtoli Thomæ ſpectant, ſuas notas a-
libi accipient, & cum feſto eiuſdem Thomæ Apoſtoli con-
iungentur.

PRECANDVS *eſt mihi boniſq́ omnibus Deus pro Eccleſiæ
pace & vnione, ſi vnquàm antea, nunc maximè quidem infide-
lium & ſectariorum apertis inſectationibus, ac prætereà inteſti-
nis fidelium diſsidiis ac ſimultatibus miſerè diſtracta atq́ ſciſſa,
vt idcircò nauis noſtra in grauiſsimas anguſtias redacta eſſe vi-
deatur. Eòq́ magis pro concordia Chriſtianorum Principum &
Magiſtratuum diuina bonitas nocte ac die fidelibus omnibus in-
uocanda eſt. Nam & doctrinæ Apoſtolicæ eſt conſentaneum, mul-
torum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes & gratiarum
[1. Timot. 2.] actiones pro omnibus hominibus, potiſsimùm verò* pro Regibus
& omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillã
vitam agamus in omni pietate & caſtitate.

ORABO *etiam pro ſacerdotibus idoneis & eligendis & pro-
mouendis, qui non modò ſine crimine & offenſione, ſed etiam cum
[Matth. 5.] ædificatione & fructu Eccleſiæ ſuum munus impleant, verèq́ ſal
[Hebr. 5.] terræ & lux mundi appellari, dona & ſacrificia pro peccatis de-
[Matth. 4.] center offerre, piſcatores hominum eſſe, regnumq́ cœlorum dignè
[Ioan. 20.] & aperire & claudere peccatoribus queant.*

PRAETEREA *Dominum inuocabo, vt lapſis neceſſarium
pœnitẽtiæ ſacramentũ priſtino loco, quẽ apud veteres Orthodoxos
habuit, noſtro ferreo ſeculo aliqua ex parte reſtituatur. Non enim
illud, vt oportebat, in vſu & precio habetur, ſed paſſim vel cõtemn-*

nitur, vel ex conſuetudine quadam exerceatur ſine debita cordis contritione, ſine pura criminum exomologeſi & ea humilitate, per quam fructus digni pœnitentiæ peragantur. Præclarè autem dixit Chryſoſtomus: Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA, QVAE ET MISERICORDIA Domini vocatur.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM pars eſt diſputationis à Chriſto habitæ aduerſus inuidos Phariſæos, qui cùm reipſa fures eſſent ac latrones, ſoli tamen vel maximè in Iudæorũ Eccleſia paſtores ac rectores videri cupiebant, Chriſtoq; Domino nihil minus quàm veri paſtoris locum & munus concedebant. Retundit ergò illos Chriſtus, & probat ſe verum & proprium eſſe paſtorem, qui præter docendi officium velit & vitam pro ſalute ſuarum ouiũ impendere, idque per ſuos Apoſtolos ſit curaturus, vt Iudæi & Gentes hactenus inter ſe diſsidẽtes, in vnum & idem ouile colligantur, ac ſe paſtorem agnoſcãt & amplectantur. Sic demum impletur, quod iampridem per Iſaiam Deus Meſsiæ promiſerat hac oratione: Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus

mea vſque ad extremum terræ.] Neque tamen Chriſtus de ſolo Paſtore, ſed etiam de mercenariis, lupo & ouibus hic diſſerit. Mercenarius à Gregorio intelligitur, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum nô quærit, terrenis commodis inhians, ſuasque oues deſerens, cùm eas paſcere, & contra hoſtes tueri maximè oportebat. Lupi typum & ſpecimen gerit Satan cum ſuis ſatellitibus & Antichriſti præcurſoribus, præcipuè verò hæreticis clàm palàmue in Chriſtianas animas graſſantibus, vnde & Lupi rapaces in Scriptura dicuntur.

Matth.7.
Actor.20.
Ezechiel.22.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Ioan. X.

DIXIT IESVS *ad Phariſæos: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. Et illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Ego ſum paſtor bonus.

HAEC ſententia in Euangelio ſępius repetita, ingentem piis conſolationem adfert, ac me peculiariter de Chriſto cognoſcendo & amãdo, aut potius redamando admonet, vt qui nõ modò meus Redẽptor & propitiator, ſed & animæ meæ paſtor ac Epiſcopus in hunc vſq; diem eſſe dignatur. Sic enim de illo Petrus Apoſtolus fideles omnes compellat: *Eratis ſicut oues errantes: ſed conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Neque tantùm ille ſacerdos, paſtor, Epiſcopus & Pontifex, ſed & Princeps paſtorum, & magnus paſtor, immò & Rex regum & Dominus dominantium in Scripturis appellatur, quoniam primatum in omnibus tenet. Ego verò hũc numeris omnibus bonum paſtorẽ tunc cognoſcam & complectar maximè, cùm ipſe in ſacro Euchariſtiæ ſacramento præſens, totum ſe mihi ad paſcendum ac reficiendum offert ac tribuit liberaliſſimè, perinde ac ſi plenus gratia & charitate coràm dicat: *Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Hic eſt panis de cælo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* O clementem & munificum verèque incomparabilem paſtorem, qui non contentus corporeo nutrimento quotidiè nos egenos paſcere, tantis etiam laboribus atque doloribus nos perditos ex horrendis infernalis lupi faucibus eruit, atque in ſuum præclarum ouile transfert: immò etiamnum ſuas oues quàmuis immerentes, verbi ſui lautiſſimis paſcuis, & quod multò eſt amplius, ſacroſancto corpore & ſanguine ſuo alere & ſuſtentare pergit. Quid porrò huic fido paſtori æquari queat, ſi eius

curam, induſtriam, vigilantiam, fidelitatem, patientiam & charitatem aſſiduam cum aliis, quotquot vnquam fuerunt

Iſai. 5. & erunt paſtoribus, ritè conferamus? *Quid enim debuit vl-*

Ezechiel. 34 *trafacere, & non fecit? Ecce ego ipſe* inquit, *requirã oues meas, & viſitabo eas. Ego paſcam oues meas: & ego eas accubare faciã. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo: & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam, & paſcam illas in*

Ioan. 10. *iudicio.* Tum idẽ paſtor in Euangelio diſertè promittit, nec minus promiſſum ſuum implet quotidiè: *Per me* ait, *ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Quem ergò paſtorem Chriſto maiorem, fideliorem magiſque ſalutarem agnoſcam? non Moyſen, non Aaron, non Samuelem, non Oniam, licet probi paſtores ſuo etiam ſeculo extiterint, ſed qui ſummum Paſtorem maximúmque Pontificem Chriſtum nobis adumbrârũt, & illius quaſi fuerunt præcurſores. Vnus hic totius ouilis à Deo electi præfectus ac paſtor manet, à cuius ouili ſancto me diuelli ac abſtrahi non patiar. Hic populum ſuum in deſerto paſcit manna cœleſti, ideòque ab illo animæ meæ pabulum & alimoniam

Prouer. 9. cupidiſſimè petam. *Venite* inquit, *comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Penes hunc vnum paſtorem præpinguia ſunt vitæ paſcena & amœniſſima prata, quæ non ſolùm in hoc, ſed in futuro etiam ſeculo poſſunt deſiderari: is eſt ſolus, qui ſuos fideles verbo & ſacramento, immò & ſe ipſo, id eſt diuina humanáque natura paſcit ac ſaturat in ſempiternum. Quocirca ego non fidam humanis præſidiis, quæ arundineo baculo ac fictili vaſculo iure comparantur, quæque mundi amatores miſerè fallunt, ac ſæpenumerò perdũt.

Hierem. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Ego cum Pſalmo-

Pſalm 22. & 94. grapho dicam audacter: *Dominus regit me,* (alij cum Auguſtino legere malunt, paſcit me) *& nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Ipſe eſt Dominus Deus noſter: & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius.*

Etſi verò neminem reperiri puto, qui ſine turpi arrogan-
tiæ nota hanc ſibi vocem vſurpare poſsit: *Ego ſum paſtor bo-
nus. Nullus enim bonus* (eſſentialiter, vti vocãt) *niſi vnus Deus*,
ſolúſque Chriſtus Agnus eſt immaculatus, qui nec peccauit
vnquàm nec peccare potuit, noſtra iuſtitia & ſanctificatio:
tamen duplicem cuiúſque paſtoris bonitatem agnoſcam, &
per illam Catholicos ab hæreticis paſtoribus diſcam diſcer
nere. Primum boni & Euangelici paſtoris argumentum eſt,
ſi ordinariam vocationem ac probatam miſsionem habeat,
vt per oſtium ad oues ingrediatur, & legitimæ ordinationis
ſuæ authentico ſymbolo ſit commendatus. Nam ad ſecta-
rios falſóſq; paſtores pertinet, quod iratus Deus apud Pro-
phetam queritur: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant:
non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Vt hinc etiam Apo-
ſtolus pronunciârit: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?*
Vetat igitur idem, nè quiſquam ſibi eiuſmodi paſtoralem ſu
mat honorem, niſi vocetur à Deo tanquàm Aaron, quia ne-
que Chriſtus ſeipſum clarificauit, vt Pontifex fieret. Eòque
magis doleo vicem & improbitatem ſectariorum, qui con
temta Eccleſiaſticorum magiſtratuũ authoritate atque miſ-
ſione, in paſtorale munus ſeipſos intrudũt, aut à ciuili pote-
ſtate ſe in ſacra munia ingeri patiũtur, vt idcircò legitimi vel
paſtores, vel miniſtri Eccleſiæ non poſsint exiſtimari. Altera
nota veri boníque paſtoris eſt, doctrinam nõ nouam, aut ſu
ſpectam, ſed veterem & receptam profiteri, eaque Chriſti o
ues ſyncerè paſcere, & in officio continere. Quarè Paulus et-
iam præcipit, vt Dei Eccleſiæque miniſter formam ſanorum 1
verborum habeat, rectèque tractet verbum veritatis, & in 2.
his quæ in domo Dei viui Eccleſia didicit, permaneat, depo- 1.
ſitumque cuſtodiat. Nam & Chriſtus ſeipſum ſuámque do-
ctrinam ita contra Iudæos excuſat: *Mea doctrina nõ eſt mea,
ſed eius qui miſit me. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam
quærit.* Ac iterum de ſuis ouibus teſtatur, quòd vocẽ ipſius Io
norint & ſequantur, alienum verò non ſequantur, ſed ab illo
velut adulterino fugiant, quia non nouerunt vocem alieno

rum. Igitur Catholici paſtoris non tam vita quàm doctrina mihi ſpectanda atque ſectanda eſt, & in his quæ cum Eccleſia conſentienter ille docet, Chriſtum ipſum paſtorem, Chriſtique vocem audire mihi videbor, ſicut poſtea fuſius exponemus. Nam & Paulus dicere non veretur: *An experimẽtum*
2.Cor.13. *quæritis, eius qui in me loquitur Christus?* Ac iterum: *Qui hæc*
1.Theſſ.4. *ſpernit* ait, *non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* Quid quod Chriſtus ipſe aſſerere non dubitauit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit,*
Luc.10. *me ſpernit.* Quarè ſatis mihi videri non debet, ſi paſtorẽ Chriſtum agnoſcam, ſed vocem eiuſdem tum in ſeipſo, tum in ſuis ordinariis paſtoribus loquentem & mandãtem religioſè complectar, vt me germanam & fidelem optimi paſtoris ouem reipſa declarem, & ordinem in Eccleſia neceſſariam comprobem.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.

MAGNO & æterno Paſtori Chriſto gratias agam, quandoquidem paſtorale munus in Eccleſia ouibus neceſſarium (quid enim ſine paſtore hoc imbecille pecus?) inſtituit, ſingularíque poteſtate & gratia ita communiuit, nullis vt humanis viribus ac Satanicis artibus poſsit hoc illorum officiũ aboleri. Fidis ipſe paſtoribus continenter aſsiſtit, corúmque conatibus ſucceſſum tot ætatibus vbique gentium tribuit,
1.Pet.5. quos idem Princeps paſtorum immarceſsibili gloriæ corona cohoneſtare decreuit. Ad hanc piorum paſtorum multi-
Hierem.1. tudinem omnem illa Dei vox referri poteſt: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te ſuper Gentes & ſuper regna: vt euellas & deſtruas, & diſperdas & diſsipes, & ædifices & plantes. Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt: quia ego tecum ſum, ait Dominus vt liberem te.* Atque vt certius cõſtet, quàm ſit ingens præmium illorum, qui in grege Domini paſcendo ſe gnauos exhibent, iudex demum, cùm ad finem paſcendi
Matth.25. laborandíque ventum fuerit, ita ſingulis dicet: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam:*

tuam: intra in gaudium Domini tui. Beatus enim ille ſeruus, quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Quid verò, ſi ordinarij paſtores officiũ ſuum non faciant, ſed ſeipſos potius quàm gregem paſcant, ac mercenarios, de quibus Chriſtus hîc loquitur, æmulentur, quoniam quæ ſua ſunt quærunt, & temporalia lucra ſectantur, humanis vitiis & affectibus obnoxij? Ergòne conſultè fecero, ſi me illis in oblatrando & mordendo veluti canem, aut in conuerſando tanquàm hœdum cornutum, vel in oppugnãdo feroci leoni aut vrſo ſimilem præbeam? Habeant præpoſiti Eccleſiæ ſuos næuos, vt etiam ſpectantium oculos offendant, & ſubinde cum Chriſti diſcipulis digni ſint reprehenſione. An idcircò meum eſt, Ariſtarchi, cẽſoris vel iudicis perſonam mihi ſumere, vt diſcipulus ſupra magiſtrum ſapiam, & ſeruus maior eſſe audeam Domino ſuo? Hæc profectò non congruunt cum ouium natura & ſimplicitate, quæ omni iure diuino & humano ſubeſſe & parere debent paſtoribus, & niſi ab illis regantur, eorúmque ſequantur imperium, facilè vagantur & errant, certúmque ſibi periculum & exitium creãt. Vt autem illis ritè prouideatur, & à lupis tutè ſeruentur, paſtoris vocem audiant neceſſe eſt, & illius quidem maximi Paſtoris, à quo dictum & ſeriò præceptum eſſe conſtat: *Omnia quæcunq; dixerint vobis* (ſedentes nimirùm in cathedra) *ſeruate & facite: ſecundùm opera verò illorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Nunc autem (Chryſoſtomi verbis vtor) non eſt dicendum, Super Cathedram Chriſti ſederunt ſacerdotes: eius enim acceperunt doctrinam.] Notat & Auguſtinus, Chriſtum eodem loco fideles ſuos ſecuros facere de diſpenſatoribus malis, mala ſua facientibus, & bona eius loquentibus. Quamobrem in his paſtoribus, qui ſanam doctrinam ſerunt, & legitima Eccleſiæ iura exigunt, quid aliud niſi Chriſtum ipſum loquentem ac ſonantem audiam, vt in illis diuinam ordinationem honorem? tametſi illi vitã prorſus non inculpatam, & mores magiſtris & miniſtris Eccleſiæ

indignos adferant, ſed velut ſal infatuatum eſſe videantur. Abſit interim, vt ego falſis fratribus ac apertis etiam Eccleſię hoſtibus ſtolidè aſſentiar, méque conformem, quibus nimium eſt familiare, paſtorum & ſacerdotum vitia numerare, illósque vulgo traducere, quin etiam totum illorum ordinē fictis ſæpè criminibus grauare, ac inuiſum reddere, ſicut & Cyprian[a] ætate ſua factū eſſe deplorat. Intereà verò ad voces illas diuinas obſurdeſcimus, quæ in verbo Dei clariſſimè docent: [a] *Principi populi tui non maledices.* [b] *Maledici regnum Dei non conſequentur.* [c] *Nolite iudicare, vt non iudicemini. Nolite condemnare, vt non condemnemini.* [d] *Nè Chriſti fidem in acceptione perſonarum habeatis.* Nónne Chriſtus ipſe teſtatur, impunè non abiturum, ſi quis verbum vnum per contumeliam dictum, in fratrem iaciat, ſed eum qui priuatum etiam hominem appellat fatuum, perpetuo gehennæ incendio eſſe plectendum? Iubentur oues ab Apoſtolis pacem habere cum paſtoribus, illiſque ſubiacere: ſed & magiſtratibus omnibus, etiam dyſcolis obedire, ac ſuum illis honorem tribuere, ſi Chriſti oues eſſe cupiant. Quam igitur veniam & excuſationem illi promerentur, qui non ſolùm in ſacerdotes, ſed etiam in horum antiſtites, ſummóſque Pontifices ſcommata & conuitia linguis virulentis effundunt, aut certè procacibus illorum obtrectatoribus libenter aures porrigunt atque ſuffragantur? In hos nempè dictum Moyſi competit: *Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Sed enim ſi vnquàm antea, nunc vel maximè non accuſandi, ſed commiſerandi, noſtriſque precibus ſubleuandi ſunt præpoſiti Eccleſiarum, quandoquidem illorum officium ſectarij difficillimum, & prorſus exoſum reddiderunt, ipſique velut ſumma tempſtate iactati, ad Eccleſiæ clauum ſedent, atque à ſæuis hoſtibus grauiter vndique oppugnati, cum Apoſtolis in mediis horrendiſque fluctibus meritò clamitant: *Domine ſalua nos, perimus.* Quod ſi verum fatebimur, cōmunis contemtus ac neglectus paſtorum, qui nunc paſſim irrepſit, omnium fermè malorum, ac præſentium hæreſeon ac ſchiſma-

tum

tum fontem ac fomitē præbet. Id quod Chryſoſtomus confirmans, perſpicuè dixit: Hoc nempè eſt malorum omnium cauſa, quòd rectorum authoritas periit, nulla iis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus.] Quid verò iſthuc noui eſt, officio ſuo deeſſe ſacerdotes? quemadmodum & Apoſtolorum ſeculo, cùm inſignis Eccleſiæ puritas floreret, bonorum ſacerdotum raritas ac penuria deplorabatur. Hinc illa verba ab Apoſtolo ſcripta legimus: *Hîc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.* Rectè igitur cenſet Auguſtinus, neceſſarium eſſe, vt mercenarios audiamus, cùm multi in Eccleſia commoda terrena ſectātes, Chriſtum prædicant: eos enim qui audiunt, Chriſti paſtoris per mercenarios ſonantis vocem audire, qui & meritò cum Paulo teſtari poſſunt: *Dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annunciatur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Quocirca illos mihi deplorandos putabo, qui adeò ſunt imbecilles, vt propter hominum vitia vel exempla, quæ non ſolùm in Apoſtolis, ſed etiam in Angelis reperire licet, grauiter offendantur, cùm Propheta dixerit: *Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum.* Ac enormius etiam illi peccant, qui ſeſe ob paſtores malos vel inſipientes, à vera fide & Eccleſia patiuntur abduci, nec meminiſſe volunt, in hoc militante Chriſti regno bonis malos, & triticum zizaniis ſemper admiſceri. Sed enim improborum ſacerdotum vita corrupta, Chriſtiani ſacerdotij præſtantiam, ac Sacramentorum ſanctitatem non magis polluit, quàm ſacrilega Iudæ nefarij proditio Apoſtolici ordinis præcellētem dignitatem offuſcat ac vitiat. *Qui verò benè præſunt presbyteri,* ſi Apoſtolum Paulum ſequimur, *duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* De aliis porrò presbyteris atque paſtoribus, qui indignè præeſſe videntur, quod ad vitam attinet, idem Paulus non omnibus iudicandi poteſtatem fecit, ſed Epiſcopo ita mandauit: *Aduerſus*

1 2 I I 4 P Io Pſ Ma 1;T Ibid

presby-

praſbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Quanquàm nos de illis paſtoribus eccleſiæque miniſtris duntaxat loquimur, qui tametſi in vita & moribus bonos ac malos offendant, tamen Orthodoxam ac ſanam doctrinam retinent, à ſectaria fide alieni: dicunt enim & non faciunt. Quid multa? diligendus eſt paſtot, tolerandus eſt mercenarius, cauẽdus eſt latro, vt Auguſtini verbis hæc omnia concludamus.

Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.

MAIOREM in modum optabo, me illis electis Chriſti ouibus aggregari, qui fide & charitate commendatæ, paſtorem ſuum & Pontificem æternum agnoſcunt, vocémque illius libenter audiunt, ac ſtudioſè ſectãtur. Eiuſcemodi oues à ſuo paſtore viciſſim tunc agnoſcentur maximè, cùm à fœdis hœdis ſeparabuntur, & in die ſupremi iudicij ad dexterã collocatæ, benedicti erunt filij Patris, & velut Chriſti fratres & cohæredes coràm toto mundo publicè celebrabuntur, atque ad æternum Dei regnum fœliciſſimè adſciſcentur. De his ipſis cum voluptate audiam dulcem Chriſti promiſſionem: *Ego* inquit, *vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quiſquam de manu mea.* Ac iterum alibi: *Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas. Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum: ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant. In paſcuis vberrimis paſcam eas*, vt cætera prætermittam. Cùm verò ſit ouium proprium, lupos fugere & exhorrere, vt à quibus certum periculum & exitium ſibi metuendum intelligunt, valdè mihi quoque cauebo ab illo peſtilenti doctorum genere, quos Chriſtus lupos rapaces in Euangelio appellauit. Etenim hi nunquàm non ouibus inſidiantur, & ſtudium peſtilens adhibent eiſdem ouibus diſpergendis, rapiendis atq; iugulandis. De his quoq; Paul⁹ monuit: Eiuſmodi *Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Ac tãto quidem

dem illi magis fugiendi ac deteſtandi, quòd ſub ouina veſte truculentam luporum ſæuitiam norint abſcondere, quodq́; peſtiferæ doctrinæ virus in animos incautos & ſimplices miris modis infundant. Hinc ſeria Chriſti ſuas oues excitantis eſt admonitio: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Matth. 7.

Dolebo interim tam multos hodie reperiri, qui præſentis ſeculi lupos adeò non fugiunt, vt relictis & cõtemtis ſuis paſtoribus vltrò lupos adeant, ſeque totos illis permittant, quos & pro chariſſimis habent præceptoribus, & quibus miſeram ſeruiunt ſeruitutem. Quid verò Chriſtus? *Omnis* inquit, *qui non intrat per oſtium* (in ouile ouium) *ſed adſcendit aliunde* (licet ſe ouium pellibus contegat, ſeque à Deo miſſum eſſe iactet, ac Dei verbum prædicet) *ille fur eſt & latro.* Ioan. 10. Quòd ſi Chriſti oues eſſent, Chriſti vtique vocem in domo ſua, & in ordinariis miniſtris ſuis loquentem audirent, neq́; ad ſectarios & latronũ ſpeluncas cũ fugerent, vt alienos, Eccleſiæque aduerſarios ſummo cum periculo ſequerentur. Vnde ſuas etiam oues Deus hortatur: *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.* Hier. 23. Neque ſunt pauci hoc ſeculo, qui ſe Chriſti oues eſſe glorientur, nec velint tamen cum Petro Apoſtolo, eiúsque in Eccleſia Romana ſucceſſoribus quicquam habere cõmune, ſicut & alios eccleſiæ Catholicæ antiſtites atq́; gubernatores reſpuunt & adſpernantur. Horum cæcitatem mihi quoque deplorandam putabo, quòd miſeri non cernant Chriſtum ipſum eſſe, qui in Eccleſia ſua ſeruari ordinem velit, & inter alia ſuo loco vnum & ſummum paſtorem ac principem ouium, vt ritè paſcantur & in vnitate cõtineantur inſtituerit. Ioan. 10. & 21. *Paſce* inquit, *agnos meos, paſce oues meas.* Tum idem eſt Chriſtus, qui Epiſcopos Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedentes, vt eſt apud Cyprianũ, Actor. 20. ad regendam Eccleſiam vbique gentium dedit, totque ſeculis conſeruauit. Qui præterea non ſolùm Prophetas & Apoſtolos, verùm etiam paſtores & doctores conſtituit ad con-

ſummationem ſanctorum in opus miniſterij, & in ædificationem corporis Chriſti, Apoſtolo teſte. Epheſ. 4.

Quoniam verò non eſt valdè frequens numerus ouium Euangelicarum, Chriſto paſtori ſe totos integrè ſubiicientium, pauci enim ſemper electi, idcircò mihi notandæ ſunt Matt. 20. præcipuę conditiones & dotes, in quibus naturam & mores ouium debeam æmulari. Sunt illæ quidem ſuapte ſponte ſimplices, manſuetæ, frugales, patientes, morigeræ, neminẽ lædunt, & de multis benè merentur ſua lana, lacte, carne & inteſtinis, ac licet ſæuè mactentur, non ſe vindicant & pugnant, ſicut pleraque ſolent animantia. Eóq; magis veniam à Deo petam, quòd per Chriſti ſpiritum ea nõ præſtem, quæ natura duce oues diligenter obſeruant, & ob quæ filius Dei ſe agnum & ouem voluit appellari. Et reuera ille Agnus eſt, Apoc. 13. vt Ioannes inquit, occiſus ab origine mundi, & ouis, vt Iſaias Iſai. 53. his verbis comprobat: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuũ.* Meum erit poſthac maiorem adhibere curam, vt Chriſtum intus foriſque loquentem audiam, meque totum ad illius vocem & voluntatem componam, quocunque ille me vocet ac ducat, qui animam meam ſolus ſuis æternis bonis & Geneſ. 15. paſcere & ſaturare promiſit, inquiens: *Noli timere, ego prote-* Pſalm. 16. *ctor tuus ſum, & merces tua magna nimis. Satiabor* ergò, ait Dauid, *cùm venerit gloria tua.* Petam illum à Deo mihi ſpiritum Hierem. 17. dari, quo afflatus Hieremias de ſeipſo dixit: *Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens.*

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS, *vt ſecundùm cor ſuum Epiſcopos, paſtores & Doctores, hoc eſt, idoneos animarum medicos eligat, ſuamq́ promiſsionem hoc infælici ſeculo impleat:* Hierem 3. Dabo *inquit,* vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos 1. Pet. 5. ſcientia & doctrina. *De his paſtoribus dixit Apoſtolus Petrus: Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum: neq́, turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neq́, vt dominãtes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.*

ORABO etiam pro Catholicis Epiſcopis, quos Apoſtolus à Spiritu ſancto ad regendam Dei Eccleſiam poſitos eſſe teſtatur, nimirùm vt ſibi & vniuerſo gregi ipſis concredito diligenter attendāt, ac idcircò tum clero, tum populo viſitationem ſimul & reformationem neceſſariam ſubinde adhibere contendant. Sic enim fiet, vt imminentes lupos facilius arceant, & pauciores mercenarios habeant, oues autem in ouili ſuo ſecurius contineant, æternæq́ vitæ pabulo fœlicius paſcant reficiantq́.

ADHAEC diuinam implorabò gratiam pro Eccleſiæ vnitate, nimirùm vt ex Iudæis & Gētibus vnum efficiatur ouile, quod ſub vno ſummoq́ paſtore Chriſto, vt eius Vicario Pontifice in terris pacificè gubernetur. Non enim rectius habere poteſt militans Eccleſia, niſi cùm vnum eſt ouile & vnus paſtor, ſicut Chriſtus fore prædixit, & multò ante per Ezechielem Deus hiſce verbis promiſit: Suſcitabo ſuper oues paſtorem vnum qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autē Dominus ero eis in Deum: & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. *Quo magis orabo pro hæreticis atq́ ſchiſmaticis, qui neceſſariam Eccleſiæ vnitatem per ſummam iniuriam ſcindunt ac lacerant: dum ſicut Iudas Apoſtolus dixit, ſemetipſos ſegregant, ſuntq́ animales, ſpiritum non habentes, & ſecundùm deſideria ſua in impietatibus ambulantes.*

DOMINICA TERTIA POST PASCHA, quæ Iubilate dicitur.

Sequentis Euangelij argumentum.

CHRISTVS iam iam paſſurus vltimam cœnam cum ſuis diſcipulis in Hieruſalem celebrauit, & præcla-

rum

rum longumq; ſermonem habuit ad mœſtos eorum animos conſolandos atque præmuniendos, quòd ſæuiſsimam quaſi tempeſtatem ſtatim eſſent experturi. Etenim tradito & à Iudæis capto Domino, impletum fuit illud
Zachar.13. Matth.26. oraculum: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.] Egebant illi ſanè timidi ac triſtes fida præmoni-
Ioan.14.& 16 tione, quam Ioannes deſcribit, & cuius initium eſt: Non turbetur cor veſtrum:] finis autem ſic habet: Hæc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.] Ex eodem ſermone deſumpta ſunt Euangelia, quæcunque ab hoc tempore Dominicis diebus ad Pentecoſten vſque in Eccleſia recitantur. In his apparet vis excellens ad conſolandum & hortandum, quando nos etiam in cruce verſamur, vel cum aliis afflictis agere volumus: augent præterea Dominicæ & auguſtæ reſurrectionis gaudium, cui totum Paſchale tempus concinnè deputatum eſt. Præſens autem Euangelium habet hoc peculiare, quòd ſæpè mentionem faciat de modico tempore, quo ſe Chriſtus diſcipulis videndum exhibere vellet. Quod quum Apoſtoli non aſſequuntur, Chriſtus ſeipſum explicans, vtrumque, mœroris ſcilicet & gaudij, tempus illis prænunciat, ſed gaudium ſolidius atque durabilius fore promittit. Cùm enim vix ab illis triduo abfuiſſet, & rediuiuus ad ſuos in corpore glorificato rediiſſet, magnoperè illi ſunt exhilarati, ſicut & illa confirmat ſen-
Ioan.20. tentia Ioannis: Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.] Quod ingens diſcipulorum gaudium ſæpè innouatum fuit, cùm Dominus poſt paſsionem ſuam ſe viuum illis præbuit in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, ſicuti Lucas euiden-
Actor.1. ter commemorat. Neque ſolùm primis diſcipulis, ſed & piis omnibus afflictiones & perſequutiones hic prædicuntur, ſimulque iubentur illi bono eſſe animo, & firmam expectare conſolationem, adeòque à Chriſto ipſo pendere, qui ſuos nunquàm deſerit, ſed veluti parturientibus aſsiſtit fideliter tempore ſuo, vt idcircò quamlibet crucem & viciſsitudinem non debeant formidare.

midare. Beati enim qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Matt. 5.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Ioann. XVI.

*D*IXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergò ex diſcipulis eius ad inuicem. Quid eſt hoc quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebāt ergò, Quid eſt hoc quod dicit Modicum? Neſcimus quid loquitur. Cognouit autem Ieſus quia volebant eum interrogare: & dixit eis, De hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur, nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.

PRAESCIVS omnium futurorum Chriſtus nihil celat diſcipulos amiciſſimos, ſed iam de inſtante morte & reſurrectione, iam de futuris hoſtiũ perſequutionibus multa prodit arcana. Vnde iiſdem antè teſtatus fuerat: *Vos dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Nec eſt diſſimile, quod in veterī lege faciebat Deus, futuris de rebus Prophetas præmonens, vt hinc Amos teſtetur: *Non faciet Dominus Deus verbũ, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.* Quarè & amicum ſuum Abraham ita compellauit: *Num celare poſtero Abraham quæ geſturus ſum?* Neque modò læta & iucunda, ſed etiam triſtia & acerba cum ſuis communicat Chriſtus, præſertim vt ex morte ſua iam imminente ſciant, ſuos animos non leuiter vulnerandos; ſimúlque tamen ſuæ reſurrectionis breui ſequuturam promittit gloriam, quæ gaudium illis ingens adferret. Ego verò ſingulares hîc gratias agam Domino, qui vt nemo alius, amicum & fidum ſe conſolatorem partim diſcipulis, partim aliis etiam immerentibus ſæpenumerò præbuit, ad noſtram vtique conſolationem. Etenim tametſi pauper Chriſtus ſuos etiam Apoſtolos egenos eſſe voluit, tamen in his quæ ad corpus corporeámque vitam ſpectabant, nihil illis neceſſarium deeſſe paſſus eſt, ideóque in eâdem cœna hoc modo illos rogauit: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis: nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil.* Iactati aliquando illi ſumma tempeſtate, vt in naui periclitarentur, quæ tantum non

fluctis

fluctibus cooperiebatur, ex improuiſo venit ad illos Dominus ſuper mare ambulans, & vẽtorum impetum verbo vno diſſipauit, ac mare illis tranquillum reddidit. Deinde cùm ipſe in horto ab hoſtibus caperetur, non ſuſtinuit, ſuorum quenquam attingi, ſed omnes conſeruauit illæſos: *Sinite* inquit, *hos abire.* Tantam ille curam habuit diſcipulorum, quibus & alibi non fruſtrà promiſit: *Veſtri & capilli capitis omnes numerati ſunt: nolite ergo timere.* Sed ad externos veniamus, qui ſingularem Domini in conſolando vim & efficaciam re ipſa ſenſerunt. Conſolatus eſt triſtem viduam vnico orbatã filio, cuius cadauer ad ſepulchrum efferebatur, ſtatímque ex mortuo viuum illum effecit. Conſolatus eſt Magdalenam peccatricem, quæ coràm menſæ conuiuis peccata ſua plurimis & amariſſimis deplorauit lachrymis, eámque nõ ſolùm abſoluit, ſed etiam poſtea ſemper chariſſimam habuit. Conſolatus eſt ingentem populum, fame & inedia periturum, niſi illum in deſerto panibus & piſcibus exſaturaſſet, ſeque vt verum Meſsiam, illis agnoſcendum exhibuiſſet. Conſolatus eſt veteres Patres in Lymbo perinde ac in tetro carcere tot ſæculis vinctos, quum illos ipſos, vt diximus, ſtatim à morte amanter inuiſit, ac potenter eductos ſecum in cœlos tranſtulit. Quid verò longæ & frequentes eius peregrinationes fuerunt aliud, præterquàm fida officia charitatis, & conſolatoriæ viſitationes hominum calamitoſorum? quandoquidem vt Petri verbis vtamur, *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo,* docens in Synagogis Iudæorum & prædicans Euangelium regni, & curàns omnem languorem, & omnem infirmitatem, ſicut Matthæus affirmat. Petam igitur à Chriſto ſingularem gratiam, quæ magni eſt ſanè momenti, & non ita multis obtingit, ad afflictos alios ritè conſolandos. Eſt enim hoc præclarum, ac fraternæ charitatis proprium argumentum, ſi quis norit ac ſtudeat obſeruare quod ſcriptum eſt: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat viſitare infirmos: ex his enim in dilectione firmaberis.*

Ioan. 18.
Matth. 10.
Luc. 7.
Ibidem.
Matth. 14
Ioann. 6.
Actor. 10.
Matth. 9.
Eccleſ. 7.

Vbi non abs re fuerit nonnulla recenſere, quę ad probam ſolidámq; mœrentium aut afflictorum conſolationem conferunt, vt eò rectius me Chriſto magiſtro cõformem, quem Iſaias quidem in hoc miſſum aſſerit, vt lugentes omnes conſoletur. Huc autem inprimis conducet, ſi vrgeam neceſſariã fidem de certa prouidentia Dei, & quòd in rebus quidem mortalium nihil temerè, caſu, vel fortuitò, nihilque, vt in Iob ſcriptum legimus, ſine cauſa fieri ſoleat. *Omnia enim per Verbum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, benèq; fecit omnia*, ſiue ipſum Dei facientis conſiliũ intelligamus, ſiue ignoremus. Vnde à Paulo etiam dictum accepimus: *In ipſo Deo viuimus, & mouemur & ſumus*. Deinde certò ſtatuendum eſt, Deum authorem & gubernatorem omnium naturâ bonũ eſſe, & ſummum bonum, qui peccati author eſſe nolit nec poſſit, quoniam *non eſt Deus volens iniquitatem*, ſed qui diligentibus ſe in bonum omnia cooperatur, & humanum quidem genus maximè amare conſueuit. Vnde apud Prophetã non ſolùm Dominus & Deus, ſed etiã benignus, miſericors, patiens, multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia nuncupatur. Adhæc idem tam prouidus, tamque de nobis ſollicitus eſt perpetuò, vt Paulus apertè teſtetur: *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiã cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*. Ac licet ille nullius egeat, ſolúſque bonorum omnium fons & origo ſit, tamen & miſeri hominis cõmiſeretur, & afflicto vel minimo compatitur, ſuámque illi manum pollicetur ac præſtat, nec minorem pauperum quàm diuitum & poẗentum curam gerit. *Iſte pauper clamauit*, inquit Dauid, *& Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum*. Ac alibi rurſus Deum ſic loquentem inducit: *Clamauit ad me, & exaudiam eum: cùm ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*. Quid autem optabilius ac dulcius de Deo fingi poteſt, quàm quòd à nobis Pater dici haberíque poſtulet, licet nonnunquàm iraſcatur & offenſus feriat ac puniat delinquentem, immò idcirco ſe optimum fidiſſimumq́ue Pa-

trem eſſe non obſcurè declarat. *Quem enim diligit ille, caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerate. Tanquàm filiis offert ſe Deus. Quis enim filius quem nō non corripit pater?* vt cum Apoſtolo Paulo loquamur. Eſt enim ille Pater benigniſſimus, & ſicut ſcriptura docet, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, cuius & ſapientiæ & bonitatis nullus numerus, nullus modus aut finis conſtitui poteſt. Longum verò eſſet dicere, quot pharmaca & remedia nobis diuina bonitas tribuerit, & quotidiè ſuppeditet, vt aduerſus tentationes, pugnas, calamitates atque pericula muniamur, nosque ipſos & alios firmiter conſolemur. Habemus & legimus præſentiſſimum antidotū & medicamentum firmiſſimum, Dei verbum. Habemus & cernimus Chriſti capitis crucem præferentis, ſuſtinentis & exaltantis abſolutum exemplar. Nec deſunt Patrum veterū innumera teſtimonia & expreſſa veſtigia, ſi ſequi velimus præeuntes. Elucent puerorum & puellarum exempla, quibus ad immania pro Chriſto & pietate ferenda ſupplicia meritò cōfirmemur. Docet ipſe mundus quotidie, quàm iuſtè illum contemnere debeamus, quando reuera hic nihil eſt aliud præterquàm triſtitiæ luctusque patria, lachrymarum vallis, omnium ſcelerum lerna, Satanæ ſui principis theatrum vel ciuitas, malorum omnium quę facta ſunt & fient officina atque ſentina, electorum carcer, ſanctorum carnificina, funeſtus exercitus contra Deum & Angelos perpetuò rebellis & contumax, demum infœlix Babylon & fucata meretrix, quæ cum ſuis inſanis amatoribus pœnas grauiſsimas & nūquàm deſituras dabit. Poſtremò de cœleſtibus diuitiis atque delitiis, quæ omnes manent electos, dicere ſuperſedeo, vno atq; altero Apoſtoli dicto contentus: *Oculus non vidit,* inquit ille, *nec auris audiuit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* Ac iterum: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et in alia Epiſtola: *Exiſtimo quòd non ſunt condignæ paſſionis huius temporis*

Hebr.12. 2.Cor.1. 1.Cor.2. 2.Cor.4. Rom. 8.

ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Atque hæc ſummaria ſunt capita, ſeu fontes argumentorum, quę dextrè tractata, non vulgarem conſolandi præbent occaſionem, & afflictos animos in acerbo luctu erigunt atque confirmant, vt etiam natura impatientes & puſillanimes ſuam crucem moderatius atque conſtantius ferant. Illius enim ſemper meminiſſe debent, quod princeps Apoſtolorum docuit: ***Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit ſolidabitq́.*** Quid igitur eſt obſecro, cur in paupertate, labore, morbo, perſequutione & quauis afflictione angar & querar, animúmque deſpondeam? Modicum & puſillum eſt, quicquid in mundo patior, ſi meritas vitiorum meorũ pœnas, & ingentes aliorũ bonorũ angores, agones atq; calamitates animaduerto. ***Non enim melior ſum quàm patres mei***, ſicut Elias aiebat. Modicum inquam eſt, ſi ſummi Dei mę viſitantis charitatẽ, Spiritus ſancti adiuuantis gratiam, ac impoſitæ crucis vtilitatẽ, modò eam grato amplectar pectore, mecum recta perpendo, vt idcircò cum patiẽte Iob gratias Deo agens meritò dicam: ***Sicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?*** Quare non aliter ac languidum & ægrotum fidẽter me illi committam, qui cœleſtis ad nos medicus venit, nec modò blandis & lenibus, ſed etiam acribus & amaris vtitur pharmacis, vt malè ſanos in domo ſua reſtituat, ac probè purgatos famulos ſibi gratiores faciat atque meliores. *Væ autem his qui perdiderunt ſuſtinentiam*, vt Eccleſiaſticus dixit: quã illi ſanè iuxta Gregorium perdũt, qui dum diu ſe immorari viſibilibus æſtimant, ſpẽ inuiſibilium derelinquũt, quiq́; fonte bonorũ Deo relicto, ex humanis præſidiis toti pendẽt, nec ſuas animas, vti Chriſtus pręcepit, poſſident in patientia.

Quid eſt hoc quod dicit nobis; Modicum? neſcimus quid loquitur.

EXCVSARI poſsũt Apoſtoli, quòd hoc loco Chriſti verba, vt po-

ba, vtpote obſcura, quia nondũ impleta, minus aſſequantur, vt idcircò de ſenſu verborum Domini inter ſe conquirerẽt, ſeque illum omninò neſcire faterentur. Quod verò illis tunc obſcurum viſum eſt, poſt Domini paſsionem & reſurrectionem ſicut iiſdem, ita nobis etiam manifeſtius factum eſt, nulla vt interpretatione amplius opus eſſe videatur, ſicut etiam indicat Auguſtinus. Ac frequenter quidem iſthuc Apoſtolis accidit, vt de præſentis magiſtri verbo, ſanoque illius intellectu nihil certi conſtituere, ſed inter ſe contendere ſoliti fuerint, quemadmodum cùm Euangelicas audirent parabolas, deque Chriſti regno & reſurrectione, & de Ioannis exitu à Domino admonerentur. Quid? quòd accepto etiam Spiritu ſancto iidem diſcipuli inter ſe conſultant, & ſynodum Hieroſolymitanam celebrant, vt oborta quæſtio de veteri circumciſione & legis Moyſaicæ obſeruatione poſt collatas multorum ſententias definiatur, ac firmi aliquid ab omnibus obſeruandum pronuncietur. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis*. Quarè mirabor nouatorum audaciam ac vanitatem, qui tametſi de vero ſcripturæ ſenſu nõ ſolùm nobiſcum, ſed etiam inter ſe perpetuò pugnent, tamen ſacras literas apertas & perſpicuas faciunt, vt ſibi & ſuis illarũ intelligentiã polliceãtur, neq; vel ad Synodos, vel ad Patres illarũ interpretationẽ referre dignentur, perinde ac ſi ipſi ſoli maximè ſapiant, & magiſtris verè orthodoxis non egeant. Nos verò nimis verum eſſe comperimus, quod princeps Apoſtolorũ luculenter affirmat, non ſolùm in Paulinis epiſtolis, ſed etiam in aliis ſcripturis, quædam eſſe difficilia intellectu, quę indocti & inſtabiles (vt ſanè ſunt hæretici) deprauent ad ſuã ipſorum perditionem. De quibus & Paulus ipſe pronũciat, quòd à fide aberrantes quidam conuerſi ſunt in vaniloquiũ, volentes eſſe legis doctores, ſed non intelligẽtes neq̀ue quæ loquuntur, neq̀ue de quibus affirmãt. Præclarè ſcripſit Chryſoſtomus: Neq̀ue vel ſyllaba, vel apiculus eſt in ſacris literis, in cuius profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus. Proinde nobis opus eſt, vt diuina gratia ducamur, & Spiritu ſan-

Tract. 101 in Ioan.

Matt. 13. & 15. Matth. 16. 17. & 20. Ioan. 21. Actor. 15.

2. Pet. 3. 1. Tim. 1.

1. Tim. 1.

Homel. 21. in Geneſ.

cto illuſtrati, eloquia diuina adeamus. Nam & Paulo hoc accidit, vt licet Euangelium non ab homine, ſed à Deo accepiſſet, tamen Hieroſolymam adſcenderit, vt conferret illud cum Apoſtolis, ſicut luculenter ipſe teſtatur.
&2.

Præterea vicem illorum ſynceré dolebo, qui hoc tempore fœda laborant ignorantia, qualis in Apoſtolis non fuit, vt nec ſciant, nec velint quidem diſcere, quæ Catholicę doctrinæ capita ſint atqúe fundamenta. Manent enim æquè ſemper imperiti, rudes ac craſsi, nullámque credendi ſuſtinent curam de controuerſis nunc dogmatibus, de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, de traditionibus Apoſtolicis, de pręceptis & legibus Eccleſiaſticis. Bona hominum pars de more tantùm audit conciones in templis, magnumqúe Catholicę doctrinæ præ ſe fert faſtidium, præſertim vbi nouæ aduerſariorum opiniones, falſáque dogmata confutantur. Non pauci cum impiis illud dicere videntur: *Recede à nobis, ſcientiam viarum*
3. *tuarum nolumus. Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius?* Verùm hæc ſupina rerũ ſacrarum ignorantia, vt grauiter Deum veritatis omnis authorem offendit, ita etiam in populum nouandæ religionis cupidum haud leuem calamitatem inducit, ſicut Iſaias his etiam verbis indicauit: *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Ac iterum: *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum absq́; vllo termino: & deſcendent fortes eius & populus eius, & ſublimes glorioſiq́;*
4. *ad eum.* Tum apud Oſeam ita legimus: *Populus tuus ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti. Conticuit populus meus eò quòd non habuerit ſcientiam.* Igitur in his locum tenet Apoſtolica quo-
14. qúe ſententia: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Non quòd neceſſe ſit quemuis de vulgo religionis doctrinam exactè cognoſcere, atqúe de illa iudicare, quoniam vt præclarè ab Augu- a epiſt. hæi. ſtino dictum eſt: Turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit. Verùm vbi inter ſectarios viuitur, & noua falſáqúe dogmata Catholicis auribus frequenter ingeruntur, vbi & ferè cuiqúe liberum de religione

iudi-

iudicium permittitur, illic ſanè licet ac decet in promptu habere illa, quibus neceſſaria fidei dogmata vtcunque propugnentur. Sic enim docuit & princeps Apoſtolorum: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea qua in vobis eſt, ſpe & fide.* Præterea mihi multitudo illorum deploranda eſt, qui cùm multa & magna ſe putant cognoſcere, neſciunt tamen, nec perpendunt illud Modicum homini Chriſtiano ſępenumerò conſiderandum, hoc eſt, quàm breuis, fluxa & incerta iſthæc vita ſit mortalium, quæ, ſi verum fatebimur, exigua quædam maris gutta cum toto mari collata, & veluti ſtella vnà cum toto cœlo comparata, immò & perinde ac momentum vnum ad infinitam futuri ſeculi ætatem relata debet exiſtimari. *Quid enim eſt vita noſtra, niſi*, vt Iacobus dixit, *vapor ad modicum parens? Quid omnis caro niſi fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos agri*, ex Iſaiæ ſententia? Quid vanius, fallacius, inſtabilius huius vitæ opibus, voluptatibus & blandimentis omnibus? quæ nunc ſeculi filiis abundè tribuit Deus, ſed proſperitas illos ſicut & diuitem epulonem euertit. *Vanitas* igitur *vanitatum, & omnia vanitas*, vti dixit ac probauit Eccleſiaſtes. Vt hinc etiam Dauid affirmet: *Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Qua in re ſatis fuerit illius audire iudicium, qui humanæ vanitatis miſeriæque ſortem multùm expertus, ita ſcripſit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquàm in eodem ſtatu permanet.* Tanto autem rectius cum Auguſtino conquerar, mortalem hanc vitam tot amaritudinibus reſperſam, & quotidianis ærumnis obnoxiam adeò multis arridere, iocundamque videri, vt ſe blandis eius illecebris capi, falſiſque promiſſis decipi, quin etiam vera æternáque vita priuari patiantur. Etſi enim per ſe vita præſens vana ſit & amara, vt etiam ſuos cæcos amatores latere non valeat, tamen infinitam ſtultorum multitudinem aureo calice, quē in manu habet, potat & prorſus inebriat. Quibus hoc etiam Auguſtinus annectit: Fœlices illi, & ipſi

1. Pet. 3.
Iacob. 4.
Iſai. 40.
Luc. 16.
Prouerb.
Eccleſ. 1.
Pſalm. 143.
Iob 14.
Lib. meditation. c. 21.

rari,qui vitæ huius familiaritatem recuſant,perfunctoria gau dia ſpernunt, ſocietatem abiiciunt, ne cum pereunte deceptrice & ipſi perire cogantur.] Mox de futura vita quam præparauit Deus his qui diligunt eum, ſubiicit, eam vitam vocans beatam, ſecuram, tranquillam, pulchram, mundam, ſanctam, mortis ignaram, triſtitiæ neſciam, ſine labe, dolore, anxietate, corruptione, perturbatione, varietate & mutatione. In qua vita eſt amor perfectus, & timor nullus, dies æternus, & vnus omnium ſpiritus, vbi præterea Deus facie ad faciem cernitur.]

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

AMPLECTENDVM eſt vtique hoc Chriſti Domini vaticinium, de lugẽdo ſimul & gaudendo pronunciatũ, quod variis quidem modis accipi poteſt, & in multis quotidie ſolet impleri. Primùm enim vbique gentium vſu venire, ſicq; natura comparatum eſſe cernimus, vt ſicut dies noctem, & ſerenitas tempeſtatem conſequitur, ita triſtibus etiam lætiora ſuccedant, & rebus aduerſis mortalium proſperę permiſceantur. *Eſt enim tempus flendi, & tempus ridendi: eſt tempus belli, & tempus pacis*, quemadmodum prædicat Eccleſiaſtes. Iubet igitur Paulus redimere tempus, hoc eſt, naturali rerum viciſſitudine nos vti ſapienter, vt illam ad gloriã Dei, fraternæque charitatis officium conuertamus, ſiue lugendũ ſit, ſiue gaudendum. Vult enim nos flere cum flentibus, & gaudere viciſſim cum gaudentibus, nè alioquin ſimus cum Stoicis aſtorgi, & ſine affectione, ſed vt Chriſto capiti benignitate & miſericordia mutua conformemur, quando & ille cum Iob ſancto dicere potuit: *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio: & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Curabo igitur, vt non deſim luctus tempori, ſed vt cũ Petro peccata mea, & cum Paulo multorum improbitatem defleam:

nec

nec minus interim læter ac glorier, Deoque gratias agam ob ſucceſſus fœlices Eccleſiæ, & propter piorum benefacta, ſicut & Paulum feciſſe legimus. Deinde præſens Chriſti verbum in Apoſtolos propriè competit, qui poſt Domini mortem, cùm velut orphani amiſſo magiſtro, ac Iudæis exoſi facti eſſent, verè luxerunt ac plorârunt, quando ad illos primùm acceſsêre mulieres de Chriſti reſurrectione nunciantes, ſicut & Marcus expreſſit. Nec dubium eſt, eoſdem ſuum mœrorem cum gaudio commutaſſe, tot viſis Domini apparitionibus per dies quadraginta, quando cum Domino reſuſcitato ſuauiter & familiariter conuixerunt. Acceſſit & maius illorum gaudium, cùm aſcendentem in monte Dominum aſpexerunt, &, ſicut Lucas inquit, adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno. Quod ingens illorum gaudium non minuit, ſed adeò auxit aduentus Spiritus ſancti, vt nullus hoſtium illud auferre potuerit. Ideòq; licet à principibus ſacerdotum cæderentur, tamen *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti eſſent pro nomine IESV contumeliam pati.* Nec aliter ſanè illi fecerunt quàm docuerunt, omne gaudium in eo ſtatuentes, quòd in tentationes varias inciderent, in tribulationibus mirè gloriantes. Doleo igitur, me ab Apoſtolorum moribus tam procul abeſſe, & idcircò veras conſolationes ſpiritus non perſentiſcere, quia cum hiſce diſcipulis præſentem crucem infracto animo ferre detrecto, neque Paulinum illud cogito: *Sicut ſocij paßionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. Sicut abundant paßiones Chriſti in nobis ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Quam ego conſolationem cœleſtem perciperem, qui terrenam plus æquo conſector, & peruerto diuinæ ſcripturæ ordinem? quo ſancitum eſt: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Paraſti in dulcedine tua pauperi DEVS. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.*

Margin: 2.Cor.9. Philipp.1.& 4. Marc.16. Actor.1. Luc.24. Actor.5. Iacob.1. Rom 5. 2.Cor.1. Matth.5. Pſalm.67. Luc.1.

Neque ſolùm Apoſtolis, verùm etiam horum ſucceſſoribus ad paſcendum regendùmq; Chriſti gregẽ deſtinatis, hoc

ipſum

ipſum vaticinium accommodabo. Si enim vlli alij, Eccleſiaſtici certè magiſtratus ob apertam fidei confeſsionem, & conſtantem Catholicæ veritatis defenſionem, crucem & triſtitiam hîc prædictam experiuntur, ſuíſq; certaminibus maiorem coronam & immortalē lætitiam à Chriſto reportant. Hi ſunt, qui dum paſtorale munus ſuum obeunt, & Apoſtolic is veſtigiis inſiſtunt, apud homines minorem gratiam & grauiorem inuidiam ſibi conflant, multíſq; perſecutionem flammis obiecti, ac velut aurum in igne probati, magis coràm Deo & Angelis eius, adeòq; in tota Eccleſia fulgere conſueuerunt. In horum illuſtri ordine completur, quod à Chri-
. ſto ipſo diſertè promittitur: *Qui fecerit & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et ſicut ab Angelo dictum
12. eſt Danieli, *qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Magni ſanè fidíque paſtores & doctores extiterunt, quos & viros Apoſtolicos appellare licet, Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, miris quidem modis ab hæreticis exagitati, ſed quorum ſapientia & virtus tantò magis reſplenduit, quantò illi diutius & fortius pro Catholica pietate certârunt. Vicit
10. Chriſtus in illis electis organis, quibus & dedit os & ſapientiam, cui reſiſtere non poſſent omnes aduerſarij, ac iiſdem laudem & gloriam cum perpetua fœlicitate coniunctam abundè communicauit. Reliquum eſt, vt hunc ipſum locum qui latè patet, ad vniuerſam etiam Eccleſiam referamus, quę nobis per mulierem parientem non temerè adumbratur, & quamdiu in terris quidem militat, hoſtiúmque copiis eſt circumcincta, nec poteſt non mœrere atque diſcruciari. Nulla vnquàm mulier plures & acerbiores contentiones atq; pugnas pertulit: nulla ciuitas vel arx diutius & grauius per feroces milites oppugnata: nulla nauis vel à diris tempeſtatibus, vel à circumfrementibus piratis furioſius impetita fuit: nulla demum domus hoſtili magis conſpirationi & obſidioni patuit, aduerſus quam Iudæi, ethnici, barbari, hæretici atque ſchiſmatici magis aperto marte & per cuniculos ardentius

decer-

decertarent, quæque plures ex domeſticis proditores, apoſtatas & perſequutores ætate vlla ſuſtineret. Eſt illa quidem ſancta Chriſtoque ſponſo dicata, & ſuper petram firmiſſimam ædificata domus, quam & Paulus columnam & firmamentum veritatis appellat. Habet autem hoc ſibi propriũ, vt cruci perpetuò ſubiecta ſit, & in cruce quoque glorietur, vt quam ſibi & ſuis domeſticis maximè familiarem ac ſalutarem eſſe cognoſcit. Non eſt diſsimilis Iſraëlitis, qui tantò magis multiplicabantur & creſcebant, quantò grauius olim ab impiis AEgyptiacis ſub rege Pharaone opprimebantur. Vt hinc etiam ſcripſerit Ambroſius: Sicut aurum bonum, ita Eccleſia cùm vritur, detrimenta non ſentit, & magis fulgor eius augetur. Hoc ergò lucrum ex hoſtium inſectatione refert Eccleſia, vt eius fides ac doctrina per illos vel inuitos illuſtretur, & paſsim à pluribus agnoſcatur. Eòque magis & ſæpius ego Eccleſiæ capiti gratias agam, qui tale regnum, quod omnibus dominetur, in terris conſtituit, adeòque munivit, vt nè portæ quidem inferorum aduerſus eam, omnibus fraudibus & viribus Satanicis præualere poſsint. Gaudebo igitur in huius Eccleſiæ ſocietate verſari, & cum Chriſto crucifixo, cum Eccleſia vidua, cum electis omnibus deſiderabo communem habere ſortem, vt crucem ſuſtineam, & perſequutionem patiar propter iuſtitiam. Sicut enim parturiens mulier non poteſt non grauiter cruciari: ſuúmque incredibilem luctum nato iam filio cum ſingulari commutat gaudio: ita & nobiſcum agi putabo, qui primùm in cruce probamur, & per illam deinde ad verum, ſolidum & æternum gaudium præparati accedimus. Atque huc demum ſpectant illæ ſententiæ: [a] *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* [b] *Tranſiuimus per ignem & aquā, & eduxiſti nos in refrigerium.* [c] *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* [d] *Si cõmortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* [e] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quæ omnia verba Chriſtus hoc vno verbo concluſit: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

Matt. 16. I. Tim 3. Geneſ. 50. In Pſalm. 118. Matth. 16. Matth 5. a Pſalm. 125. b Pſalm. 65. c Matth. 10. d 2. Tim 2. e Actor. 14. Ioan. 16.

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt præmunitum habeam animum aduerſus mundi ſiue blandimenta, ſiue terriculamenta, quæ mentem fidelium ſæpè perturbant ac vulnerant. Non enim omnium, & vix quidem paucorum eſt, aduerſus mundi venenata ſpicula pectus illæſum tueri, & cum Paulo dicere:* Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Quicunque autem voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur, *Iacobo Apoſtolo teſte.*

ORABO *pro vſu lætitiæ atq; triſtitiæ moderato atq; legitimo, vt rebus proſperis affluentibus non inſoleſcam, ſed in Domino cum debita modeſtia gaudeam, & rurſus ob quæuis aduerſa non puſillanimus fiam, ſed triſtitiam quæ ſecundùm Deum eſt, ad mundi gaudium temperandum prudenter adiungam. A Seneca quidem rectè dictum eſt: In ſecundis nemo confidat: in aduerſis nemo deficiat: alternæ ſunt vices rerum. Eòdem autem ſpectat Sapientis aurea ſententia:* In die bonorum nè ſis immemor malorum: & in die malorũ nè ſis immemor bonorum. Confide in Deo, & mane in loco tuo.

PETAM *inſuper gratiam ad breuem & incertam vitæ meæ periodum ritè in hoc curriculo tranſigendam, & ſimul fœliciter abſoluendam, nimirùm vt temporariam triſtitiam cum perpetua lætitia, quam ſuis electis Chriſtus promeruit ac promiſit, obtinere poſſim. Sic enim & orauit Prophèta Regius:* Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt: vt ſciam quid deſit mihi. Paucitatem dierum meorum nuncia mihi: nè reuoces me in dimidio dierum meorum.

DOMINICA IV. POST PASCHA, QVAE Cantate dicitur.

Sequentis Euangelij argumentum.

PERGIT CHRISTVS in vltima illa cœna eſſe conſolator, vt triſtes diſcipulorum animos erigat ac præmuniat aduerſus imminentem malorum tempeſtatem, maximè verò vt ſuum abitum, & ad mortem tranſitum illis faciat tolerabiliorem. Cùm enim Spiritus ſancti aduentus illis non ſolùm vtilis, ſed etiam neceſſarius foret ad imminens certamen ſuperandum, nec minus ad munus Apoſtolicum rectè obeundum, eundem aduentũ fruſtrà expectari docet, niſi morte ſua intercedente, quæ ſingularem ipſis ac toti orbi fructum adferret. Vbi de Spiritu ſancto ac eius effectu præclara commemorat, ac ſatis oſtendit, ipſum eſſe Deum omnis veritatis doctorem & fontem, qui Apoſtolos ipſos, totamque Chriſtianam Eccleſiam de præſentibus & futuris rebus creditu neceſſariis inſtruat; qui præterea Iudæos ac alios Chriſti hoſtes planè cõuincat ſummi criminis, vtpote infidelitatis; qui & ipſam Chriſti iuſtitiam, innocentiam ac dignitatem, quòd nempe ſit victor Satanæ, ómniſque virtutis author & vindex, non obſcurè demonſtret. Eiuſdem Spiritus eſt proprium, clarificare vel glorificare Chriſtum, vt eius officium, præſtantia & maieſtas in mediis mundi tenebris fulgeat, cuius & doctrina, & fides, & Eccleſia, quantumuis oppugnata, de peccato, morte, mundo & diabolo, eiuſque miniſtris generosè triumphet, & non modò per Apoſtolos & Prophetas, ſed etiam per paſtores & Docto-

res mirabiliter vſque propagetur atq; defendatur. Ioannes hunc ipſum Spiritum vnctionem appellat, ita ſcribens: Non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus.] Docet autem de omnibus creditu neceſſariis, nec immediatè quidem, ſed per ordinaria eius media & inſtrumenta, vti ſunt paſtores & doctores, ipſaque Chriſti ſponſa Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto vſque docetur ac regitur, ideòque columna & firmamentum veritatis à Paulo appellatur.

1.Ioan.2.

1.Tim.3.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Ioan. XVI.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Vado ad eũ qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me: quò vadis? Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem: quia non credunt in me, de iuſtitia verò: quia ad Patrem vado: & iam non videbitis me, de iudicio autem: quia princeps huius mundi iudicatus eſt. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur de ſemetipſo: ſed quæcunq; audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor ve- ſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam.

QVANTVMVIS leniter & amanter, maximè in extrema illa cœna, cũ diſcipulis agat Chriſtus, tamen illorum offenſionem effugere non potuit, cùm admoneret ſe ab ipſis breui diſceſſurum, immò & nõ ſine graui morte moriturum eſſe. Quæ res illorum animos ita pupugit, vt in triſtitiam vehementem cõiicerentur, quòd nihil illis acerbius videretur, quàm tali magiſtro priuari, à quo vno pendebant vniuerſi. Ego verò ſicut humanam imbecillitatem in hiſce diſcipulis mœrentibus agnoſcam, ita & ſingularem Chriſti reſpondentis prudẽtiam & æquitatem laudabo, vt qui non cõtentus blanda & iucunda illis ad con ſolandum afferre, amara etiam ac triſtia ad reprehendendũ immiſcet, quoniam inſtar Samaritani, ægrotorũ tractat vulnera, vt vinum & oleum coniunctim infundat. Eodem modo agit alibi cum Petro, quem ſupra omnes diſcipulos laudat & promiſſis ornat, paulò poſt autem tàm durè corripit, vt inter cætera dicat, *Vade poſt me Satana*. Abſit igitur, vt con tra Chriſti Domini exemplum proximo fucatum præſtem amicũ, & læta ſolùm ac iucunda referã, ſicut facere ſolẽt adu latores. Non enim celanda, ſed ingenuè depromenda eſt veritas, neque tam ſuauia & grata, quàm vtilia & ſalutaria proferre debeo, vt ſynceræ charitatis officium præſtem, & ſermo meus, quemadmodum Paulus exigit, ſuo ſit ſale conditus. Nam & præceptum eſt Euangelicum: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*. Et Apo ſtolus luculenter admonet: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Meliora enim ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis*, vt Sa-

Ioan.13. & 14.

Luc.10.

Matt.16.

Coloſſ.4.

Matth.18.

Epheſ.5.

Prouerb.27.

Eccleſ.7. Prouerb.14. Eccleſ.6. Prouerb.11. & 29.

lomon aſſerit. *Melius eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi*, ait Eccleſiaſtes. Habeat mundus fictum & fallax hominum genus, quos diuina ſcriptura diuitum amicos, menſæ ſocios, infideles ſodales atque ſimulatores appellat, qui blandis fictiſque ſermonibus permultos fallere, & in graues errores inducere conſueuerunt. Ego genuinam Chriſtianæ charitatis & amicitiæ vim in Paulo mirabor atque ſectabor, qui pro ſancta ſua libertate Galatas in fide errantes, & Corinthios diſſentientes atque carnales apertè caſtigat & corripit. *Si inquit, contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet.* Ac iterum: *Quid vultis? in virga veniam ad vos: an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Etenim ſyncerus amor, (firmiſsimũ Chriſtianæ ſocietatis vinculum) vti vanum aſſentatorem ac fallacem hypocritam reſpuit, ita liberum admonitorem exigit, etiamſi prolata veritas nonnunquam aures delicatas offendat, ac dicẽti odium pariat. Id quod Moyſi apud Pharaonem, Michææ apud Achab, ſed & Ioanni Baptiſtę in aula Herodiana legimus vſuveniſſe. Prӕterea me ab illorum conſuetudine diſiungam, qui velut præpoſteri ſint auditores Euangelicæ doctrinæ, loca illa quæ ipſorum inſtituto & affectibus quadrant, ſolerter excerpunt: alia verò quę ad correctionem & ſalutem eorum maximè pertinẽt, velut clauſis oculis prætereunt, & vix vnquàm attingũt. Placet igitur illis miſericordiæ diuinæ, libertatis Euangelicæ, & iuſtificantis fidei frequens commendatio. Ad reliqua verò quæ Chriſtianam pœnitentiam, humilitatem, obedientiam, iuſtitiam operum, carniſque mortificationem requirunt, vel nauſeant prorſus, vel obſurdeſcunt. Delectatur vulgus illis ferè magiſtris, de quibus per Ezechielem queritur Deus: *Deceperunt populum meũ dicentes: Pax, & nõ eſt pax: Væ aũt qui cõſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Eiuſdem farinæ ſunt magiſtri ſiue doctores, qui per dulces ſermones & benedictiones, vt Paulus loquitur, innocentium corda ſeducunt. Illos autem deplorabo maximè, qui ſicut idem Paulus fore prędixit, ſanam do-

Galat.1.3. 1.Cor.1.3. 2.Cor.7. 1.Cor.4. Exod.10. 3.Reg.22. Marc.6. Matth.14. Ezech.13. Rom.16. 2.Tim.4.

ctrinam non ſuſtinent,& cùm ſint prurientes auribus, magiſtros ſibi nouos coacernant, à veritate quidem auditū auertentes,&,ſicut Propheta dixit,furantes verba Domini. Hierem.23.

Sunt autem varia triſtium ſeu mœrentium genera hîc mihi diſcernenda. Habent ſuam triſtitiam hypocritæ, cùm ad laudem hominum emerendam ieiunant, ac vitam auſteriorem ſimulant. Hos Chriſtus apud Iudæos illo dicto redarguit: *Cùm ieiunatis,nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*. Eſt & auaris triſtitia frequens, quòd optato lucro careant, & inexplebili cupiditate æſtuent. *Auarus enim non implebitur pecunia.* Proinde cùm diues adoleſcens conſilium Euangelicum de voluntaria paupertate percepiſſet, abiit ille triſtis, Chriſtoq; anſam præbuit pronunciandi,diuitem in regnum cœlorum haud facilè ingreſſurum. Nec temerè monuit Sapiens: *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam.* Triſtantur & quidam, ſicut Cain inuidus ac deſperans, qui nonnunquàm abundantiore triſtitia,vt loquitur Paulus,abſorbētur,ac miſerè prorſus pereunt vel contabeſcunt. *Fœlix autem qui non habet animi ſui triſtitiam,& non excidit à ſpe ſua*, vti dictum eſt à Sapiente. Qui & optimè monuit: *Nè dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te, & memento nouiſſimorum. Triſtitiam longè expelle à te. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* Quarè Salomon etiam hoc tradidit: *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno: ita triſtitia viri nocet cordi.* Peccauit ergò rex impius Antiochus, cùm iniquiſsimè ferret, animúmque deſponderet, quòd plaga diuina percuſſus, ingentibus doloribus excruciaretur, nullámque intus aut foris cōſolationem reperiret. Sed & Paulus triſtitiam ſeculi reprehendit, quæ in pleriſque mundi filiis quotidiè cernitur, quando communi more & affectu hominum præditi, quæcúnq; aduerſa & moleſta illis accidunt,impatientiſsimè ſuſtinent, ſæpèque murmurant & blaſphemant, quoniam prementis doloris aculeis omninò ſuccumbunt. De his verè cum Paulo dixeris: *Seculi triſtitia mortem operatur*: nimirùm niſi ratio & Chriſti ſpiritus eiuſmodi fœdas & immodicas triſtitias, grauéſque per-

Matth.6. Eccleſ.5. Matth.19. Eccleſ.4. Geneſ.4. 1.Cor.7. Eccleſ.14. Eccleſ.38. Eccleſ.30. Prouerb.25. 2 Machabæ. 9. 2.Corint.7. Ibidem.

perturbationes mitiget atque moderetur. Proinde huncin ordinatę triſtitiæ ſpiritum, qui latè patet, multáque vitia poſt ſe trahit, velut noxiam animæ meæ peſtem ſedulò fugiam & exterminabo. Nam & Chriſtus dormientes præ triſtitia diſci-
Matth.26. pulos corripuit, inquiens: *Vigilate & orate, vt non intretis in*
Iacobi 5. *tentationem.* Et Apoſtolica eſt ſententia: *Triſtatur aliquis ve-*
ſtrûm? oret. Ad quam orationem ſe Rex Dauid excitauit, cũ à triſtitia ad ſanctam lætitiam ſeſe reuocare cupiens, aiebat:
Pſalm.41.& 42. *Quarè triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Eſt interim ſancta quædam triſtitia, luctúſque laudabilis, quem niſi Chriſtus in ſuis probaret fidelibus, non palàm
Matth.5. aſſeruiſſet: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Nec ſolùm ita dixit, ſed in luctu etiam frequenti ſeſe exercuit, interiorem quidem triſtitiam amaris lachrymis conteſtatus.
a Ioan.12. Hinc & apertè protulit: [a] *Nunc anima mea turbata eſt.* [b] *Ba-*
b Luc.12. *ptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſq; dum perficia-*
c Matt.26. *tur?* [c] *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Et germanus imi-
Roman.9. tator Chriſti Paulus dicere non dubitat: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Diſpiciam igitur, vt hunc luctum, quo filij Dei à ſeculi filiis facilè diſcernuntur, mihi reddam quodammodo familiarem, & in eo exercear ſæpè. Scri-
a Prouerb.28 ptum eſt enim: [a] *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* [b] *Et, Ho-*
b Eccleſi.18. *mo ſapiens in omnibus metuit.* [c] *Cor ſapientium vbi triſtitia eſt,*
c Eccleſ.7. *& cor ſtultorum vbi lætitia.* Euãgelicus autem eſt luctus, & ſa-
a Matth.26. lutaris triſtitia, ſi peccata mea cũ [a] Petro & [b] Magdalena de-
b Luc.7. ficam, ſi cum [c] Corinthiis à Paulo laudatis contriſter ad pœ-
c 2.Cor.7. nitentiam: ſi cum filiis Iacob & Hieremia manum Domini
Geneſ.43. percutientis agnoſcam, & ex animo dicam: *Meritò hæc pati-*
Hierem.31. *mur. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus. Poſtquàm conuertiſti me, egi pœnitentiam.* Eſt & illa mihi procuranda atque ſuſcipienda triſtitia, quæ, ſicut Paulus
2.Cor.7. inquit, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, quæque,
Lib.9.de ſpiritu triſtitiæ cap.11. vti Caſsianus habet, eſt obediens, affabilis, humilis, manſueta, ſuauis ac patiens, vtpotè ex Dei charitate deſcendens, &

ſeſe

ſeſe ad omnem corporis dolorem ſpiritúsq; contritionem extendens. Erit & illa mihi commendata triſtitia, qua pij prędit, iuxta Hieremiæ exemplum, aliorum inſulſam leuitatem, & ſingularem calamitatem ex animo deplorant, quam inſuper ex conſiderata diuini iudicij ſeueritate colligunt, vel ex deſiderio perfectioris vitæ, futuræq; beatitudinis ſedula contemplatione nutriunt atque confirmant. Hierem. 9.

Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.

NIHIL ſanè mirum, Apoſtolos vehementi Chriſti deſiderio & ſingulari amore teneri, vt ſine illo magiſtro vitam ſibi acerbam putent, eiúſque præſentiam multis modis retinere contendant. Communis enim illorum cum Petro erat confeſſio: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. Ac tantò quidem illis triſtius ac moleſtius fuit audire, quod ſæpè Chriſtus repetebat, mortē ſuam eſſe in foribus, & propterea veterem illam conſuetudinem cum domeſticis huc-uſque habitam rumpi oportere: tam grauem ac ſæuam nunc ingruere tempeſtatem. Reſpondet ergo Chriſtus, ſuum diſceſſum, qui alioquin diuturnus futurus non eſſet, magno illorum ac totius Eccleſiæ bono ceſſurum, quòd hac ratione participes fierent diuini ſpiritus, ac tanti hoſpitis ampliſſima dona conſequerentur. Nondum enim erat Spiritus ille datus, ſed nec dari poterat, niſi IESVS primùm eſſet glorificatus, vt apud Ioannem legimus. Ioan. 7. Auguſtinus Chriſtum ita loquentem inducit: Expedit vobis vt hæc forma ſerui auferatur à vobis. Tract. 94. in Ioann. Caro quidem factum verbum habitat in vobis: ſed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti, ſemper infantes eſſe cupiatis. Si alimenta tenera quibus vos alui, non ſubſtraxero, ſolidum cibum non eſurietis: ſi carni carnaliter adhęſeritis, capaces ſpiritus non eritis. Quod ſi ergò Apoſtolis obſtitit Chriſti præſentia, quo minus Spiritum ſanctum poſſent accipere, quum eundē Dominum non ſpirituali proſequerentur amore, quantò magis ego meipſum impediam in Spiritu ſancto percipiendo, ſi à carnalibus deſi-

1.Pet.2. deriis, quæ aduerſus animam militant, talémque hoſpitem offendunt, non abſtinuero, neque mundi blandimentis & Tit. 2. carnis illecebris, vel ſicut Paulus vocat, ſecularibus deſideriis renunciauero? Hæc enim contriſtant Spiritum ſanctum, Epheſ.4. nonnunquàm & ignem diuini amoris extinguunt, cùm tamen diuino ſit oraculo ſancitum: *Ignis in altari* (id eſt, in corde fideli) *ſemper ardebit.* Leuit.6 Rom.8. Etenim *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunq; ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Atque hoc eſt quod ab Auguſtino In ſoliloquiis. cap. 22. diſertè traditur: Nemo poteſt in vtroque ſeculo conſolari, nec poteſt quis hîc & in futuro gaudere, ſed vnum neceſſe eſt vt perdat, qui alterum voluerit poſſidere.] Eadem eſt Bernardi Serm.77. & ſerm. 6. in aſcenſione Domini. ſententia, qui præterea ſcribit: Præoccupatum ſecularibus deſideriis animum delectatio ſancta declinat. Nec miſceri poterunt vana veris, æterna caducis, ſpiritualia carnalibus, ſumma imis, vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.]

Quocirca mihi valdè curandum putabo, vt quæ ad carnis & ſenſuum externam, nec neceſſariam cōſolationem ac delectationem faciunt, in me diligenter obſeruem, ac ſtudioſè Iſai 28. præſcindam, Propheta in hunc modum teſtante: *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*, eos nimirùm deſignans, qui in carne ſine carne, carniſque voluptatibus prohibitis viuunt, Rom. 13. iuxta illud: *Carnis curam nè feceritis in deſideriis.* Vbi voluptuoſam carnis diligentiam nobis Paulus ademit, curam verò illius non prorſus interdixit, ſicut notauit Caſſianus. Lib. de ſpiritu Gaſtrimarg. cap. 8. Et cum eodem Paulo ſic me comparabo, vt rectè profiteri poſ- 2.Corint.5. ſim: *Si cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc iam nō nouimus*, quemadmodum tunc ſcilicet Apoſtoli Chriſtum ſecundùm carnem cognoſcebant. Præterea imitandum mihi proponam Regium Prophetam, qui meditationibus & precibus piis deditus, ſpiritualem dulcedinem ſæpè multumque guſtauit, & idcircò tam lætè cantauit: Pſalm.76 *Renuit conſolari*

lari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum: & defecit Spiritus meus. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te? Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Quoniam verò multa tū proſpera, tum aduerſa intercurrunt, quæ mentem meam à Deo ad mundum, & à Spiritu ad carnem quotidie auocant, nec minus ſpiritualem impediunt conſolationem, habeo ſanè, cur meipſum velut dormientem excitem, meámque ſortem iure deplorem, & gemens cum Auguſtino ex animo dicam: Iuſtum eſt Domine vt amittat te, quicúnque in aliquo alio magis conſolari eligit quàm in te. Obſecro igitur ſumma veritas, nè permittas me in aliqua conſolatione vana cōſolari; ſed omnia mihi amareſcant, vt tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis, per quā cuncta amara dulcorantur.]

Pſalm. 30. & 33.

In ſoliloquiis, cap. 22.

Quid verò, ſi quidam ex hoſtibus Eccleſiæ ſe nobis offerant, & minus carnales ac reprehenſibiles, magíſque ſpirituales & commendabiles quàm ipſi Catholici, in quotidiana vita eſſe videantur? Nec enim obſcurum eſt, in multis hæreticis quaſdam peculiares & grandes elucere virtutes, & de illis multa præclarè geſta ſæpè prædicari. Magna fuit diuitiarum contemtio in Ebionitis, prodigioſa orandi aſsiduitas in Euchitis, nec vulgaris abſtinentia vitæq́ue ſeueritas in Manichæis extitit. Verumenimuerò quemadmodum externa & imaginaria fictáque ſanctitas Iudaicis non profuit Phariſæis, quorum iuſtitiam vt fruſtraneā reiicit Chriſtus, ita & de hæreticis iudicare par eſt, quod vanè inanitérque laborēt, quan tumuis rectè operando coram hominibus lucere & ſplendere videantur. Etenim opera ſua bona non collocant in nido Eccleſiæ, extra quam quicquid boni fecerit homo, Deo ingratum, & operanti nō ſalutiferum eſſe neceſſe eſt. Teſtatur hoc ſæpè Martyr Cyprianus, & luculenter ſcribit: Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Si potuit euadere qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit.] Confir-

Matt. 6. 23.

Epiſt. de Nouatiano lib. 4. & de ſimplicitate prælatorum.

Epiſt. 152. & lib. de vnitate Eccleſiæ. cap. 17. mat hoc ipſum Auguſtinus in hunc modum: Quiſquis à Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quòd à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Habere caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.] Et liquidò aſſerit Fulgentius:

De fide ad Petrum. n. cap. 39. Omni homini qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.] Atque huc planè

Matt. 22. ſpectat Apoſtoli ſententia, cùm nuptialem illam veſtem charitatem adeò neceſſariam homini facit, vt liberè pronũciet:

1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, quemadmodum eundem Apoſtoli locum

Tractat 6. in Euang. Ioan. Auguſtinus interpretatur. Etenim vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, quoniam iuſtus ex fide viuit. Vbi iuſtitia

Rom. 1. non eſt, nec dilectio eſſe poteſt, quæ malum proximi non o-

Rom. 13. peratur. Vbi porrò non eſt dilectio, vitæ corona & ſalus æter

Matth. 10. na fruſtrà ſperatur, quæ duntaxat in vinea Dei laborantibus

Epiſt. 50. datur. Extra hoc Eccleſiæ corpus, inquit idem Auguſtinus, neminem viuificat Spiritus ſanctus, quia ſicut dicit Apoſto-

Rom. 5. lus, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Non eſt autem particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis. Non habent itaque Spiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam.].

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

INTER alia multa officia, quæ Spiritui ſancto in hoc Euangelio aſſignantur; nō poſtremum illud eſt, quod Chriſtus promittit, eum Spiritum poſt ſe venturum, & plura docturum,

rum, quàm quæ ipſe Apoſtolis tradidiſſet, ac illi ſe magiſtro in terris diſcere ac retinere poſſent. Adiungit & illud: *Spiritus veritatis,* qui nempè nec falli poteſt, nec fallere, *cùm venerit, docebit vos omnem veritatem.* In quæ verba pulchrè ſcribit Anſelmus Hauelsburgenſis Epiſcopus: in hunc nempè modum: Spiritus ſanctus procedens ab ore veritatis, quæ Chriſtus eſt, Euangelium prius condidit: poſtea ſanctorum patrū Conciliis author & doctor omnis veritatis, ſicut promiſſus fuerat, interfuit: Fidem quam ipſe idem in Euangelio breuiter condiderat, in Conciliis ſanctorum patrum explanauit: & quæ Filius adhuc dicere habuit, ipſe procedens à filio veraciter edidit, & pleniter docuit: vt quam tunc ſoli Apoſtoli non potuerunt portare, eam nunc ſimul tota portet Eccleſia per vniuerſum mundum diffuſa. Itaq; Spiritus ſanctus ſicut promiſſus fuerat, vt veniens doceret, tunc & nunc, & ſemper omnem veritatem, ſanctorum patrum Conciliis interfuit, & tanquàm doctor omnium præfuit.] Ad hunc ipſum Spiritum porrò refert, quæ in laudem Dei circa miniſterium diuinum & Sacramentorum adminiſtrationem per Catholicos doctores conſtituta atque ordinata ſeruamus. Abſit igitur, vt huius firmæ & infallibilis Chriſti promiſſionis vnquàm obliuiſcar, per quam certi reddimur de Chriſtianæ fidei veritate non ſolùm in Euangelio libriſque Biblicis perſcripta, verùm etiam Apoſtolis in myſterio tradita, & ab ipſis, ipſorúmq; ſucceſſoribus viua voce prædicata & confirmata. Eſt enim veriſſimum, quod ſcriptum legimus apud Cyprianum: Sicut par eſt Spiritui ſancto & Chriſto diuinitas: ita in ſuis inſtitutis æqua eſt authoritas & poteſtas. Nec minus ratum eſt, quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quàm quod Chriſtus ipſe tradidit.] Quanquàm nihil eſt opus ex Patribus confirmare, vt Apoſtolorum traditiones & pia maiorum inſtituta pro doctrina Spiritus complectamur, & cum Scriptura ipſa iungamus, quādo idipſum diuinis quoque teſtimoniis facilè comprobatur. Sic enim in ſacris literis legimus: [a] *Interroga patrem tuum, & annunciabit*

In diſputatione habita cū Nechita, lib. 2. contrapoſitorū, cap. 23.

Serm. de ablutione pedū.

a Deuter. 32.

b Eccleſi.8. *tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* [b] *Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum.*
c Iob.8. [c] *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inueſtiga Patrum memoriam: ipſi docebunt te, loquentur tibi,*
d Prouer.22. *& de corde ſuo proferent eloquia.* [d] *Nè tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Quid autem eo luculen-
Matth.10. tius, quod Chriſtus ipſe ad ſuos loquitur? *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Idem
1.Cor.11. Chriſtus per Paulum vas electionis diſertè commendat no-
2.Theſſ.2. bis traditiones, eaſq; iubet ab omnibus fidelibus obſeruari, ſicut alibi meminimus. Adfuit ſanè ac præfuit Spiritus ſan-
Actor.15. ctus primæ ſynodo ab Apoſtolis & ſenioribus Hieroſolymis celebratæ, & idcircò illis rebus quæ ſine ſcriptura illic definiuntur, hæc addita eſt præfatio: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Etenim tanta eſt, manetque Spiritus ſancti & Eccleſiæ conſenſio, vt quod ab hac in religione decernitur, ab illo etiam authore proficiſcatur, vtque Chriſtiani doctores nō tantùm Euangelij promulgatores, ſed & legum ab Eccleſia ſan-
Act.16. citarum præcones eſſe conueniat. Proinde Lucas Paulum & Sila collegam idcircò commendat, quòd cùm ambo ciuitates pertranſirent, *tradiderint eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus qui erant Hieroſolymis.* Demū ex hac doctrina Spiritus, quo nunquàm deſtituitur, habet
Matt.13. & 22 eadem Eccleſia, cur dicatur & ſit omnibus ætatibus regnum
1 Timoth.3. cœlorum, domus Dei viui, columna & firmamentum, cuſtos itidem & magiſtra veritatis, quam certè qui non audie-
Matth.18. rit, ſed in ſuis præpoſitis contempſerit, is pro ethnico & publicano, ſi Chriſtum ipſum ſequimur, iudicari atque damnari meretur.

Ingentes ergò Chriſto Domino gratias agam, qui ad imbecillitatem humanam ſubleuandam, & ad veritatem Euangelicam cōfirmandam, talem tantúmq; doctorem, quo nihil maius, firmius ac veracius eſſe poteſt, nempè Spiritū ſanctum, nobis promiſit, & vſque mittit in domum & templum
Apoc.2. Eccleſiæ ſuæ. Vnde cœleſtis aquila nobis acclamat: *Qui habet au-*

bet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Nec dubitabo, ſed certò perſuaſum habebo, hũc ipſum Spiritum, quia Spiritus eſt veritatis ſibi ſemper ſimilis, ac perpetuus Eccleſiæ paraclêtus, ſuo muneri, propter quod miſſus eſt in terrã, ad docẽdam ſcilicet omnẽ veritatem creditu & obſeruatu neceſſariã, hactenus ſatisfeciſſe, & adhuc ſatisfacere, quantũuis varij ſpiritus erroris & mendacij identidem per Satanam excitentur. Non poteſt enim Chriſtus ipſe nos fallere, qui luculenter ita promiſit: *Ego rogabo Patrem, & alium paraclêtũ* (præter me ſcilicet) *dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Ac iterum: *Vos cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Rurſus firmiter apud me conſtitutum erit, eiuſmodi promiſſiones, quæ Spiritus ſancti aduentum, operationem, efficaciam & perpetuitatem oſtendunt, non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad eorum quoque ſucceſſores, Eccleſiæ nimirùm Catholicæ antiſtites, paſtores & doctores pertinere, & per illos ipſos ad Chriſtianum populum deriuari, vt fideles omnes in veræ fidei vnitate, ſanaque doctrina & confeſſione veritatis vbique gentium cõcordes maneant, ac velut vnum ouile ſub vno ſummo paſtore contra lupos omnes tutò conſeruentur, ac ſalutaris doctrinę paſcuis vſque reficiantur. Vnde Ioannes non modò ſui, id eſt, Apoſtolici ordinis homines, ſed & ſuccedentis Eccleſiæ prępoſitos nobis ita cõmendat: *Qui nouit Deum, audit nos: Qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognouimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.* Eapropter quidlibet ego feram potius, quàm vt ab huius diuini ac infallibilis magiſtri, hoc eſt, viuificantis Spiritus ſancti doctrina diſcedam, ſiue de credendis, ſiue de agendis rebus agatur: illis verò, qui ab illa ipſa columna diſceſſerint, ego non Aue, ſed perpetuum anathema dicam: quoniam cùm loquentem in Eccleſia Spiritum ſanctum non audiant, ſed ei ſuperbè reſiſtant, eiúſq; magiſterio nolint eſſe contenti, modis omnibus deuitari, atq; vt hoſtes arceri debẽt, iuxta illud: *Vtinã abſcindantur qui vos conturbãt. Si qs vobis euãgelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*

[Margin: Ioan. 14. — Ioan. 10. — 1. Ioan. 4. — Ioan. epiſt. 2 — Galat. 5. — Galat. 1.]

PRE-

PRECANDVS eſt mihi Deus, vt ſynceram, verè , Chriſtianam amicitiam cùm proximis colam, ne in hominum gratiam à veritate diſcedam, ſed ſi opus ſit, liberum agam admonitorem, nec facilè ad amicorum vitia, ſi ea curare poſſim, conniueam. Charitas enim non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, *Apoſtolo teſte. Diuinum ergò ſequar præceptum, quod apud Zachariam extat:* Loquimini veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo, pacem & veritatem diligite.

1.Cor.13.
Zach.8.

ORABO etiam pro mentis puritate conſequenda, vt quæ hominem Deo inprimis acceptum, & eximium diuini Spiritus hoſpitium reddit, quando is gratiæ ſuæ balſamum ſiue vnguentum, non niſi mundo nitido vaſi committit. Eo magis ab omni carnis & ſpiritus inquinamento mundari ſatagam, & ſanctificationem debitam, quæ ſtatui meo congruit, in timore Dei perficiam, quemadmodum Apoſtolus exigit. Eiuſdem eſt illa quo ſententia: Si quis emundauerit ſe ab iſtis *(impuris nempè vitiorum & affectuum ſordibus)* erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratus.

2.Cor.7.
2.Tim.2.

PETAM inſuper Catholicis gratiam, vt Spiritus ſancti virtute hoc tempore corroborati, conſtanter in veteri Eccleſia & religione perſiſtant, Spiritum ſanctum in ordinariis miniſtris verè loquentem ac docentem reuerenter audiant, nullis autem nouæ doctrinæ ventis, erroneis ſpiritibus in nequitia hominum tanquàm paruuli fluctuantes, ſe circumagi & ſeduci patiantur. Monentur quippe verbo Dei: Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, optimum eſt enim gratia ſtabiliri cor. *E*ſto firmus in via Domini.

Ephes.4.
Hebræ.13.
Eccleſi.5.

DOMINICA V. POST PASCHA, QVAE Vocem iucunditatis dicta eſt.

Sequentis Euangelij argumentum.

CHRISTVS à ſuis diſcipulis ad mortem abiturus, inter varia media & remedia erigendis illorum animis opportuna, etiam doctrinam orandi tradit atq; commẽdat. Eſt enim precatio fidelibus tam vtilis ac neceſſaria, vt ſine illa nec fides exerceri, neque conſolatio impetrari, nec gratia comparari & conſeruari facilè poſſit: ſine hac aqua noſter ager quodammodo exareſcit, ac ſterilis iacet. Vt autem cum fructu fiat precatio, monet Euangelium, eam ad Deum Patrem, & quidem in Chriſti nomine inſtituendam eſſe, cum firma nempè fiducia conſequendæ gratiæ non ob noſtram dignitatẽ, ſed propter Chriſti mediatoris & Redemptoris merita, per quẽ & propter quem Pater dona ſua orantibus elargitur. Vnde alibi quoq; Chriſtus promittit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabo vobis.] Ac iterũ: Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.] Indicatur hîc præterea, quid in oratione petendum ſit, præcipuè quidem non externũ corporis aut huius mundi bonum, ſed internum ac ſpirituale gaudium, quod cum pace conſcientiæ in hac vita inchoatum, tunc perficietur, quum fidelis animus in cœleſti patria ſummo illo æternoque bono, quod ſolum beat & replet animam, iucundiſsimè perfruetur. Conſolatur & illud meritò Apoſtolos atque pios omnes, quod Chriſtus affirmat, illos tan- Ioan.14.

quàm amicos à Patre diligi, quia filium eius diligant, & in eum credãt. Tum iiſdem futurum promittit, vt in die reuelatæ gratiæ orent perfectè in Chriſti nomine, quem pro Mediatore noui teſtamenti, & pro ſacerdote perpetuo & interceſſore apud Patrem habituri atque honoraturi, & idcircò non ſecundùm carnem imperfecto modo cognituri ſint: qui præterea ſicut è cœlo in mundum ob ſummam charitatem deſcendit, ita rurſus è mundo per crucem ad Patrem non ſine obedientia maxima velit abire, ac ſuis electis locũ in cœleſti regno præparare, quod cum illis perpetuò communicetur. Demum Apoſtoli ex longo Chriſti ſermone fructum eum capiunt, vt ſuam de illo fidem, quòd cordium arcana norit, & idcircò plusquàm homo ſit, apertè confiteantur.

Hebr.7.& 9.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Ioan. XVI.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Uſquemodo non petiſtis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis: vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouerbiis loquutus ſum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli, Ecce*

nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi vt quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo exiſti.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Quarè conueniat Catholicis, hoc in primis tempore precationi operam dare?

ETSI Chrſtus precationem nobis ita commendat, vt aſſiduum eius vſum retinere, & ſine intermiſſione orare nos doceat: tamen ſunt quædam peculiaria, quæ me ad nouum precandi ſtudium & feruorem hoc tempore non iniuria prouocent & accendant. Etenim ex veteri more iſthæc Dominica quæ aſcenſionem Chriſti proximè antecedit, à rogationibus ſiue precationibus dicta celebratur, & ſtatim eam conſequitur triduum eodem nomine inſignitum, immò & publica decoratum proceſſione, vti vocant, ac Litaniæ recitatione, ad quam omnes fidelium ordines conuocantur, & in qua pij ob communem ſupplicationem inſtituendam libenter interſunt. Adhæc Euangelium tum hodierni, tum craſtini diei nos piè precari ſeriò mandat, Chriſtumque proponit precantibus omnibus eximia pollicentem. Inſuper & temporis ratio ad vehementius & ardentius orandi ſtudium hortatur, Chriſto ſic amanter erga nos affecto, quemadmodum illis fauebat amicis atque diſcipulis, quibus olim, quum è terris digreſſurus, cœlumq; petiturus eſſet, ſuam benedictionem libenter tribuit ac reliquit. Væ ergò mihi, ſi aliis tam multis ex præſcripto Eccleſiæ compreccantibus, ac res magni momenti à Deo pro tota Re-

Luc. 18.

Luc. 11.

publica poſtulantibus,ignauus me ſubduxero, aut in ſancto
precandi labore ſegniter ac infideliter laborauero. Nunc e-
iſt.4. nim tempus eſt,ſi cum Cypriano loqui velimus,vt ad placan
dum atque exorandum Dominum non voce ſola, ſed & ie-
iuniis & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemi-
ſcamus. Vapulamus & meremur, cùm ſcriptum ſit: *Seruus
ille qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non paruit, vapula-
bit multis.* Virgas igitur & flagella ſentimus,qui Deo nec bo-
nis factis placemus,nec pro peccatis ſatisfacimus. Rogemus
de intimo corde,& de tota mēte miſericordiam Dei.] Quo-
circà cùm Rempublicam Chriſtianam in ſummū diſcrimen
videamus adductam, & acerbiſſimis iræ diuinæ flagellis vn-
dique corripiamur,quomodo pœnam effugiemus quæſo,ſi
propoſitam & iniunctam precandi diſciplinam atque cōſue-
tudinem vel repudiemus,vel prętermittamus? Abſit procul,
vt priſcos Gigantes vereq; Atheos imitemur,de quibus hoc
.16. ſcriptum eſt: *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui Gigan-
tes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti, & non pepercit
Deus peregrinationi illorum, & execratus eſt eos præ ſuperbia.*
.26. Tum lapſus Apoſtolorum nos meritò cautiores facit, qui
4. ſomno & torpori magis quàm vigiliis & orationi vacantes,
in grauem tentationem inciderunt,vt cōtra fidem Magiſtro
datam,velut oues percuſſo paſtore diſpergerentur,ac dilapſi
fugam turpem inirent.Quod autem illis à Chriſto dictū fuit:
.26. ad nos vtique pertinet: *Vigilate & orate,vt non intretis in ten-
3. tationem:Vigilate omni tempore orantes,vt digni habeamini fu-
gere iſta omnia quæ futura ſunt,& ſtare ante Filium hominis.*

Cæterùm quod ad Litanias iam ſupradictas attinet, me-
el.33. minit illarum ante Gregorium Magnum Cæſarius Aurelia-
nenſis antiſtes, & apertè tradit hoc modo: Tribus iſtis die-
bus, quos regulariter & in toto mundo celebrat Eccleſia,
nullus ſe à ſancto conuentu ſubducat, nullus caſtra ſpiritua-
lia deſerat. Antiquior Cæſario eſt Gregorius Thaumatur-
gus, qui in more habuit celebrare Litanias, ſub Decio ſcili-
cet Imperatore,ſicut de illo Neocęſarienſium Epiſcopo ſcri-
bit

bit Baſilius Magnus. Legimus etiam de Litaniis in ſacris Conciliis, vt [a] Aurelianenſi, [b] Moguntino & [c] Lugdunenſi, quas & vetuſtior Synodus Laodicẽſ. vocat proceſſiones, eò quòd expiationis cauſa, vel ob graue negotium clerus & populus, ſicut indictum erat, publicè procederet, communéſque preces apud Deum funderet. Cum eiuſmodi ſupplicationibus, quas & Gregorius Pontifex, & Mamertus Epiſcopus Viennenſis ad iram Dei placandam magno cum fructu inſtituerunt, quæque in orientali & occidentali Eccleſia iampridẽ in vſu fuerunt, pia etiam ieiunia coniungebantur, ſimulque ad loca ſanctorum Martyrum precantes concedebant. Nec dubitabo, ab Apoſtolis ipſis hunc profectum eſſe morem, quòd fideles in vnum locum conuenientes, publicis precibus dant operam, quemadmodum ex Ignatio verè Apoſtolico viro poteſt euinci. Laudat & Chryſoſtomus precationẽ publicam, quam & priuatæ in ædibus vel cubiculis inſtitutæ anteponit. Non ita inquit, Dominum per te ſolum orans audiris, vti cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid eſt, putà vnanimitas & conſonantia, charitatíſque vinculum, & ſacerdotum orationes. Si namque Petrum Eccleſiæ adiuuit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit, quo modo tu ipſius orationis potentiam contemnis?] Damnabo igitur cum Gangrenſi Concilio tum veteres tum nouos Euſtathianos, qui eiuſmodi Catholicorum ad ſacra loca conuenientium pios cœtus, communeſque precationes deſpicere atq; conuellere non verentur. Deplorabo etiam torpentes nimiúmque tepidos Orthodoxos, quos vel pudet vel piget huiuſmodi ſacris conuentibus intereſſe, illóſque ſua ornare & iuuare præſentia, ſicuti optimi fecêre maiores, præſénſque tum vtilitas tum neceſſitas Eccleſiæ multis modis efflagitat. Nec dici ſanè poteſt, quantam apud Deum vim habeat communis & vnanimis multorum precatio, quæ velut prępotens eſt legatio ad mala deprecanda bonaqúe impetranda, rectèqúe thymiamati confertur, quòd nihil apud Deum ſuauius redoleat, magíſque delectet Angelos, vt hinc etiam Ioannes ſan-

Epiſt. 63. ad Neocæſarienſes.
a cap. 29.
b cap. 33.
c cap. 6.
Capitulo 17.

In epiſt. ad Magneſios.
Homel. 79. ad pop. Antiochen.

Actor. 12.

Can. 5. & 20.

Apocal. 8.

ctorum orationes vocet incenſum, quod ſuper altare aureũ ante Dei thronum offertur, ac mirificè operatur. Quid fortius quæſo communi precatione pœnitentium non modò [a] Niniuitarum, ſed etiã Iſraëlitarum ſub rege [b] Ioſaphat, ſicut & [c] Eſdræ ac [d] Machabæorum tempore, qui publicam orationem cum ſacris ieiuniis coniungentes, ſuas fortunas, corpora, animas & liberos, totamque patriam à præſenti exitio liberârunt? Tum Auguſtinus perſpicuè docet, Deum orationibus placari Martyrũ, vt peccatis populi ſui propitietur, ſicut & Hieronymus aduerſus Vigilantianos euicit, Sanctos à Catholicis legittimè coli, atque cum fructu inuocari, quemadmodum tot ſeculis ab Eccleſia factitatum eſt.

Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

AMPLISSIMI beneficij loco ducam, & hinc æterno Patri gratias agam ſingulares, qui non contentus me iræ filium & Satanæ mancipium, in filium ſuum & Chriſti Domini fratrem atque cohæredem adoptaſſe, etiam Spiritum ſuum ſanctum in me, quum baptizarer, infudit, ac per eundem rectè orandi affectum & virtutem, ſi velim, mihi ſubminiſtrare non deſinit. Quarè Paulus hoc renatis & ſanctificatis omnibus tribuit: *Non accepiſtis ſpiritum iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba Pater.* Nam & per Zachariam iam antè promiſerat Deus, Spiritum gratiæ & precum in ſuum populum effundere, nimirũ quia Spiritus ſanctus tales effectus in his quos inhabitat operatur, & ſicut Paulus inquit, poſtulat, id eſt, poſtulare nos facit quę ſub orationem cadunt, non ſine firma fiducia & audaci, ſed Deo grata familiaritate. Non enim minus ille quàm dicitur, pater eſt miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui propter nimiam charitatem ſuam nos vltro ad orandum allicit, & quaſi manu ducit, totque promiſſis & præceptis impellit, immò & quodammodò rogat vt rogemus, tantùm vt anſam habeat ſua beneficia filiis orantibus manu lar-

gi[illegible]ima

giſſima diſtribuendi, ſuamq́; beneuolentiam illis magis magiſque declarandi. Hinc extant illæ voces omninò paternæ: *Inuoca me in die tribulationis: eripiam te, & honorificabis me. Petite, quærite, pulſate: Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Sed & Chriſtus Dominus nō Apoſtolos tantùm, ſed etiam omnes indiſcriminatim ad orationem, quemadmodum ad nullum ferè alud opus, frequenter inhortatur, & præſcriptis quoque verbis nos docet orare, & ſuum cūctis exemplum proponit, quum ipſe quidē in diurna & nocturna oratione ſedulus fuerit, qui præterea per ſe & Apoſtolum iniunxit, fideles non ad tempus, ſed vt ſemper, ita & in omni loco orare, leuantes puras manus, ſine ira & diſceptatione. *Oportet* inquit, *ſemper orare, & nunquàm deficere*, vel ſicut à Paulo ſcriptum eſt, *ſine intermiſſione.* Nec diſſimilis eſt illa ſententia: *Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*

Pſalm. 49. Matth. 7. & 11. Luc. 11. Matt. 6. & 7. Marc. 11. Ioan. 14. & 16 Luc. 6. Ioan. 18. Luc. 18. 1. Theſſ. 5. 1. Timot. 2. Luc. 18. 1. Theſſ. 5. Philipp. 4

Igitur ô me incogitantem, nimiùmque ſupinè negligentem, qui tot modis à Patre & Filio ad orādum incitatus, hoc ſanctum, hoc vtile & neceſſarium, nec ſatis vnquàm laudatū opus facilè intermitto, vel frigidè exerceo, nullam vt laudē, ſed potius reprehenſionem & pœnam merear in hoc officio, quum nuſquàm alioquin tam vigil, ſerius, importunus, conſtans & exercitatus eſſe deberem. Nōne pauper & inops ego ſum, qui cœleſti ope & quotidiano pane tam diuitis Patrisfamilias egeo vehementer, & ad oſtium illius inſtanter pulſare habeo? Huic optimo maximoque Domino (velim nolim) eam debeo ſeruitutem, vt etiam non iuſſus, in colendo & orando illo indefeſsè laborem, vtpote ad cuius honorem & gloriam ſum conditus, cui tot beneficiis deuinctus & promiſſis corroboratus maneo, in quo etiam vno cuncti viuimus, mouemur & ſumus, & à quo velut perenni fonte, bona nobis omnia deriuātur. Nec obſeruo interim, proh pudor, ingenium & morem Satanæ, qui cùm ſit nobis ſemper infeſtus, tunc maximè aſſiſtit infeſtior, cùm contra ſe of- Actor. 17.

ferre nos preces Domino velle peruiderit, qui & cogitationibus ſeu diuerſis motibus excitatis, abducere mentem noſtram à ſupplicationis intentione feſtinat: & per hoc eum tepeſcere à cœpto feruore contendit, quemadmodum præclarè docuit Caſsianus. Eòque magis & iuſtius mihi ſuccenſebo, quòd nec Dei amore, nec metu Satanæ, nec orationis vtilitate commouear, vt me totum ad hoc magnum opus applicem, ſed ab eo me perſæpè auocari ſinam, humanis potius quàm diuinis rebus intentus. Longè aliter ſanè à Rege Dauide factum eſt, qui publicis licet curis negotiiſque forenſibus diſtrictus eſſet, tamen in laudando & orando Deo plurimùm laborauit. Sic enim de ſeipſo teſtatur: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Septies in die laudē dixi tibi. Benedicam Dominum in omni tēpore: ſemper laus eius in ore meo.* Prætermitto, quoties idem feruēti Spiritu ductus, ad orandi pſallendíque ſtudium magnos & paruos, Iudæos & gentes excitet & accendat. *Accedite* inquit, *ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Vbi me terrebit, quod à Chryſoſtomo diſertè ſcriptum eſt, amentiæ argumentum euidentiſsimum eſſe, non amare precandi ſtudium, nec habere perſuaſum, quòd animæ ſit mors, non prouolui ad Dei genua, nec orationis feruida vehementique cura teneri, & impoſsibile quidem eſſe, abſque orationis præſidio cum virtute degere.

Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.

IMMENSAM DEI bonitatem reuerenter celebrabo, ſimulque lætus amplectar, quòd cùm ille bonorum noſtrorū non egeat, & ab ipſo vno pendeant vniuerſa, tamen ſe & dona ſua nullis non offerat, ac etiam ingratis obtrudat, nec ſolùm temporalia & corporalia, ſed maximè ſpiritualia & æterna mu-

na munera, quæ perfectam conſcientiæ pacem atquè lætitiã adferunt,& vel ſola hominum explent animos, à ſe fidenter peti & expectari poſtulet. Sicut autem ethnicorũ eſt de his, quæ ad victum & amictum ſpectant,ſollicitè cogitare,& pro vita curáq; corporis Deum anxiè inuocare: ſic ad filios Dei ſpectat, in ſpiritu amoris primùm Dei regnum & iuſtitiam quærere,nec dubitare,quin reliqua inferiora, & corpori neceſſaria ipſis per eandem Dei prouidentiam & bonitatẽ obuentura ſint. Erro infœlix, ſi terrenis bonis velut putridis aquis hauſtis, ſitim cordis mei ſedare cõfidam,ſi prætereà veram animi quietem & fœlicitatem per tẽporalia quæ videntur,vnquàm aſſequi ſperem,quoniam veram vitę gloriæquè aquam, quæ non niſi à Deo Chriſtum ritè orantibus datur, extra fontem ſuum quæro. Id quod Chriſtus verbis illis Samaritanæ propoſitis indicauit: *Omnis qui bibit ex aqua hac,ſitiet iterum:qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei,non ſitiet in æternum.* Vt hinc etiam dixerit Auguſtinus:Feciſti nos Domine ad te: & inquietum eſt cor noſtrum,donec requieſcat in te.] Proinde mirabor,tantam hominum ingratitudinem, immò & ſtultitiã eſſe,qui à Chriſto vocati & illuminati, tantùm ea quæ ſunt ſuper terram,quærunt & ſapiunt,nulloquè magis quàm inani & fallaci mundi gaudio & corporali commodo delectantur. Etenim ad vocem illam Propheticã obſurdeſcunt: *Filij hominum vſq; quo graui corde? vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mendacium?* O cæcos homines,ſemperquè pueros, qui pudẽdam non relinquunt infantiam,de qua loquitur Salomon: dum ea duntaxat quæ ſunt ante pedes,inſtar pecudum ſectantur & appetũt, nec ea petere, ſperare & curare dignantur,quæ cum vero,pleno,ſolido, æternoquè gaudio cõiuncta,electisquè à ſummo Deo parata atquè promiſſa ſunt,vt illis in omnem æternitatem beatiſsimè perfruantur. Hoc verò nihil eſt aliud,præterquàm ſicut Propheta loquitur,aquæ viuæ fontem derelinquere,& ciſternas ſibi fodere diſsipatas, quæ aquas nequeant continere.

Matth. 6.

Ioan. 4.

Lib. 1. Confeſſ. cap. 1.

Pſalm. 4.

Prouerb. 9.

Hierem. 2.

Ego verò ſcrutabor vias meas,& inquiram ſedulò,vt ſciã,

quo pacto in arte orandi, quæ maximi eſt ſanè momẽti,pro-
ficiam deficiamuè. Proficit ille ſanè, qui non diſsimilis filio
ꝓdigo,in ſeipſum reuerſus,ex animo loquitur: *Surgã, & ibo*
ad Patrem meum. Proficit, qui in cordis ſui cubiculũ ingreſ-
6. ſus, claudit oſtium, & patrem orat in abſcondito, eumq́ue
ipſum adorat in Spiritu & veritate. Proficit,qui peccatorum
ſuorum conſcius,cum Publicano totus ſibi diſplicet,pectus
proprium tundit,oculos in cœlum non audet attollere,ſéq;
omnium indignißimum ſtatuit, ſolam gratiam offenſi pa-
tris ardenter expectans. Proficit,qui non ſolùm diuina miſe-
ricordia nititur,ſed & armis pœnitentiæ inſtructus,contra ſe
ipſum pugnat,& Niniuitas imitatur,vt cum oratione ieiuniũ
iungat, meritasq́ue pœnas clamando ad Dominum auerte-
re,iramq́ue diuinam placare non deſinat. Sed enim ego me-
ipſum tantò iuſtius incuſabo, quòd in hac præclara orandi
palæſtra tot annis manens, parùm profecerim, illis nempè
præſidiis deſtitutus, quæ ad benè precandum alij præclarè
adhibuerunt, & idcircò ingentem Dei gratiam & familiari-
tatem ſibi comparârunt. Opus enim eſt vigilantis animi pre-
paratione,ſenſuum cuſtodia,cordis collectione,ſpiritus de-
uotione,conſtanti attentione,& iugi perſeuerantia,eaq; vo-
luntatis promptitudine, quæ per omnia ſeſe voluntati diui-
næ conformet, & ad perfectiora vſq́ue contendat. Opus eſt
legendi, meditandi & contemplandi ſedulitate, firma fidu-
cia,reuerentia filiali,& ardenti, ſuiq́ue prodiga charitate.

Verùm eheu, vbi meus in laudando & orãdo Deo ardor,
qui in Propheta,licet regiis ac popularibus negotiis impedi-
i 32. to,tot modis eluxit? Vbi Moyſi charitas & zelus ad ſcelera-
tum populum, qui merebatur exitium, offenſo Deo recon-
h.15. ciliandum? Vbi Cananææ poſt Chriſtum clamantis, & filiæ
h.26. ſanitatem procurantis,perpetua contentio? Vbi Petri & Ma-
7. gdalenæ ad peccata deflenda, veniamq́ue petendam, amaræ
lachrymæ & intimus dolor? Vbi Andreæ ad crucem prope-
rantis, ſeq́ue ad mortem præparantis incenſum orandi deſi-
r.2.& 11. derium? Vbi Pauli ſe & ſuos,totámque *Eccleſiam* Deo com
.1.

mendantis

mendantis aſſidua ſollicitudo? Quid autem obſecro per ſe pulchrius, quid rationi ac fidei magis conſentaneum, quid & Deo & Angelis eius gratius eſſe poſſit, pręterquàm oratio piè ac rectè inſtituta? Penetrat illa nubes, purgat ac attollit animos, reſtituit ægrotos, lætificat Angelos, terret dæmones, Deum ipſum quaſi conſtringit vinculis, & ex irato propitiũ reddit, imò & ea, quæ naturæ hominisque facultatem exceduntt, crebrò dare compellit, ſicut plurimis Scripturæ locis & exemplis comprobatum habemus. Iam verò, quid nocentius, quàm in orando ceſſare, aut ſegniter agere, ipſumq; precandi tempus omni auro precioſius perdere vel prætermittere? Quid enim iſthûc eſt aliud, niſi ſummum optimumq; Deum ſuo cultu, ad quem natus & renatus eſt homo, inhumaniter ſpoliare, & quod vectigal illi ſummo principi debes, nefariè ſurripere? tum teipſum hominem ignorare, & quod peius eſt, ſemper inopem, ſemper miſerum ac perditum eſſe velle, vt ita demum ſis ac maneas, ſicut Scriptura loquitur, Ioel.1. iumentum computreſcens in ſtercore ſuo, ac ſus lota in vo- 2. Pet. 2. lutabro luti? Quapropter ſi filij Dei nominamur & ſumus, 1.Ioan.3. vt Ioannes palàm affirmat, ſi noſtram ſubleuare inopiam, & diuinæ gratiæ theſaurum non ſolùm hîc conſequi, ſed etiam in cœlis nobis recõdere cupimus, ſanctam orationem cum ſanctis amemus, nobisque vſum eius familiarem reddamus, & ſicut mandat Apoſtolus, cum fiducia ad thronum gratiæ Hebr.4. Dei adeamus, vt miſericordiã nobis ac aliis neceſſariã conſequamur, gratiamque inueniamus in auxilio opportuno. Veriſſimè profectò dixit Rex Ioſaphat: *Cùm ignoramus quid* 2.Paralip.20. *agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te Deus.* Et præclara vox eſt Azariæ Prophetæ: *Si* 2. Paralip.15. *quæſieritis Dominum, inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Illud verò ſummoperè cauendum eſt, nè aliquando in orantes nos competat Apoſtolicum dictum: *Pe-* Iacob.4. *titis & non accipitis, eò quòd malè petatis:* quemadmodum illi ſanè perperam petiuerunt, quibus hoc modo Chriſtus re- Matth.20. ſpondit: *Neſcitis quid petatis.* Rurſus malè petunt & fruſtrà

orant hypocritę, in fide dubij, leues, audaces ac temerarij ho
mines, & ſuæ potius quàm diuinæ voluntatis amantes. Pla-
cet Deo humilis, fidelis ac feruens oratio, quæ comitem ha-
bet mentis puritatem vitæque innocentiam, vt hinc etiam
7. Propheta Deo dixerit: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro in-*
nocente innocens eris, & cum electo electus eris. Hac eſt demum
fiducia, quam habemus ad Deum (inuocandum) *quia quod-*
cunq; petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos, ſicut
. Ioannes aſſeuerat. Ac rurſus ille: *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non*
3. *reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et quicquid pe-*
tierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus,
Mo- *& ea quæ ſunt placita coràm eo facimus.* Quæ verba Gregorius
.3. hoc modo declarat: Si quod præcipit Deus facimus, quod
petimus obtinebimus: debet enim oratio fulciri operatio-
28.32. ne, & oratione operatio.] Peculiariter autem Iacob Patriar-
cham virum verè ſanctum mihi deligam, à quo diſcam ritè
precari, nempè cum ingenti ſubmiſſione, contentione, per-
ſeuerantia, quoniam ille tota nocte cum Deo luctatur, & ab
hac pia lucta nõ ceſſat, donec optatam à Deo benedictionis
gratiam conſequatur. Præterea miſcet gemitus & lachrimas
orationi, adiungit promiſsiones & vota Deo facta, extruit al-
tare, amat ceremonias, ſciſsis nonnunquàm veſtibus, & in-
dutus cilicio luget multo tempore: neque ſoli Deo, ſed etiã
12. Angelo ſancto ſeſe committit, vt hinc Propheta Oſee ſcri-
bat: *Inualuit ad Angelum & confortatus eſt: fleuit & rogauit*
.48. *eum.* Vnde illa quoque extat huius Iacob precatio: *Angelus*
qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.

PRECANDVS *mihi* DEVS, *vt quoniam oratio eſt pergratum Deo ſacrificium, acre dæmonibus flagellum, & fidelibus aduerſus mala omnia præſidium firmum, ego diligenter in priuata & publica precatione verſer, remq; tanti momenti in Deo compellando & laudando non leuiter ac perfunctoriè, ſed maturè, attentè ac ſeriò tranſigam, licet multa ſe offerant impedimenta, quæ ſanctis etiam per Satanæ inuidiam ac procurationẽ frequenter oc-*

ter occurrunt. Vnde Sapiens oraturum ſic admonet: Fili accedēs Eccleſ.2.& 18
ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat DEVM.

PRECABOR autem à Deo & Sanctorum ordinibus vniuerſis ea, quæ hoc tempore in Litaniis vſitatis Eccleſia petere ſolet, nec ſolùm de præſentibus, ſed etiam de imminentibus periculis & calamitatibus ſiue corporalibus, ſiue ſpiritualibus: ac præſertim de publicis auertendis, ſollicitus ero. Tum quanto maiora Dei irati flagella vbiq; ferè gentium inundantibus hodie ſceleribus infliguntur, tantò ſtudioſius ego Litaniæ vſum mihi & aliis commendare, & ſi poſſim, familiarem efficere conabor, vt illa in priuatis etiam ædibus hoc triſtiſſimo tempore ſæpius recitetur. Si enim multùm valet deprecatio iuſti aſsidua, quemad-
modum ab Apoſtolo Iacobo affirmatur, quantò plus efficient tot Iacob.5.
Sanctorum pro nobis comprecantium, & cum Chriſto in cœlis regnantium agmina, quum illorum interceſſionem & fida patrocinia in fide Eccleſiæ imploramus? Cæci ſunt hac tempeſtate, qui non vidēt, aut certè videre nolunt diuinā ordinationem, per quā nos cum aliorum hîc viuentium, tum Sanctorum in cœlis triumphantium oratione iuuemur, quodq; hos præcipuos Dei amicos non ex miſericordiæ diffidentia nobis adiūgamus, ſed vt ipſis intercedentibus & ſuffragantibus Dei gratiam facilius ac potētius impetremus. Ita enim nos docuit ac docet conſtans antiquitas, Eccleſiæq; Græcæ ac Latinæ conſenſus, quantumuis obſtrepant Hagiomachi ac Vigilantiani.

Adhæc quoniam Apoſtolicus Canon exigit, vt obſecrationes, 1.Timot.2.
orationes ac poſtulationes cum pro omnibus hominibus, tum pro Regibus ac aliis in ſublimitate conſtitutis non modò priuatim, ſed & publicè in Eccleſia fiant, inprimis operam dabo, vt pro Eccleſiaſticis & ciuilibus magiſtratibus diuinam opem implorem. Hac enim illi vehementer indigent ad infideles & hæreticos comprimendos, & ad omnes Eccleſiæ ordines in officio continendos, vt eo magis Catholici vitam in omni pietate & caſtitate trāquillam

traducant, & in cultu Dei neutiquam impediantur. Qua orandi ratio & conſuetudo tam vetus ac probata eſt, vt obtinuerit etiam ſeculo Tertulliani, qui vicinus fuit Apoſtolorum, quando Chriſtiani pro magiſtratibus etiam ethnicis, & quum ſæua vrgeret calamitas, publicas ad Deum preces de more fundebant, & manus elatas expanſasq; cum precatione ipſa coniungebant.

IN FERIIS DOMINICAE ASCENSIONIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

HISTORIA illuſtris de CHRISTO in cœlos aſcendente, non ſolùm à Luca in actis Apoſtolicis, verùm etiam à Marco in hoc Euangelio deſcribitur, multaque nobis & magna meditanda proponit. Sapientiſsimus Dominus à ſuis diſcipulis digredi, & ad Patrem in cœlum Triumphator abire noluit, niſi rebus anteà in terris benè conſtitutis, & ſublatis nõnullis impedimentis. Erant enim ex diſcipulis, in quorum animis hæreret virus peſtilens minimeq; ferendum infidelitatis; nec ſciebant omnes, qua docendi ratione ſuum munus Apoſtolicum obire conueniret, quæ itidem noui Chriſtianiſmi primordia ſeu fundamenta, quæ rurſus incrementa vſurparent. Eapropter Chriſtus contra incredulos & in fide tardos atque duros primùm ſeuerè diſſerit: deinde pro veteri lege iubet Euangelium, legem nempè gratiæ, vbique gentium prædicari. Adhæc nouæ doctrinæ principia in fide & baptiſmo conſtituit, credentibus & baptizatis æternam ſalutem pollicens. Atque vt Euangelium

& res Chriſtiana fœlicem progreſſum habeát, miraculorum donum illis promittit, vt hoc ſigno credentes ab infidelibus dignoſcantur. Per hæc ipſa miracula factum eſt, vt illuceſcentis Euangelicæ gratiæ & Chriſtianæ doctrinæ virtus ac efficacia per totum orbem breui agnoſceretur. Cæterùm aſcenſio Domini ſicut Propheticis & Apoſtolicis literis valdè commendata eſt, vt poſtea cōfirmabimus, ſic illa ſummum ſanè miraculum & incomparabilem Chriſti maieſtatem poteſtatemque declarat, & feſti quidem huius partem præcipuam tenet. Nec feſtum eſt aliud, quod Angelicis ordinibus, & Patribus cum Chriſto in cœlum aſſumptis, & diſcipulis hodie congregatis maiorem gaudendi cauſam præbuit, nobiſque ad gratulandum Regi gloriæ calcar vehementius debet addere. Bernardus illud rectè vocat conſummationem & adimpletionem reliquarum quæ de Chriſto celebrantur ſolēnitatum, & fœlicem totius itinerarij filij Dei clauſulam. Serm. de aſcenſ. Domini.

EIVSDEM FESTI EVANgelium. Marc. XVI.

Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit IESVS: *& exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis quæ viderant eum reſurrexiſſe, non crediderūt. Et dixit eis, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint, non eis*

noce-

nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Ieſus poſtquàm loquutus eſt eis, aſſumtus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM, AC TOTIVS feſti octauam.

I.

Exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.

HISTORIAM Euangelicam, velut extremam vitæ Chriſti in terris geſtæ partem, in memoriam reuocabo, atque in ea cum gratiarum actione lætè ſpectabo Redemtorem, qui non modò Victor à morte reſurrexerit, ſed etiam à reſurrectione ſua tempus quadraginta dierum ingenti cum fructu tranſegerit, vtpote partim diſcipulis, partim nobis fideliter inſeruiendo. Etenim ille, ſicut Lucas teſtatur, poſt paſſionem ſeipſum viuum in multis argumentis præbuit diſcipulis, per quadraginta dies eiſdem apparens, & loquēs de regno Dei. Qui optimus Architectus & ſuæ & noſtrę reſurrectionis fidem euidenter adſtruxit, nec minus Chriſtianæ Eccleſiæ fundamenta præclara iecit, licet pauca de his expreſſerint Euāgeliſtæ. Accedit & illa mihi no-

randa Chriſti ſapientia, quòd partim blandè & ſuauiter cum diſcipulis conuixerit, vt hinc valdè gauderent, partim ſeuerè cum illis egerit, nimirùm vt qui ſuum conſpectum mortaliũ oculis, iam iam ſubſtracturus erat, maiorem ſui memoriam illorum animis infigeret, ac infixam retineret. Etenim non ſine aperta exprobratione præſentes triplici nomine coarguit, vtpote ob crimen incredulitatis, ob cordis duritiam, & ob vitium curioſitatis. Tantùm abeſt, vt ſolus illis conſolator eſſe voluerit, qui perinde ac peritus medicus, ad ſanandos ſuorum morbos non minus acerbis quàm lenibus pharmacis hactenus vti ſolebat. Ingens profectò zelus erat Domini in cœlum abituri, quòd ſummum incredulitatis crimẽ ſiue infidelitatem tantoperè in ſuis ferre non poſſet, ſed in vno etiam fidei articulo hallucinantes ac vacillantes magna libertate caſtigaret. Quod ſi tam acriter ab illo corripiuntur, qui mulieribus, & paucis aliis Magiſtri ſui reſurrectionẽ denunciantibus, primo illo tempore non crediderunt, quanto iuſtius quidem ac ſeuerius illi reprehendi merentur, qui plurimos & ſpectatiſſimos, omniq́ue exceptione maiores fidei noſtræ teſtes, ac totius orbis prædicatores non audiunt, nec reuerentur, ſed & totius Eccleſiæ fidem tantis miraculis illuſtratam, totq́ue ſeculis vbiq́ue gentium ſtabilitam petulanter impugnant, & pro ſua libidine in dubium ea vocant dogmata, quæ Orthodoxi omnes & OEcumenicæ Synodi vno velut ore hactenus profitentur? Horum igitur incredulitatẽ, quæ in plurimis hæret, deplorabo, & ſimul duritiam lapidei cordis in eiſdem admirabor, quandoquidem tam multi aduerſus recepta & probata Eccleſiæ, quin etiam Spiritus ſancti ſenſa & decreta ſeſe impudenter opponunt. Quod illi ſanè cùm faciant, feneſtram aperiunt planè, vt ſepulti iam olim hęreticorum cineres velut ab inferis reſuſcitentur, & reſuſcitati paſsim in orbe reuireſcant, vtq́ue illuſtrem Eccleſiæ paradiſum in horrendã & immanem Babylonem furiosè conuertant. Quorum temeritate, nè dicam inſania, cautior ego factus, magnam operam dabo, vt nulla ex parte in fide vacil-

lem,

lem, nec aditum vllum præbeam ſummo peſtilentiſsimoque peccato incredulitatis, quod inprimis Deo Deiqúe verbo aduerſatur; & pro illo ſanctam ac neceſſariam fidei ſimplicitatem mordicus retinere contendam. Nam qui vel in vnum fidei articulum impingit, non ſolùm Eccleſiæ, ſed etiã Chriſti iudicio ethnicus dici, & cum infidelibus cõdemnari promeretur. Dubitauit tantùm Zacharias de verbis Angeli filiũ ſibi ſeni promittentis, & idcircò multis menſibus loquendi

o. facultatẽ amiſit. Dubitauit & Thomas Didymus de Domini reſurrectione, & propterea incredulus à Chriſto arguitur, quòd aliis diſcipulis non crederet. Dubitârunt non nihil

r.20. Moyſes & Aaron diuinam virtutem in patrãdo miraculo ſi-

ron.3. bi defuturam: hinc terrã promiſsionis ingredi prohibentur. Quamobrem valdè cauebo ſemper, nè fidem meam, quam inconcuſſam præſtare debeo, vel errore vel dubitatione vlla

alip.26. contaminem. Scriptum eſt enim: *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: Credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera.* Modicæ fidei dubitantes ac timidos homines non

h.8. & ſemel Chriſtus Dominus reprehendit. Tantum abeſt, vt me iſtorum exemplo cõmoueri ſinam, qui hodie plurimum hęſitant in fide, ac illam ſubinde variant, vt de vno errore in alium, & de ſecta in ſectam miſerè prolabantur. Hoc verò eſt

r.13. Apoſtolicum violare pręceptum, quo rectè ſancitur, vt à do-

or.1. ctrinis variis & peregrinis alieni, vnum idemque ſentiamus

eſ.4.

an.12. omnes, & præterea ſolliciti ſimus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, neqúe alta ſapiamus, ſed filiis Eccleſiæ humilibus in religione conſentiamus.

Neqúe verò in me ſinam hęrere fœdum vitium curioſitatis, quod hodie Chriſtus in cœlum abiturus, in ſuis diſcipulis caſtigauit, quando præter neceſsitatem percunctabantur:

or.1. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* Hi quippe inſtar Iudæorum, non de Deo & ſpirituali regno Dei quod in-

.17. tra nos eſt, ſed de externo & pompatico Meſsiæ imperio, quod in terris inchoandum eſſet, plus ſatis erant ſolliciti, & de publico rerum ſtatu magis quàm de ſuæ vocationis o-

cio cogitabant. Meritò igitur his verbis a Chriſto perſtrin-
guntur: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater* Actor. 1.
poſuit in ſua poteſtate, perinde ac ſi diceret: Intempeſtiuè prorſus ac vanè interrogatis, vt nullum à me reſponſum accipere mereamini, dum ea ſcire deſideratis, quæ diuini iudicij & conſilij ſunt propria, ac vtilius quidem ignorantur quàm intelliguntur à mortalibus. Non ſanè vos decet iſthæc interrogandi vel libido vel curioſitas: miſſa nunc facite futura, quorum euentus à ſolo Deo pendet, & præſentium, quæ vocationi veſtræ congruunt, curam potius gerite, nec præpoſterè ſolliciti eſſe velitis. Hęſit idem vitium curioſitatis, vt videtur,
in Theſſalonicenſibus, cùm de fine mundi ac die iudicij iam 2. Theſſ. 2.
iam imminente vanis quibuſdam doctoribus crederent, & idcircò animis conſternerentur, ideòque Paulo Apoſtolo ſcribendi darent occaſionem. Fuit idem næuus in Apoſtolo Petro, quum de Ioãnis obitu leuiter ac temerè ſuſcitaretur,
Domine hic autem quid? vt hinc à Chriſto arguente audierit: Ioan. 21.
Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.
Deterior fuit curioſitas Bethſamitarum, quorum tot millia 1 Reg. 6.
perierunt, quòd arcam Dei videre præſumpſiſſent. Abſit igitur, vt vana & curioſa cupiditate vel cognoſcendi, vel experiendi me falli patiar, cùm eiuſcemodi curioſitas in rebus quidem diuinis ſit admodum vitioſa, ſępèque magos ac maleficas faciat. Rectè autẽ dixit Salomon: Sicut qui mel mul- Prou. 25.
tum comedit, non eſt bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Tum aliis in rebus hoc vitium ſeſe frequenter immiſcet, ſuperbiæ quidem & leuitatis filia, ſimulque multorum errorum ac malorum parens, dum aliena potius quàm ad nos pertinentia peruęſtigamus, & in cognoſcendo ac iudicando modum excedimus. Nimis enim
verum eſt, quod ab Eccleſiaſte ſcribitur: *Solummodo hoc inue-* Eccleſ. 7.
ni, quod fecerit Deus hominem rectum: & ipſe ſe infinitis miſcue-
rit quæſtionibus. Prudenter autem docet Paulus ea fugere, 2. Tim. 2.
quæ præſtant quæſtionem potius quàm ædificationem, & apertè præcipit: *Stultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita,*

ſciens quia generant lites. Eoque magis conſilium Sapientis ſiue diuinis, ſiue humanis in rebus amplectar. *Altiora te nè quæſieris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius nè fueris curioſus.*

II.

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

ANIMADVERTAM ſedulò, quàm prudenter & paternè Chriſtus, vti optimus Paterfamilias, cum ſuis diſcipulis ſub poſtremum diſceſſum egerit. Varia enim illis mandata & ſeria quidem dedit, nimirum de Euangelio omnibus vbique gentium prædicando, cum Legis veteris videlicet abrogatione, de baptiſmo credentibus adminiſtrando, neque minus de ſacramentis aliis legitimè diſpenſandis, de Spiritus ſancti aduẽtu in Hieruſalem expectando, per quem illi donis mirificis inſtructi, ſal terræ, lucem mundi & magiſtros orbis ſeſe Iudæis gentibusque præſtarẽt. Præcipuè autem Chriſto gratias agam, qui Eccleſiæ ſuæ curam inde ab initio habuit, & vſque habet maximam, potiſſimum ob prędicatores Euangelij vbique gentiũ & inſtituendos & cõſeruandos, nè operarij deſint vnquam vineę patrisfamilias excolendæ neceſſarij. Quomodo enim tot linguarũ ac nationum homines illi vel de illo crederent, quem nõ audierunt? Quomodo autem iidem audirent ſine aliquo prædicante & inſtituente? Quomodo itidem prædicarent, niſi mitterentur, Apoſtolo teſte? Magnum eſt quod Chriſtus qui Iudæis prædicauerat, loco ſuo Apoſtolos vel non rogatus mittat in orbem vniuerſum. Magnum & illud, quod ſeculis omnibus paſtores ac doctores donet ad prædicandum Euangelium, vt eius luce tum infideles in ſuis tenebris, ſi velint, illuſtrentur, tum fideles in accepta fidei luce, ſuæq; vocatio-

nis gratia confirmentur atque promoueantur. Ita demum impletur vetus illud vaticinium: *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſthac mittam eis multos venatores: & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Hierem. 16.

Cæterùm quod ad Euangelij nomen attinet, eſt illud virtus Dei ad ſalutem omni homini credenti, hoc eſt, per miniſtros Eccleſiæ oblatam Chriſti gratiam viua fide cōplectenti. Rom. 1. Ego verè contentus non ero, ſi Euangelium literis conſignatum legam, audiam & fide apprehendam, ſed maiori curæ mihi ſemper erit ſecundùm Euangelium viuere, ac verè Euangelicum eſſe, vt Chriſtianam diſciplinam obedientia & moribus adſtruam, & ſyncerè per me Chriſtus glorificetur. Vbi valdè ſeriòque perpendam, quid ſit ac dicatur Euangelium, non ipſa quidem Euangelij ſcriptura ſolùm, neque nuda de Chriſto narrata hiſtoria, vel gratiæ tantùm per Chriſtū partæ promiſſio credentibus facta, ſicut Pſeudoeuangelici ac ſectarij omnes nobis perſuadere conantur, ſed vniuerſam Chriſti doctrinam, quam ſpōſa eius Eccleſia, ſiue viua voce, ſiue ſcripto traditam, per Spiritus ſancti magiſterium fidelibus proponit atque cuſtodit, Euangelij nomine comprehendam. Vnde ſicut ad Euangelium pertinet illa Chriſti ſententia: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* ſi nempè dono fidei & baptiſmi ſacramento accepto conuenienter vtatur, atque ex accepta gratia volens non excidat: Marc. 16. ita illud etiā eſt prorſus Euangelicum, quod ab eodem Chriſto Apoſtolis, & per illos renatis omnibus commendatur, hodieque à Chriſto dictum eſſe legitur, nempè: *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*, puta ſiue de bonis ſperandis & agendis, ſiue de malis fugiendis & vitandis agatur. Matth. 28. Ita rurſus Euangelica CHRISTI vox eſt, à Ioanne propoſita: *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Ioan. 5. *Opera enim illorum ſequuntur illos*, vt idem Ioannes alibi tradit. Apoc. 14. Dolebo igitur, non omnes, ſed paucos Euangelio tot ſeculis prædicato, tantisque mira-

culis confirmato ſuam dare gloriam, & obedienter amplecti, plurimos autem eo ipſo multis modis tum in fide, tum in moribus, ſiue per ignorantiam, ſiue per malitiam paſsim abuti. Dolebo itidem, illorum numerum iniri non poſſe, qui ſpecioſum Euangelij nomen ſuis fœdis obtexunt erroribus, quiq; vetus Euãgelium tot ſeculis retentũ, nunc cum nouo & quinto Euangelio, quod noſtri maiores ignorauerunt, tã leuiter commutant, ſiue vt Apoſtolus dixit, in aliud Euangelium conuertũt, immò & idola quædam in hoc nomine extruunt, vt quæcunque noua ipſis arrident dogmata, ſub hoc blando Euangelij prætextu, imperito vulgo obtrudantur atque commendentur. Nec obſeruant interim, quàm grauiter ab Apoſtolo doceatur: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Cui diſsimile nõ eſt, quod Ioãnes Euangeliſta præcipit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam* (procul dubio traditam magis quàm ſcriptam) *non affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Certè Paulus, Barnabas & Silas germanum Euangelium fideliter prędicârunt, Ioannis Euangelio nondum edito, & qui præter Euan-
6. gelium de Apoſtolorum & ſeniorum decretis obſeruandis, vt ex Luca diſcimus, publicè in ciuitatibus docuerũt. Fiden-
iſt. ter ſanè cum Auguſtino dixerim: Euangelio non crederem,
ri. niſi me Eccleſiæ commoueret authoritas.]

III.

Dominus quidem IESVS *poſtquàm loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris* DEI.

MVLTVM venerabor, ac lætè trãſigam hunc diem, vtpote Chriſti Redemptoris triumpho percelebrẽ, quem cœleſtis Curia nõ minus quàm terreſtris Eccleſia colit ac ſuſpicit. Ac Propheta quidem regius in hunc aſcendentis Chriſti triumphum intuens, & ſingula[illegible] tot

A[illegible]

Angelorum Regi ſuo gratulantium lætitiam ſecum expendens, in illas prorupit voces: *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Et ſanè ſpectatu dignum erat, quum cuncti cœlites in cœleſti curia ingredientem Chriſtum adſpicerent, eumque ſpecioſum prę filiis hominum, & ſacris vulneribus velut noua purpura decoratum adeſſe Victorem, qui ex caſtris tyrannicis noua ſpolia reportaret, diuinæque virtutis fulgētia quaſi vexilla præ ſe ferret, quem deinde tot tantique cantores Angelicis hymnis ſtudioſiſſime celebrarent. Ita ferè in eundē Prophetæ locum ſcribit [a] Auguſtinus, nec diſſentit [b] Hieronymus, cōfirmans Angelos rei nouitate perculſos, inter ſe verba cōtuliſſe ſuperiora, cùm Chriſtum cruentum ad Patrem aſcendentem cernerent, & idcircò etiam ea quę apud Iſaiam extant, interrogaſſe: *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* Notabo inſuper, quod idem Propheta Regius non ſolùm Angelicos choros, ſed etiam fideles gentes ob hunc Chriſti aſcenſum inſolito modo exultantes, in ſpiritu præuiderit, ſimúlq; piū illorum ſtudium apertè comprobârit, ac nos etiam ad imitandos illos grauiter excitârit. *Omnes gentes* inquit, *plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quoniam Dominus excelſus terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.* Nunc enim Chriſtus eſt Dominus, vt Rupertus interpretatur, & in vniuerſa terra admirabile nomē eius. Nunc eſt excelſus, quia ſuper cœlos eleuata eſt magnificentia eius. Nunc idem eſt terribilis, quia quemadmodum aſcendit, ita ad iudicandos viuos & mortuos reuertetur. Nunc præterea Rex magnus eſt, cum in illa ſedeat curia Victor ad dexteram Patris, honore coronatus & gloria, ſpecioſus & expectabilis rex in illa ſua beata Repub. cunctos Patris imperatoris antiqui theſauros poſſidens. Omnes itaque gentes plaudite manibus, vt cum lætitia benè operemini, & ex hilari charitate bona inter vos omnia communicetis.] Præcipuam verò vim communis lætitiæ non tacuit Propheta, ſed in eo conſtituit: *Aſcendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ. Pſallite Deo noſtro, pſallite:*

Pſalm.23.

a Serm.5. de Chriſti aſcenſione.
b In cap.63. Iſaiæ.
Iſai.63.

Pſalm.46.

Lib. 9. de diuinis officiis, cap. 6.
Pſalm.8.
Actor.1.

pſallite regi noſtro, pſallite. Et nè dubitemus, hūc feſtiuiſsimū pſalmum ad præſentem Chriſti aſcenſum pertinere, Paulus Apoſtolus eundem ita nobis expoſuit, ſicut & alium illum, in quo clariſsimè dicitur: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus*, etſi nos quidem paulò aliter in pſalmis legere ſoleamus.

Cæterùm ad maiorem fructum ex tota præſenti hiſtoria colligendum, præclarum Symboli Apoſtolici articulū ipſe mecum expendam, quo nempè profitemur omnes: *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram Patris omnipotentis.* Aſcendit autem quadrageſimo poſt ſuam reſurrectionem die, quum ſuos in montem Oliueti duxiſſet, & præſentes omnes eleuatis manibus benedixiſſet. Aſcendit non vt Deus qui vbiq; eſt, cœlum & terram implens, ſed vt homo ex corpore & anima conſtitutus, & virtute propria in altum ſubleuatus. Etenim *à ſummo cœlo egreſsio eius, & occurſus eius vſq; ad ſummū eius*, ſicut Pſalmographus canit. Quin & ipſa Chriſti vox eſt. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.* Ac iterum: *Aſcendo ad Patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Aſcēdit primus omnium eorum qui è terris ad cœ-
32 lum euolare vnquàm potuerunt ac poterunt, *factus ſicut aquila prouocans ad volandū pullos, & ſuper eos volitans. Aſcendit pandēs iter ante eos*, quemadmodū apud Michęā legimus. Aſcendit in cœlum ille, cui neque in ſepulchro, nec in aëre vel inferno ad manendum comperiebat locus, & qui tanto altius ſuper cœlos omnes exaltari meruerat, quanto ſe ſubmiſsius in terra geſſerat, magisqúe pro redimendis & ſaluandis omnibus humiliârat. *Aſcendit profectus in cœlum, ſubiectis ſibi Angelis & poteſtatibus & virtutibus*, iamqúe ad ipſam Patris dexteram, qua nil ſublimius eſſe poteſt, in ſummo throno collocatus, & nulla ex parte inferior Patre, ſed æqualis cū illo magnificentia, imperio, virtute ac poteſtate præditus, vt etiam ab Angelis adoretur. *Pater* enim *conſtituit illum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum & poteſtatem & virtutem, & dominationem, & omne nomē quod nominatur*

non

non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, vt Paulinis verbis vtamur.

Ex qua ſublimi, honorifica & incomparabili aſcenſione, qua nihil vnquàm auguſtius fuit aut eſſe poteſt, ego multis modis inuitor ac moneor terrena iſthæc quæ Chriſtus omninò reliquit, cõtemnere, & cœleſtia quæ ipſe tam lætus adiuit, amare, immò & in cœlis ipſis cum eodem Domino habitare. *Vbi enim theſaurus meus, ibi & cor meum*, ſicut hunc ipſum theſaurum & Paulus ardenter in cœlo quæſiuit, ideòque luculenter teſtatus eſt: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: Deſiderium habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Cur igitur terreſtriũ rerum non magis obliuiſcor, neque cor meum ſæpius ſurſum ſubleuo, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, neq; feruentius ad Sponſum adſpirans, dico: *Trahe me poſt te. Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Quid impedit obſecro, cur intimis animi ſenſibus non complectar hoc *pietatis ſacramentũ, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum in gloria?* Quæ res maiorem mihi fiduciam ingerat ad veniã & gratiam, ipſamq; perennem gloriam conſequendam, præterquàm quòd video non Angelicam, ſed humanã in Chriſto naturam ſuper omnes cœlos exaltatam, & ad dexteram Patris collocatam, ac nobis interim manere addictiſſimam, vt ego ſanè cum Auguſtino teſtari queam: Vbi portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio.] Quod ſi Chriſtus me, vti membrũ ſuum & carnem ſuam continuè reſpicit ac fideliter diligit, vti dubium non eſt, cur viciſſim ego illum non feram in oculis, nec in delitiis habeam, meamque ſpem omnem in illũ non defigam, qui membra ſua & viſcera ſua etiam ſibi conformare ſtatuit, vt ipſa quoque deuicta morte reſurgant, & in cœlum aſcendant, immò & ſecum in cœleſtibus ſedeant? Certò enim & dilucidè ſuis ita promiſit: *Qui vicerit, dabo ei*

Matth. 6.
Philipp. 3. & 1
Coloſſ. 3.
Cantic. 1.
Pſalm. 72.
1. Tim. 3.
Lib. Meditation. cap. 15.
Ephes. 5.
Apocal. 3.

ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre
meo in throno eius. Ergóne quæcunque mundus habet ob-le-
ctamenta, mihi, ſi ſapio, non amareſcant & ſordeant? quan-
doquidem caput meum & gloria mea Chriſtus in cœlis vi-
uit & regnat ad dexteram Patris, eſtque vita mea, reſurrectio
mea, corona mea, & ſalus mea, qui nullum niſi ſe deſerentem
deſerit, & vnumquemque ad ſe venientem libenter admit-
tit? Habeo igitur abundè, cur illi confidam, & ſeruiam, & ad-
hæream per omnia, qui meus eſt & manet perpetuus propi-
tiator, aduocatus, Pontifex, pro nobis vultui Dei ſemper ap-
parens, ac ſimul interpellans, immò & hoc largiens, vt fide-
les non modò ſecurum ad Patrem cœleſtem habeant aditũ
verumetiam de ſuis hoſtibus triumphare, & in cœlum aſcen-
dere, cum ipſoque capite ſuo in perpetuum coniunctiſſime
ac beatiſsimè viuere poſsint. Ab huius ergò incredibili cha-
ritate, per quem fœlicitas omnis & animo & corpori proue-
7 nit, quid me vnquàm ſeparet? cùm abierit ipſe nobis parare
locum, vt vbi ipſe eſt, & nos eſſe ac manere poſsimus. Veni
Domine IESV, trahe me poſt te, & verbum illud tuæ pro-
miſsionis imple, quo ſuauiſsimè nos conſolatus es, inquiens.
Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum:
vt videant claritatem meam quam dediſti mihi, quia dilexiſti
me ante conſtitutionem mundi.

IV.

De piorum hominum cum Chriſto aſcendentium exultatione.

VETERVM patrum ſingularem lætitiam mecum animo reputabo, vt qui poſt pote[illegible] è lymbo, tanquàm diuturno carcere, liberationem, Regis ſui in cœlum aſcenſum quadraginta diebus expectârũt, & vnà cum capite ipſo Chriſto è terris in cœlos, [illegible]

[illegible]ſti que regni ſedes ſubuecti, & perfecta fœlicitate ac gloria [illegible]ui ex animo deſiderarunt. Recordare anima mea, qua[illegible] quantusque tot Sanctorum exercitus confluxerit, in quo Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Leuitæ, Reges, Iudices, Patresfamilias, vtriuſque ſexus fideles, ac denium innumerabiles iuſti & electi in Chriſti fide fundati, & in ſemine Abrahæ benedicti, omnibusque peccatorum maculis expurgati, ſeſe alacriter coniunxerunt. Vt enim Hieronymus docet, & nos In Epiſtola 179. antea ſubmonuimus, Saluator noſter quum ad infernum, ſiue vt Paulus ait, ad inferiora terræ deſcenderet, Sanctorum Epheſ. 4. animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, liberauit, quas & ipſe Victor ſecum ad cœlos abduxit. Quis verò ſatis explicet celebrem illam pompam & concinnum ordinem ab hiſce ſeruatum in Rege ſuo deducendo, & in communi triumpho ſolẽniter celebrando? An ego nõ mirer, quàm lætè illi terrena reliquerint, & cœleſtia petiuerint, ſicut iam longè ante multùm deſiderârant? Qui in altum ſubuecti, quibus demum oculis mutuò ſeſe ſpectârunt? vtique non ſine ingenti fauſtaque congratulatione, quòd in multis Chriſto ſeſe cõformes aſpicerent, præcipuè verò quandoquidem de morte, inferis, dæmonibus ac hoſtibus omnibus triumpharent, primique cœleſtium ſedium poſſeſſores futuri, tanta cum gloria procederent ſtatimque cœleſtibus gaudiis ſine fine perfruerentur? Quis neget, hos primos & ſelectos amicos eſſe ſummi Paſtoris, qui poſt inuentam ouem erraticam illos amanter inuitans dixit: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat?* Luc. 15. Et hi rurſus ad Chriſtum ſuauiſſimè conuerſi, nónne nouum cantarent canticum, & procidérent in facies Apoc. 5. ſuas, ſicut de viginti quatuor ſenioribus legimus in Apocalypſi? Hi quippe coram Agno ceciderunt, habentes ſinguli Ibidem. citharas, & phiolas aureas plenas odoramentorum, nouumque canticum decantantes, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt. Quocirca de iſtis etiam non dubitabo, quin charitatis flamma ſuccenſi, ſingularis gratitudinis officio ſatisfecerint, vt ſupplices, obſequentes & adorabundos ſeſe de-

clararent, nec ſolum ſedenti in throno, ſed etiam Agno gratias maximas agerent cum de aliis collatis donis, tum de beneficio maximo huius nouæ glorificationis accepto. O te fœlices illos, qui cum Abrahã, Iſaac & Iacob primi in regno cœlorum recubuerunt, primiqúe Regem in decore ſuo viderunt, & illi communem cum Angelis triumphum honorificè celebrârunt. Verè igitur ſcriptum eſt: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*, ille nimirùm, qui forti & armato hoſti ſpolia non ſolùm abſtulit, ſed etiam diſtribuit, eaqúe Patri ſuo in cœlo plus quàm dici poteſt, iucundè repræſentauit. Cum his gaudentibus fratribus, immò commembris ego ſi viuum eiuſdem corporis membrum exiſto, gaudens laudabo Dominum, qui aſcendit ad orientem, & admirabundus cum Pſalte Regio ex animo canam: *Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Regnabit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſanctam ſedem ſuam. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius: quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.*

V.

De Angelicis cœleſtibusq́ ſpiritibus ob Christi Regis aſcenſum collætantibus.

Ab oculos mihi ponã, & coràm, quoad eius fieri poteſt, intueri videbor nouem ſanctorum Angelorũ choros, quorum infinita eſt multitudo, & qui coràm altiſsimo Dei throno ſemper excubias agunt, ſemper adorant, miniſtrant atqúe pſallunt. Hi [illegible] instructi, ac mirabili ordine diſpoſiti, turmatim de ſummo cœlo deſcẽdunt, & ſicut iampridem deliberâſſent, ad talem tantumqúe Principem ſolenniter excipiendum conueniẽt, omnibusqúe gratitudinis, lætitiæ & reuerentiæ teſtimonio inter ſe mutuò certare cõtendunt. Quid enim facerẽt aliud,

qui natum primùm in mundo Saluatorem licet infantem pauperrimum, & à morte rediuiuum, ſed aliquandiu in terris hæſurum, ſingulari lætitiâ celebrârunt? qui præterea peccatorem vnum de ſuis criminibus pœnitentem, tantoperè amant, vt eius nomine commune gaudium peragant, quiq; vel vnius mendici Lazari animam in ſinum Abrahæ nō modò libenter, ſed etiam cum honore deportant? Quarè ſi credimus, hos ſpiritus tantam Chriſti mortalis habuiſſe rationem, vt illi poſt deuictas in deſerto Satanæ tentationes vltrò miniſtrarent, & in Oliueti horto mœſtiſsimum conſolarentur: ſi inſuper illi à Paulo dicuntur & ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui miſeris ac indignis mortalibus ſuas operas fidas impendunt, ac electis præcipuè die nocteque ſeruiunt, quid eos tunc feciſſe putabimus, cùm cœli terræq; Regem in ſuo decore fulgentem, & de prælio maximo reuertētem Victorem ſpectârunt, ſalutârunt, deduxerunt, & in ſuam Regiam, immò ad ſupremum illum Altiſſimi thronum vſque proſequi potuerunt? Bone Deus quanta illos compleuit admiratio, quum in carne illa glorioſa ſummæ humilitatis, charitatis obedientiæque notas impreſſas viderent, & cum illis plagarum veſtigiis aſcendentem rogarent: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* ſicut illum Zachariæ Prophetæ locum Cyrillus Alexandrinus interpretatur. Quærunt inſuper hi tanti miraculi ſpectatores: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Broſa? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens, in multitudine fortitudinis ſuæ.* Reſpondet verò illis Chriſtus in hoc ſuo triumpho: *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.* At rurſus inſtāt Angeli, qui nihil vnquàm tale ſpectârant, & mirari ſatis non poterant, de cicatricibus eiſdem interrogantes: *Quarè ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Ad hoc quoque Chriſtus ait: *Torcular calcaui ſolus*, vt cætera præteream ænigmaticè quidem dicta de more Prophetarum, ſed propriè ad glorioſum illud Chriſti corpus pertinentia, quod plagarum ſignis atque veſtigiis notatum, & ad dexte-

Luc.2. & 22.
Luc.15.
Luc.16.
Matt.4.
Luc.22.
Hebr.1.
Zachar.13.
Lib.12. in Ioannem.
Iſai.63.

ram Patris aſſumptum non potuit etiam Angelis non eſſe ſummæ admirationi ſimul & voluptati, ſicut non modo recentiores, ſed etiam veteres Græci & Latini Theologi prophetica illa teſtimonia interpretantur. Meum autem erit interiore quodam ſenſu cordis hoc incredibile Angelorum gaudium proſequi, qui tam diu deſiderato Regi gloriæ gratulantur, maximè per quem ſuas in cœlo ruinas videbant, & plus quàm dici poteſt, gaudebant impleri. Vnde ſimul ad gratias Chriſto agendas excitabor, qui redemptionis noſtræ opus ad exitum tam proſperum & fœlicem perduxerit, vt cũ Angelis perpetuis cœli incolis communem nunc ſortem & ſedem, & pacẽ, & patriam habere poſſimus. Rogabo etiam tres beatorum ſpirituum Hierarchias, qui in choros nouem ſunt pulcherrimè diſtributi, vt meo ac totius Eccleſiæ nomine ad Chriſti honorem faciãt, quod iam tum in maximo illo triumpho, & communi gratulatione non ſine flagranti charitate & ſingulari obſeruantia reuerentiaq; fecerunt, modis omnibus, vt anteà nunquàm, exultantes & tripudiantes, diemque feſtiuiſſimum celebrantes.. *Aſcendit enim Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Vnde pſalmum vel hymnum illum: IESV noſtra redemptio, aut alium ſimilem, erectis in cœlum oculis, expanſiſuè brachiis recitabo: vel ſaltẽ cum Auguſtini matre Monica dicam: *Eia euolemus in cœlum.*

VI.

De Chriſto lætè & honorificè admodum aſcendente.

NVLLVM ego magis quàm Chriſti Domini perſonam in hoc feſto ſpectandam ac reuerendam eſſe iudicabo, qui cælum & terrã hoc ipſo die, vt vix vnquàm aliâs, mirabiliter exhilarauit. Is enim ſuperatis fortiſſimis hoſtibus, & compoſitis rebus omnibus, quæ quidem ad communem æternamque ſuorum pacem deſiderabantur,

tur, non ſecus ac glorioſus Rex & auguſtus Monarcha ſuum quem meritus erat, triumphum publicè voluit ac debuit celebrare. Vbi & ampliſsimum perpetuæ innocentiæ teſtimonium tulit, vtpote ad tantum cæleſtis gloriæ faſtigium non perueuturus, niſi omnis expers maculę, omniſque virtutis & gratiæ plenus vſque manſiſſet. Iam verò Pater huius Filij obedientia, humilitate, charitate, patientia tantoperè fuit delectatus, vt hominibus, quorum nomine ille patiebatur, debita omnia condonârit, & hominis naturam, in qua filius Dei deiiciebatur atque affligebatur, ampliſsimis muneribus coronârit, & mercede copioſiſsima, quantum poſsibile eſſet, cumulârit. Meruit enim Chriſtus illa ſuprema humilitate & ſpontanea paſsione, meruit inquam, non modò reſurrectionem & immortalitatem, cæteraſque glorioſi corporis dotes, verùmetiam vt idem homo in cælum & ſuper omnes Angelos eleuaretur, & ad dextram Patris collocaretur, ipſeque ſolus nomen ſuper omne nomen obtineret, vt demum in hominis forma vnigenitus & dilectiſsimus, altiſsimuſque Dei filius agnòſceretur. Meruit inſuper, vt caput eſſet ſuper omnem Eccleſiam, ac poteſtatem in cælo & terra gubernandi teneret, omniaque ſub pedibus eius ſubiicere, ac iudicium in viuos & mortuos exercere poſſet, nec ſolùm ab hominibus, ſed etiam Angelis reuerenter adoraretur, & in eius nomine omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum vſq; inflectatur. Faceſſat igitur noua iſtorum perfidia, qui Chriſtum Dominum ſuis meritis & præmiis impiè ſpoliare cæperunt, & aperta ſcripturæ teſtimonia, quibus Filij Dei merita illuſtrantur, impudenter nobis vel eripere, vel deprauare conantur. Quaſi verò temerè dixerit Spiritus ſanctus: *De torrente in via bibit: propterea exaltauit caput. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem: propterea exaltauit*, vel ſicut Ambroſius iuxta Græcum codicem ſignificantius legit, ſuperexaltauit *illum Deus*, vt eundem ſanè in altiorem glorię ſtatum euehere non potuerit. Humilitas enim paſsionis meritum fuit exaltationis, & exaltatio præmium humili-

Epheſ. 1. Philipp. 2. Coloſſ. 1. Pſalm. 8. Matth. 28. Hebr. 1. & 2. Actor. 10.

Pſalm. 109. Philipp. 2.

tatis.

tatis. Vnde Chryſoſtomus, vt reliquos Patres hîc conſentientes volens prætercam, ita ſcribit: Dic mihi an non extremam Chriſtus præſtitit obedientiam? propterea accepit ſupremum honorem.]

Ego verò toto corde in Chriſtum intentus, quem aſcendentem diſcipuli, quoad licuit, fidis oculis proſecuti ſunt, ſpectabo illum nõ triumphali curru vectum, aut alieno ſubſidio indigentem, ſed qui ſeipſum, corpusque ſuum omni claritate & fulgenti ſplendore refulgẽs, in altum euexit, ſua præpotenti virtute cælos omnes ſine vllo negotio penetrauit. Qui tamen à nube ſuſcipi voluit, quoniam ita ſcriptum de illo fuerat: *Virtus eius in nubibus.* Ac iterum: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Vtinam verò, quod oratione nulla explicari poteſt, ſaltem aliquatenus iuxta imbecillitatis humanæ captum mente concipiam, qualem nempè honorem Pater cæleſtis victori Filio ad ſe venienti tribuerit? quàm lætus illũ velut Legatum, Pacificatorem & Redemptorem totius generis humani reducem aſpexerit, quàm benignè & cupidè poſt datum oſculum illum lõgè omnium dilectiſsimum Filium ſalutârit: ac inſuper quantoperè ſibi ac nobis de innocentiſsimo, obedientiſsimo, fideliſsimo Pontifice ac Rege noſtro fuerit gratulatus? Quid illi quæſo magis offerret, donaret, traderet, præterquàm illud nulli vnquàm delatum atque permiſſum elogium: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Vbi ſedere pro regnare dictum eſt, ſicut & Paulus locum illum interpretatur, vbi Chriſtum celebrat, qui ſecundùm humanam naturam ſupra creaturam omnem imperat, ac iudiciariã poteſtatem exercet, in eodem regio cum Patre throno, & in ſumma gloria conſtitutus. Vnde Rupertus ita rem explicat, perinde ac ſi Pater dicat Filio: Tu conregna mecum, vt ſecundùm humanam naturam meæ diuinæ maieſtati ſis prorſus æqualis, tibique omnes populi, tribus & linguæ pleno iure ſeruiant. Pari autem ratione ab eodem Patre dictum putabimus Filio: *Data eſt tibi omnis poteſtas: tibi omne genu curuabitur omnis*

nus te lingua confitebitur: tibi omnes gentes ſeruient: tuis pedibus ſubiecta erunt & manebunt omnia. Dignus es accipere nomẽ ſuper omne nomen: tu viuorum & mortuorum iudex, idem & dominator omniſque Eccleſiæ caput, rex regum, dominus dominantium, & primatum tenẽs in omnibus, mecum viues & in eadem maieſtate regnabis in ſempiternũ. Veniet autem præfinitum à me tempus, quo inimicos tuos omnes perinde ac ſcabellum conculcãdos, tuis ſubiiciam pedibus, tuque regas eos in virga ferrea, & tanquàm vas figuli planè confringas, regnumque omni ex parte pacatum & reformatum mihi tradas. Iſai 45. Rom. 14 Rom 14. Pſalm. 109. 2 1. Cor. 15.

Quid interim mihi quæſo faciundum? an ocioſus tantùm ſpectator adero, & aduerſus exemplũ tot cœlitum tanti Regis maieſtatem lętè celebrantium nihil in medium adferam? Immò verò quacunque ratione poſſum, animi mei lætitiam præ me feram, meque in canticis & hymnis huic feſto congruentibus exercebo, magnaque veneratione proſequar illã coronam, quam auguſtus ille Triumphator, & Pater patriæ, noſtræque Reipub. reſtitutor IESVS, pro tot exantlatis laboribus & ſuſceptis afflictionibus meruit, ac nunc quidem primùm à Patre accepit ampliſſimam fulgentiſſimamque, adeò vt ſuos quoque milites coronare, verèq; glorioſos efficere poſſit. Rogabo illum præterea ſupplex, vt ſuæ immenſæ gloriæ per hunc aſcenſum obtentæ, ac electis omnibus præparatæ, me quoque minimum participem eſſe concedat. Adhæc ſingulares agam gratias, quandoquidem licet ſe totum cœlitibus tribuat, & in ſumma eos regat gloria, neque viſibiliter mortalibus appareat, tamen iuxta ſuum promiſſum in hac Eccleſia militante vſque permanet, Dominusque ſeruis ſuis in hoc triſti exilio coràm adeſſe ac fauere, dexterã laborantibus præbere, Spiritum certantibus augere, & afflictos in cruce cõfortare ſine intermiſſione dignatur. Hoc eſt quod ille ipſe per Prophetam cuique ſuorum laborantium ſuauiſsimè pollicetur: *Cùm tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combure-* Iſai. 43.

ris,

is, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſraël, ſaluator tuus. Ac rurſus apud Prophetam Hieremiam promittit, quòd populus Dei eiectus conuertetur, de quo laus voxque ludentium egrediatur. *Multiplicabo* (inquit) *eos & non minuentur: & glorificabo eos & nõ attenuabuntur. Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Accedit & maior iuſtiorque gratiarum actio, quam tali tantoque Domino exhibere fas eſt ob promiſſam electis mercedẽ & gloriam nullis verbis explicabilem, nullisque ſenſibus comprehendendam, iuxta illud: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.* Reddet enim ſupra id quod optari & ſperari poteſt, coronam iuſtitiæ ſingulis, eosque vt ſibi chariſsimos ex his tenebris euocatos, in lucem æternam transferet, quibus & ſeipſe lucernam præbebit, vt claritatem Dei ſemper habeant lucentem atque illuminantem, ſicut Ioannes admonet in Apocalypſi. O quantum illi debeo, qui ob meritum obedientiæ, crucis ac mortis ſuæ, hoc mihi & electis omnibus apud Patrem tribuit, vt corpus humilitatis noſtræ fiat corpori claritatis ſuæ conforme, & mortale hoc beatam induat immortalitatem, vtque homines ſicut loquitur Cyprianus, cum Domino ſuo in cæleſtibus iudices fiant. *Pſallite igitur Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite, quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.*

Peculiariter autem eidem Domino, in quo meas ego delitias & diuitias omnes conſtituam, ardenter agam gratias, quod cœlos aſcẽſurus, hoc promiſſum, immò Euangelium longe auſpicatiſſimum Eccleſiæ ſuæ reliquerit, inquiens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Vbi ſanè pollicetur non ſolis Apoſtolis, ſed & omnibus Eccleſiæ ſuæ fidelibus ad mundi finem vſque victuris, pollicetur inquam, non diuinitatem ſuam, per quam non poteſt vſquàm abeſſe, neque præſentiam illam, quatenus per gratiam tum in veteri ſynagoga, tum in Eccleſia vera iam inde a mundo condito electis vtrique præſtò eſt. Vt enim verè

ait Apoſtolus, *Ieſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſæcula.* Hebr. 13.
Pollicetur autem ſanctus ille ſanctorum, ipſaq́ue veritas æterna Chriſtus, ſe nouo quodam & ineffabili, ſimulq́ue tamen amabili modo facturum, vt noui teſtamenti fidelibus mirabiliter ſimul & efficaciter adſit & aſsiſtat, in ſacroſancta videlicet Euchariſtia. Hic enim quamuis ſub ſacramenti ſpecie ſit velatus, nec ſe oculis videndum præbeat, tamen vt ſuis ipſe verbis declarauit, corpore & ſanguine præſens manet, ſeq́ue totum edentibus tribuit non ſine ſumma Chriſtianæ Eccleſiæ tum vtilitate, tum dignitate, tum conſolatione, vt alibi pluribus oſtendemus. Daniel. 9. Math. 26. 1. Cor. 11

VII.

Quomodo Chriſtus exaltatus vnà cum tota cœleſti curia ſit conſiderandus.

IN cælo me ſtatuam, vbi nouis quaſi oculis adſpiciā nouam & inauditam gloriam, nulliſque verbis exprimendam magnificentiam lętiſsimè contemplabor. Hic ſpectabo, quoad eius fieri poterit, diuinā & æternam illam maieſtatē, quæ lucem inhabitat inacceſsibilem, Filio dextram tenente, ſimulq́ue præſente & conregnante Spiritu ſancto. Nec præteribo Angelos & Archangelos, alioſq́ue cæleſtis curiæ ſpiritus, & horum complures myriades, throno ſanctiſsimæ Trinitatis ordine congruentiſsimo miniſtrantes, & nocte ac die vocibus indefeſsis acclamantes illud, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum.* Præcipuè autem coniiciam oculos in Chriſtum Dominum ſole ſplendidiorem, & fulgore ſuo cælites omnes mirè complentem, qui apud Patrem aſsiſtens, ſanctum magnumq́ue ſacerdotem & aduocatum exhibet, ac pro nobis ſemper interpellat, dum ſacram illam humanitatem propter Patris gloriam & noſtram ſalutem aſſumptam, ſimul & cicatrices vulnerum oculis eius honorificentiſsimè repræ- 1. Tim. 6. Iſai 6. Hebr. 7. 8. & 9.

ſentat.

ſentat. Quare gaudebo ſacerdotis huius proprium eſſe, religione & doctrina neceſſaria populum imbuere, peccata illius donis & ſacrificiis expiare, ſed & Deum Patrem pro ſalute & incolumitate omnium continenter deprecari. Nec minus lætabor, eundem eſſe Melchiſedech, cui iurauit Dominus & non pœnitebit, quia nō modò ſacerdotem, ſed etiam Regem populo ſuo pręſtet, ſicut Melchiſedech ſacerdotium & regnum ſimul adminiſtrauit. Lætabor, ad hunc cæleſtem Regem, qui & Rex iuſtitiæ, ſine quo nemo iuſtificatur, & Rex Salem, id eſt, pacem, qui pax noſtra factus eſt, omnem pertinere gubernandi rationem, qua multitudo fidelium in officio diuino continetur, & ſubditi contra hoſtes inuictam tutelam obtinent, ſolidaq; ue conſcientiarum pace, vel inuitis dæmonibus, perſæpè perfrui poſſunt. Adhęc cū gaudio contemplabor, illum non ſolùm in regio ſuo throno ſedentem, ſed etiam ſicut Stephanus aliquando vidit, ſtantem, qui noſter ſit fidelis agonitheta, ſuiſqúe militibus plus quàm humanam pugnandi ſimul & vincendi virtutem præbeat, tanta quidem poteſtate præditus, vt quoties velit, ſuos & noſtros inimicos poſsit proſternere, quemadmodum ſæuum perſecutorem Saulum propè Damaſcum potenter terruit, totumqúe proſtrauit, quin etiam ex perſequutore lectiſsimū Apoſtolum fecit. Cur igitur & ego cum propheta Moyſe nō canam gratulabundus, & ad cantandum alios his verbis incitem: *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt: iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus meus, & exaltabo eum?* Quarè mihi non ſumam Iſaiæ dictum: *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuerſa terra?*

Neqúe prætereibo, ſed ſedulò reſpiciam Chriſti Domini ſocios ac hoſpites nouos, velut ex vtroqúe latere conſidentes, qui tam diu deſiderati cælitum numerum, vt ruinæ veteres implerentur, libenter auxerunt, ſedesqúe iam firmiſsimas & ornatiſsimas, easqúe certa & decora ſerie diſpoſitas tenere cœperunt. O quàm illi ſtudioſè, quàm conſonè & ſuauiter in illo Dei templo concinunt, & pręcinentes Angelos iterando

rando *Alleluia* ſequuntur, ſicut mihi iam coram audire videbor. *Vox enim exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorũ perſonat.* Laudat illic Hieruſalem Dominum, laudat Deum ſuum Sion. En quàm reuerenter illi perſonas diuinas omni gloria refulgentes adorant, ac ſupplices ad vnum venerãtur? Quanto autem inter ſe ſtudio certant, vt Chriſto Redemtori, Regi, Pontifici, & deinde dictis Patribus ob nouam dignitatem & fœlicitatem acceptam tali in loco grauiſſimoque conuentu gratulentur? Quarè nec dubitabo, me quamuis indignum, his tantis Heroibus adiungere, & aliquod gratitudinis ſpecimen exhibere, perinde ac ſi dicam, *Surge Domine in requiem tuam. Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſianna in excelſis. Verè vbi corpus, illic & aquilæ congregantur. Exaltare ſuper cœlos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua.* Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Prætereà ex animo deſiderabo, choris illis cœleſtibus intereſſe, & citò quidem, vt cum illis liceat cõmunis Regis gloriam celebrare, & idcircò cùm precor illud, *Adueniat regnum tuum*, hoc meum deſiderium ſæpè renouabo, & cum Pſalmographo dicam ardenter: *Educ Domine de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti: donec retribuas mihi. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quocirca mirabor etiam velut amentes illos, qui aurum cum luto, cœlum cum terra, æterna cum caducis bonis cõmutant, & rerum infimarum curis, nè dicam ſordibus affixi, ſuos animos aut nolunt, aut non poſſunt ad paratas à Chriſto ſedes attollere, & ea quæ ſunt ſurſum ſapere, vt ipſorum conuerſatio ſit in cœlis, vbi municipatum, totque patres, fratres & amicos habent non ſolùm inter ſe collætantes, ſed noſtrum etiam aduentum præſtolantes, quandoquidem ſine nobis nequeunt conſummari. De his verè dixerimus: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Pſalm. 107. & 147.
Pſalm. 131. & 117.
Matth. 24.
Lucæ 17.
Pſalm. 56.
Matth. 6.
Pſalm. 141.
Pſalm. 41.
Coloſſ. 3.
Hebr. 11.
Pſal. 83.

IIX.

Eccleſiam Catholicam per Chriſtum exaltatum valde fulciri atq́ ſtabiliri.

SVPEREST & illud meditatione dignum, quomodo Chriſtus in cœlum aſſumptus, rem ſponſæ ſuæ apud Patrem egerit, eamq́ue pro ſuo incredibili erga illam amore ſollicitè commendârit. Cum enim primùm in conſpectum Patris admiſſus, & in humana carne prę cunctis glorificatus, ſuper thronum illum ſedit excelſum, totius humani generis, ſanctæque Eccleſiæ ſuæ apud eundem Patrem fidelem geſſit procuratorem. Huius typum partim in Ioſeph patriarcha, qui Patris ſui familiæ gratiam regis Pharaonis conciliauit, eamq́ue famis tempore aluit, partim in Propheta Moyſe, qui in omni domo Dei fidelis fuiſſe ſcribitur, pulchrè delineatum habemus. Quarè Chriſtus non ſolùm Apoſtolos diſcipulosq́ue primos, verùm etiam omnes vbique gentium illorum opera credituros dicto Patri commendauit. Adhæc dona & priuilegia perpetuò Eccleſiæ manſura, & integrè hactenus conſeruata, pro ſua reuerentia impetrauit. Inter haſce dotes non poſtremæ ſunt ſucceſſio, propagatio, vnitas, conſeruatio, ſtabilitas & protectio aſſidua Eccleſiæ, vtpote quam prouidebat contra hoſtes grauiſſimos militaturam, ac velut nauiculam, inter procellas & tempeſtates maximas, quàmdiu in hoc ſeculi pelago fluctuaret, ſummis in periculis verſaturam eſſe. Curabo igitur, vt perturbatis nunc rebus Eccleſię non deſpondeam animum, ſed maiorem in me & aliis fidem excitem, ſępiusq́ue cum diſcipulis in mari periclitantibus Chriſtum velut nauclerum præſentem inuocans, dicam: *Domine ſalua nos, perimus*, ſimulq́ue certò mihi perſuaſum habebo illud: *Non dormitabit neq́ dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Nec enim falli poteſt aut fallere qui ſpopondit: *Portæ inferi non praualebunt aduerſus eam.* [margin: 17.]

Eccle-

Eccleſia enim domus eſt ſupra petram fundata & ciuitas in monte ſita inuincibilis, quæ ſicut *A*uguſtinus inquit, oppugnari poteſt, ſed non expugnari. Matth.7.& 5. Serm.181.

Cum hoc demum feſto coniuncta eſt pars hiſtoriæ, à Luca deſcriptę, de ſelecta primorum fidelium multitudine, quę centum viginti hominibus continebatur. His abiens Chriſtus in cœlum eleuatis manibus benedixit: hi duos Angelos in veſtibus albis aſtantes viderunt, eosq́; ſimul de facta Chriſti aſcenſione & futuro eius ad iudicium reditu teſtantes audierunt. Adorarunt deinde in monte Oliueti Dominum, cumq́ue gaudio magno, quod ſanè admiratione dignum eſt, in Hieruſalem redierunt, in vno domus cœnaculo commorantes, immò & vnanimiter in oratione diebus decem, hoc eſt, ad Pentecoſten vſq́ue, perſeuerantes. Nec dubium, quin à mundi ſtrepitu vaniſque curis alieni, tranquillam illic inter ſe vitam traduxerint, & cum oratione ieiunia pia coniunxerint, vt ſicut Chriſtus prædixerat, ablati ſponſi ſui deſiderium hac etiam ratione declararent. Moniti verò ab Apoſtolo Petro, velut eorum coryphęo, vt Iudæ ſucceſſorem deligerent, non grauatim obtemperârunt, & Deum piè comprecati, id quod volebant, fœliciter impetrarunt, Matthia in locum proditoris Iudæ ſuffecto, & Deo factam electionem protinus approbante. Ex his omnibus multa mihi colligam, quæ ritè ſeruata, ad Spiritus ſancti gratiam vberiorem partim accipiendam, partim conſeruandam & augendam mihi aliiſque non modicè conferre poterunt. Diſcam igitur ab illo, qui primus hodie in cœlum aſcendit, & dona dedit hominibus, omniumq́ue aſcendentium caput & ſcala eſt, ſanctam petere benedictionem, vt diuini Spiritus capax fiam, & in cœlum etiam poſsim aſcendere. Dominus enim dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum. *Benedictiones dabit Legiſlator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Diſcam Sanctorum teſtimoniis meam confirmare fidem, eamq́ue cultu exteriore & cõmuni precatione teſtari, ac bonis operibus cõſummare, ſicut Iacobus docuit. Actor.1. Matt.9. Epheſ.4. Pſalm.84. & 83. Iacob.2.

docuit. Diſcam, ſecularibus negotiis ac deſideriis renunciare, verè piis hominibus & eorum inſtitutis adhærere, meisq; parere maioribus, vt filium decet obedientiæ. Diſcam, Chriſti Domini glorificati deſiderio & amore flagrare, & matris eius Mariæ ſubmiſsionem atquę ſimplicitatem, quæ & infimis ſeſe adiungebat, ſectari & colere. Hac enim humilitate, quam Chriſtus ipſe tota vita docuit, & Maria nunquàm deſeruit, nihil ſublimius, homineqúe Chriſtiano dignius eſſe poteſt. Nec prætermittam cum Eccleſia primitiua id mihi habere commune, vt ſpecialem Dei gratiam, quamcunq; deſidero, ardentibus votis, crebris gemitibus, continuis precibus, nonnunquàm & pio ſeceſſu procurem, ſimulqúe ſucceſſum optatum patienter expectem. Et quoniam dies decē ab hoc feſto ad Pentecoſten vſqúe decurrunt, Decalogi præcepta quotidie recitabo, & ex his præceptum vnum in diem mihi conſiderandum ſumam, maiorem vt progreſſum faciā in germana & regia Dei proximiqúe charitate præſtanda, vt quæ totius decalogi ſumma eſt, & de qua ſcripſit Apoſtolus: *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

PRECANDVS *mihi* DEVS *pro incredulis duritiaq́, cordis in negotio fidei laborantibus, vt veri Euangelij, quod Chriſtus omni creaturæ prædicari iuſſit, lumine illuſtrentur, neq́, in pudendis ſuæ infidelitatis tenebris condemnentur. Nulli enim prodeſt Euangelium, quamuis per ſe ſanctum, viuidum & ſalutare, niſi à legitimis Chriſti Eccleſiæq́, miniſtris prædicatum, fide non ſterili, ſed operoſa accepteтur, eaq́, fides ſicut Sacramentorū perceptione, ſic & operum exhibitione comprobetur.* Dei enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu iñ operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, *Apoſtolo teſte. Vera enim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit, inquit Gregorius. Et ſicut alius Apoſtolus docet,* Fides ſine operibus mortua eſt.

PETAM *inſuper pro cunctis Euangelij concionatoribus &*

Eccleſiæ miniſtris, vt ſiue verbum prædicent, ſiue Sacramentum diſpenſent, non modò Chriſtum ſibi benedicētem & cooperantem ſentiant, ſed etiam ſe inculpatos Chriſti miniſtros & myſteriorum Dei diſpenſatores vbiq; præbeāt. Sic enim Apoſtolicus Canon præſcribit: Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia. 1. Cor. 4. 2. Cor. 6.

ORABO *etiam Chriſtum, vt ſicut ipſe propria virtute in cœlum glorioſus aſcendit, ita nobis etiam aſcendendi ac immortalitatem conſequendi virtutem præſtet, ſpemq; noſtram omnem in ipſo, qui noſter theſaurus & Sponſus eſt, defixam manere tribuat, noſq; ad cœleſtis gloriæ præmium regia ſanctæ obedientiæ via perducat.* Quis enim aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam. *Vel ſicut idem Pſaltes alibi tradit:* qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiā. Pſalm. 23. Pſalm. 14.

DOMINICA VI. POST PASCHA, QVAE ET INFRA OCTAVAM ASCENſionis Domini celebratur.

Sequentis Euangelij argumentum.

NON potuit Chriſti diſcipulis non magnam creare moleſtiam, quòd ſæpè audirent Dominum & magiſtrum ſuum breui abiturum, adeòq; extrema paſſurum, ac interim ſe tanquàm orphanos, multis periculis obiiciendos eſſe. Habent igitur in hoc Euangelio firmam

ac multiplicem conſolationem, promittente illis Chriſto aduentum Spiritus ſancti, qui non modò ipſis in aruce corâm aſsiſtat, ſed ſuum etiã in ipſis velut electi organis, officium faciat, quo duce ipſi veritatem Euágelicam orbi apertè teſtari, ac ingentes hoſtium impetus ac ſęuas perſequutiones ſuperare poſsint. Prædicit & illud, quòd ipſi non ſua culpa, ſed ob ſummam hoſtium ignorátiam atque impietatem triſtia quæque paſſuri ſint, vt etiam ab illorum ſynagogis & conuenticulis prorſus excludátur. Tantoque magis illorum animos aduerſus tentationem omnem imminentem præmunit ac inſtruit, vt præuiſa tela minùs feriant. Eſt & illa Spiritus ſancti peculiaris cõmendatio, qui à Patre inde ab æterno procedat, & à Filio ipſo mittatur, nec minus exiſtat, quàm dicatur Spiritus veritatis, per ipſos diſcipulos, eorumq; dicta & facta potenter Chriſti reſtaturus innocentiam, cœleſtemque doctrinam patefacturus, vt Chriſtiana veritas, vtpote ad credendum & confitendum homini neceſſaria, cum noua luce tota orbe ſpargatur, & in Eccleſia vſque retineatur. Quæ omnia non parùm huc conferunt, vt populus ad proximum de Spiritu ſancto feſtum rectius præparetur, & pij omnes tanti hoſpitis gratioſum aduentũ ardẽter deſiderent excipiantq;, ſicuti mox pluribus exponetur.

EVANGELIVM EIVSDEM DOminicæ. Ioan. XV. & XVI.

CVM venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis: quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſq; ſynagogis facient vos: ſed

venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequiū ſe præſtare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neq; me. Sed hæc loquutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.

HOC Euangelium erit mihi paraſceue & preparatio quædam ad feſtum diem de Spiritu ſancto maiore cum fructu proximè celebrandum. Monet enim de illius perſona & officio, cùm eum nominat Paraclêtum, hoc eſt, cōſolatorem & aduocatum, qui nos ad Deū rectè inuocandum adducit, iuuatque plurimùm, vt aduerſus malum ſpiritum immodici timoris atq; terroris, ſicut & triſtitiæ, & puſillanimitatis, in hac vitæ imbecillitate & intellectus obſcuritate ſimus conſtantiores. Vocat eundem Spiritum, ſicut & alibi legimus, doctorem veritatis, quo ſi deſtituamur, aduerſus mendaciorum, errorum, ſectarum, omniſque falſitatis ſpiritus, qui nunc vndique potenter adflant, & innumeros perdunt, tueri nos, & in vera fide perſtare minimè poſſemus. Rurſus confirmat hoc Euangelium fidem de diuinitate Spiritus ſancti ſcitu neceſſariam, quoniam ille nō creatura, vt impij aſſerunt Pneumatomachi, nimirùm Ariani, Eunomiani, & Macedoniani, ſed Deus eſt, à Patre procedit, & à Filio mittitur, inde ab æterno ſcilicet: quæ miſſio, vt Theologi loquuntur, etiam eſt proceſſio. Quanquàm & Auguſtinus probat, hunc Spiritum à Filio non minus quàm à

Ioan. 14 & 16.

Lib. 15. de Trinitate.

Patre procedere, quia Chriſtus poſt reſurrectionem illum in discipulos inſufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum.* Recte autem notat Theophilactus, per hanc proceſſionem intelligi oportere ſingularem & naturalẽ Spiritus huius exiſtentiam, vt excludatur ſimplex & externa quæuis egreſſio & emiſſio, quemadmodum & Angeli, quum ſint administratorij ſpiritus, in ſcriptura mitti aliquando dicuntur. Cum enim Spiritus ſanctus verè ſit Deus, Patre & Filio minor non eſt, ſed eiuſdem planè ſubſtantiæ, ſicut Eccleſia in Concilio Conſtãtinopolitano his verbis profitetur: Credimus in Spiritum ſanctum, dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui loquutus eſt per Prophetas. Etſi verò hic Spiritus à Patre & Filio mitti aliquando legatur, non tamen idcirco illis ambobus minor ac inferior debet haberi: ſed miſſionis nomine, vt Fulgentij verbis vtar, opus intelligemus manifeſtationis indultæ. Atque vt idem affirmat, ſicut Pater & Filius nuſquàm quidem degunt, & tamen ad quem volunt, veniunt, (per gratiam enim veniunt, qui per potentiam nuſquam deſunt) ſic etiam in miſsione vel aduentu Spiritus ſancti nullus localis illius accipiendus eſt motus, ſed noſtræ credendus eſt ſanctificationis effectus.) Diuinam verò illius maieſtatem nõ obſcurè declarat, quòd & Chriſtum ipſum vngere & mittere, ſimulque replere dicatur, quòd præterea cœlos firmet atque ſuſtentet, & vbique locorum præſens eſſe & operari prædicetur. Etenim vbi Chriſtus Iſaiæ locum in ſynagoga legerat, eundem de ſeipſo interpretans & confirmans dixit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus, miſit me ſanare contritos corde.* De quo idem iſte Propheta prædixerat: *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Pſaltes autem Regius hoc eidem aſcribit Spiritui: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ac rurſus vt immenſam eius amplitudinem & omnipræſentiam indicet: *Quò ibo* inquit, *à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.*

Ioan. 20.
In 16. cap. Euangel. Ioann.
Daniel. 3. & 6.
Tob. 3.
Hebr. 1.
Luc. 1.
Ioan. 14 & 16.
Lib. 2. ad Monimú. cap. 6.
Luc. 4.
Iſai. 61.
Iſai. 11.
Pſalm. 32.
Pſalm. 138.

[a] Baſilius verò Magnus & [b] Gregorius Nazianzenus, vt ſancti Spiritus diuinitatem adſtruant, complura è ſcripturis teſtimonia producunt, illumque ſceleratorum ſceleratiſsimū faciunt ſeruum, qui ſanctum Dominū adſpernari, vel in creaturarum ordinem redigere non veretur. Proinde hunc Spiritum, qui verè ſanctus & ſanctificator eſt, creaturis & ſanctis omnibus in cœlo terraque conſtitutis, longè anteponam, immò illum diuino cultu, qui latria dicitur, & creaturis eſt incommunicabilis, clam palàmque proſequar, ac ſupplex cū Eccleſia venerabor. Ob eum ipſum mihi gratulabor plurimùm, quòd non minus in ipſius quàm in Patris & Filij nomine ſim baptizatus, immò & viuum eius templū effectus, qui hunc ipſum Deum glorificare & portare in corpore meo poſsim & debeam. Atque ob fidem hanc de Spiritu ſancto à me ſemper integrè profitendam nullum locum concedam ethnicis, atheis & aliis in Chriſtiana doctrina tam malè verſatis, vt palàm dicere non vereantur, ſicut à Luca ſcriptū eſt, *Nos neq; ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus.* Proinde cum Auguſtino ingenuè profitebor, Spiritum ſanctum Patri & Filio prorſus æqualem, & in Trinitatis vnitate conſubſtantialem & coæternum eſſe: quem qui Deum eſſe negant, aduerſus doctrinam Apoſtolicam Spiritus ſancti tēpla eſſe recuſant, nec illum volunt habere inhabitantem, vt in eorum corporibus tanquàm in templis ſuis glorificetur.

[a] In libro de Spiritu sācto. [b] In Serm. de feſt. Pētecoſt. — Matth. 28. — 1. Cor. 6. — Actorum 19. — Lib. 3. contra Maximin. capit. 21. — 1. Cor. 6.

Ego ſanè primorum Chriſti diſcipulorum, de quibus idē Lucas teſtatur, exemplum imitandum mihi proponam, qui hunc Spiritum toties à Chriſto promiſſum & commendatum, vti munus pretioſiſsimum, & veritatis omnis doctorē perfectiſsimum, ardenter expectàrunt, atque idcircò Hieroſolymis commorantes, vt illum optimum & munificentiſsimum hoſpitem exciperent, ſuos animos non ſine ſuſpiriis, gemitibus ac precationibus multis vel decem diebus præparàrunt. Quarè mihi ceſſandū non eſt, ſed hoc die ac ſequenti hebdomada ſedulò huc contendendum, vt Spiritus ſancti feſtum imminens, quod omni acceptione dignum eſt, &

Actor. 1.

inter maxima Eccleſiæ feſta iure numeratur, me nequaquam reperiat imparatum. Niſi enim ad Dei gratiam capeſſendam præparatione quadam hominis opus eſſet, non [illegible] ſtudioſus ille ſapientiæ: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ.* Sed neque [illegible] ipſa teſtaretur: *Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Hoc eſt quod perſpi uè Salomon aſſerit: *Hominis eſt animam præparare.* Sicut ergò illi diſcipuli in domo vna collecti, ex facta Chriſti promiſſione omnino pendebant, & aduentum Spiritus ſibi certò pollicebantur: [illegible] ſpe magna & eximia ducar, eundem Spiritum mihi [illegible] deſiderantibus ac piè ſimul orantibus hauquaquam defuturum, ſed cum incremento cœlitus communicandum eſſe. Qua in re meum confirmabit animum, quod Chriſtus [illegible] ipſe fidelibus apertè promiſit: *Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cœleſtis de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus eum?* Ac is ipſe Pater est [illegible] quo omne donum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, quiquè vt ſe in miſericordia diuitem, [illegible] perſonæ acceptatorem oſtendat, per Ioëlem Prophetam promiſit humaniſſimè: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*; id eſt, ſuper fidelem animam non ſolùm aquas gratiæ, ſed & fontem ipſum aquæ viuæ profundam, vt non modo Filium meum, ſed & Spiritum meum apud ſe habeat atque ſeruet. Quo magis ac diligentius mihi cum Dauide precandum eſt: *Spiritum rectũ innoua in viſceribus meis. Spiritu principali confirma me. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Nunquàm enim obliuiſci debeo præcepti Apoſtolici: *Si quis veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Nec ſolis quidem votis & precibus hoſpitium Spiritui ſancto præparabo, ſed & illum vulnerum meorum medicum in [illegible] confeſſione adhibebo, qui animam meam primùm [illegible] timore terreat ac purget, ac deinde ſe mihi dolenti ac [illegible] cum præbeat conſolatorem. Cùm verò [illegible]

&

ſit & amor, *Auguſtini* conſilium ſequar ita docentis: *Ecce* ſpiritum Diaboli & ſpiritum mundi huius, vt accipias ſpiritũ Dei. Spiritus Diaboli operatur gaudium iniquitatis, & ſpiritus mundi gaudium vanitatis. Et hęc gaudia mala ſunt, quoniam alterum habet culpam, alterum occaſionem culpæ. Veniet autẽ ſpiritus Dei, cùm eiecti fuerint ſpiritus mali, & intrabit tabernaculum cordis, & operabitur gaudium bonũ & amorem bonum, quo expellitur amor mũdi, & amor peccati. Amor mundi allicit, & decipit. Amor peccati polluit & ad mortem adducit. Amor Dei mentem illuminat, conſcientiam mundat, animam lætificat, & Deum demonſtrat.] In Soliloquiis. cap. 27.

Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.

QVOTQVOT Chriſti fidem profitemur, inter quos me quidem infimum ſtatuam, gratias vtique debemus Spiritui ſancto, vti probatiſſimo & ampliſſimo teſti, qui tum per ſe, tum per Apoſtolos Iudęis ac Ethnicis teſtificatur, non alium quàm Ieſum Dei Filium, & Meſſiam vnicum, mundique Redemptorem agnoſci oportere, eumque in Catholica Eccleſia iuſtificandis & ſaluandis omnibus neceſſarium eſſe. Nam ſine hoc Chriſto Eccleſię capite viuens, aut illi reſiſtens, nullam ignorantiæ & incredulitatis, ingratitudinisque ſuæ cauſam vel excuſationem poteſt obtendere, & quia lucem repudiat, in tenebris perpetuis manet, ſua ipſe malitia obcæcatus & perditus. Igitur de illo mundi lumine vitæque fonte ſcriptum eſt: *Accedite ad illum, & illuminamini*, qui & de ſeipſo teſtatur, *Ego ſum* inquit, *via, veritas & vita: Nemo venit ad Patrem niſi per me.* Idem verò Spiritus poſtquàm à Chriſto glorificato miſſus, in terram deſcẽdit, non ceſſat per ſe & organa ſua teſtificari de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, deque Chriſtianæ fidei doctrina & veritate omnibus, qui veritatem & ſalutem amant, firmiter complectẽda, & vno velut ore concorditer profitenda. Hinc præclarè ſcripſit *Auguſtinus*: Eccleſia Catholica ſola corpus eſt Chriſti, cuius ille ca- Ioan. 1. Pſalm. 33. Ioan. 14. Epiſt. 50 ad Bonifacium

put

put eſt, ſaluator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus ſanctus, quia ſicut ipſe dicit Apoſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Non eſt autem particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis. Non habent itaque Spiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam. De illis quippe ſcriptum eſt: *Qui ſeipſos ſegregant, animales, ſpiritum non habentes.* Sed nec ille eum percipit, qui fictus eſt in Eccleſia, & quomodo de illis de ſcriptum eſt: *Sanctus enim Spiritus diſciplinæ effugiet fictum.* Qui ergò vult habere Spiritum ſanctum, caueat foris ab Eccleſia remanere, caueat in eam ſimulatè intrare.] Ac fieri vix fieri poteſt, vt in Eccleſiæ fide fundati, qui ſpiritu aguntur, & ſecundùm ſpiritum ambulant, ſicut Apoſtolus loquitur, à fidei veritate excidant, vtque in religionis negotio facilè hallucinentur. Habent enim eam illam vnctionem, de qua Ioannes ad firmos Orthodoxos aiebat: *Vnctio eius docebit vos de omnibus:* ſuntque præterea teſtes & organa Spiritus, per quem homo fit ſpiritualis ad ſcrutandum & iudicandum omnia, quæ nimirùm ad ſalutem cognitu & obſeruatu ſunt neceſſaria..

Quocircà mecum crebrò cogitabo, & ex animo petam hoc Spiritu ſancto afflari & imbui, vt Chriſto & Chriſtianæ veritati pro mea quidem vocatione congruum præbeam teſtimonium. Vt enim omittam illos, qui prædicâdi verbi Dei munus proprium gerunt, Catholici quidem omnes hoc ſibi commune habent, vt Chriſto & Chriſtianæ veritati pro ſua quiſque virili, apertum & luculentum teſtimonium ferant. Ferunt autem, cùm vnanimes vno ore honorificant Deum, cumque quod corde credunt ad iuſtitiam, ore ad ſalutē ingenuè & concorditer profitentur. Tales enim fidei confeſſores requirit Chriſtus ſimul & Eccleſia, qui omnes relicto ſchiſmate idipſum dicunt, & eandem fidei ſequuntur regulam ac ſicut oues vnius ouilis, ſub vno ſupremo paſtore Chriſti Vicario ſe paſcendas ac regendas exhibent. Vbi talis in fide fideique doctrina vnitas nō eſt, nec vera Chriſti eſt [illegible].

nec aptum dignumque teſtimonium Chriſto & Chriſtianæ veritati poteſt perhiberi. Quo magis ego lugendum putabo, Chriſti Domini & capitis excellentiæ & maieſtati hodie tam multum adimi, præſertim ab illis, qui ſine Spiritu, ſine Eccleſia, ſine vnitate fidei de Chriſto hoc tempore gloriantur, & nouum quaſi Chriſtum à Patribus noſtris incognitũ nobis inuehere, propagare & annunciare conantur. Sed meminerimus Orthodoxi, nobis à Paulo non temerè acclamari: *Vos non ita didiciſtis Chriſtum,* cum illa nempè fide ac religione, cum illo cultu & cæremoniis, cum illo diuini verbi ſenſu ac intellectu, cum illis denique Sacramentis & ritibus, quemadmodum hoc tempore à Sectariis omnibus licenter factitatur. Præterea mihi valdè dolebit, quòd inter alios multos imbecilles me quoque non habiliorem ac fortiorem videam, vt ſuum Chriſto & Chriſtianæ veritati tale feram teſtimonium, quale iam antea plurimi ſumma cum laude & vtilitate tulerunt, & hæc quidem contumax ætas maximè poſtulat. Nam primis & electis Chriſti diſcipulis, vt alios prætercam, iam olim nihil fuit antiquius, præterquàm vt ſe negligerent atque contemnerent, ſolamque Chriſti gloriam omni ſtudio proueherent atq; illuſtrarent. Hinc illi velut mundo mortui, ſoli Chriſto viuere, & ad ſanguinem vſque certare videbantur. Hûc enim Chriſtus illos inde ab initio inſtituerat, & eximiis diuini Spiritus donis exornauerat, vt teſtes forent omni exceptione maiores, à quibus publicè vbique gentium Euangelium prædicaretur. Quare ad illos ipſos ante ſuam in cœlos aſcenſionem ita dixit: *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſq; ad vltimum terræ.* Vtinam ego partem cum illis minimam aſſequar, qui in ſcripturis Ieſu teſtimonium habere, & de lumine teſtimonium perhibere dicuntur, de quibus etiam Ioannes aſſerit, quòd vicerint ſerpentem antiquum propter ſanguinẽ Agni, & propter verbum teſtimonij ſui, animas ſuas ad mortem vſque non diligentes.

Epheſ 4. | Lucæ 24. | Actor. 1. | Apoc. 19. | Ioan. 1. | Apoc. 12.

ab ſa.

Abſq; ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.

SVAM ſynagogam habet non ſolùm infœlix Iudaiſmus, ſed etiam à Deo maledictus huius mũdi princeps, qui ira & inuidiaq́ue flagrans, multis copiis veram & Catholicam Dei Eccleſiam continenter infeſtat, longèque grauius quàm olim Iſmael, aduerſus legitimum hæredem Iſaac, electos Dei filios perſequi deſinit nunquàm. Eſt enim ille ſerpens antiquus qui mulieris calcaneo perpetuò inſidiatur, & contra illam mille nocendi artes identidem experitur. In hac [illegible] non deſunt illi calumniæ, probra, minæ, maledicta, & [illegible] his atrociora ſunt mulctæ, direptiones, exilia, vincula, equulei, verbera, tormenta, omnisq́ue generis exquiſita ſupplicia, vt ſuam contra pios exerceat carnificinã. Neque ſolùm hoc loco, ſed & aliâs ſæpè Apoſtolis, verisq́ue Chriſti ſectatoribus prædicitur, non leuem ac delicatam, ſed grauem admodum & calamitoſam fore ipſorum quam ſuſtinent prouinciam atq́ue diſciplinam: cum hac enim acerbas pœnas & immanes perſequutiones, omnisq́ue generis iniurias eſſe coniunctas, quas ipſi à Iudæis, tyrannis & hæreticis per varias ætates Eccleſiæ paſſim perferre cogantur. Eôdem ſpectant & illa quæ à Chriſto prædicuntur vaticinia, [a] *In mundo preſſurã habebitis. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* [b] *Calicem quidem meum bibetis.* [c] *Tradent vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* [d] *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Nihil ergò mirabor, ſed Chriſtum potius vt veriſſimum Prophetã amplectar, quòd eiuſmodi graues horrendosq́ue motus Eccleſiæ prædictos, re quoque ipſa completos eſſe intelligam, quemadmodum rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores multis voluminibus luce clarius comprobârunt. Nec verbis quidem & hiſtoriis [illegible] reſt, quæ quantaq́ue certamina ſubierint Apoſtoli, & [illegible]-

dent [illegible]

dentes illis Martyres, aliique viri tum vitæ integritate, tum nominis & doctrinæ præſtantia percelebres, de quibus nihil verius dici poteſt, quàm quod ſcriptum extat: *In paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe. Tanquàm aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.* Ac talium quidem Chriſti militum propria vox eſt: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Hinc ego fructum illum capiam, vt rectiùs norim & obſeruem arduum & irrecôciliabile bellum, quod antiquo ſerpenti magnoqúe draconi & orbis ſeductori, cum muliere & aliis de ſemine eius intercedit, & ad mundi finem vſque durabit, quando ſerpens idem perſequendi & ſæuiendi poteſtatem omnem amittet. Deinde hic moneor, quale huius ingrati mundi ſit ingenium ac odium erga fidos Dei ſeruos & amicos, quorum benefactis etiam ille fit deterior, vt pro maximis beneficiis peſſimæ quæqúe, more ſuo repēdat. Adhæc iſtiuſmodi malorum inſectatio, quibus religioſi homines miſerè dinexantur, magnam apud me vim debet habere, vt Satanæ imperio mundiqúe amori libentius renunciem, nihilqúe negotij habeam cū crucis Chriſti aduerſariis, quorum funeſta ſtudia & exitus prorſus infœlices eſſe conſtat. Eoqúe magis ac diligentius me comparabo, vt cum optimis Chriſti diſcipulis per viam illam anguſtam & cruci amicam ingreſſis proficiſcar, & illis ducibus me ſocium iungam, qui mundo, carne, Satana & impedimentis relictis & contemtis omnibus, in cruce Domini ſui maximè gloriabātur. Hos demum incredibilis labor pro pietate ſuſceptus, & pro iuſtitia exantlatus, ad ſummam gloriam & beatam immortalitatem recta perduxit. Dolebo interim me à pulcherrimis horum patrum veſtigiis tam procul abeſſe, vt illa etiam quæ illis leuia dulciaqúe videbantur, mihi vel inſipida vel amara eſſe ſoleant, poſſimùm verò, quæ ad voluntariam crucem, pœnitentiam meiqúe deſpicientiam ſpectant. Ac meritò ſanè pu-

Sapien. 3.

Pſalm. 56.

Pſalm. 43.

Apocal. 12.

Matth. 7.

Galat. 6.

deat, me adeò in ſpiritualibus ſtudiis frigidum ac tepidū ſæpenumero reperiri, vt corpus & veterem hominem, eiusque ſenſus & membra in officio continere vix ægrè poſsim, quando antiqui illi, & perquàm exercitati fidei noſtræ pugiles armis muniti ſpiritus, non modò ſeipſos, ſed etiam carceres, beſtias, vngulas, ferrum & ignem fortiter lætèque vicerunt. Obſeruabant enim Apoſtolicam regulam, quæ mihi, proh dolor, ſæpè negligitur: *Semper* ait, *mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corpore noſtro.*

Verùm præterire non debeo excōmunicationem, cuius apertè meminit hoc loco Chriſtus, inquiens: *Abſq. ſynagogis facient vos*, quemadmodum cæcus ille à Ioāne deſcriptus, & in Siloë lotus, cùm Chriſti beneficium coràm Phariſæis prędicaſſet, è ſynagoga Iudaica eiiciebatur, cunctiſque reddebatur infamis. Vnde ſcripſit quoque Cyrillus: Magnum re-uera apud Iudæos opprobrium ducebatur, ſi quem è ſynagoga eieciſſent. Sicut enim homicidæ, vel adulteri, aut cęteris de capitalibus criminibus rei ab Eccleſia pelluntur: ita tunc confeſſores Chriſti à ſynagoga Iudæorum eliminabantur.] Sed & Cyprianus veteris nouæque legis excommunicationem confert, & vtrique ſuum conſtare gladium aſſerit. Etenim quàm diu carnalis manebat circumciſio, Iudæis legittimum & à Deo pręſcriptum erat, vt ſacerdotibus non obedientes gladio plecterentur. Nunc autem inquit, quia circumciſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſeruos Dei cœpit, ſpiritali gladio ſuperbi & cōtumaces necantur, dum de Eccleſia eiciuntur.] Ac tota quidem excommunicandi ratio in eo verſatur, quod præpoſiti Eccleſiæ illam exercent poteſtatem, quam Chriſtus Apoſtolis primùm tribuit, vt non modò ſoluerent ſuper terram ea quæ in cœlo ſoluenda ſunt, verumetiam in cœlo liganda hîc alligarent, & peccata quædam non remitterent, ſed retinerent. Tum è ſcripturis Apoſtolicis cōſtat, hanc excommunicandi poteſtatem Chriſti diſcipulis in vſu fuiſſe, qua certè Paulus Corinthium inceſtuoſum, ſicut

& bla-

& blaſphemos hæreticos Hymenæum & Alexandrum tam ſeuerè corripuit ac puniuit, vt illos ipſos à reliquis fidelibus ſeparatos, horrendi Satanæ traderet poteſtati. Et Pauli mos eſt, vt pro eodē accipere ſoleat, è medio fidelium quēquam auferre, Satanæ tradere, ac de Eccleſia eiicere, quemadmodū rectè notauit Tertullianus. Eôdem ſpectat, quod hic ipſe Apoſtolus anáthema in illos pronunciat, qui nouam falſamqúe doctrinam profitentur, de quibus rurſus ita ſcribit: *Vtinam abſcindantur qui vos conturbant*. Prætereà Ioanni Apoſtolo nota fuit iſthæc excommunicatio, ob quam in veræ fidei deſertores ſeriò inuehitur, eosqúe à fidelium communione præſcindens, omnibus prohibet eoſdem ſalutare, vel hoſpitio excipere, aut familiares cum illis habere cōgreſſus. Quocirca nihil ego mirabor, hanc excommunicandi rationem & conſuetudinem continenter in Eccleſia perduraſſe, eiusqúe vim & poteſtatem penes Eccleſiaſticum magiſtratū hactenus conſtitiſſe, ſicut & probatæ ſynodi omnes non obſcurè teſtantur. Ac veriſsimè tradit Auguſtinus, nullam pœnam ac damnationem excommunicatione per iudicium Epiſcopale facta, maiorē ac grauiorem eſſe, omnemqúe Chriſtianum qui excommunicatur, non ſolùm Eccleſiæ cōmunione priuari, ſed Satanæ quoqúe tradi. Hieronymus pulchrè vocat virgam hanc ferream & Apoſtolicam, qua confringitur vas inutile, & traditur in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.

1.Tim.1. 1.Cor.5. 1.Tim.1. 2.Cor.2. In lib. de pudicitia, cap. 13. & 20. Galat. 1. & 3. Galat.5. 2.Ioan.1. 1.Ioan.2. & 4. Lib. de correptione & gratia. cap.3. Et ſerm.14. de verbis Apoſt. Epiſt.51.

Quo magis ego mirabor, ſimulqúe dolebo, hanc diuinā cenſuram, ſicut Tertullianus loquitur, huncqúe mucronem ſpiritualem apud pleroſqúe in exiguo haberi pretio; ac fœdè contemni ab his, qui nominatim, vel certè quidem de iure vt vocant, propter ſua ſcelera ab Epiſcopis excommunicantur. Et proprium id eſt ſanè ſectariorum, vti veteris Eccleſiæ Canones exſibilare, ita & excommunicationis ſentētiam, ſiue ab homine, ſiue à iure latam, petulanter inſectari, vulgoqúe ridendam exponere. Vbi verè cum Chriſto dixerit Orthodoxus: *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum*, qui tandem

In Apologetico. Matth.15.

atque vtinam non ſerò nimis agnoſcant, quam rectè [illegible] rit Apoſtolus: *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.* Is enim eſt, qui non modò per ſeipſum, ſed etiam p[illegible] Eccle ſiæ ſuæ rectores atq; præpoſitos ſicuti obedientes filios con ſolatur, ita & rebelles terret atque caſtigat, vt illos qui [illegible] peccantes ac pœnitentes abſoluat, hos verò in cri[illegible] ſtinatos & præfractos vnà cum publicanis ac ethnicis [illegible] atque damnet. Verumenimuerò ſi Deum ſyncerè [illegible] poteſtatem à Christo inſtitutam non poſſumus non re[illegible] ri, quomodocunque cum eius miniſtris agatur. Et ſi [illegible] claro Cæſare Theodoſio ſeniore verè ſumus, qui [illegible] tholici, tanti principis exemplum probare debemus, q[illegible] Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo excõmunicatu[illegible] cam agere pœnitentiam non recuſauit, nec ſine arde[illegible] dio, multiſque profuſis lachrymis ſeſe offenſo Deo & [illegible] ſiæ Catholicæ reconciliauit. Quid multis? aut [illegible] impius, quiſquis ſibi non diſplicet ac timet, cum [illegible] ſe ob crimen enorme in excommunicationis ſen[illegible] cidiſſe. Etenim in eo ſtatu verſatur, in quo a C[illegible] ac Legatis maledictus, ab ipſo Chriſti corpore [illegible] ac velut membrum amputatum, inutile, p[illegible] nabile redditur, quamdiu ligatus non ſoluitur, & Eccleſiæ matri non reſtituitur. Intereà ille à piorum [illegible] v ſuque ſacramentorum arcetur, & omni commu[illegible] ctorum, quæ ſanè valet plurimùm, omnino priuatur, [illegible] nùs in anima & corpore Satanicæ traditur poteſtati. Ad hūc modum Catholici omnes de excommunicatione [illegible] totq; ſeculis concorditer docuerunt, quicquid demum hæretici more ſuo veluti canes oblatrent ac mord[illegible] enim impletur, quod à Salomone ſcriptum eſt: *Impius [illegible] in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed [illegible] ignominia & opprobrium. Parata ſunt deriſoribus iudicia, & abominatio Domini eſt omnis illuſor.*

1. Theſſ. 4.

Ioan. 20. Matth. 18.

Vide Theodoret. lib. 5. cap 17 & Sozomen. lib. 7. capit. 24. hiſtor. Eccleſiaſt.

Prou. 18. 3. & 3.

PRECANDVS *mihi eſt* DEVS *pro ſaluari pra* [illegible]

ad accipiendum Spiritum ſanctum, qui non modo mihi, ſed multis quoq; fidelibus in ſubſequenti feſto Pentecoſtes, præcipuè per ſacram confeſſionem & communionem, benignè concedatur, & aptum in nobis hoſpitium deprehendat.

ORABO *etiam in multis augeri gratiã Spiritus ſancti, præſertim ad vera, ſed oppugnatæ nunc fidei doctrinam liberè teſtificandam, nec ſolùm ore, ſed etiam opere ac vita confirmandam & illuſtrandam. Talibus enim teſtibus atq; confeſſoribus, ſi antehac vnquàm, nunc vel maximè indiget Eccleſia ob innumerabiles eius deſertores & hoſtes.*

TUM *præcepta Decalogi ſingula perpendam, Deum orans, vt ſuum mihi Spiritum largiatur, qui ad illa rectè obſeruãda meam adiuuet infirmitatem. Vt enim Origenes admonet, vbi viderit Spiritus Dei laborare Spiritum hominis in aduerſando carni, & adhærendo ſibi, porrigit manum & adiuuat eius infirmitatem. Qui præterea vbi oppugnationibus carnis perturbari noſtrum ſpiritum viderit, & neſcientem quid orare debeat, ſecundùm quod oportet, animaduerterit: ipſe velut magiſter, orationem præmittit, quam noſter ſpiritus, ſi tamen diſcipulus eſſe Sancti ſpiritus deſiderat, proſequatur. Ipſe gemitus offert quibus noſter ſpiritus diſcat ingemiſcere, vt repropitiet ſibi Deum.] Et ſic quidem Origenes interpretatur, quod ab Apoſtolo dictum eſt:* Ipſe Spiritus poſtulat à nobis gemitibus inenarrabilibus. *Non quod Spiritus ſanctus poſtulet, gemat, indigeat vel anguſtias patiatur, ſed quia ipſe poſtulare nos facit, nobisq; interpellandi & gemendi inſpirat affectum. Sicut enim idem Spiritus nondum inhabitans adiuuat homines vt ſint fideles: ita fideles etiam inhabitans adiuuat, tùm docet & facit eos orare & gemere inenarrabili modo, humanam ſupplens imbecillitatem, nec ſolùm eos in orando, ſed etiam in alijs actionibus bonis dirigens, qui & diligentibus Deum proſpera & aduerſa in bonum vertit omnia, ſicut Paulus ibidem oſtendit.*

In epiſt. ad Roman.

Rom. 8.

DE DIE PENTECOSTES Chriſtianis omnibus magna religione colendo & publicè celebrando.

Exod.23. & 34.

FESTVM *Pentecoſtes, quod à quinquageſimo die immolati Paſchalis Agni nomen accepit, præcipuis & clariſſimis cum veteris legis, tum noui teſtamenti feriis meritò adiungitur, à probatiſſimis Patribus Græcis & Latinis eximiè commendatur, & cultum à nobis cunctisq; fidelibus exigit ſingularem. Eſt enim, vt cum Chryſoſtomo ita dicamus, impletio & fidelis confirmatio Chriſti in cælos aſſumpti, vt abſq; hæſitatione credamus, illum iam glorioſum in cœlis ad Patris dexteram conſidere. Unde ſcripſit Ambroſius: Credendum eſt ad Patrem perueniſſe Chriſtum, cùm videmus ad Apoſtolos deſcendiſſe Paraclêtum. Credendum inquam, ſicut ait de Saluatore Dauid, in Dei dextera illum conſidere: quia cernimus Spiritum ſanctum, ſicut promiſit Dominus, in diſcipulis exultare.* Eadem eſt *Auguſtini ſententia, cùm de hoc ipſo feſto ſcribit: Credimus ad Patrem perueniſſe Filium, cùm videmus ad Apoſtolos deſcendiſſe Paraclêtum. Credimus eum regnare in cælis, quem cernimus munera ſancta donare in terris, ſicut ſcriptum eſt per Prophetam:* Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. *Vbi* [illegible]

In Serm. de Pentecoſt.

Homel.1. in die Pẽtecoſt.

Pſalm.109.

Ioan.16.

Homel.7. in Pentecoſt.

Pſalm.67.

munerator, victor dona largitur. Magna planè gratia, duplex gaudium, quòd abeuntem Chriſtum non amiſimus, & venientem Spiritum poſſidemus.] *Quarè non poteſt hoc feſtũ non præclarum dignumq́; videri, quod reuerenter ab omnibus habeatur, quum certam & immenſam Chriſti Domini in cœlis gloriam ac maieſtatem vehementer illuſtret, ac eiuſdem admirandam erga ſuos diſcipulos ac fideles ob demiſſum è cœlo Spiritum ſanctum, munificentiam atq; charitatẽ maximè comprobet. Hic primùm Dominus laborum operumq; ſuorum fructum incredibilem, vt antea nunquàm, prodidit, ſicut illis verbis prædixerat fore:* Si granum frumẽti cadens in terram, mortuum fuerit, multum fructum adfert. Ioan.12.

Deinde Pentecoſten cum tota Eccleſia iure veneramur, veteris legis typos implentes, quia, vt Cyprianus loquitur, celebramus tam nos quàm Iudæi quinquageſimum diem, ſed illi in typo, nos autem in veritate nõ. tam ſignificamus quàm agimus.] *Etenim Iudæi ab Ægypto egreſſi, quinquageſimo die legem lapideis tabulis inſcriptã, in monte Sinai per Moyſen acceperunt, atq; in huius beneficij memoriam ſuam Pentecoſten ſolenniter celebrârunt, quoniam ſoli inter omnes gẽtes delecti, veram Dei diuiniq; cultus notitiam percepiſſent. Vnde rurſus illi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, Hieroſolymam confluebant, vt prolatæ acceptæq́ue legis beneficio omnes in cõmune Domino gratias agerent, octo quidem diebus idcircò ſacrificium ingenti cum gaudio offerentes. Quid igitur nos Chriſtianos facere par eſt, qui hoc eodem die pro Lege Euangeliũ, pro litera ſpiritum, pro vmbris veritatem,*

Serm de Spiritu ſancto.

Exod.20. Deuteron.5.

pro miniſtratione damnationis, miniſterium iuſti[illegible]ritu timoris adoptionem filiorum, pro lege denique [illegible] Chriſti gratiam ſumus conſequuti? Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum [illegible] qui datus eſt nobis. *Quò igitur maius beneficium [illegible] mortali Deo donatur, Spiritu ipſo nos clementiſſimè [illegible] viſitante, hoc & ſolenitas dignior, & charitas arde[illegible] gratiarũ actio ſtudioſior à nobis meritò exhibenda e[illegible].* [illegible] enim accepiſtis, *inquit Paulus*, ſpiritũ ſeruitut[illegible]rum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adop[illegible] filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. [illegible] *ſolùm quinquageſimus à Paſchate dies Iudæis, ſed eti[illegible]nus quinquageſimus, ab illis Iubilæus appellatus, P[illegible] conſtituebat, in quo anno fiebat terræ remiſſio, [illegible]bertas, & reſtitutio perditæ aut alienatæ poſſeſ[illegible] annus propitiationis, remiſſionis & gratiæ dice[illegible]rò multò maior & vberior eſt gratia, quam n[illegible]ſte attulit, ſanctificante illam Spiritu ſancto, [illegible] antea orbi ferè incognitus eſſet, nunc viſibili aduentu [illegible] nobis Pater miſericordiarum & Deus totius [illegible] nec modò per ſe Eccleſiæqúe noſtræ miniſtros omni[illegible] peccata perfectè remittit, verùm etiam diuina m[illegible]pleno, vt ſic dicam, cornu profundit, & in creden[illegible]dit animos. Id quod ſatis experti ſunt hoc die, [illegible]cas expoſuit:* Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, [illegible] cœperũt loqui variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus dabat eloqui illis. *Et propterea [illegible] ſpecie ignis deſcendit, non modò quod ſit [illegible]*

pter,

ptura Prophetica teſtatur: Deus noſter ignis conſumens eſt, *verùm etiam quandoquidem ſecundùm Chryſoſtomum peccati materiam repurgat atque diſperdit, & eos qui ſedent in tenebris errorum illuſtrat. Igitur dies Pentecoſtes tantorum bonorum largitrix, quia veteris & noui teſtamenti producit authorem, nobis merito celebratur, maximè quòd libertatis & remiſſionis peccatorum incredibilem copiam his qui ipſum quærunt & amant, ſuppeditet.* Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas, *Apoſtolo teſte. Hic ille ignis exiſtit quo nihil vehementius, lucidius, ardentiùs, & quem Chriſtus ipſe promittens, iam antè dixerat:* Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? *quemadmodum hodie nimirùm in primis exarſit fidelibus, qui primitias Spiritus acceperunt.* Deutero. Serm. 1. de Pentecoſt. 2. Cor. 3. Luc. 12.

Magnum ſanè fuit, quod matri Domini Gabriel Angelus diceret: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. *Magnum & illud, quod ab eodem Angelo promitteretur Zachariæ, naſciturũ ipſi Filiũ, qui Spiritu ſancto ex vtero ſuæ matris repleatur. Magnum rurſus, quòd Chriſtus iamiam cœlum petiturus, diſcipulis aſſereret:* Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. *Nec dubitat quiſquam hodiernum eſſe diem, quo Chriſtus primùm huic promiſſo ſuo ſatisfecerit, demiſſo in diſcipulos Spiritu ſancto, qui per illos Chriſtianæ veritati ampliſſimum dedit teſtimonium vbique gentium, ac eorum animos donis maximis imbuit & exornauit. Illud verò magis* Luc. 1. Ibidem. Actor. 1.

ac magis feſtum diem nobis commendat, qu[illegible] ſanctus hodierna die deſcendens Eccleſiam ſibi [illegible] qua ſicuti propria ſede manere, & quàm diu [illegible], nobiſcum habitare perpetuò vellet. Eſt enim iſt[illegible] lius propria: Ponam tabernaculum meu[illegible] veſtri, & non abiiciet vos anima mea. [illegible] inter vos, & ero Deus veſter, vosq́; eritis p[illegible] meus. *Quem locum Paulus etiam repetiuit.* [illegible] *Spiritus eandem Eccleſiam regit ac gubernat,* [illegible] *ritatem omnem docet, omniſq́; veritatis & ſapienti*[illegible] *nam ac magiſtram illam efficit, idcircò illa, ſicut &* [illegible] *ſtomus confirmat, non ſeneſcit, nec contrahitur, mult*[illegible] *pugnantibus non opprimitur: quin potius quantò* [illegible] *pugnatur, tantò clarior illa redditur. Inſignem ita*[illegible] *tionem, ſimulq́; gratias Deo agendi occaſionem* [illegible] *hoc Feſtum, ac nouus eius hoſpes, quem Chri*[illegible] *appellat, ſæpèq́; promiſſum certò miſit atq́; do*[illegible] *Eccleſiæ. Hoc eſt enim quod non ſine ſumma vtilitate* [illegible] *prof-temur, cùm in ſymbolo fidei primùm quidem Spiritum ſanctum, & mox Eccleſiam ſanctam & ſanctorum* [illegible]*nē nos credere dicimus. Atq́; huc ſpectat quod præ*[illegible] *pſit Cyprianus: Arcam illam quæ typum gerebat E*[illegible] *Spiritus ſanctus & tunc regebat, & adhuc regit, ex*[illegible] *quiſquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mer*[illegible] *profundum: & impoſſibile eſt eum viuere, cu*[illegible] *tur Spiritus vitæ, cuius viuificus calor animat* [illegible] *uet, & prouehit & fæcundat.*

Quod ſane Feſtum vt ma[illegible] *mihi* [illegible]

pro[illegible]

rat fidem, amorem & venerationem erga Spiritum ſanctũ
in me potiſſimũ excitabo, illuſq; nominibus augebo, quæ huic
perſonæ diuinæ in ſacris literis tribuuntur. Vocatur enim Iſai. 61.
Spiritus, vt ſciam, nihil hîc corporeum, ſed aliquid perfectè ſpi Ioann.4. 2.Cor.3.
ritale, ſimplex & incompoſitum, nulloq; loco circumſcriptũ Ioan.14.&16 Ephel.6.
aut tempore comprehenſum attendi oportere. Vocatur & Luc.2.
ſanctus, ne dubitem hunc Spiritum purum & ab omni malo
alienum ac immensè bonum & beneficum illum eſſe ſpectan
dum, qui ſimul ſolus creaturam rationalem, id eſt, Ange-
los & homines, ſanctificare velit & poſſit. Vocatur idem Spi
ritus Patris & Filij, cùm ab vtroqúe procedat, ſitqúe duabus
illis perſonis diuinis conſubſtantialis & coæternus. Cæterùm
ob inſignes operationes fidelibus cõmunicatas tribuuntur &
alia illi nomina, vt dicatur Spiritus fidei, Spiritus ſapientiæ 1.Cor.12.
& intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcien- Iſai. 11.
tiæ, pietatis & timoris Domini: hæc enim omnia multòqúe
plura dona, operatur vnus atqúe idem Spiritus, diuidens ſin-
gulis prout vult, quemadmodum à Paulo fuſiùs diſſeritur. 1.Cor.12.
Regius Propheta vt Spiritus huius diuinitatem honoret, Spi- Pſalm. 50.
ritum rectum, bonum & principalem appellat: in Zacharia Zachar.12.
Spiritum gratiæ & precum legimus. Chriſtus illum iam Pa Ioan.14. &16
raclétum, hoc eſt, conſolatorem ſeu aduocatum, iam ſanctũ,
& à Patre ſeqúe ipſo miſſum, aliquando virtutem & flumẽ, Ioann.4.&7.
ſicut & aquam viuam & donum Dei nominat. Quæ om-
nia ingens mihi calcar ſubiicient ad feſtum hoc ſedulò cele-
brandum, & ad authorem eius optimum maximum glori-
ficãdum, vt ſine quo nihil purum & ſanctum, nihilqúe Deo
gratum ac iuſtè laudandum vnquàm prodiit, aut prodire

poteſt: qui demum laudis, veritatis, virtutis, bonorum [illegible] omnium ſolus fons & origo eſt. Hunc igitur non ſolum [illegible] cabo, ſed etiam amabo & prædicabo quoad viuā, quem [illegible] vt me Chryſoſtomus docuit, ſemper ille fuit & eſt, & [illegible] incœpit, neq; deſinet, ſed ſemper Patri conſubſtantia[illegible] miliaris & connumeratus: vita natura viuens, & [illegible] viuificator, lux de luce & lucis ſuppeditator,] vt cætera [illegible] termittam. Quis igitur, ſi ſapiat, præſens hoc feſtum [illegible] Sanctorum quidem feſta dependent omnia, non magni [illegible] ac libenter colat? in quo vetus illud vaticinium à Deo [illegible] prædictum impletur: Effundam Spiritum meum [illegible] per omnem carnem, & quod à Michæa promiſſum [illegible] De Sion egredietur lex, & verbū Domini de Hie rusalem. Hodie Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos [illegible] nunquàm, in linguis igneis viſibiliter apparuit [illegible] prioris ſeculi vniuerſitatem fidelium vnius [illegible] vt quorum erat cor vnum, & anima vna, vna [illegible] & lingua. Sic enim loquitur Cyprianus. Neq; ſolum [illegible] Spiritus ſancti primum in Eccleſiam deſcenſum & aduentum ce lebramus, ſed & noua eius quæ ſecum attulit & di[illegible] munera, gratis animis prædicare debemus. Nouum [illegible] ſtamentum, nouas leges, noua ſacramenta ſecum ille a[illegible] & per Apoſtolos veluti primos piſcatores Euangelicæ prædicatores orbi denunciat. Ex terra hodie velut cælum [illegible] radiſum facit, dum illius Eccleſiæ iacit fundamenta, in [illegible] terreni non modo regenerantur ac reformantur, [illegible] quodammodo cœleſtes ac diuini homines fiunt. [illegible] renouare faciem terræ, ſicut Propheta rogauit [illegible]

f

tium electo populo pulchre præmittens dixit: Emitte Spi- Pſalm.103.
ritum tuum & creabūtur: & renouabis faciē terræ.
Eſt enim hic Spiritus Legiſlator nō qualis Moyſes, ſed qui ſe-
cundùm Hieremiam affirmat: Dabo legem meam in Hierem.31.
viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam,
& ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.
Æquè dulcis eſt promiſſio facta per Ezechielem: Dabo Ezechi.36.
vobis cor nouum, & ſpiritum nouū ponam in me-
dio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambule-
tis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini. *Quæ o-*
mnia Pſaltes ille diuinus vno verbo cōplexus eſt, cùm de Spi-
ritu ſancto canit: Benedictionem dabit Legiſlator: Pſalm.83.
ibunt de virtute in virtutē, videbitur Deus Deorū
in Sion. *Cætera hûc pertinentia, in notas proximè ſequen-*
tes conijciemus. Nullum eſt ſanè feſtum aliud, quod magis &
ſuadet & exigit homines verè ſpirituales.

IHS

IN SACRATISSIMO FESTO SPIRITVS SANCTI, SIVE PENTECOSTES.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM ſequens ad Chriſti dilectionem, verbique diuini obſeruationem hortatur. Vtrumq; coniungit Chriſtus, & a nobis coniungi poſtulat, vt ſignum

dilectionis exhibitio & operis. Qui habet mandata mea,
.14. inquit, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Diligens [illegible]
Deum, & mandata eius obſeruans, verum Dei Patris [illegible]
Filij & Spiritus ſancti templum, aptumque hoſpitiū [illegible]
præſtat, ita vt Deum ipſum & habeat, & ſeruet inhabitan-
tem, & per illum ſpiritualibus donis mirabiliter cum[illegible]
letur. Atq; huc ſpectat auguſta Chriſti promiſsio de Spi-
ritu ſancto, qui ſuo in Eccleſia muneri nunquàm [illegible] de[illegible]-
turus. Eſt ille Paracletus, in aduerſis efficacem conſola-
tionem prębens, ſimul & aduocatus. Eſt Spiritus veri-
tatis in iis quæ ad intellectum & fidem hominis faciunt, [illegible]
Spiritus ſanctus & ſanctificator in purgandis ſanandisque
cordibus credentium, qui demum aduerſus omnes no-
ſtræ ſalutis hoſtes firmum præſidium adfert, vt eo [illegible]
& confortante poſsimus perſiſtere, verumque gratiæ &
gloriæ pacē à Chriſto promiſſam aſſequi. Declarat præ-
terea Chriſtus hìc ſuam obedientiam, qui nō ſecus quàm
Pater mandauit, per omnem vitam egerit. Illum ergo [illegible]
obedienter ſequamur, vti ius nullum principi [illegible]
ius in caput ipſum Chriſtum, ita neq; in nos [illegible]
gera membra competet, nec regnabit in no[illegible],
ſed pace interiore & charitate operoſa do[illegible] pro-
miſſam quoque coronam iuſtitiæ conſequ[illegible]tur. [illegible]e
hoc Euangelium, vt primis illis diſcipulis, ita no[illegible]
in hac triſti Eccleſiæ ſenecta valdè conſo[illegible]m, quia
ſummam Chriſti erga ſuos fideles beneuo[illegible] & per-
petuam fidelitatem Eccleſiæ præſtandam [illegible]
& præſenti feſto pulchrè quadrat, quandoquidem [illegible]
Spiritus ſanctus vnà cū præcipuis eius donis, [illegible]
lat.5. gaudio, pace, patientia (Paulus eos fructus vocat Spiri-
tus) nō obſcurè depingitur, ac ſimul Chriſto eam [illegible]
gloriam, qui miſſum hodie Spiritum vt ſuis diſcipulis, ita
& nobis omnibus promiſerit atque promeruerit. Cete-
rùm quod ad hiſtoriam feſti huius propriā, n[illegible]
viſibili aduentu Spiritus attinet, quam & tot[illegible]
roſolymorum iure ſummo demiſata eſt, eam [illegible]
t.2. cas in Actis Apoſtolicis recenſuit, & [illegible]
diebus octo meditandam deincep[illegible]

noſ etiam notas aliquas explicatas poſtea proferemus.

EVANGELIVM EIVSDEM feſti. Ioann. XIV.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermonem meum non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus; ſed eius qui miſit me, Patris. Hæc loquutus ſum vobis apud vos manens. Paraclètus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquàm fiat: vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquor vobiſcum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed, vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM ET FESTVM, AC OCTAuam integram Pentecoſtes.

I.

Paraclétus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.

EN tibi Chriſtiane, quàm ſe amicũ verè fidelem Chriſtus præbet? qui in cœlum aſſumptus, & mirificè glorificatus, quum quinquageſima poſt Paſcha dies adeſſet, diſcipulis in nomine ſuo congregatis, atque in vna domo ſimul tum fide, tum charitate coniunctis, Hieroſolymis præpotens adeſt, & inuiſibiliter donat Spiritum ſanctum. Quid autem ille vel maius ac melius dare, aut hi ſublimius ac pretioſius petere & accipere poſſent? Per hoc enim ampliſſimum & anguſtiſſimum donum ea præſtantur omnia, quæ iam antè per Prophetam Iſaiam promiſſa fuerant in hunc modum: *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.* Tum per Ezechielem ita promittit Deus: *Dabo eis cor vnum, & Spiritum nouum tribuam in viſceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis carneum: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant faciantq́ ea, & ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum.* Hæc ipſa ſæpius idem Propheta repetit, ſicut & Ioël [illegible] & Hieremias à Paulo citatus, alia præclara in medium [illegible]runt: vt præpotẽtem miſſi huius Spiritus [illegible]

dibilem gratiam, orbi vniuerſo commendent. Cum his porrò coniungam quæ Christus ipſe de hoc Spiritu diſcipulis pronuntiat, cumque ſuum velut Vicarium, præſertim apud Ioannem, ſubinde pollicetur. Vnde & illa in præſenti Euangelio de Paraclèto venturo, omniaque docturo, & in æternũ manſuro clariſſimè prædicuntur. Quæ promiſsiones de Spiritu ſãcto mihi ac fidelibus omnibus eò dulciores videri debent, quòd non ſolùm ad Apoſtolos primùmque credentes pertineant, ſed etiam ad vniuerſam Eccleſiam Christianam quouis tempore duraturam certò certiùs extendantur. In hac enim Eccleſia, velut domo ſedeque ſua præſens ille præſtat, propter quod ſummo de cœlo miſſus fuit, nimirùm vt non ad tempus, ſed perpetuò Eccleſię doctor, paraclètus, ſanctificator, cuſtos, moderator ac rector adſit ac præſit, vtque in inuiſibili cœtu credentium ad mundi finem vſque integer maneat, nouum in eo templum, nouumque hoſpitium pulcherrimè apparaturus. Quocirca omnes tum veteris tum noui teſtamenti promiſsiones, quæ complures & præſtantes de hoc Spiritu conſcriptæ extant, magna ego fide complectar, ſimulque gratias Christo Domino ingentes agam, in cuius nomine hic Spiritus incomparabilis, nouã Eccleſiam fundaturus mittitur, quique ſicut fidelis eſt in omnibus verbis, ita & ſanctus in omnibus operibus ſuis apparet. Neqúe minus quidem & mihi, & Catholicis omnibus gratulabor, quòd idem Spiritus tam diu promiſſus, totqúe ſeculis expectatus, cuius aduentum omnia Prophetarum oracula prænunciârunt, ad inſtaurandum orbem tandem acceſſerit, ſeqúe velut opulentiſsimum patronum ad pauperes locupletandos, ęgrosqúe curandos in hoſpitio Eccleſiæ collocârit, tanta quidem illic profundens munera, mundus vt totus lætitia geſtiens meritò canat: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.*

Ioann.6. Luc.24. Ioan.14 & 16. Pſalm 144. Sapi.1.

Proinde Pauli Apoſtoli ſequar exemplum, qui hoc ipſum feſtum tanti habuit, vt ad illud vnà cum fidelibus aliis celebrandum, curas alias ſeponeret, & ardenti ſpiritu Hieroſo- Actor.20.

lymam

lymam properaret. Debet enim mihi eſſe cordi, hoc [illegible] ſanctoque die Spiritum ſanctum paucißimis antea no[illegible] fidelium animos primùm occupaſſe, ſuoque illapſu c[illegible] ſplendidiſsimo lucis ſuæ fulgore illuminaſſe, quos & [illegible] cæ charitatis igne in amorem rerum diuinarum acce[illegible] quibus ſuo etiam afflatu ad omnia legis præcepta p[illegible] implēda vires neceſſarias ſuppeditârit. Nec eſt quic[illegible] noua lege præſtantius atque deſiderabilius hom[illegible] quàm Spiritus ſancti gratia, in qua vis eiuſdem leg[illegible] ſiſtit, illudque mirandum in modum perficit, v[illegible] pietatem & iuſtitiam ritè cognoſcendam ac ſtudio[illegible] dam nihil deeſſe poſſe videatur. Etenim qui hoc cœle[illegible] ritu afflati, & diuinæ gratiæ opibus locupletati ſunt, [illegible] ſimos virtutum omnium fructus edunt, è c[illegible] ſpirituales, mundum & terrena contemnunt, fi[illegible] lectionem ſuam in vno Deo cōſtitutam habent, prop[illegible] ius gloriam & obedientiam faciũt & ferunt libenter [illegible] Norunt enim cum Paulo teſtari: *Omnia poſſum in e[illegible] cō-fortat. Sicut abundant paßiones Chriſti in nobis: ita [illegible] ſtum abundat conſolatio noſtra. Pater miſericord[illegible] Deus totius conſolationis conſolatur nos in omni tribu[illegible] noſtra, vt poßimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt.* At[illegible] huc ſpectat quod Christus apud Ioannem aiebat: *Si vos manſeri-tis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis verita-tem, & veritas liberabit vos.* Ac rurſus: *Si vos* inqu[illegible] *li-berauerit, verè liberi eritis,* nimirùm per Spiritum [illegible]m. Is enim eſt, qui credentes ab erroribus & concupiſcentiis ma-lis, à ſeruitute peccati & timore mortis, ſed & a n[illegible] bus, quæ animum hominis à ſummo bono ſepa[illegible] ter liberat, neque ſolùm ſuis ineffabilibus don[illegible] da viſitat, inſtruit, conſolatur, vngitatque ſan[illegible] per ſeipſum inhabitare, intimumque fideli animæ h[illegible] præbere dignatur. Hoc enim ſibi vult illud c[illegible] taque promiſsio: *Inhabitabo in illis & inambul[illegible] rum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* quem[illegible]

[illegible]

ea verba ex Leuitico repetit,per quę renatos in Chriſto egregiè conſolatur. Nec dubitat idem Apoſtolus affirmare: *Si quis Spiritum Chriſti non habet: hic non eſt eius.* & rurſus aperte pronunciat. *Quicunq; Spiritu Dei aguntur,hi ſunt filij* DEI. Roman.8.

Pecco igitur vehementer, ſi tale tantumque feſtum non excipiam & celebrem reuerenter, quando Spiritus ſanctus ſe omnibus tam comem,beneficum & copioſum cunctis exhibet,qui modò aditum illi præbent,nec gratioſum eius aduẽtum impediunt; nihilque cupit ille magis,quàm ſe cordibus noſtris infundere, & ſalutem noſtram operari, vt humanam naturam quæ vitio primi parentis collapſa fuerat, ſuis donis renouet ac inſtauret, ipſamque Dei imaginem nobis defœdatam reſtituat. Commendat illum nobis Apoſtolus, vocãs arrhabônẽ & pignus electionis noſtræ,& obſignationẽ, qua filij Dei adoptantur, vt ipſius hæredes & Chriſti cohæredes efficiantur. 2.Cor.1.&5. Epheſ.1.

Hunc ego ducem & aurigam mihi præſtituam: hunc magiſtrum audiam,vt diſcam quid verè bonum ſit, & ſimul ad illud inflammer: quid præterea ex malis cupiditatibus reprimere debeam,vt non ſecundùm carnem,ſed ſecundùm ſpiritum viuam,& in vocatione mea progreſſum faciã. Quò magis adlaborabo, vt illam Chriſti ſententiam: *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt,*in me legitimè compleatur,egoque ab hoc Spiritu tanquàm filius Dei agar & impellar, eiuſque ductu & conſilio vitæ meæ rationes dirigam, verèq; ſim in omnibus ſpiritualis. Ioann.3.

Hoc enim ille à Dei filiis omnibus exigit dicens: *Sancti eſtote,quoniam ego ſanctus ſum:* Sicut enim ſpiritus malus ſimiles ſibi facit quos inhabitat,omniq; malitia imbuit, ſicut in Rege Saul & proditore Iuda videre licet:ita etiam qui à diuino Spiritu aguntur,ſe ipſis meliores indies fiunt,ac velut ſui Patris ſanctitatẽ moribus exprimere ſolẽt,vt hinc etiã Ioãnes hoc ipſo Spiritu edoctus monuerit: *Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Leuitici 11. 1.Reg.19 & deinceps. Ioann. 6. Matth.26. Apoc.22.

II.

De colendo & venerando Spiritu ſancto.

DIGNVM ſanè ac iuſtum putabo, vt quicquid in eo quo anni tempore in Spiritu ſancto veneranda, ſiue per fragilitatem, ſiue ex ignorantia ſocordiave peccaui, id hoc quidem tempore nouo & ſingulari ſtudio reſarcire contendam. Eſt enim ille non minor, ſed æqualis Deo Patri, Deoque Filio, verus, perfectus, immenſus ac æternus Dominus mihi agnoſcendus, qui vnà cum duabus aliis perſonis diuinis potenter, ſapiēter ac benignè viſibilia & inuiſibilia cuncta condidit, & condita nullo non loco ac tempore conſeruare & gubernare pergit liberrimè, per ſe bonus & fons bonitatis, Deus de Deo & Deificans, vt Chryſoſtomi verbis vtamur. Hic omnibus *E*ccleſię ſacramentis ille, vt ait Cyprianus loquitur, quæ ipſe efficit & conſummat. Hic peccata diluit, iuſtificat impios, & ad vitam reuocat mortuos. Hic ſacrorum ordinum diſtributor, reges creat & principes ſacrat pontifices, eligit ſacerdotes. Hic ſapientia Salomonem intellectu Danielem, Ioſeph conſilio, Samſonem fortitudine, Moyſen ſcientia, Dauid pietate, Iob timore proſequitur, & ſanctorum animas omnimodis fœcundat virtutibus, vt reliqua Cypriani dicta prætercam. *A*b hoc ipſo bonorum omnium fonte hauſerunt Prophetæ, quod Petrus affirmat, eos Spiritu ſancto inſpiratos, & ſanctos Dei homines eſſe locutos. Teſtatur *P*aulus, eundem eſſe Spiritum, a quo diuiſiones gratiarum & miniſtrationum & operationum proficiſcantur: & cùm varia præclaraque dona enumeraſſet, *Hæc omnia* inquit, *operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Demum illi tantum adſcribit, vt apertè pronunciet: *Nemo dicere poteſt Dominus* IESVS, *niſi in Spiritu ſancto.* Etſi enim externa omnia opera beatiſſimæ Trinitati, ſicut in ſcholis loquuntur, ſunt indiuiſa, & nihil efficitur, niſi tres perſonæ ſimul cooperentur: tamen cùm variæ ſint diuinæ maieſtatis perfectiones & attributa, in ipſis operibus aliæ itemque aliæ diuinarum perſonarum virtutes & perfectiones ſimul & attributa magis elucent, & quæ diuinis perſonis omnibus alioquin communia ſunt, ſingulis etiā attribui ſolent.

[illegible]

Qua ratione ſolenne ac vſitatum eſt, vt Spiritui ſancto, qui Patris & Filij amor eſt, amor & bonitas, cum his omnia diuinæ bonitatis & charitatis opera peculiariter adſcribantur, quoniam omnia gratiarum munera ac ſpiritualia chariſmata, illius dona eſſe dicuntur, quod ex mera bonitate & miſericordia ſua illis ad hominum ſalutem promouẽdam ac ſanctitatem ingenerandam vtatur.

Mecum ergò diſpiciam, quid quantumque debeam Spiritui omnia viuificanti, per cuius immenſam clementiã contigit, vt in peccatis conceptus & natus, per lauacrum regenerationis & renouationis ipſius abluerer atque iuſtificarer, gratiæque Chriſtianæ particeps fierem. Iam verò ex ipſo Spiritu & aqua renatus, non ſine ſingulari eiuſdem gratia Cõfirmationis ſacramentum accepi, ſæpèque peccatorum remiſſionem per alia ſacramenta illo duce impetraui, multiſque modis illum verè doctorem & Spiritum veritatis & paraclêtum & propitiatorem eſſe frequenter expertus ſum. Quoties ille cor mihi lapideum in carneum vertit, ſuoque lumine meas tenebras illuſtrauit, ac velut animæ meæ oſtium pulſans amanter monuit: *Ecce ſto ante oſtium & pulſo?* *Ipſe eſt qui adiuuat infirmitatem noſtram*, qui nos docet ac facit orare, *A*bba Pater, qui nos conſolatur in omni tribulatione. Qui cùm fidelis Deus exiſtat, nõ patitur nos tẽtari ſupra id quod poſſumus, ac facit etiam cum tentatione prouentum. Quicquid boni vel accepi vel habeo in *E*ccleſia Catholica, & in ſanctorum communione, id huic Eccleſię principi & conſeruatori acceptũ ferre debeo: quicquid boni vel ago vel poſſum, ab hoc vno authore bonorumque omnium fonte proficiſcitur, in quo confortante & mala vincere, & bona operari, & vitam æternã conſequi poſſum. Quid multis? cõmunis & humilis ſimulque iuſta piorum omnium vox eſt, vt cũ Propheta in hoc Spiritu ſanctè gloriantes profiteamur: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis*. Quapropter hunc ſalutis humanæ Chriſtianæque gratiæ largitorem, quem Chriſtus acerbę crucis ſupplicio nobis promeruit, equidem quotidiè

Tit. 3. Apocal. 3. Rom. 8. 2. Cor. 1. 1. Cor. 10. Iſai. 26.

ſupplex adorabo ; huic fidiſſimo credentium opitulatori de beneficiis omnibus, ſiue corpori ſiue animo meo collatis gratias alacriter agam : huius clemētiſſimi Paraclêti ſuauem aduentum ac efficacem gratiā cum fiducia inuocabo. Quicquid diuinos illius oculos offendit, vt ſanè vitiorum ſordes offendunt, è medio tollam, nè tantum hoſpitem vlla ex parte contriſtem, meumquc cor in caſtum ac purum illi habitaculum aptare contendam; & quoniam noua illius gratia magis quàm pane & medicamento ſalutari ſemper egeo, frequenter ad opem illius implorandam me conferam, & cum Auguſtino reuerēter ex animo dicam: Veni iam veni benigniſſime, dolentis animę conſolator, protegens in opportunitatibus, in tribulatione adiutor. Veni mundator ſcelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, releuator labentium. Veni humilium doctor, ſuperborum deſtructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis iudex. Veni ſpes pauperum, refocillator deficientium. Veni nauigantium ſydus, naufragij portus. Veni omnium viuētium ſingulare decus, morientium vnica ſalus. Veni ſanctiſſime Spiritus, veni & miſereri mei, apta me tibi: & concede propitius mihi, vt mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, ſecundùm multitudinem tuarum complaceat miſerationum, per IESVM Chriſtum Saluatorem meum, qui cum Patre in tua vnitate viuit & regnat in ſecula ſeculorū. Amē.]

III.

Quid nos doceat hiſtoria de Spiritu ſancto, primus Chriſti diſcipulis in Hieruſalem apparente.

GRATIAS inprimis agam Spiritui ſancto, qui pro ſumma bonitate ſua nonnunquàm viſibiliter, aliquo ſenſibili atqúe corporali ſigno, vt plurimùm autem inuiſibiliter ad nos venire dignatur. *Etenim* ſpecie co-
7. lumbæ quam vidit Ioannes Baptiſta, baptizati Chriſti venit

valu...

voluit inſidere,& in forma lucidæ nubis Domino transfigurato in monte adſuit; quem & Chriſtus reſuſcitatus per flatū diſcipulis dedit, qui deniqúe in ſpecie ignis ſeu ignitæ linguę illis apparuit, vtpote quos vt totius mundi prædicatores, ſapientia & eloquentia inſtructos eſſe conueniebat. Idem verò Spiritus, qui vbi vult ſpirat, licet vocem eius nemo percipiat, inuiſibiliter eos non ceſſat inuiſere, quos gratia ſua purgare, illuminare, ſanctificare & conſolari conſueuit, quemadmodum verbo & ſacramento in Eccleſia potiſſimum fieri conſtat. Vnde Chriſtus de verbo ſuo inquiebat Apoſtolis: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis*. Tum ex Auguſtini ſententia, ſemper Dei eſt gratia, & Dei Sacramentum, hominis autem ſolum miniſterium, qui ſi bonus eſt, adhæret Deo, & operatur cum Deo: ſi autem malus eſt, operatur per illum Deus viſibilem Sacramenti formam: ipſe autem donat inuiſibilem gratiam.] De qua gratia, ſimul & eius fonte Spiritu non obſcurè meminit Dauid, vbi pſallit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Eccleſia verò, vti par eſt, in his feriis ſibi gratulatur inprimis de Spiritus ſancti inuiſibili miſſione, quæ per Apoſtolicam prædicationem hodie fieri cœpta eſt, nec finem habebit, quamdiu Chriſti Euangelium prædicabitur, & ſacramenta diſpenſabuntur, mundusqúe per Spiritū ſanctum ad Chriſtianam iuſtitiam conuertetur. Interea licebit ac decebit, hoc præſertim die, nos vbiqúe gentium lætè cantare: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*. Interea quoqúe credentibus conuenit cum Propheta ita precari: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Cæterùm ex præteriti feſti hiſtoria, quam Lucas recenſet, etiam atqúe etiam notabo, Spiritus ſancti miſſionem hodiè factam, verè diuinam, & prioribus quidem ſeculis inauditam, ac prorſus mirificam, Eccleſiæqúe vt nunquàm aliàs, vtilem atqúe ſalutarem extitiſſe. Ad illam tam præclara & euidentia ſigna concurrunt, vtpote partim venti vehementis, qui totam domū

Ioann. 20. Actor. 2. Ioann. 3. Ioan. 15. Epiſtola 166. Pſalm. 84. Sapient. 1. Pſalm. 103. Actor. 2.

Hieroſolymis ſuo impleuit ſonitu, partim linguarum igneaꝛum, quæ ſupra ſingulorum capita mirabiliter apparebant. Illud admirabilius, diſcipulorum in eadem domo ... præpotenti Spiritus gratia ſic occupari atque compleri, vt quotquot adeſſent, è veſtigio noui planè homines efficerentur, & variis linguis quas non didicerant, Dei magnalia prædicarent, Euangeliumque tot nationum populis ... commendarent atque infigerent. Venit Spiritus quidē cum impetu flatus vehementis, ſed ſimul ſuauis & iocundi, vt ... mus, legis terrorem & Euangelij gratiam concurrere ... conferre, vt debitum hoſpitium aduentanti Spiritui ... mine præparetur. Vnde Ioannes non omnibus, ſed pœnitentibus regnum Dei denuntiat, & Petrus auditoribus remiſſionem peccatorum in prima ſua concione promittit ... qui corde compuncti à Luca dicuntur. Venit deinde ... guis velut igneis, non obſcurè commonſtrans, ſe illum ... thorem eſſe operis, quando frigida corda hominum ſpirituali igne accenduntur, & poſthabitis aliis omnibus ad Dei gloriam prędicandam & confirmandam inflāmantur. Sicut enim ignis proprium eſt, quamcunque materiam corripuerit, in ignem vertere: ita Spiritus ſanctus, qui Patris & Filij amor eſt, & à Ioanne charitas quóque dicitur, qualcunque mentes occupauerit, eas in ſui amorem vehementer incendit, & ab illis torporem frigoris excutit, quas etiam ad ſpiritualia æternáque deſideranda vehementer inflāmat. Idémq; Spiritus totam domum implet, vt verum Eccleſię typum habeamus, quæ cùm Dei domus exiſtat ac maneat, fideles non otioſos & mundo carníque deditos, ſed in Chriſti nomine cōgregatos, ſpiritualibus ſtudiis intentos, in fide vnanimes, in charitate concordes, in pace obedientiaque conſtantes, & in precatione aſſiduos requirit & continet. Talem ſanè Eccleſiæ domum quærit, amat, fouet & incolit Spiritus ſanctus, in ea multitudinis credentium cor vnum & animam vnam efficit, omnesque ſollicitos tenet ad conſeruandam vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Huic demùm *Eccleſiæ* Spiritus

ritus ſanctus tribuit, quod per Ioelem ampliſſimè pollicetur: *Scietis* inquit, *quia ego Dominus Deus veſter habitans in Sion in monte ſancto: & erit Hieruſalem ſancta.* Ac iterum: *Erit in die illa, ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Quibus verbis abundantia donorum, conſolationum & operationum Spiritus, quæ primos fideles incredibiliter compleuerunt, non obſcurè ſignificata eſt. O mirè peritum artificem, planèque perfectum magiſtrum perpetuò mihi colendum, qui vt ſcriptum eſt, *mutorum os aperit, & linguas infantium facit diſertas*, ac præterea ex Galilæis piſcatoribus tales Euāgelij exhibet præcones toto orbe & audiendos & ſuſpiciendos, quales nulla vnquàm philoſophorū & ſapientum familia vel genuit vel educauit, ſicut paulò poſt pluribus demonſtrabitur. Ioël.3. Sap.10.

Ego verò cùm haſce primitias Spiritus, & hęc Euangelicę gratiæ primordia mecum rectè perpendo, in magnam iuſtamque rapiar admirationem, & ſuam Spiritui ſancto laudē tribuens, cum Propheta dicam: *Dextera Domini fecit virtutem. Hæc mutatio dextræ excelſi.* Nihil enim humanę facultati, induſtriæ, fortitudini, ſapientiæ & eloquentiæ hic poteſt adſcribi, ſed cum gentium Apoſtolo Paulo ſimpliciter eſt confitendum: *Non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt cōfundat fortia: & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* Ne verò dubitemus, iſthęc quę ab Apoſtolis dicta & geſta ſunt, Spiritui ſancto accepta eſſe ferenda, pergit idem Paulus, ſuo & collegarū omnium, qui primitias ſpiritus hauſerant, nomine hoc affirmare: *Nos non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus quæ à Deo donata ſint nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus.* Hinc porrò meam de ſancto Spiritu fidem confirmabo & augebo, illum nimirùm vbi & quando vult, ſpirare, & ex Pſalm.117. & 76. 1.Cor.1. Ibidem. Ioan.3.

improuiſo adeſſe, cunctáque penetrare, & nouam quandam
generationem efficere, vt etiam ex lapidibus, Abrahæ excitet
filios, & quæ facta ſunt mirandum in modum & contra na-
turæ legem ac ordinem planè transformet. Exemplo nobis
abundè ſunt diſcipuli Domini, pauci illi quidem & abiecti
a 2.Cor.4. ac viles à vulgo habiti, ſed à Spiritu potenter ac velociter
renouati ac reformati, vt ſuo iure teſtari poſſent: [a] *Habemus*
theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei
b 2.Cor.4. *& non ex nobis.* [b] *Nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes*
in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem
c 1.Cor.4. *tanquàm à Domini Spiritu.* [c] *Spectaculum facti ſumus mundo &*
d 2.Cor.6. *Angelis & hominibus.* [d] *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes:*
ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil haben-
e 2.Cor.1. *tes, & omnia poſſidentes.* [e] *Sicut abundant paſſiones Chriſti in*
f 1.Cor.2. *nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* [f] *Nos autem*
ſenſum Chriſti habemus. Nihil ergò mirabor Hieroſolymita-
nos obſtupuiſſe, cùm incredibilem dexteræ Dei mutationem
g Actor.2. in Apoſtolis experti, in hæc verba prorumperent: [g] *Nonne ec-*
ce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? Quidnam vult hoc eſ-
ſe? Nec diſſimile fuit, quod ex circumciſione fideles, qui cū
h Actor.10. [h] Petro venerant in domum Cornelij cēturionis, obſtupue-
rint, videntes tantam Spiritus gratiam & vehementiam in
Gentium nationes effundi. *Audiebant enim illos loquentes*
linguis, & magnificantes Deum.

Præterea mihi calcar iſthæc addet hiſtoria ad Spiritū ſan-
ctum non cognoſcendum modò, ſed etiam inuocandum
veluti Dominum Euangelicę meſſis, à quo legitimi, probi ac
idonei operarij, ſi quos in Chriſti agro excolendo cupimus,
deliguntur & extruduntur. Hûc enim Chriſti ſpectat oratio:
Matth.9. *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergò Domi-*
num meſſis, vt emittat, vel vt quidam legunt, *extrudat operarios in*
meſſem ſuam. Quamobrem ſi vnquàm anteà, nunc vel maxi-
mè quidem hic meſſis Dominus, idemque Spiritus ſanctus
nobis rogandus eſt, vt ipſe, quales paſſim deſideramus, Ec-
cleſiæ miniſtros, paſtores ac doctores Eccleſiæ prouideat,

qui per

qui per oſtium ingreſsi, & decenter ornati, vitæ probitate & ſimul doctrinæ præſtantia prælucеant populo, ac in vinea Domini tot modis deſerta, indefeſsè laborent, vaſtamque Chriſti vineam éxcolant diligenter. De his enim operariis Apoſtolus dixit: *Qui benè miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent. Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Dolebo interim, Eccleſiæ miniſtros multos ita viuere, vt malè illis cū ſuo patrono & hoſpite Spiritu ſancto conueniat, quoniam non ſunt cum primis diaconis viri boni teſtimonij, pleni Spiritu ſancto, fide & ſapientia, ſed vt Chriſti more loquar, mercenarij potius quàm paſtores, & ſicut Paulus dicit, ſua quærentes, non quæ Chriſti ſunt ac aliorum: tantū abeſt vt meſſem dominicam magno cum fructu excolant, & commiſſo ſibi gregi præſint vigilanter. Doleo itidem, ex plurimis, qui Eccleſiaſticorum vitia paſsim inſectantur, tam paucos reperiri ſæpè & ardenter implorantes Spiritum ſanctum, vt ille pro ſua quam obtinet dignitate magiſtros & miniſtros Eccleſiæ vtiles atque neceſſarios inſtituat, ac magis magisque indies prouehat in hac ſumma penuria miniſtrorum, qui vix vnquàm rariores extiterunt. De Apoſtolis quidem conſtat, quòd poſt Chriſtum ſponſum ablatum, ſiue in cœlos aſſumptum, non ſolùm orationibus, ſed etiam ieiuniis vacârint, ac ſobrij prorſus acceperint Spiritum ſanctum. Nec tacet Lucas, primos Eccleſiæ miniſtros ſic inſtitutos ac ordinatos fuiſſe, vt communes credentium preces & ieiunationes adhiberentur, ſimulque publicum Liturgiæ ſacrificium offerretur. Quod ſanè cùm illi facerent, adeò fauentem & propitiū ſenſêre Spiritum ſanctum, vt illum ſibi dicentem audirent: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Tunc verò Apoſtoli & ſeniores ieiunantes ac orantes, hoc enim repetit Lucas, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos, à Spiritu ſancto ſcilicet deſignatos atque confirmatos miniſtros, cuius virtute ſummo illi cum fructu longè latèque verbum Dei diſſeminârunt. Nec dubitat Paulus ſibi

1.Tim.3. Actor.6. Ioann.10. Philipp.2. Matth.9. Actor.13. Ibidem. Epheſ.6.

quaſi diffidens,& Spiritus gratiam ambiens, prec[illegible]
in hoc expetere, vt ipſi ſermo tribuatur in apertione o[illegible]
cum fiducia ad myſterium Euangelij propaland[illegible]
ipſo audeat prout oportet prædicare. Atque vt ce[illegible]
ſtet,præpoſitos Eccleſiæ & ſucceſſum concion[illegible]
Actor.16. ritu ſancto pendêre, non temerè ſcripſit Lucas, [illegible]
Spiritus vetuerit Paulum & Barnabam Dei verbum [illegible]
concionari, nec permiſerit etiam eoſdem in [illegible]
ficiſci. Præclarè igitur in veteri Eccleſia defi[illegible]tum [illegible]
culis longæuo vſu confirmatum habemus, vt comm[illegible]
ratio ſimul & ieiunatio inſtituatur, quando mi[illegible]
cris ordinibus initiantur. Neque ſolum qua[illegible]
anni temporibus, ſed etiam quoties noui Eccleſiæ [illegible]
vel magiſtratus eliguntur, peculiari quodam & ſolemni [illegible]
ſacer hic Spiritus laudabiliter inuocatur, qui fœlicem [illegible]
ſum & progreſſum præſenti tribuat inſtituto. N[illegible]
quantò rariùs atque frigidius inuocatur Spiritus ſanct[illegible]
quantóque magis humanis affectibus & cupiditat[illegible]
getur, tanto infœliciùs agitur cum rectoribus Eccleſiaſtic[illegible]
atque politicis inſtituendis ac promouend[illegible]

IV.

Spiritum ſanctum in Apoſtolis mirabilia eff[illegible].

INTER alia diuini Spiritus opera, quæ conſidera
tione & laude digna ſunt, valdè notabo ſ[illegible]
mirificam, inuſitatam & efficacem pro[illegible]ta
tionem, quam die Pẽtecoſtes in Apoſtol[illegible]
Actor.2. fidelibus factam Lucas expoſuit, nec iniuria mirati [illegible]
rimùm Hieroſolymitani. Tunc enim primùm d[illegible]
ptizati ſunt, iuxta illud quod Chriſtus cœlos pet[illegible]
Actor.1. dixerat: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem [illegible] mini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Qui Spiritus [illegible]
cro baptiſmate nonnunquàm mirificè operatur, vt [illegible]
Tit.3. Paulus illud vocet lauacrum regenerationis & renou[illegible]

Spi-

Spiritus ſancti, quem in eos fundit abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Vnde alibi quoquè illos qui antea immundi, ſordidi & irę fuerunt filij, poſt baptiſmum hoc modo compellat: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* 1. Cor. 6. Deniquè illi ipſi ob peculiares effectus, quos Spiritus in baptizatis operatur, nouæ creaturæ in Chriſto appellantur. 2 Cor. 5. Galat 6. Et certè quidem Cyprianus antequam Chriſtiano ritu baptizaretur, Lib. 2. Epiſt. 2. ad Donatū. eſt demiratus renaſci hominem ita poſſe, vt animum mentemq; repentè conuerteret, atque vt olim in adultis fiebat, veterem hominem cum nouo prorſus commutaret. Idem verò poſt baptiſmi ſacramentum acceptum de ſeipſo prædicat, quòd ſenſerit per Spiritum ſanctum ſe veteris vitæ vitia, affectus & conſuetudinem exuiſſe, ac ea ſibi facilia, grata & iucunda fuiſſe, quæ prius valde ardua, triſtia & horrida videbantur: ideòque baptiſmum criminum mortem, & virtutū vitam appellat. Confirmat hæc Lactantius, quotidiana proferens experimenta, vt oſtendat, lauacro baptiſmi, malitiam Lib. 3. diuin. inſtitut. cap. 25. omnem aboleri, & inter cætera ſcribit: Da mihi virum qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus: pauciſsimis Dei verbis tam placidum quàm ouem reddam.] Veruntamē longè prçſtantior, vberior & admirabilior ea fuit mutatio ac operatio, quā per eundem Spiritum baptizatis diſcipulis attulit dies Pentecoſtes. Etenim qui parùm ingenij valebāt acumine, adeòq; rudes & literarum ignari erāt, ſapientiſsimi theologi, ac peritiſsimi omnium gentium magiſtri, idque ſine pædagogis, ſine literis & ſtudiis vllis humanis ſubito euaſerūt. Cùm antea infirmi, timidi & puſilli tanquàm tyrones viderētur, tam fortes athletæ ac generoſi milites è veſtigio prodierunt, vt nullis mundi blandimentis, nulliſque periculis vel ſuppliciis ab Euangelij prædicandi munere dimoueri ac reuocari poſſent. Aderat enim virtute magna Spiritus, qui omnium animos inextinguibili igne ſuccenderet, omneſque peccati ſordes illis exureret, ac ſingulorum mentes ſanctificaret, immò & in gratia tantoperè confirmaret, vt ab ea omniquè verita-

te fidei

te fidei non poſſent excidere, nulloque tentationum impe-
tu, aut hoſtium terrore ab amore diuino depellerentur. Ve-
rè etenim in illis completum eſt, quod legimus, *Aquæ multæ
non potuerunt extinguere charitatē.* Quid quęſo admirabilius,
quàm eos omnium Gentium linguis, quas vel non [illegible]
rant, vel certè non didicerant vnquàm, ita loqui, vt ab [illegible]
bus ſine negotio vbiuis gentium intelligerentur? Fuit enim
illis tale tantumq́ue linguarum donum, vt quiſq́ue [illegible]
e- omnium loqueretur, ſicut & Gregorius Nazianzenus affir-
t. mat. Quid magis quæſo, à natura & communi conſuetudine
hominum alienum, præterquàm laborem quieti, paupertatem diuitiis, inediam epulis, ignominiam honori anteferre,
quibuslibet moleſtiis & ærumnis non deterreri, ſed oblectari, mortem verò & mortis amica ſupplicia deſiderare? Hæc
omnia diuinus ille Spiritus, quo nihil eſt potentius, ſemel
hauſtus, & poſteà nunquàm amiſſus, efficiebat [illegible], qui
mundo quidem abiecti prorſus & deſpecti, idiotæ ſimul &
inopes, & ſicut Paulus vocat, purgamenta huius mundi, &
omnium peripsêma, ſiue, vt quidam vertūt, pu[illegible] [illegible]
rum eſſe videbantur. Tantum enim diuini amoris ardorem
cunctis iniecerat Spiritus, vt illi rerum caducarum obliti, &
velut extra ſe poſiti, mundum & ſeipſos contemnerent, crucem optarent, ſolamq́ue Chriſti gloriam & ſalutem animarum flagranti pectore ſitirent, nec vllam laboris moleſtiam
& aut doloris acerbitatem Dei nomine ſubire dubitarent. *Noſtra* inquiunt, *conuerſatio in cœlis eſt. Noſtra vita Chriſtus, nobis
mori lucrum. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Propter te
mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis: ſed in
his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Ibant enim
gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.*

Benedictus Deus, qui tam firmas Eccleſiæ columnas, tam
ſapientes domus Dei architectos, tam illuſtres Euāgelij præcones, & indefeſſos hominum piſcatores ex fragilibus v[illegible]
lis fecit, per quos totus demum orbis ad Chriſtum conuer-

ſus,& vnius fidei vinculo colligatus, ſeſe humili Chriſti iugo ſubiecit. Ergóne mihi valdè diſpliceam, qui ab hiſce fructibus & operationibus diuini Spiritus tam procul abſum? qui eiuſmodi ſanctum amorem & ardorem in me vix exiguum ſentio? qui tali doctore, paraclêto & medico meo nihil dignum ago? qui ſecundùm carnem viuere potius quàm verè ſpiritualis eſſe contendo? qui nec Prophetam æmulor Dauidem inter pœnitentiæ ſuæ lamenta tam ſollicitè obſecrantem, vt habeat Spiritum rectum, Spiritum ſanctum, & quo confirmetur in gratia, munificum & principalem? Cur ſaltē non diſco in rebus arduis, & ſecundùm hominem impoſſibilibus benè ſperare, nec humana, ſed diuina niti potentia, quæ per ſanctum Spiritum tam multa & præclara in ſanctis ſuis operatus eſt, & adhuc in Eccleſia per malos etiam ſacerdotes in Sacramentis, exorciſmis & externo illo miniſterio operatur, vt & hoſtes fateri ſępè cogantur: *Digitus Dei eſt hîc*, ſicut Magi Pharaonis & Balaam ariolus, licet profani ac impij homines, Dei gloriam in populo Iſraëlitico celebrârunt. Certè Chriſtum Dominum inuocabo, vt aliquam partem & ſcintillam eius ignis, qui tantoperè Apoſtolos inflammauerat, & Martyres in ſuppliciis maximis imperterritos reddiderat, mihi quoque largiri dignetur. Scio enim quàm verè Chriſtus dixerit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Nec dubito Cyprianum rectè ſcripſiſſe: Non (qui beneficiorum terreſtrium mos eſt) in capeſſendo munere cœleſti menſura vlla vel modus eſt. Profluens largiter Spiritus, nullis finibus premitur, nec coercentibus clauſtris intra certa metarum ſpacia refrenatur. Manat iugiter, exuperat affluenter: noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat. Quantum illûc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus.] Veni ergò creator Spiritus, mentes tuorum viſita, & ignem tui amoris in cordibus eorum accende.

Pſalm. 50. Exod 8. Num. 24. Luc. 12. Lib. 2 epiſt. 2.

Spiritum ſanctum in primis fidelibus apud Hieroſo[illegible]mam mirè potentem extitiſſe.

SPIRITVS ſanctus mille artifex, ſine cuius nu[illegible] nihil boni & præclari eſt in homine, non ſol[illegible] Apoſtolis,ſed etiam per illos in primis fidel[illegible] randum in modum eſt operatus, vt virtut[illegible] meritò celebrem,gratusque ſuſpiciam. Cùm enim Apoſto-lus Petrus primam concionem Hieroſolymis ex tem[illegible] buiſſet,reteque ſuum in vaſtum mare iecisſet,ſtatim audien-tium corda tetigit Spiritus,& ita tetigit,vt Ieſu Chriſti no[illegible] quod anteà infenſiſſimè exoſum habebant,illis dulceſcat[illegible] ſimulque reuerendum, amabile & venerabile cu[illegible] retur. Nec ſolùm Petri verbis fidem adhibent, ſed [illegible] get ac pœnitet eos veteris vitæ ac peccatorũ omnium, quæ vnquàm contra Dei legem commiſiſſent: ſacri vero bapti-mi lauacrum expetunt,parati Iudaiſmo relicto [illegible] Chri-ſtianam religionem amplecti, & in ea vnice [illegible] Qui cùm baptizati eſſent,nouam inter ſe ſoci[illegible]e[illegible]unt, & amicè prorſus placidèq; cõmorantur,a corrupti vulgi mo-ribus & cõſuetudine prorſus abſtinentes. Tũ boni[illegible] propriis ſe ábdicãt, cura craſtini prorſus abiecta, & in cõm[illegible] viuut, tanta inter ſe fidei & mentium vnione copulati,vt omnes v-nam animã & cor vnum habere atq; præſtare viderentur.Cũ illa concordia & ſimplicitate,(quis non miretur:[illegible] ſtudia cõiungunt,quotidie vnanimiter in templo ver[illegible] nec modò piis precibus & diuinis laudibus aſſiduè vaca[illegible] ſed etiam Apoſtolica doctrina confirmant animos, in e[illegible] ſedulò perſeuerãt. Adhęc quis credat eos domeſtic[illegible] ac pro-fanis negotiis implicitos fuiſſe,qui ſacroſanctam *Eucha*[illegible] quotidie perciperẽt, vt cœleſti aliment[illegible] roborati,o[illegible] lorum genus pro Chriſto facilius ferre,ac in bene beat[illegible] uendo maiores indies progreſſus facere poſſent. O ſi [illegible]

e Spiritus, etiam mihi ac Catholicis omnibus gratiam im-
ertiret, quam tum ſub Iacobo Epiſcopo Hieroſolymis, &
einde ſub Euangeliſta Marco Alexandriæ primi fideles etiã
oniuges habuerunt, multisque modis & fructibus inhabi-
ntis Spiritus ſancti, domi & publicè teſtati ſunt, homines
ique mundo mortui, & ſpiritu in Deum erecti, veraq; cha-
tate, paupertate, continentia & modeſtia præditi, adeò vt
hil niſi Chriſtum ſitire & diligere viderentur. De his ipſis
diſſerit Chryſoſtomus: Sancti Spiritus conſolatione ac-
ſi ſimul & corroborati in populo Chriſti viri ac mulieres,
aciis diuino amore animabus mortem contempſerunt, na
ram carnis vicerunt, tyrãnidem voluptatum conculcârũt,
mmas concupiſcentiarum extinxerunt. Iſta Spiritus ſancti
hortatione incitati, omnia quę ſuper terram quaſi ſomnia
ntempſerũt, pecunias, negotiationes, poſſeſſiones, veſtes,
es, patres, matres, filios, cognationes, generis nobilitatẽ.]
iungit præterea, quòd ab eodẽ Spiritu perſuaſum ſibi om
s habuerint, quod ſcriptum eſt: *Non habemus hîc manẽtem
tatem, ſed futuram inquirimus*, cœleſtem nempè Hieruſa-
m: eos tanquàm aduenas & peregrinos in hoc vixiſſe ſecu-
ad cœleſtem Patrem adſpiraſſe, & cõmunem cũ Chriſto
m in cœlis deſideraſſe, qui Spiritum ſanctũ hodie nobis
cœlo demiſit, nosq; Dei filios ac hæredes effecit.] Sede-
n bone Deus, quãtoperè apud nos priſca illa pietas friget,
e optemus quidẽ nobiſcum rectiùs geri, vtq; à primorũ
liũ veſtigiis planè abhorreamus? Vnde neq; cũ Pſalmo-
pho precamur: *Cõfirma hoc Deus quod operatus es*, cũ nẽpè
nùm Euãgelicę gratię muſtũ ſitiẽtibus illis fidelibus pro
res. Vtinã vtinam aureũ illud, vt ſic dicam, ſeculũ, poſtli
io tandem rediret, in quo fœda cupiditas, radix malorũ
niũ, extinguatur, ſuiq; prodiga charitas prima reuireſcat.
am pro amore priuato ſyncera Chriſti gloria quæratur,
ncta pauperras, quæ ſuum iam amiſit pretiũ, veteri loco
tuatur. Vtinam peſtiferas factiones & exitialia diſſidia pa
mator & autor idem Spiritus è medio tollat, veramque
fidei

Vide Euſeb. Hieron. Epiphan.

Serm. in Pentecoſt.

Hebræ. 13. 1. Pet. 2. Philipp. 2.

Pſalm. 67.

1. Tim. 6.

fidei vnitatem & animorum concordiam [illegible] totque ſeditionibus ac bellis finem optatum [illegible] mum vtinam ille mundi reformator tales [illegible] ſtros ac miniſtros largiatur, qui verbum Dei & [illegible] ritè diſpenſent, & religioſum diuini cultus amorem [illegible] in populo paſſim excitent promoueantque.

VI.

Quantam vim & iniuriam Spiritui ſancto inferant Sectarij noui.

CHaritatis affectum in me excitabo ſi [illegible] quàm, nunc maximè ad commiſerandum [illegible] matri Eccleſiæ, potiſſimùm propter [illegible] uos orbis præſentis perturbatores, qui peſtes [illegible] ritu malo haud dubiè in Europam inuectas alere & augere non deſinunt. De his loquor; qui ſiue ſcientes ſiue ignorantes, tam multa Spiritui ſancto per ſummam [illegible] pere, ac diuinis eius operationibus in Eccleſia derogare & adimere non erubeſcunt. Surripiunt certe, qui hunc Spiritum, quo nihil in corpore Chriſti nobilius extat, in Eccleſia Catholica, in ſacris Conciliis, & venerandis Patribus [illegible] tem nobisque loquentem, ſi tantùm audire velimus, [illegible] bè contemnunt, & quaſi ſub ſuam ferulam audent [illegible] re. Surripiunt, qui eundem Spiritum tam anguſtis limitibus circumſcribunt, & quaſi certis compedibus violenter aſtringunt, nihil vt poteſtatis illi Legislatori relinquant in docendis ac definiendis aliis, quàm quæ vnus Bibliorum codex claris & expreſſis verbis continet; viuificantem quippe Spiritum literæ mortuæ pro ſuo ſupercilio alligare [illegible] runt. Surripiunt, in ſanctificatoris huius authoritatem [illegible] lantes, quum ius & facultatem illi tollunt per miniſtros Catholicos in Sacramentis peccata tollendi, & gratiam [illegible]

2. Cor. 3.

dendi, illudque efficiendi, vt renati præcepta diuina ſeruare, legem implere, & ſuis benefactis præmia mereri æterna poſſint in Chriſto Domino noſtro. Surripiunt, qui veterum & præſtantium Patrum, aliorumque piorum dicta, ſcripta, exẽpla & opera ex eodem Spiritu profecta atque confecta, ſed ipſis inuiſa & infeſta, malitioſè carpunt, calumnioſè traducunt, ſæpè & populo ridenda proponunt. Surripiunt, temerè inficiantes aut impiè conuellentes, quòd Spiritus efficaciam dicimus, per Sanctos & Sãctorum reliquias nos ſubinde deriuari, & à viuis multis cum fructu percipi, quemadmodum & præſentibus Sanctorum miraculis adſtrui atque confirmari. Surripiunt demum, ac præcipuum officium impudenter Spiritui auferũt, qui ex ipſo doctore veritatis, infallibilique rectore & magiſtro Eccleſiæ, quem Chriſtus veritas æterna promiſit, Spiritum incertum, ſuſpectum ac fallacem quodammodò faciunt, vtpote qui ſæpè ſynodos legitimè congregatas, & ordinarios Eccleſię paſtores ac doctores cõſentientes in rebus fidei permiſerit fœdè falli atque hallucinari. Ioan.14 & 16.

Supereſt igitur, vt ſi tempus hoc ſanctum ritè velim expendere, partim gratulandi, partim condolendi mihi affectum vſurpem. Gratulabor enim Eccleſiæ de tanto accepto munere, immò munerum omnium donatore, qui vnus veritatis Spiritus permanens (nec enim falli poteſt aut fallere) ſuũ munus à Chriſto ei tributum, tot ſeculis ſumma fide adminiſtrat. *Non enim dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſraël, quiq; facit fratres in domo vnanimiter habitare.* Viciſſim eidem matri condolebo, quòd in peſtilenti hæreticorum ſynagoga, quæ Eccleſiæ veræ ſemper æmula eſt ac ſimia, videre ac ferre cogatur tot ſpiritus erroris atque mendacij. Etenim hi latiſsimè modò vagantur, & complures nationes, linguas & gentes ita peruertunt, vt ſanam doctrinam, ſicut Apoſtolus ſæpe prædixit, nè audire quidem ſuſtineant, errantes & in errorem mittentes, ſemperquè in peius proficientes. Gratulabor itidem Eccleſię perpetuò ſibi conſtantem Spiritum vnitatis, Pſalm.120. & 67. 1.Tim.4. 2.Tim.3.

tatis, pacis atque concordiæ, per quem ad vnam [illegible] deique doctrinam & confeſſionem ex omnibus gen[illegible] vocata atque collecta, in vnum Chriſti corpus pulchre [illegible] pingitur, & vno eiuſdem capitis ſpiritu animatur [illegible] getatur, ideòque ſemper ſibi ſimilis & conſonans p[illegible] rat, quemadmodum inclytam, decoram & amabilem [illegible] ſti ſponſam decet, quæ iuxta Cyprianum adulterari [illegible] teſt, ſed incorrupta & pudica perſiſtit, eſtque ſemper [illegible] lo dicitur, columna & firmamentum veritatis. C[illegible] rurſus condolebo, quòd complures nothos & ſ[illegible] bis & legitimis filiis admixtos habeat, tamque i[illegible] perfidè ab his deſeratur, quos multo tempore vel [illegible] menter fouit, multorumque bonorum participes [illegible] quàm enim plures ex caſtris Eccleſiæ profugerunt, & [illegible] lierem extraneam, ſynagogam nempè malignantium [illegible] lomone deſcriptam, ſtudioſius conuolârunt [illegible] bellium & apoſtatarum ſynagogam ſtabilierunt. Et [illegible] apud hos nullus conſenſus dogmatum, nulla fidei [illegible] tia, ſed ſectarum & opinionum immanis colluuies & [illegible] lonica cōfuſio clariſsimè cernitur, quandoquidem [illegible] diſſono choro ſuam quiſque canit cantionem [illegible] milites armati & ebrij diſcordibus inter ſe animis & vocibus horribiliter tumultuantur: cùmque ſint velut aſpides [illegible] quæ aures ſuas obturant, non penetrat in animas [illegible] ctrina Spiritus, neque vox Eccleſiæ ſapienter [illegible] tòque minus loquentem in Patribus Spiritum audiunt. [illegible] tè Irenæi martyris ſana & ſobria vox eſt: Vbi Eccleſia, ibi & Spiritus Dei, ibi & omnis gratia: Spiritus autem [illegible] rurſus: In Eccleſia inquit, poſuit Deus Apoſtolos, Prophe[illegible] tas, doctores & vniuerſam reliquam operationem [illegible] cuius non ſunt participes, qui non concurrunt ad Eccle[illegible] ſiam.] Nec minus luculenter ab Epiphanio ſcriptum legi[illegible] mus: Omnis hæreſis mentitur, quæ non accepit Spiritum [illegible] ctum ſecundùm traditionem Patrum in ſancta Dei catholi[illegible] ca Eccleſia.] Quantùm autem quis amat Eccle[illegible]

De ſimplicitate prælatorum.
1. Tim. 3.
Prouerb. 7. & 9.
Pſalm. 57.
Lib. 3. cap. 40.
In Ancoratu.

amat Spiritum ſanctum, vt Auguſtinus palàm affirmat; qui præterea eundem Spiritum fruſtra quæri ait, niſi in Chriſti corpore, quod viuificat Spiritus ſanctus, ſine quo peccatorum remiſſio à nemine accipiatur. His omnibus conſonat Cyprianus, quum docet, Spiritum ſanctum de illorum exceſſiſſe pectoribus, qui ſunt extra Eccleſiam poſiti, quibus qui credit, cum illis neceſſe eſt inueniatur, quum dies iudicij venerit.]

Tractat. 31. ſuper Ioan. & in epiſt. 50. ad Bonifacium.

Lib. 4. epiſtola 9.

Quapropter nemo prudens negauerit, nunc mihi piiſque omnibus lacrymandi ac plorandi eſſe tempus, quum res ipſa doceat, Spiritui veritatis & ſanctitatis omnis authori & conſeruatori vim ſummam inferri, eumque à ſectariis nefariè ac ſceleratè tractari, non ſecus quàm ſi quis barbarus optimum hoſpitem è ſua domo, veterique & firma poſſeſſione per atrocem iniuriam exturbaret, ac eundem omni honore & cultu debito pro ſua libidine immaniter ſpoliaret. Væ igitur mihi inter tot blaſphemos, nè dicam ſerpẽtes, dracones ac baſiliſcos peſtilentes habitanti, quos nec pudet, veros & proprios huius ſacroſancti Spiritus effectus, non dicã ſpernere, ſed etiam in malitiæ omnis authorem teterrimum Satanam transſcribere, quum nempè Catholici nos cruce Dominica conſignamus, ſacram Euchariſtiam conſecramus & offerimus, creaturis in nomine Domini benedicimus, dæmones adiuramus & expellimus, per miracula fidem adſtruimus, & ſacerdotale munus ad altare, vel in Eccleſia de veteri more exercemus. O tempora, ô mores, tot hominum greges non occultè ſed publicè, & ſumma cum populi pernicie, ac impunè graſſari, qui etiam ea quæ ignorant, ſuperbè, furioſè, impièque blaſphemant. *Hi Spiritum non habent, ſegregant ſemetipſos, ſunt animales, illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulant in impietatibus. Hi dominationem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant*, ſicut Iudas Apoſtolus futurũ eſſe prodidit. Nam & Apocalypticus ille draco poteſtatem tribuit Beſtiæ, id eſt, Antichriſto, eiuſque præcurſoribus, vt maledictis & blaſphemiis inſectentur Deum, & nomen eius,

Iudæ 1.

Apocal. 13.

ſed & tabernaculum eius, virgineam nempè matrem, & ſanctos in cœlo habitantes, quemadmodum Ioannes non obſcurè vaticinatus eſt. Hei mihi, tam multos hodie Spiritum ſanctum blaſphemando inſectari, ſeque tam enormi & tragici crimine, quod neque in hoc, neque in futuro ſeculo remittitur, obligare, nihil interim verentes terribilem illam Chriſti ſententiam: *Qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.*

Ibidem.

Matth.12.

Marci 13.
Matth.12.

VII.

Non ſolùm hæreticos, ſed & Catholicos crebrò in Spiritum ſanctum impingere.

SI honor ſacroſancti Spiritus mihi cordi eſt, vt eſſe quidem meritò debet, non ſolùm apertos Eccleſiæ hoſtes, ſed & Catholicos in illum ſæpè grauiterque peccantes vigilanter obſeruabo, atque iuſto mœrore proſequar. Peccant in illum vtique Ebionitæ, miani, Ariani, Macedoniani, aliiq; plures Pneumatomachi, quoniam de illius diuinitate, proceſſione, virtute, munere & operatione aliter quàm docet Ecclæſia, hæreticè ſentiunt. Peccant, qui hunc ſummum & infallibilem fidei & veritatis Chriſtianæ magiſtrum, tum in Epiſcopis & præpoſitis Eccleſiæ, tum in OEcumenicis Conciliis, tum in ſanctis Patribus loquentem, & ſiue de credendis, ſiue de faciendis ſua ſenſa nobis patefacientem, ſurdis velut auribus prætereunt renuuntque. Peccant, qui Epiſcopis & præpoſitis Eccleſiæ a Spiritu ſancto vtique inſtitutis non obediunt, ſed palàm reſiſtunt, illorumque decretis & inſtitutis derogant, & perfrictâ frõte contradicũt, ſicut è ſuperioribus facilè poteſt animaduerti. Inſignis Pontifex Damaſus perſpicuè dixit: Blaſphemare Spiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra ſanctos canones Patrum, qui Spiritus ſancti inſtinctu editi ſunt, libenter aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſu-

Actor.20.

In epiſtola ad Aureliũ Chartaginenſem Epiſcopum.

mant,aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio inquit, manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium in Spiritum ſanctum.]

Iam verò vt ad Catholicos veniamus,vtinam rarior illorũ ſit numerus, qui non leuiter in Spiritum ſanctum peccare conſueuerunt. Primùm enim hûc ſpectant ea crimina multis(proh dolor)familiaria,quæ vſitato vulgi more peccata in Spiritum ſanctum appellantur,& quoniam ſummam hominum malitiam, non autem ignorãtiam aut infirmitatem habent annexam,ægrè admodum ſiue in hoc,ſiue in futuro ſeculo à Deo remittuntur. Hac enim lege nobiſcũ agit Deus, vt nec gratiam in terris,neque gloriam in cœlis tribuat aliis, quàm qui peccatum deteſtantur agnitum, & bonum ſibi proponunt rectũmquè eligunt vitæ inſtitutum. Indignum profectò eſt facinus, tam multos atroces hoſtes optimi Spiritus,& eoſdem obſequentes filios peſſimi Satanę paſſim reperiri, qui de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati præſumunt,vel cum impio Cain de peccatorum remiſſione deſperant,qui & agnitam veritatem ſcientes oppugnant, & corde inuido Dei gratiam aliis communicatam proſequuntur, quiquè obfirmatam peccandi voluntatem non deponunt,atquè in ſua,vt Paulus vocat, impœnitentia ex hac vita decedunt. Hæc enim peccata ſunt ad mortem,ſicut Ioannes loquitur,& mors illorum peccantium eſt lõgè peſſima,cùm nullam vnquàm remiſsionem à Deo conſequi poſsint,quando illorum rei *ſecundùm duritiam ſuam & impœnitens cor*, vti ab Apoſtolo dictum eſt, *theſaurizant ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Tales igitur in Spiritum ſanctum omnis gratiæ fontem iuxta veterem loquendi morem propriè peccare,& illi vel maximè repugnare dicuntur.

Geneſ. 4.
Rom. 2.
1. Ioan. 5.
Pſalm. 33.
Rom. 2.

Peccant & illi ex Catholicis, quotquot ſua mẽbra & corpora, vtpote conſecrata Spiritus ſancti domicilia & templa, libidine fœda polluunt & profanant,ventri,ebrietati, impudicitiæ, carni ſeu Veneri velut mancipia ſeſe dedentes ac inſeruientes. Hos autem Apoſtolica illa dicta coarguunt: *An* 1. Cor. 6.

neſcitis, quoniam membra veſtra templũ ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Christi? Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſq; veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore. Hinc etiam Auguſtinus dixit: Ipſum corpus tuum templum in te eſt Spiritus Dei.

Ibidem. 1.Cor.3. 1.Theſſ.4. In tract.16. de verb. Domini.

Peccant rurſus, qui ſuas aures ac mentes obturant, ne loquenti & arguenti Spiritui præbeant locum, eique non faciem ſed dorſum exhibeant. Tales olim fuere Iudæi, & hodie [illegible] plurimi Orthodoxi, duræ ceruicis & pręfracti, [illegible] bus frons eſt ænea, vt meritò illud à Stephano Protomartyre audiant: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtiſtis.* Monet igitur [illegible] Pſalmographus, vt ad vocem Domini hodie audiendam corda noſtra non obduremus: verum etiam Paulus Apoſtolus in hunc modum ſcribit. *Videte fratres, ne ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, [illegible] cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Obduratus autem viuit, ſi Fulgentio credimus, [illegible] conuertitur, deſperans de indulgentia peccatorum [illegible] ſiue qui ſic miſericordiam Dei ſperat, vt vſque in finem vitæ præſentis, in ſuorum criminum peruerſitate [illegible]

Actor.7. Pſalm.94. Hebræ 3. Lib. de fide ad Petrũ Diaconum.

Mentiuntur itidem Spiritui ſancto, ſicut Petrus Apoſtolus nos docuit, qui vota ſua Deo vel Eccleſiæ facta, [illegible] ſancta promiſſa non præſtant, ſed perfidè violant, [illegible] libidine ſua reſcindunt contra id quod apertè [illegible] gimus. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Ita [illegible] Spiritus periuris ac perfidis, ſicut Ananiæ & Sapphiræ [illegible] nat & ſalaces viduas, quæ vt carni laxent habenas, [illegible] dem ſiue ſponſionem cum Chriſto initam [illegible] ſicut Paulus oſtendit, quoniam dicatam Deo [illegible] ſacrilegis nuptiis contaminant, Chriſtique ſponſo [illegible]

Actor.5. Pſalm.75. Actor.5. 1 Timot.5.

lectas præbent. Peccant iterum, qui contra præceptum Apoſtolicum ſcientes contriſtant, & quod peius eſt, extinguunt Spiritum ſanctum, cùm ſuę vocationis terminos licenter excedunt, pios ac ſimplices impuris verbis & factis offendunt, nec Paulinam illam obſeruant ſententiam: *Vnuſquiſq, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Non vocauit nos Deus in immunditiā ſed in ſanctificationem:* Ac rurſus: *Nemini* inquit, *dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.* Demum huc ſpectat infinitus illorum peccantium numerus, qui non contenti ſanctiſsimum Spiritum è ſuis velut ædibus profligaſſe, nefarios eius hoſtes in ſuas vel officinas vel ſpeluncas inducunt, ſeque illis dominis turpiſsimè ſubiiciunt & obſequuntur. Regit igitur illos & occupat planè ſpiritus gaſtrimargię, fornicationis, philargyriæ vel auaritiæ, irę, triſtitiæ, acediæ, cenodoxiæ atque ſuperbiæ. De his autem ſpiritibus permulta ſcribit Caſsianus, vt qui ſecundùm Chriſti ſpiritum viuere cupiunt, aduerſus huiuſmodi capitalia vitia, quibus nos oppugnant dæmones, inuicti cōflictentur. Nam *qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitimè certauerit.* Vt autem contra hos immundos & nequam ſpiritus legitimè certemus, vero illo Spiritu doctore & cuſtode inprimis egemus, de quo Apoſtolus omnes Catholicos ſeriò admonet: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Si viuimus Spiritu: ſpiritu & ambulemus. Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Qui ſeminat in ſpiritu: de ſpiritu metet vitam æternam.* Quoniam verò commune hoc vitium eſt peccantium, vt diſcretione ſpirituum careant, ac falſa virtutis ſpecie decipiantur, valde mihi cauebo, vt quæ olim in Apoſtolos cadebat, in me quoque non competat Chriſti reprehenſio: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Qui autem Spiritu* DEI *aguntur*, ſi Paulo credimus, *ij ſunt filij Dei. Quod ſi quis Spiritum Chriſti non habet: hic non eſt eius.* Quapropter

Epheſ. 4.
1. Cor. 7.
1. Theſſ. 4.
2. Cor. 6.
A lib. 5. vſque ad 12.
2. Tim. 2.
Galat. 5.
Epheſ. 4.
Galat. 5.
Epheſ. 4.
Galat. 6.
Luc. 9.
Roman. 8.

ſæpè multumque Spiritum ſanctum inuocabo, vt ... fon-
tem & principium bonorum omnium, vt ſua diuina ſapien-
tia & virtute cor meum illuſtret ac expurget, ſuæque gratiæ
& charitatis capax faciat, nè partem vllam cum illis com...
nem habeam, qui bonitatis ipſius donis abutuntur, & ...
acceptis ab illo beneficiis ſæpè per ſummam ingratitud...
mala ei multa rependunt. Vnde in meas etiam aures ...
intonabit, quod in perſona eiuſdem Spiritus ſancti ...
Iſai. 30. dictum eſt: *Væ filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex*
me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum, vt adde-
Prou. 9. *retis peccatum ſuper peccatum. Vſquequo paruuli diligitis in-*
fantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & impru-
dentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correptionem me-
am: en proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis ver-
ba mea. Cùm verò plurimi, vt dictum eſt, hunc diuinum ho-
ſpitem malè tractent, & pauci illo doctore & con... ...
conuenienter vtantur, ego pro peccatoribus omni ...
ferè tempore vota faciam, eoſque patrono huic ...
ſimo commendare curabo. Prætereà mecum ...
qua ratione in Spiritus ſancti honorem de nō... ...can-
tibus benè mereri queam, ſiue conſilio, ſiue ...ione,
ſiue reprehenſione, aut ſaltem precatione, vel aliqua caſti-
gatione corporis aſſumpta, prout commodè fieri poſſe vi-
debitur, nimirùm vt errantes in viam redeant, & peccatis
obnoxij pœnitentiam agant, tum impuri verè à Spiritu ...
dentur atque ſanctificentur. Hoc enim eſt tantundem ...
ac miſericordiæ præſtare, quemadmodum ſi reiecti è domo
famuli cùm offenſo Patrefamiliâs opera noſtra reconcilien-
tur, aut ſi ad reos, vinctos, breuique extremo ſupplicio af-
ciendos amicus occurrat, qui eos vinculis, omnique metu
& periculo ſoluat, aut ſoluendos apud iudicem curet. *Qui*
Iacobi 5. *autem conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ,* non ...
rem Spiritui ſancto pergratam fecerit, ſed & *ſaluabit animam*
ſuam à morte, & operiet multitudinem peccatorum, vt ...
Apoſtolus adſtruit.

VIII. ...

VIII.

Quomodo ſecundùm Spiritum viuendum ſit illi, qui ad maiorem vitæ perfectionem adſpirat.

MVLTVM in eo ſitum eſſe cogitabo, vt ſciam, quomodo Spiritum ſanctum hoc tempore tot modis in Eccleſia laudatum & decantatum, mihi magis familiarem, amicum & fauentem efficere poſſim. Id verò fiet humili primùm accuſatione meiipſius, qui tam benigno pædagogo, liberali hoſpiti, & fido admonitori hactenus tam malè ſum obſequutus, & neque blandienti, neque arguenti aures & pectus reuerenter ac obſequenter præbui. Propria enim illius vox eſt: *Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant. Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo vita procedit.* (Prou. 23. & 4.) Quare imitandum Samuelem mihi proponam, qui ad omnem Dei voluntatem faciēdam ſe promptum offerens, ex animo dixit: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* (1. Reg. 3.) Loquitur autem in ſeruos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor, ſicut Dauid Propheta ſignificauit. (Pſalm. 84.) Sed neque Spiritum in me loquentem audire, neque ad cor integrè conuerti poſſum, niſi varia impedimenta ac veluti retia quædam reliquero, vt Chriſtum vocantem & Spiritum ſanctum ducentem ſequar expeditius. (Matth. 4.) Eiuſmodi retia ſunt mundi ſtrepitus, externa negotia, ſuperuacaneæ vanæque curæ, colloquia infructuoſa, mundi carniſque illecebræ, quæ multos à benè beatèque viuendo reuocant, & crebrò ad praua ſollicitant, veteriſque hominis augent licentiam, vt idcircò dixerit Sapiens: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* (Eccleſi. 19.) *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* (Eccleſi. 31.) Eò magis ego de tēpore redimēdo, de ſenſibus omnib⁹ in officio cōtinēdis, de modeſtia & ſubmiſſione ſeruādā ſollicitus eſſe nitar, (Epheſ. 5.) Paulo ipſo iubēte: *Nolite locū dare diabolo.* (Epheſ. 4.) Chriſti enim Domini præclarū imitabor exemplū, qui plenus Spiritu ſancto, ſtatim poſt baptiſmū acceptum, ab (Luc. 4.)

eodem Spiritu in deſertum agebatur, ibique pœni[illegible] corporali operam ſeriam dabat, & cùm tentatione[illegible] fortiter ſuperaſſet, in virtute eiuſdem Spiritus [illegible] in Galilæam, ſicut meminit Euangeliſta. Vt vero [illegible] conſtet, quales diſcipulos & familiares quærat hic [illegible] loquentem ipſum audire par eſt: *Ad quem* inquit [illegible]
Iſai. 66. *ciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & tr*[illegible]
Pſalm. 44. *ſermones meos?* Ac rurſus: *Audi filia, & vide, & in*[illegible]
rem tuam: & obliuiſcere populum tuum, & domum [illegible]
Oſeæ 2. *& concupiſcet rex decorem tuum.* Sicut & alibi loq[illegible]
cam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. M[illegible]
Prou. 3. topere hic Spiritus amet ſimplices: *cum ſimpl*[illegible]
Pſalm. 118. *humilibus ſermocinatio eius*, & quomodo delect[illegible]
lis, quibus arcana reuelat myſteria, & quàm c[illegible]
Exod. 16. & Num. 11. mundo velut deſerto peregrinantibus man[illegible]
Apoc. 2. rigat, quamqúe libenter hubere ſuæ conſola[illegible]
Iſai. 28. & 66. pleat, qui à lacte ablactati, & ab huberibus a[illegible]
pheta dicuntur. *Quomodo* inquit, *ſi cui mater b*[illegible]
ego conſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini.

Luc. 1. & 3. Et ſanè Ioannes Baptiſta non modò vir, [illegible] ſuo nos exemplo inſtruit, non ſolùm de ac[illegible] iam conſeruanda & augenda gratia Spiritus [illegible]. [illegible] cùm adhuc materno vtero contineretur, per C[illegible] re pletus fuit Spiritu ſancto, iamqúe puer fa[illegible]us, [illegible] & hominum externo conuictu relicto, quærit [illegible], pa rentum & amicorum vitat conſortium, amat [illegible] bi ſoli & Deo viuit, ſecundùm ſpiritum ambulat, [illegible] cet innocentem caſtigat, coràm Deo nocte a[illegible] fundit animam, precatur pro Eccleſia, contin[illegible] & [illegible] nentiæ, & orationis ſtudio ſemper incumbit. *Erat* [illegible]
Luc. 1. *nus Domini cum eo*, per omnes nimirùm ætates, [illegible] ue cum aliis degeret. Et nè Spiritus ſanctus [illegible] tioſus, ab hoc duce & magiſtro pendet [illegible] monitis per omnia diligenter accommod[illegible] dens & lucens. Nec ſunt abſimilia [illegible]
Ioann. 5.

operabatur in Daniele, eiuſque ſociis & æqualibus, non in eremo, ſed in aula regia verſantibus. Etenim illi leguminibus & aquæ potu contenti, lautiorem victum repudiabant, nec ſolùm abſtinentiæ, ſed etiam continentiæ, precationi, diuinóque cultui ſtudioſè vacabant, ſua & aliorum peccata confitebantur atque deflebant, mediis etiam flammis & impiorum corona circundati, Deum collaudabant. Nec eſt alienum quod Græcus quidam Theologus notauit, præſentis in homine Spiritus ſancti ſigna duo eſſe certiſsima, iuſtam animi manſuetudinem in proximum, & veram cordis in DEVM humilitatem: hinc enim Chriſtum ipſum præcepiſſe: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Cæterùm ad maiorem Sancti Spiritus gratiam mihi demerendam, vt paucis multa complectar, magis magiſque ſanè conferet, ad cor ſæpè redire, veteri homini abrenunciare, parua etiam vitia, cogitata, dicta, factaque ad trutinam reuocare: quæ malè admiſſa ſunt, etiamſi leuia videantur, frequenti dolore ac iuſto pudore in me vindicare, puritati mentis operam aſsiduam dare, impuris affectionibus aditum præcludere, in res exteriores non libenter effundi, ſalutaria quædam crebrò cum ſenſu animi meditari, ad puram diuini nominis gloriam cuncta referre, de me ſubmiſsè & modicè, de aliis benignè, candidè, præclarè ſentire & loqui, cùm alia Dei beneficia, tum Chriſti Domini vitam & mortem in memoriam quotidie reducere, pro his meritis ex animo gratias agere, multumque in ſacris colloquiis, quæ cum Chriſto & Sanctis eius ſuauiter inſtituuntur, demorari, & præſcripta quædam orandi tempora potiùs augere quàm minuere. Eòdem conferet vigilare ac prouidere, vt concitatioris naturæ impetum frangam, & immoderatos affectus, prauaſque inclinationes, quibus agitari ſoleo, diligenter obſeruem, vt illis veteris Adæ reliquiis, veluti noxiis herbis extirpandis, inſiſtam, earumque virtutum plantis quibus meus ager iuxta cœleſtis agricolæ mandatum excolendus eſt, ſtudium quotidianum impendam. Quę

Daniel.1.&3

Matth.11.

omnia mihi vt verè fiam ſpiritualis, tanta præſtitu eri[illegible] hora, quanto frequentius & ardentius patrem illum [illegible] rum, & donorum omnium fontem Spiritum ſan[illegible] uocauero, vt fructus illos Spiritus duodecim, quo[illegible] rat Apoſtolus, & ſeptem dona per Iſaiam propoſita [illegible]
Galat.5. Iſai.11. mihi benignè largiatur. Quid autem mihi deſid[illegible] ac gratius eſſe debet charitate, quæ inter alia don[illegible] nè beatéque viuendum diuinitus nobis infuſa, pri[illegible]
Galat.5. ctus Spiritus à Paulo numeratur, & munus DEI [illegible] præſtantiſſimum, DEO acceptiſſimum, fidelibus [illegible]
Rom.13. 1.Tim.1. rimum, immò & plenitudo legis finisque præcepti? Quam obrem ego Eccleſiæ matris exemplum, piorumque [illegible] nium conſuetudinem ſequar, qui hiſce diebus iden[illegible] Spiritu ſancto precantur, vt amoris illius ignis plane [illegible] nus in cordibus fidelium accendatur. Vbi enim [illegible]
Luc.7. hic ignis, ſicut in Magdalenæ pectore ſuccenſus [illegible] malorum omne genus exurit, iugum Domini [illegible] facit, & quemadmodum in Apoſtolis, crucem non modo
Actor.5. Rom.5. Galat.6. facilem, ſed & amabilem reddit, vt cum Paulo [illegible] catur: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI.

INVOCANDVS eſt mihi Spiritus ſanctus, qui in primis Chriſti diſcipulis hodierna die potenter eſt operatus, vt repleti omnes varijs linguis magnalia Dei multis populis loquerentur. Inuocandus autem eſt, vt idem ipſe nunc ſuam virtutem ex[illegible] rat in capitibus atque primoribus orbis Chriſtiani, atque per illos efficiat, quod ad communem Eccleſiæ Catholicæ vnionem, pacem ac reformationem, hoc turbulento & corrupto ſeculo maximè deſideratur. Quarè cum Pſalte regio ſubinde dicam E[illegible]
Pſalm.103. & 67. re Spiritum tuum & creabuntur: & renouabis faciem [illegible]. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo tuo in Hieruſalem.

ORABO etiã pro Catholicis cõcionatoribus [illegible]

cam extrudendis, proq; miniſtris Eccleſiæ omnibus, vt electa eſſe poßint organa Spiritus ſancti, vtq; cum Apoſtolis noui planè homines ac verè ſpirituales fiant, qui paßim apud omnes nationes, & in omni genere linguarum veritati Chriſtianæ teſtimonium efficax ferant, nec ſolùm fidei vnitatem, verùmetiam vitæ integritatem Catholicis populis reſtituere poßint.

PRECABOR *inſuper Spiritum ſanctum non ſolùm Eccleſiæ, ſed mihi quoq; dari ſanctificatorem, paraclêtum, doctorem, rectorem ac reformatorem, qui & ea dona, quibus in mea vocatione potißimum egeo, largiatur & augeat. Peculiariter autem Spiritum ſanctum inuocans crebro dicam: Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus, infirma noſtri corporis virtute firmans perpeti.*

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sequentis Euangelij argumentum.

HOC Euangelium, quod pios valdè conſolatur, immenſum illum Dei amorem explicat, quo factũ eſt, vt vnigenitum Filium ſuum ad ſaluandum gratis donaret non paucis mortalibus, ſed toti mundo ſeu humano generi, quamuis perdito atque damnabili. Quod ineffabile beneficium ad ſalutem æternam obtinendam nemini non offertur, qui præſenti & viuida fide illud velit amplecti, ſeque Patri & Filio & Spiritui ſancto gratum exhibere contendit. Docemur inſuper, fidem homini adeò neceſſariam tantique momenti eſſe, vt ſine illa cunctos

incre-

incredulos in perpetuum perire neceſſe ſit, & cum [illegible]
ipſa fideles ſalutem æternam aſſequi poſsint. Explicatur
etiam ratio, cur tam multi poſt Chriſti Redemptoris aduentum damnentur, nimirùm partim ob incredulitatem
malorum omnium radicem, partim ob alia peccata, quæ
poſt baptiſmum à credentibus cõmiſſa, tenebrarum nomine continentur, & cum luce Chriſti ſtare non poſſunt.
Ioan. 1. Matth. 1. Etſi enim Chriſtus lux vera, & promiſſus ille Meſsias
ſaluator in mundum venerit, tanta tamen eſt hominum
ingratitudo atque peruerſitas, vt ſua ignorantia & incredulitate ſeipſos perdant, ſuorumque vitiorum [illegible]
magis quam Chriſtum ipſum eiuſque præcepta diligant,
vtpote temporariis curis & humanis affectibus [illegible]
quàm ſpiritualibus & diuinis rebus addicti. Peius adhuc
eſt, quòd malè agentes, lucem ipſam in ſe [illegible]
ſed ægris oculis inuiſam oderint, & ad lucem [illegible],
vt in ſuis peccatis corrigantur, venire detrectent. [illegible]
autem hoſtes Eccleſiæ, fidei nomine abutentes, [illegible]
putant hìc à charitate diſiungi, ſolamque valere ad iuſtitiam & ſalutem æternam obtinendam, licet [illegible]
Catholicam, ſed ſectariam fidem profiteantur, [illegible]-
tis excidant à fidei ſynceritate. Prædicat nobis Euangelium fidem vti radicem bonorum operum, [illegible]
de procedant, nec Deo placere, nec hominibus [illegible] vnquàm eſſe poſſunt. Verùm hæc Catholica fides neminem
iuſtificat ac ſaluat, ſi ſterilis maneat, neque per charitatem ſiue dilectionem operetur, ſicut Paulus & Auguſtinus adſtruunt. Fide, vt vocant, formata, Deo & Eccleſiæ adhæremus, viuaq; Chriſti membra perſiſtimus, fructus illos afferentes, ſicut Chriſtus hoc loco innuit, vt
fugiamus tenebras, & ad lucem veniamus, imo & opera
bona in Deo legitimè faciamus. Qua de re paulo poſt
pluribus erit diſſerendum. Hoc tantum ex Fulgentio adiungemus, vbi cum fide charitas non eſt, ſicut in Saule &
Simone Mago cernimus, fidem non prodeſſe, imo [illegible]
quæcunque dona Spiritus ſancti eſſe poſſe, ipſum [illegible]
Spiritum ſanctum eſſe non poſſe, ac per hos [illegible]
ſe illorum donorum largitatem, vbi ſic [illegible]

Galat. 5.
In Enchiridio. cap. 8. & lib. 20. Homiliarum. homil. 17.

Lib. 2. ad Monimú. cap. 9
1 Regum 31.
Actor. 8.

Spiritus habetur, vt ipſe Spiritus non habeatur. Ibi autē Spiritum ſanctum eſſe docet, vbi eſt finis præcepti, hoc eſt, charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1.

EVANGELIVM EIVSDEM diei. Ioann. III.

SIC Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eū, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.

VENES

VENERABOR hæc verba Ioannis aurea, ne[illegible]
vnquàm laudata, & præterea dolebo illo[illegible]
& energiam ad intimos mentis meæ receſſu[illegible]
penetrare, nec ſenſus meos omnes penitus [illegible]
pare. Quis obſecro tam ſocors, inſulſus ac ingratus eſſ[illegible]
ſit, vt non cogitet ſæpè, quis & quantus ille ſit, qui ſol[illegible]
ratione commotus, tam paternè reſpexit gratiſque d[illegible]
genus humanum, id eſt, mundum iure maledictum, p[illegible]
ac rebellem, Deoque ſemper maximè contrarium. In h[illegible]
autem ineffabilis dilectionis euidens argumentum, ſicut [illegible]
Pater inde ab æterno conſtituerat, promiſit ac deſtinauit, [illegible]
deòque donauit non Angelum vel Archãgelum, ſed t[illegible]
Filium ſuum, quem & vnicum & chariſſimum, conſ[illegible]
tialem & æqualem habebat, vt is tam ſcelerati mundi n[illegible]
dex, ſed in primo aduẽtu ſuo redemtor atque ſaluator [illegible]
totumque mundum ſibi reconciliaret. Nec ſat erat [illegible]
Ioan.1. Filium in carne hominem effici, vt verè diceretur, *Verbu[m]*
caro factum eſt, niſi & in cruce idem oblatus pecc[illegible]
Galat.3. ſanguine profuſo expiaret, & pro illis fieret male[dictum]. Me-
Oſeæ 11. ritò igitur per Oſee Prophetam loquitur: *Ego q[illegible]*
Ephraim portabam eos in brachiis meis: & ne[illegible] qu[illegible]
rem eos. In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis.
Atque vt vno verbo ſuum immenſum declararet amorem
Prou.8. quo perditos & immerentes nos complectitur: *Deliciæ meæ*
inquit, *eſſe cum filiis hominum.* Nullo autem ſermone pote[illegible]
explicari, ille Patris amor, illa profuſa gratia, qui vna cũ ho[illegible]
Filio viliſſimis homũcionibus tanta offert atq; donat mune-
ra, quanta in præſenti ac futura vita ſperare & petere n[illegible]
auſi fuiſſemus, vt nimirùm naturæ diuinæ conſortes, & [illegible]
Dei, Chriſtique fratres, hæredes atque cohæredes effice-
Apocal.22. mur, & quodammodo Angelis exæquaremur, qui ſe co[illegible]
Serm. de natiuita. Domini. uos fidelium eſſe teſtantur. Quid? quòd Fulgentius [illegible]
confirmat: Deus vnigenitus humanam naturam ta[illegible]
lexit, vt eam non ſolùm à poteſtate mali Angeli liber[illegible]
rùm etiam in ſeipſo ſuper omnes bonos Angel[illegible]

de[illegible]

dextera collocaret. Natura enim quæ in ipſo primo homine mundum peccato polluit, ipſa in ſecundo homine mũdum à peccato mundauit.] Quoniam verò in præſentem de ſumma Dei bonitate locum, qui valdè illuſtris, ſępèque cogitandus eſt, incidimus, nonnulla ex Epiſcopo Carpathio Philone, quæ hoc argumentum nobis magis commendent & exaggerẽt, repetemus. O incomparabilẽ, inquit, vim amoris! ô ſummam bonitatem! ô infinitam ſapientiam! quid te mouit ad hominem creandum? quid rurſus ad eundem redimendum? ſolus amor, quo cuncta ex nulla ſubiecta re creaſti. Hæc quæſo parumper animaduertite ingrati: hæc cogitate ſuperbi, hæc meditemini auari, videte carnales, an maior vlla vis amoris eſſe poſſit, quàm quæ Domini noſtri Ieſu Chriſti erga nos fuit, exſtatq; quotidie, & durat æterna? Deus immortalis, æternus, immutabilis, omnipotens; creator omnium ac rector, ſumma ſapientia, cui cœlum ſedes, & terra ſcabellum pedum eius, quia cuncta pugillo virtutis ſuę continet, nullius egens, amore victus hominis, de cœlo deſcendit, vterum Virginis ingreſſus, humanitatẽ noſtram, immò ſuam aſſumit, factus aliquando perfectus homo, idemque mortalis, qui ſemper increatus eſt & immortalis: factus patibilis qui ſemper eſt immutabilis, vt nos ab ſempiterna morte redimeret, quam ſuipſius culpa primus ille parens omniũ Adam ſibimet & cæteris de ſeſe naſcituris infœliciſſimè intulerat.] Ac tandem ita concludit: O miſeri planèque calamitoſi, quicunque Chriſtianorum non hæc aſſiduè recordantur, eorumque authorem Deum ipſum Optimum Maximum non ſanctiſſimè colunt ac prædicant.]

In Canticum Canticorum

Ego verò inter miſeros & calamitoſos ab hoc Philone reprehenſos me primo ſtatuã loco, valdèq; mirabor, quî fiat, vt effuſam ſemperque pręclicandam Dei Patris & Chriſti Redemtoris charitatem non ſæpius in animum reuocem. Dolebo hinc maiorem diuini numinis cultum in me non creſcere, & ſingularem conſolationem atque fiduciam à me nõ percipi, nec diligentiùs etiam meo & aliorum mortalium

nomini ob tantum beneficium agi gratias, laudesque persolui. Quid enim omninò excogitari poteſt, quod vel ſummi
hominis pectus non concitet atqúe permoueat ad ſummum
illum bonorum omnium redamādum, qui homines, vt
lutea vaſa ad tantā dignitatis ac nobilitatis prærogatiuam
xit, ſummiqúe boni capaces atqúe participes fecit?
prorſus, quemadmodum Iſaias Propheta Dei Spiritu
Iſai. 63. teſtatum reliquit: *In dilectione ſua & indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſecul.*
1. Ioan. 4. Quod Ioannes ad hunc modum planius expreſſit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum
miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Ac iterum: *Nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Et ne modum diuinæ dilectionis ignorem, aut parui pendam, Deum
Ierem. 31. ipſum audiam cuiqúe Adæ filio apertè loquentem. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans.*
Thren. 3. *Miſericordiæ nim Domini quòd non ſumus conſumti*, cum plurimi videlicet, qui ſine Deo Deiqúe amore viuentes, perindè ac alaire,
Rom. 9. ſicut à Paulo dicuntur, funditùs perierunt, atque peribunt, futuri vtiqúe filij maledictionis æternæ. Cæterum hic perpetuus, gratuitus, perfectus, immenſus ac fidelis Dei amor, qui bonorum omnium in hominem collocatorum fons & cauſa eſt, ſatis oſtendit, quem ego in ſummo illo bono redamando modum ſeruare debeam, vt me totum illi viciſsim communicem, gratis eundem, neqúe ob commodum vel proximum diligam, ac præterea nullum in illo amando, laudando colendoqúe modum ſeruem, ſed & aliorum non amantium ſortem infœlicem deplorem ex animo, quandoquidem beſtiis omnibus ingratiores, ſummum æternumqúe bonum tanta iniuria proſequũtur. Hinc irati Dei grauis & iuſta illa querela profertur:
Iſai. 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus eſt, Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Et veriſsimè dixit ille dilectus, qui nihil magis quam

amorem ſpirat: *Qui non diligit, non nouit Deum: quoniã Deus charitas eſt.* Ac rurſus: *Nos ergò diligamus Deum, quoniã Deus prior dilexit nos.* 1. Ioan. 4.

Qui credit in eum non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.

PLANE mihi perſuaſum habebo, quòd ſicut credere & cognoſcere Deum, & quem ille miſit Ieſum Chriſtum, præcipua Chriſtianæ religionis ac doctrinæ portio eſt, immò & vita æterna dici poteſt: ita diuinas illas perſonas non cognoſcere, & ſyncera fide non complecti, peccatum omnium grauiſsimum & certiſsima damnatio debeat reputari. *Qui enim non crediderit, condemnabitur. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia nõ credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo. Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum,* Ioanne Apoſtolo teſte. Quocirca ſingulares Deo Opt. Max. gratias agam, qui veram & Chriſtianam fidem præter alia ſancti Spiritus dona, in me cum baptizarer, infudit, & hoc fidei lumine ad diuina percipienda me habiliorem reddidit. *Fides enim Dei donum eſt,* quod acceptum humanæ ignorantiæ tenebras diſcutit, & intellectum vt veritati diuinæ in iis quæ rationem excedunt, aſſentiatur, lumine quodam illuſtrat. Vnde per Iſaiam dictum legimus: *Niſi credideritis, nõ intelligetis.* Et ſicut Chryſoſtomus docet, quæ humanam excedunt rationem, fide duntaxat indigent. Deinde fidei noſtræ authori & conſummatori Chriſto gratias agam ingentes, qui ad veram huius fidei lucem in me cõſeruandam & alendam tam multa media inſtituit, mihiqúe immerenti ſuppeditauit, nempè verbum ſuum, Spiritum ſuũ, miracula ſua, Eccleſiam ſuam, miniſtros ſuos, ſacramẽta ſua, & alia id genus beneficia ſpiritualia, quibus ad hoc pretioſum donum retinendum, ornandum & promouendum, quamdiu in hac vitæ humanæ imbecillitate viuitur, vehe-

Ioan. 17. Marc. 16. 1. Ioan. 5. Ioan. 3. Ephel. 2. Iſai. 7. iuxta editionẽ 70. Homil. 4. in 1. epiſt. ad Cor. Hebr. 12.

menter egemus. Nec minores gratias illi debeo, qui tã multis hac tempeſtate à fide ad ſectas deficientibus, ſicut Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt fore, me tamen in vnitate Catholicæ & orthodoxæ fidei, ſine qua homini cuicunq; ſalus nequit obtingere, firmum atqúe conſtantem ſeruauit, vt ne doctrinis variis & peregrinis ſeducerer, atqúe ad falſas nouæ fidei opiniones ac profanas vocum nouitates, quibus plurimi illaqueantur, dilaberer. Si enim antea vnquàm, nunc impletur maximè illud Pauli vaticinium: *Erit tempus, cùm ſanã doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus.* Cùm verò ſicut vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Spiritus, ita vna etiam fides exiſtat, vt Paulus perſpicuè docet, nihil mihi commune vnquam erit cum nouę fidei vel doctoribus vel ſectatoribus, quocunque ſe nomine vendirent & commendent. Sequar enim Pauli conſilium, immò pręceptum de obſeruandis & fugiendis illis, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam traditam & receptam faciunt. Vt igitur idem Apoſtolus me docuit, dicam illis omnibus anathema, quoniã præter id quod noſtri maiores tot ſeculis acceperunt, euangelizant, & nouandæ, immò & antiquandæ orthodoxæ fidei operam dant perniciosiſsimam, nouasqúe opiniones & ſectas ad ſcindendam Eccleſiæ vnitatem vel inducunt, vel nutriũt ac tuentur.

Cæterùm quoniam ſectarij omnes in eo fere conſentiũt, vt ſolam fidem ad iuſtitiam & ſalutem æternam obtinẽdam cuiuis homini ſatis eſſe contendant, ego errorẽ illum vt puritati fidei bonisqúe operibus maximè derogantem, ſed & hominum vulgo ſupra modum peſtilentem, ex animo deteſtabor, & vbi poſſum, errantium animis eximam. Illud in cõ-
6. feſſo eſt, fidem à Chriſto Domino & Paulo ſępè multumque laudari, & eos qui fide ſunt præditi, ſicut [a] Petrum, [b] Thomam, [c] Centurionem, [d] Cananæam, ſed & [e] *Patres* antiquos ſubinde iuſtos ac beatos in ſcriptura vocari, quãdoquidem illorum fides fuerit initium, radix & velut fundamentum iuſtificationis, atqúe adeò bonorum omnium, [illegible]

vnquam floruerunt. Cōſtat præterea, verè à Paulo dici, quòd ſine fide impoſsibile ſit placere Deo, ſiue de veteris, ſiue de noui teſtamenti fidelibus agatur, qui citra controuerſiam fide mediatoris Dei & hominum Christi iuſtitiam & ſalutem neceſſariò conſequuntur. Quòd verò quidam ex Pauli verbis perperam acceptis colligunt, ſola fide hominem iuſtificari, & ad benè beatèq; viuendum opera bona non eſſe neceſſaria, peruetuſtus eſt error, ab illis reiectus Apoſtolis, qui epiſtolas canonicas ediderunt, immò & à Paulo ipſo improbatus, vbi fidem illam docet & exigit, quæ per charitatem operatur, & vbi charitatem fidei anteponit, ac diſertè teſtatur: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Qua de re multis Auguſtinus diſſerit, ac eundem de ſola fide iuſtificante errorem apertè cōfutat, eo maximè libro, qui de fide & operibus inſcriptus extat. Cuius & præclara illa vox eſt: Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt. charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.] Proinde nihil apud me clamores iſtorum valebūt, qui contentioſè vrgent fidem in Chriſtum propitiatorē eſſe neceſſariam, de ipſo quidem fundamento fidei & ſalutis noſtræ Chriſto ſolliciti, ſed præceptum Apoſtolicum negligentes, quo ſignificanter expreſſum eſt: *Vnuſquiſque videat quomodo ſuperædificet.* Ego meam iuſtitiam & ſalutem in ea fide collocabo, quæ ſicut Iacobus Apoſtolus aſſerit, non eſt inanis, otioſa & mortua, ſed operibus bonis cooperatur, & per illa, ſicut fides Abrahæ, conſummatur: quę inſuper amorem iuſtitiæ odiumque peccati ſecum trahit. Gratus ero Patri, qui mihi ac peccatoribus omnibus Chriſtum propoſuit propiciatorem, & propter illum immerentibus etiam promittit gratiam & gloriam. Ob eiuſmodi promiſſa Chriſto fidam Redemptori, quem & ducem atque paſtorem ſequar, cui & iubenti magiſtro libens parebo; & quem ſimul iudicē venerebor. Errant propterea, qui Chriſtum velut dimidiatum ſibi fingunt, & eo commentur, ſicut & illi qui miſericor-

Ibidem.
2. Cor 4.
Actor. 4.
Galat. 5.
1. Cor. 13.
Cap. 14.
Lib. de natura & gratia. cap. 70.
1. Cor. 3.
Iacob. 2.
Geneſ. 22.

m Dei ſine iuſtitia cõſiderant, vt liberiùs ſine timore pec-
t. Requirit Chriſtus non modò credentes verbo, ſed etiã
e ſuæ imitatores, ex quibus Paulus profeſſus eſt: *Imitato-
mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Tum Ioannes ſine exceptio-
vlla definit: *Qui dicit ſe in Chriſto manere: debet ſicut ille
ambulauit, & ipſe ambulare*, qui nempè quemadmodum ſe
nobis obtulit in ſacrificium, ita etiam ſe nobis propo-
t in exemplum. Bibendus eſt vtique nobis calix Domini,
gloriam eius participemus. *Calicem* inquit, *meum bibe-*
bitur autem fide, dilectione & imitatione. Monet igitur
trus iuſtificatos, non ſolùm credere atque confidere, ſed
riſti patientis ſequi veſtigia, vtque fideli creatori com-
nt animas ſuas in benefactis, ac per opera bona certam vo
ionem & electionem ſuam facere non intermittant. Eoq́;
gis dolebo vicem, & deplorabo cæcitatem tot millium ſe-
riorum, qui à fide Eccleſiæ alieni, perpetuò ſe conſolan-
vana fiducia diuinæ, vt ipſi vocant, miſericordiæ pecca-
nittentis propter Chriſtum, eamq́ue fiduciam ſine ſati-
uræ fundamento pro fide accipiunt neceſſaria, qua certò
iſq́ue ſtatuat ſibi peccata remitti, ſeq́ue vitam habiturum
ernam. Licet enim ſancti de ſuæ perſeuerantiæ præmio cer
ìnt, vt Auguſtini verbis vtar, de ipſa tamen perſeuerantia
reperiuntur incerti. Ego autem his vanis fidei iactatori-
s prætermiſsis, Ioannem audiam, qui Apoſtolus & Euan-
liſta palam pronunciat: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & manda-
eius non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. Filioli
mo vos ſeducat: Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt, ſicut & ille iuſ
s eſt. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt. Qui iuſtus eſt, iuſti
etur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.*

Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.

VT ex aliis diuinæ Scripturæ locis, ita ex præſenti etiam

Euan-

Euangelio diſcam, inter primum & ſecundum aduentum Domini magnum eſſe diſcrimen. Venit enim Chriſtus in primo illo humilis, non damnare ſed ſaluare peccatores, & id quærere, quod per Adam primum hominē perierat, Agnus nimirum ipſe Dei, qui tollit peccata mundi, & ex peccatoribus iuſtos facit. In ſecundo autem aduentu, veniet idem ille magnificus & potens ſicut Leo & iudex ad mundum iudicandum, & ad omnes eos velut hoſtes condemnandos, qui gratiam in priori aduentu oblatam non receperunt, ſed repudiârunt, ſuorum nempè vitiorum tenebris inhærentes, ac relicto veritatis lumine deuia & obſcura ſectantes. De his Chriſtianæ gratiæ aduerſariis, ingratisqúe cuſtodibus Apoſtolus dixit: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiā veritatis iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quadā exſpectatio iudicij & ignis æmulatio.* Vnde Chriſtus etiam ipſe qui futurus eſt omnium iudex, apertè teſtatur: *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Abſit igitur, vt ego diuini timoris expers, primum Chriſti aduentum & adiunctā illi gratiam duntaxat agnoſcam, nihil interim ſollicitus de ſecundo aduentu metuendi iudicis, qui orbem in æquitate iudicabit, ſimulqúe abſcondita tenebrarū illuminabit, & conſilia cordium manifeſtabit, vnicuiqúe ſecundùm opera redditurus, ſicut Apoſtolus ſæpenumerò tradit. Miſeranda profectò res eſt, & triſtibus multorum lacrymis deploranda, mūdum totum in maligno ſic eſſe poſitum, vt homines Chriſtianū nomen profitentes, ſumma ſummi Dei gratia quæ per Chriſtū à Patre datum cunctis offertur, non ad ſuam ſalutem, ſed ad maiorem perniciem & grauiorem damnationem vtplurimùm abutātur. Venit quidem Chriſtus lux vera ad omnem hominem illuminandum, lumen illud ad reuelationem gentium, quiqúe ſummo iure de ſeipſo teſtabatur: *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, nō ambulat in tenebris, ſed habebit lumē vitæ.* Per hūc quóq; Chriſtum plena lucis & veritatis tā multa & magna tenemus in Eccleſia, nimirùm promiſſa, man-

Luc. 19. Matth. 18. Ioan. 1. 1. Tim. 1. Apocal. 5. Lucæ 21. Act. 10 & 17. Hebræ. 10. 2. Cor. 5. Ioan. 5. Actor. 17. 2. Cor. 5. 1. Cor. 4. Rom. 2. & 14. 1. Ioann. 5. Ioann. 1. Luc. 2. Ioann. 8.

data, Sacramenta, exempla, inſtituta, beneficia, pluraq[illegible] genus alia Iudæis olim tam largè & affluenter nunq[illegible]municata. *Lex enim per Moyſen data eſt, gratia & v*[illegible] *Ieſum Chriſtum facta eſt. Nox præceſſit, dies autem appr*[illegible]*quauit.* Quid verò mundus interim facit? niſi quòd [illegible]genium & veterē morem obtinet, non minus [illegible] ingratus, quandoquidem pro vuis labruſcas, pro [illegible]bones, pro luce tenebras, pro beneficiis quiſquilias [illegible] optimo maximóque Parenti ac Redemtori in hūc di[illegible]que rependit. Quæ per ſe mala, inhoneſta, vetita a[illegible]ſtanda ſunt, ea ſingulari ſtudio Chriſtiani expetunt, & [illegible]ctéque cupidè conſectantur, nec ſolùm in rebus vanis & indecoris, ſed etiā fœdis ac noxiis animi ſimul & co[illegible]res conſumunt, omnemqúe operam & vitam m[illegible]ni tribuunt, meritò vt illi de ſeipſis fateantur: *La[illegible] via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus v*[illegible] *viam autem Domini ignorauimus.* Nos vero nihil [illegible]ctius, quàm cum Moyſe dicere poſſumus: *Gens a*[illegible] *eſt, & ſine prudentia: vtinam ſaperent & intellig*[illegible] *ſima prouiderent.* Verè ſunt iſti Adæ filij, quos Re[illegible] *Prophe*ta deplorans, eorumqúe ſtultitiam admirans [illegible] *Filij hominum vſq; quò graui corde? vt quid dil[illegible] & quæritis mendacium?* Et facit tamen ſuum officium Chriſt[illegible] tanquàm clementiſsimus medicus, licet à ſui[illegible] cōtemnatur, omnem medendi rationem velut [illegible]cis experitur, & partim verbo, partim ſpiritu [illegible]git, vt ad veram illos reuocet lucem, ne [illegible] ſordibus miſeri pereant in ſempiternum. V[illegible] corda iſtorum, qui tam diu ac patienter expe[illegible]ruerunt, medicas manus defugiunt, & mon[illegible] ſalutaria, perinde ac ſi dicant: *Percuſſimus fœ*[illegible] *cum inferno fecimus pactum.* Tenebras enim n[illegible]cem diligere pergunt, veræ lucis ſemp[illegible] de ſuis vitiis reprehenſi nolunt corrigi, [illegible] pœnitentiam reconcilientur, ſed clam p[illegible]

dinis

dunt corruptelas, peccata peccatis accumulantes. Quapropter illis Propheta ſic interminatur: *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis nouit nos?* Ac rurſus: *Dicunt* inquit, *videntibus, Nolite videre: & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* His annumerari poſſunt quos Apoſtolus iure perſtringit, quia licet fidei titulo commēdentur, tamen ſunt voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, & Chriſtum ore cōfitentes, virtutem autem factis abnegantes. Iſai. 28. Iſai. 29. 2 Tim. 3. Tit. 1.

Nihil ergo mirum, quòd Chriſtus fore prædixerit, vt èx multis vocatis pauci reperiantur electi, quandoquidem à tenebris ad lucem vocati vel prorſus non veniunt, vel facilè in veterem caliginem relabuntur, ac nullum acceptæ à Chriſto lucis fructum oſtendunt, vt rebelles lumini potiùs, quàm lucis filij poſsint appellari. Vnde factum eſt, vt Chriſtus ipſe ſuorum ſortem miſeratus, in Euangelio quereretur: *Quàm anguſta porta quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam!* Eóque magis metuam, nè quòd Paulus grauiter interminatur, in multis fidelibus hodie compleatur: *Irritam* inquit, *quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit?* Dolebo ſanè, tam multos in Chriſtum viuam petram impingere, illumque blandū & ſuauem ſibi proponere, verum autem & genuinum illū, qualem nobis depingit Euangelium & vetus agnouit Eccleſia, reſpuere, ac in poſtremis habere. Nec enim obſeruant ac timent illum, [a] qui fideles præcepta ſua omnia docet obſeruare, [b] qui credentes à via lata ad anguſtam inuitat, [c] qui præter fidem pœnitentiam a ſaluandis exigit, [d] qui regnum cœlorum violentis rapiendum propoſuit, [e] qui ſenſus & mēbra iubet circumcidi, [f] qui Chriſtianam iuſtitiam in ieiunio, eleemoſyna & precatione collocat, [g] qui demum verba & opera ſingulis ad trutinam reuocare, ſuiſque vel pœnis vel Matt. 20. & 22. Iob. 24. Epeſ. 5. Lucæ 16. Matth. 7. Hebr. 10. Deutero. 17. Iſai. 8. 1. Pet. 2. a Matt. 28. & 19. b Matth. 7. c Matth. 3. & Marc. 1. d Matth. 11. e Matth. 18. f Matt. 5. & 6. g Matt. 13. & 25.

ſuppliciis afficere conſtituit. Bone Deus tantum præclari lu-
cis à Chriſto prçferri, & in Euangelio demonſtrari, quod
hic mundus ſuis tenebris obcæcatus vix vnquàm cogitat &
expendit, maximè vbi agitur de relinquendis rebus, de pau-
pertate amplectenda, de ſui abnegatione, de veteris hominis
mortificatione, de virtutum heroicarum ardenti ſtudio, de
perfectione legis & iuſtitiæ obſeruatione, ac poſtremò de
officio Euangelicæ humilitatis, patientiæ & obedientiæ, in
quibus idem Chriſtus abundantiorem quandam iuſtitiam,
ſuique imitationem à renatis requirit.

Cumprimis verò mihi caueбo ab illorum exemplo & con-
ſuetudine, qui ſuas tenebras etiam admoniti non agnoſcunt,
malèque patrata peiùs defendunt ac libenter excuſant, hoc
intenti maximè, vt ſuis non careant voluptatibus, ſuamque
potiùs cupiditatem, quàm Dei voluntatem ſanctam expleant.
His diſſimiles illi non ſunt, qui vt Salomonis verbis vtar, *re-
linquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: qui læ-
tantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Ex ad-
uerſo & amore & imitatione dignos putabo, quos correptio
& vexatio adhibita reddit meliores, quemadmodum Regi
Dauid & Paulo Apoſtolo correptis, contigit. Etenim ille à
Nathan Propheta reprehenſus, ſuam ipſe culpam confeſſus
eſt, ac ſtatim reſipuit: hic verò in terram proſtratus, & Chriſti
voce caſtigatus, hoc vnum dicere habuit: *Domine, quid me
vis facere?* & miſſo ad ſe Ananiæ, tanquàm Dei legato paruit.
Tum primi auditores Apoſtoli Petri haud grauatim ad lucē
venerunt, quia vna concione percepta corde compuncti, &
de ſalute ſua ſolliciti quærebant: *Quid faciemus viri fratres?*
ſtatimque Chriſti ſe iugo & Petri voluntati alacriter ſubdi-
derunt. Quapropter vt filium lucis decet, ego tenebras fu-
giam, & lucem vſque maiorem quæram ad me & Deum co-
gnoſcendum. *Beati enim qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quo-
niam ipſi ſaturabuntur.* Neque ſolùm veritatis lucentis, ſed &
arguentis fulgorem, vndecunque ille mihi affulgeat, etiam
iniuſſus amplectar, mihique gratulabor non tam de [illegible]

admonitoribus quam de liberis correctoribus, ſiue illi maiores fuerint, ſiue æquales, aut etiam inferiores, quādo meos mihi næuos exponent, aut morbos détegent. Etenim in iudicandis & ſanandis vitiis, quæ ad me propriè ſpectant, aliorũ ſapientũ potiùs quam meo iudicio fidã, quũ amor ille proprius magnas cuiq; tenebras offundat, & verè Propheta teſtetur, *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* Neceſſarium eſt cuiq; præceptũ: *Nè innitaris prudentiæ tuæ. Nè ſis ſapiens apud temetipſum. Cauſam tuam tracta cũ amico tuo. Amicus enim fidelis protectio fortis, & vitæ medicamentũ.* Quarè mihi cum Dauide crebrò precandũ eſt: *Illumina Domine tenebras meas*: quas nimirùm ſibi quiſq; cōgenitas ac diuinæ lucis indigentes circumfert, nè ſeipſum alioquin miſerè fallat. In hoc autẽ mali à iuſtis differunt, ſicut præſens Euãgelium indicat, quòd illi quidẽ in ſuis peccatis nolint argui, tenebras diligãt, lucẽ ipſam oderint atq; auerſentur: hi verò contra, lucem & veritatem ex animo quærant, libenter illam audiant & amplectantur, in acceptoq; lumine ambulent, ad maiorem nempè gratiã adſpirantes, nec hominũ ſed Dei iudiciũ in ſuis operibus metuentes. Norunt enim vocem iuſti propriã eſſe: *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd nõ parceres delinquẽti. Etiãſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.*

Hierem.17.
Prou.3.
Prou.27.
Eccleſ.6.
Pſalm.17.
Iob.9.

PRECANDVS eſt mihi DEVS, vt ſumma eius charitas in in Filio nobis donato refulgens, maiorẽ fructum & effectum prauo huic mundo adferat, nè tam multi etiam Chriſtiani in ſuis peccatis ac tenebris pereant ob ſuam ingratitudinem. Nec enim expendunt formidabilem illam Chriſti ſententiam: Ille ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis. *Et verè ab Euſebio Emiſſeno traditur: Quantò maiora beneficia ſunt hominibus conſtituta, tanto grauiora peccantibus iudicia.*]

Luc.12.
In Euangel. Matth.

ORABO etiam pro fidei nouæ ſectatoribus, vt deſinant errorum ſuorum tenebras amare atq; defendere, vtq; Catholicæ veritatis luci, quam prius fugerant & oderant, non reſiſtant,

ſed

ed aſſentiantur. Sunt enim permulti, de quibus queritur Ap... us, quòd reſiſtãt veritati, nec reſipiſcere poſſint a diaboli la... quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem, niſi Deus d... ...tentiam ad cognoſcendam veritatem.

INVOCABO *inſuper Spiritum ſanctum, vt Epiſcopi C... holici ſacramentum Confirmationis, compluribus eo ind... bus conferant, vtq; ſacramenti huius vſus & effectus in ba... is appareat, nimirùm per augmentum ſpiritualis gratiæ, ... ngenuam Catholicæ fidei confeſſionem publicè faciendam, & nunc maximè neceſſariam. Scribit enim & Lucas de Apoſto... quorum ſucceſſores Epiſcopi ſunt, quòd ex illis Petrus & Ioannes quum ad Samaritanos à Philippo baptiZatos veniſſent, orantes manus eis impoſuerint, qui & mox acceperint Spiritum ſanctum, vt huius nouis nempè muneribus ac donis cumulati, duci Chriſt... ſe fortiores praſtarent milites, & fœlicius contra mundum, carni & Satanam decertarent. Proinde Cyprianus martyr cùm dictũ Apoſtolorum exemplum repetiuiſſet, hæc ſtatim verba ſubiecit: Quod nunc quoq; apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptiZantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram etiam orationẽ ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico cõſummentur. Similem plane locum inuenias apud Auguſtinum.*

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Sequentis Euangelij argumentum.

RVRSVS Phariſæi Chriſto negotium exhibent homi- num ſanè genus proteruum, inuidum multiſque ui-

tiis obnoxium, licet vulgo Iudæorum religioſi illi admodum haberentur ac haberi ab omnibus vellent. Aduerſus hos ſicut ſępè aliàs, ita nunc etiam diſſerit Chriſtus, ſuam vt innocentiam aduerſus impudẽtes illorum calumnias, quibus Euangelicæ doctrinæ plurimùm obtrectabant, apud populum publicè tueatur, ſeque in paſcendis Dei ouibus non falſum & adulterinum, ſed ſyncerum legitimumque paſtorem agere, verumque oſtium ouium eſſe conuincat. Reliquos verò omnes inter fures & latrones conſtituit, qui ipſius Euãgelio aduerſantur, & oues à ſuo paſtore de cœlis miſſo ſeducunt, vel quia paſcendi munus ſibi arrogant, huc rectè non vocati atq; deſtinati. Prę-cipuè autẽ in hoc parabolico ſermone quinq; illa cõſideranda proponuntur, oſtium, ouile, paſtor, fur ſimul & latro. Oſtium & paſtorẽ de ſeipſo Chriſtus interpretatur; per ouile ſuam Eccleſiam totam accipit, in quam niſi per Chriſtum ipſum homini legitimus non patet ingreſſus. Furum & latronum nomen merentur non modò Scribæ & Phariſęi, ſed etiam quotquot perperam de Chriſto ſentiunt, & partim hæretico dogmate, partim contaminatæ vitæ moribus fideles offendunt atq; peruertũt. Eos ipſos non modò lupos, ſed & lupis omnibus crudeliores ac nocentiores eſſe credemus, quòd animas hominum quantũ in ipſis eſt, interficiant, nullum vt homicidij genus execrabilius eſſe poſsit. Gregorius Magnus ita ſcribit: Ille ad ouile ouium intrat per oſtiũ, qui intrat per Chriſtum. Ipſe autem per Chriſtum ingreditur, qui de eodem Creatore & Redemptore humani generis vera ſentit & prædicat, & prædicata cuſtodit.

EIVSDEM DIEI EVANgelium. Ioann. X.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde: ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Huic oſtiarius aperit: & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit: & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergò eis iterum Ieſus, Amen amen dico, quia ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde, fur eſt & latro.

OBSERVANDAE ſunt mihi & omnibus Chriſti ouibus notæ inſignes hæreticorum, vt hoc tetrum & peſtilens hominum genus rectiùs agnoſci, magiſque caueri poſſit. Quales enim olim Iudæis e...t

-ſtiſſimi Phariſæi, contra quos hoc loco & ſæpè aliàs diſ-
ar Chriſtus, tales hæretici ſi antehac vnquàm, nunc ma
è ſeſe Catholicis præbere pergunt. Initiò cum Phariſæis
commune habent, quòd amēt primos recubitus in cœ- Matth. 23.
, primasq́ue cathedras in ſuis ſynagogis, ac velint vocari
ominibus Rabbi. Nam vt Auguſtinus affirmat, hæreti-
um omnium mater eſt ſuperbia, & ſi iſtorum inſtitutū ac
rem ſpectes propiùs, Eccleſiæ Catholicæ præpoſitis ac
toribus non ſolùm æquari, ſed etiam à populo præferri
tulant, velut ipſi à Deo miſſi ſint cum ſuis Archiſynago-
Prophetę & Apoſtoli, hoc eſt, puri verbi interpretes, ſacri
ngelij ſynceri profeſſores, Eccleſiæ verę paſtores ac refor-
ores, demum Chriſtianæ libertatis hoc ſeculo neceſſarij
tores ac vindices. Deinde non ſunt diſsimiles Phariſæis
prætextu verbi Dei moliētibus omnia, quæ ad pios Chri
poſtolorumq́ue conatus impediendos pertinere duce-
t. Hinc illud obiiciebant Nicodemo: *Scrutare ſcripturas* Ioan. 7.
ide, quia Propheta de Galilæa nō ſurgit. Quid? quòd Chri-
morte dignum iudicabant, & ſcripturæ authoritatem
mæ impietati prætexentes aiebant: *Nos legem habemus,* Ioann. 19.
rundùm legem debet mori. Eadem verò dementia, idemq́;
r nunc ſectarios exagitat, qui vt quicquid ipſis ferè libet
teri abolenda & noua inuehenda fide, id ſibi propter
verbum, quo ſe Satan quóque contra Chriſtum ar ma- Matth. 4. Luc. 4.
, licere arbitrantur. Rurſus Phariſæi à Chriſto incuſan-
merito quidem, quòd per oſtium in ouile rectà nō in-
erentur, ſed furtiuum ſibi facerent aditum, & non vo-
athedras occuparent. Quid verò aliud faciūt hodie ſe-
, qui docendi ac paſcendi munus in Eccleſia audacter
umunt & exercēt, licet nec à Deo vocati, nec ab Epiſco
dinariè inſtituti, nec legitimo ſuę miſsionis teſtimonio
niti ſint, perinde ac ſi ſufficiat vt ſeipſum aliquis in Ec-
ſticum munus intrudat, & ſine authoritate illorū, qui
oc ius competit, in ſuggeſtum proſiliat, ſacráq; munia
cè adminiſtret. Tentārunt Core, Dathan & Abiron cū Numer. 16.

ſua

ſua ſeditioſa cohorte, nouum ordiri miniſterium, ac receptũ mutare cultum, ſed nefariam illorum temeritatem Deus ſeueriſſimè vindicauit. Nec dubium, quin nouorum miniſtrorum fœdæ ac ſacrilegæ profanationi, quæ tot legibus venerandæ antiquitatis iuſtè damnata eſt, non modò Patrum, ſed & Apoſtolorum epiſtolę ac traditiones clariſſimè aduerſentur. *A*dhæc quantumuis fucati *P*hariſæi externæ iuſtitiæ ſpecimen præ ſe ferant, multáque cum laude populi docendo & viuendo præſtent; tamen non niſi fures ac prædones, prout merebantur, à Chriſto cenſentur, publicéque proclamantur. Habent ſanè noſtri quóque ſectarij zelum ardentẽ ad ſuam quam inducunt religionem aſſerendam, multisque imponunt falſa imagine externæ pietatis & miſericordiæ in pauperes exercẽdę: & hoc quaſi prętextu reliqua tegũt vitia, & mentes ſibi conciliant populares. Quis interim niſi cæcus non videat, hos à furtis & rapinis excuſari non poſſe, qui bonis Eccleſiaſticorum inhiant, & eos prouentus qui Catholicis paſtoribus & miniſtris ex iure maiorum debebantur, iniuſtè ſibi vendicant, dum res diuinis vſibus dedicatas aliis occupandi ac diripiendi præbent occaſionem. Ita fit, vt quæ *Ec*cleſiaſtico cultui & piis clericorum monachorumque collegiis inde ab initio deſtinata fuerunt, vel per vim inuadant, vel in profanos planè vſus à Magiſtratibus conuerti doceãt, aut ſanè permittant. Vtinam verò iidem lupis & latronibus, ſicut Chriſtus Phariſæos vocat, non ſeſe cõformarent, quandoquidem vt Ezechiel loquitur, non viuificant ſed mortificant animas, lupis etiã & latronibus in eo crudeliores, quòd hi duntaxat in corpora ſæuiant, illi verò ſuas oues Chriſto paſtori ſummo dilacerent, diſpergant ac mactent, quandoquidem peſtifera doctrina perpetuam animis perniciem creant. Non enimis tantùm homicida dicitur, qui manu ſua vitam homini eripit, vtque id fiat conſilium & conſenſum præbet, verumetiam turbulentę Reipub. perturbatores, maximè qui nouam falſamq; religionem proponunt & inſtillant animis, pro homicidis haberi ac puniri merẽtur. Nam & Iudæis hoc

iniunxerat Deus, vt idololatra & Pſeudopropheta, qui nouũ Dei cultum inueheret, ſummumque ſacerdotem contemnens quilibet è medio tolleretur. Deu.eron. 3. & 17.

Meum interim erit, Ieremiæ ac Danielis ſanctorum vatum officio reſpondere, vt cum intimo animi dolore confitear ac deplorem ſummam horum temporum & hominum peruerſitatem, quam nouus in Europam inuectus Sataniſmus auget quotidie plurimùm. Etenim ſurrexerunt Prophetæ inſipientes, non à bono ſed malo ſpiritu excitati, qui ſuæ doctrinæ veneno inficiunt, ac ſimul perdunt innumerabiles Chriſtianos, quique faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſę ætatis ad capiendas animas, vt Ezechielis Prophetæ verbis vtamur. Sed & Catholici ſiue maioris, ſiue inferioris ordinis, hîc planè ſunt commiſerandi, quòd quodammodò vidẽtes ac volentes pereant, quando ſumma tempeſtate graſſante, in vtramque aurem quaſi dormiunt, immò nec licenter peccare deſiſtunt, ſummi Dei præcepta & ſancta Eccleſiæ ſepta impunè tranſilientes. Et hactenus quidem illi Iudaicis Phariſæis deteriores videri poſſunt, quòd nec internæ, neque externæ pietatis iuſtitiæq; ſpecimen prę ſe ferant, ac de ſua quidem malitia ſubinde glorientur, omnis generis proximos grauiter offendentes, quemadmodum ſanè Phariſæi veteres facere non ſolebant. Iactamus quidem maiorum patrumq; noſtrorum ſapientiam & ſanctitatem, ſed à quorum veſtigiis longiſſimè diſſidemus. Hæreticos itidem veteres ac nouos incuſamus atque damnamus: ſed eandem licentiæ falſæque ſecuritatis viam ingredimur, vt in nobis etiam locũ habeat illud: *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Væ nobis qui peccauimus. Peccatum peccauit Ieruſalem: propterea inſtabilis facta eſt: omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illã, quia viderunt ignominiam eius. Nos iniquè egimus & ad iracundiam prouocauimus, idcirò tu inexorabilis es*, vt Propheticis verbis contritionem Ioſeph proſequamur. Interim verò dũ aſperis iræ diuinæ flagellis atterimur, Apoſtolici præcepti prorſus obliuiſcimur, vt ſimus factores verbi, noſque ipſos

Hierem. 9. Threnor. 1. Daniel. 9.

Ezechiel. 13.

Pſalm. 105.

Threnor. 5. 1. & 3.

Amos 6.

Iacob. 1.

ſuperædificemus ſanctiſſimæ noſtræ fidei in Spiritu ſancto. *Vnuſquiſq; autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, quemadmodum ſuper fundamentum Chriſtum ſu perædificauerit.

Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ouium.

Ex animo deſiderabo, ac Deum ſæpè precabor, vt ad bene ſolidèq; conſtituendam Eccleſiam tum paſtores tum oues officium ſuum faciant. Eſt autem munus paſtorum, ſicut hoc Euangelium innuit, per oſtium in ouile ingredi, hoc eſt, Eccleſiaſticæ ſuæ vocationis, ordinationis ac miſſionis legitimo gaudere teſtimonio, ſed & fauētem habere oſtiarium, etiá; Spiritum ſanctum, qui ipſis legitimè intrantibus, cum alijs enim nihil vult habere commune, aperiat veritatem, ac eos de omnibus ad rectè paſcendum & regendum neceſſarijs inſtruat moneatque. Rurſus ad eos pertinet, quas accepêre paſcendas oues, cognoſcere ſpeciatim, illas ad ſe nominatim ſubinde vocare, & ad bona paſcua educere, vt ſano & conuenienti pabulo reficiantur, ac demum ante illas ire, vt præeuntem veluti ducem ſequantur, & ab eo rectiùs cuſtodiantur. Vt autem hæc faciat, quæ totum requirunt hominē, nec otioſum vnquàm ſinunt eſſe paſtorem, Apoſtolicam regulam obſeruare neceſſum eſt: *Exemplum* inquit, *eſto fideliū in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide & caſtitate. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate. Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies & eos qui te audiunt.* Sicut autem fidis paſtoribus, qui officio ſuo probè funguntur, nihil erit fœlicius, cùm princeps ille paſtorum apparuerit, immarceſcibilem gloriæ coronam, ſicut Petrus vocat, illis redditurus: ita rurſus ignauis ac negligentibus ſiue paſtoribus ſiue ſpeculatoribus nihil eſſe poterit infœlicius, quàm de manibus illorum ſanguis ouiū requiretur, ſicut per Prophetam Dominus interminatur. Athanaſius Patriarcha Cōſtantinopolitanus hos paſtores admonens, egregiè ſcribit:

Hoc

Hoc precor paſtorum opus ſit, hæc cura & ſtudium, vt quæ patribus viſa ſunt, quæq́ue illi accuratè tenuerunt, illa ad tẽ-erandos regendosq́ue fideles adhibeamus: & qui ea non ſeruârint, quæ ſeruare, non ſoluere iuſsi ſumus, hos maledi-ctis grauiſsimis anathematum afficiamus.] Magna profectò is eſt diuinæ ſententiæ, qua ſingulis paſtoribus dicitur: *Tu fili hominis, ſpeculatorem dedit te Dominus Iſraël. Audiens er-gò ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me*, vt ſequẽtia prę-termittam. Væ paſtoribus Iſraël qui paſcebant ſemetipſos. Nec repetemus quæ ſupra diximus de ouium Chriſti condi-tionibus, quæ ad hunc quoq́ue locum ſpectant. Iubentur il-læ ſuos cognoſcere paſtores, & illorum audire vocẽ, & præ-cepta ſequi, nec minus ab alienis, qui veri paſtores non ſunt, fugere, vt nec voces illorum audiant, neq́ue commercium cum illis habeãt in his, quæ Chriſtianæ fidei ac diſciplinæ ad-ferunt detrimentum. Hoc eſt quod Ioannes quóque à ſuis poſtulauit fidelibus, vt nouæ falſæq́ue doctrinę hominem in domum non reciperent, nec illi AVE dicerent, neq́ue illius operibus communicarent. Amat Chriſtus Euangelicas o-ues, quas etiam in iudicio ſuo ad dexteram collocabit, & è quibus regnum ſuum ęternum conficiet. Quò magis eſt mi-hi aduigilandum, vt ouem paſtori meo gratam præbeam, eiusq́ue vocem, in quo Chriſtus ipſe me iubendo ac vetãdo paſcit, vocem audiam, ſimulq́ue maternam Eccleſiæ vocem obſeruem. Eſt hoc ſanè animal ſimplex, ſed natura lupum e-iusq́ue conuictum exhorret, & ab eo maximè ſibi metuit, ac boni nihil vnquàm exſpectat. Quarè illam Chriſti ſentẽtiam cordi meo ſemper infixam geram: *Oues meæ vocem meam au-diunt: & ego cognoſco eas & ſequuntur me.*

Ezech. 33. & 34.

Epiſt. 2.

Matt. 25.

Ioann. 10.

Omnem verò Chriſti ſermonem de paſtoribus ac ouibus hic traditum ſic accipiam, vt fructum mihi duplicẽ adferant. Primus erit, permagni eos facere ac honorare, qui ſiue dignè ſiue indignè paſcant Dominicas oues, à Chriſto ſummo pa-ſtore ac ſponſa eius Eccleſia ad hoc deligũtur munus, vt tan-quam principis Legati atq́ue Vicarij, miniſtri noui teſtamẽti,

 ac my-

ac myſteriorum Dei diſpenſatores. Nunquàm enim obliuiſci debeo diuinum eſſe mandatum, vt omnia quæ ſuper cathedram non Moyſi, ſed Chriſti ſedentes conſtituunt atque mandant, ea fideles libenter accipiant & obedienter obſeruent. Vnde Paulus etiam cunctis iniunxit ouibus Chriſti: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Nihil autem refert, ſiue Iudas, ſiue Petrus Chriſti legatum & Angelum Domini exercituum agat, vt Euangelium prædicet, vel ſacramenta diſpenſet. Facit quidem Deus regnare hypocritam propter peccata populi, ſicut in libro Iob legimus, & iuſtè ſubinde permittit, vt ſicut populus, ita ſit & ſacerdos, vtque ſublimem in Eccleſia locum indignus occupet. Qui ſanè ſi malus eſſe pergit, ſibi malus eſt, & ſicut Caiphas Pontifex, concredita ſibi abutitur poteſtate, ſuo plectendus tempore. Nihil autem illius improbitas mihi vel aliis officiet, ſi neceſſariam Dei ordinationem ſpectemus, vt non miniſtri perſonam ac vitæ illius meritum, ſed officium ipſum intueamur. Eſt autem verbum Domini planiſsimum: *Quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò illorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* [b] *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.* [c] *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Abſit igitur, vt paſtorum & præpoſitorum in Eccleſia vitam inquiram, & ex illorum meritis ſacramentorum dignitatem æſtimem, ac ouillam interim obedientiam ſimplicitatémq; negligam, déque his qui animarum ſunt conſtituti à Deo iudices, præpoſterè iudicem, quando ita me docuit Paulus: *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem: Potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Sed & Petri Apoſtoli præceptum eſt, vt ſerui in omni timore ſint ſubditi Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Alter fructus huius Euangelicæ doctrinæ mihi notandus fuerit, vt paſtorum ac præpoſitorũ vitia, quæ nec Apoſtolis Domini defuerunt, quando de primatu contenderunt, mihi nõ offenſionem vel admirationem, ſed iuſtam potius compaſ-

ſionem

onem hoc iniquiſsimo ſeculo pariant. Quis enim tam ſe-
erus ac durus eſſe iure valeat,nullum vt dolentis & commi
rantis affectum ſentiat,in hac tanta rerum omnium pertur
atione, quæ nauim Eccleſiæ in ſummum diſcrimen addu-
t, vt procellis ac tempeſtatibus iamiam mergenda eſſe vi-
eatur? Ergóne tempus eſt Chriſti Vicariis inſultandi,qui nō
ecus ac iam olim Apoſtoli, ſibi ſuæque naui plurimùm me- Matt. 8.
unt, & ab illis oppugnantur maximè, qui Chriſtianam v-
ionem fœdè dilacerant, matrémque ipſam nefariè perſe-
uuntur? Quid faciant quæſo Paſtores in tanta vulgi licentia
: corrupta morum diſciplina, quādo complures ex ouibus
œdi facti,nullo in pretio habent ſacerdotes, omniáque iu-
contemnunt, quæ ad reuerentiam & obedientiam Eccle-
aſticis magiſtratibus exhibendam iampridem ſancita ſunt?
Quare paſtorum munus ac onus ſuſtinere, ſi verum fatebi-
ur, nunquàm difficilius fuit, præſertim lupis vndique ma-
na vi in ouile irruentibus, ouesque ipſas imbecilles mactan
bus,& ſacra ferè omnia profanantibus.Nouit enim malitię
mnis author Satan, ſe maiorem Chriſto & Chriſtiano no-
ini iniuriā inferre non poſſe, quàm ſi Eccleſiaſticos homi-
es poteſtate ſua ſpoliet, & in ordinem prorſus redigat, vt
ontemptus planè iaceat ordo ſacerdotum, vtque ſal terræ Matth. 5.
iectum conculcetur. Nam vehementer Satanæ diſplicet
obſeruari, quod à Sapiente ſcriptum habemus: *Honora* Eccleſ. 7.
eum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes eius. Cui illud
uóque confine eſt: *In tota anima tua time Dominum, & ſa-* Ibidem.
rdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fe-
t: & miniſtros eius nè derelinquas. Conſonat his illa ſenten-
a: *In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientia* Eccleſi. 6.
orum ex corde coniungere. Nam vt præclarè quóque ſcripſit
r Apoſtolicus Ignatius, idemque Chriſti martyr inſignis: In epiſt. ad Smyrnenſes.
acerdotium apex eſt omnium honorum qui in homini-
us conſiſtunt: quod ſi quis inhonorauerit,Deum inhono-
t, & Dominum Ieſum Chriſtum primogenitū totius crea-
ræ, qui naturâ ſolus eſt ſummus ſacerdos Patris.]

Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.

MAGNIFACIAM Chriſti Domini & Redemptoris noſtri donum inſigne, quo ſeſe omnis humanæ ſalutis fecit authorem, ideòque paſtoribus & ouibus præbuit & præbet oſtium, ſine quo nullus ad Patrem eiusq; gratiam, & in Eccleſiæ domum intrare, nullus bene beatèque viuere ac mori poteſt. *Fundamẽtum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.* Vnde teſtatur & ipſe Dominus: *Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Ipſe factus eſt nobis,* inquit Paulus, *ſapientia à Deo, & iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum ſcriptũ eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Peculiariter autem expendam non vulgarem hanc Dei gratiam, qua factum eſt, vt indignus ego per fidei donum & baptiſmi ſacramentum in Chriſtum ipſum intrauerim, totque bonorum ſpiritualium, veluti optimorum paſcuorum factus ſim particeps, ex quo Chriſti & Eccleſiæ membrum eſſe cœpi, ita vt meritò cum Propheta lætus canam: *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Hic enim bonus ille paſtor eſt, qui ſuis ouibus tam electa prouidit paſcua, nimirùm Euangelium, ſacramenta, charitatem, pacem, libertatem, iuſtitiam, ſalutem, vitam, & reliqua id genus nulli ſatis prædicanda beneficia, quibus anima Chriſtiana velut ouis paſcitur, delectatur atque ſaturatur, vt nonnunquàm præ gaudio quidam exclament: *Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde? Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.* O ter fœlices oues, quæ in ouile Eccleſiæ ſemel à Chriſto paſtore receptæ, ab eo ipſo conſeruantur, & ſpiritualis alimoniæ paſcuis illîc ſaginantur, quiq; propter Chriſtum aliis Catholicis paſtoribus obtemperantes, non ſolùm

in vita,

vita, ſed etiam in morte multis modis benedicuntur, ac cœleſtis demũ patriæ paſcua nunquàm deſitura conſequuntur. His illud abundè præſtatur, quod in Spiritu prævidens Propheta dixit: *Quoniam illic mandauit Dominus benedictiones, & vitam vſq; in ſeculum.* Etenim ſicut in hunc ipſum locum ſcribit Hilarius: Benedictiones Eccleſia ſola largitur, vitam æternam vnanimitas promeretur.] Dabo igitur operã, vt non ſecus quàm ouis alieno, & maximè paſtoris auxilio indigens, totus à Chriſto paſtore meo pendeam, illumq; ducem, cuſtodem ac tutorem in omnibus viis meis obſeruem. Etenim niſi me cum illo cõiungam, velut ouis errans pereo, tantòque grauioribus periculis me obiicio, quantò longius ab hoc paſtore ac eius ouili ſeparor, & ſicut ille ait, poſt veſtigia gregum abeo, & hœdos paſco. Horrenda eſt ſanè ſententia, quæ in omnes Eccleſiæ deſertores competit: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ego verò per Chriſtum ingrediar & egrediar, vt fide & charitate illi ſemper vnitus maneam, & in illo qui perẽnis vitæ fons eſt, initium & finem ſtatuam omnium quæ cogito, dico & facio, neqúe in alio vllo, quàm in hoc ipſo, qui pax noſtra factus eſt, ſiue viuã ſiue moriar, conquieſcam. Habeo quippe dulces & firmas illas promiſſiones: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Ego vitam æternam do ouibus meis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Nihil tale mundus præſtare poteſt, vtpote nõ diſſimilis fucatæ meretrici fallaciter adblandienti his, quibus cupit imponere. Quarè aduerſus hanc ipſam nos præmunit Salomon inquiens: *Fauus ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps. Longè fac ab ea viam tuam, & nè appropinques foribus domus eius.* Qui ſanè mundus ſuos amatores fallit ac perdit infœliciſſimè, quicquid etiam ſuis filiis ſæculari polliceatur. Conglobentur, ſi libet, omnia quæ ad mundi gloriam, potentiam, fortunas, & voluptates conqui-

Pſalm. 132.
Canticor. 1.
Ioann. 15.
Epheſ. 2.
Ioann. 10.
Prouerb. 5.

ri & poſſideri poſſunt: quid ego aliud de his omnibus, niſi quod Salomon ſapientiſſimus dixit, pronunciem? *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus.* Iſaias verò ita docet: *Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impiis dicit Dominus.* Cur igitur etiã ruente mundo & pereuntibus omnibus, Chriſto non fidam adhæreamque, ac illud cum Paulo non repetam: *Si Deus nobiſcum, quis contra nos? Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* cũ ſit idem maneatque nobis oſtium & paſtor & ſaluator, ſed & principium & finis omnis fœlicitatis, qui non ſolùm in hoc deſerto, ſed multò magis in promiſſa & æterna illa requie ſuis electis ouibus paſcua pulcherrima & pinguiſſima tribuet, vt meritò dicat Iſaias: *Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum: non eſurient neq; ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol, quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* Ac rurſus: *Erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſq; in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in regione opulenta.* Multa ſunt id genus alia, quæ de futuris electarum ouium paſcuis & præmiis idem Propheta diſſerit, ſicut etiam ad finem totius libri totam Eccleſiam excitans hoc iucundiſſimè ſcribit: *Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam, vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius. vt mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Videbitis & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſeruis eius, & indignabitur inimicis ſuis.*

PRECANDVS *mihi* DEVS, *vt reſpiciat Eccleſiam Chriſtianam, mittatq; verum ſui ouilis oſtiarium, nempè Spiritum ſanctum, in paſtoribus & miniſtris Eccleſiaſticis efficaciter operantem. Etenim ſine hoc Spiritu fieri non poteſt, vt inueniantur Eccleſiæ miniſtri ac ſacerdotes qui legitimè intrẽt per oſtium, rectiq́.*

paſcant

paſcant ac regant Chriſti oues, quas & contra lupos nunc vndiq; imminentes fideliter ac ſecurè tueantur.

ORABO *etiam pro huiuſmodi Eccleſiæ paſtoribus, præpoſitis ac operariis, nè temporalia ſimul & ſpiritualia illis deſint præſidia & adiumenta, quæ hoc difficili tempore paſſim deſiderantur: vtq; illi in Chriſti grege paſcendo ac regendo ſtrenuè ac indefeſſè laborent, neq; ſe mundi illecebris, hoſtium inſultibus, aliisq; retibus in ſacerdotali & paſtorali munere ſinant impediri.*

PRAETEREA *Dominum inuocabo pro benè maleq; affectis ouibus erga ſuos paſtores, peculiariter autem pro illis, quæ vt mendacij pane paſcantur, ſuos paſtores non audiunt ſed contemnunt, atq; ad alienos, adeòq; apertos Eccleſiæ hoſtes proteruè confugiunt, tantum abeſt, vt lupos auerſentur ac fugiant, ſicut Chriſtus & Apoſtolus clariſſimè præceperunt. Sed & illis mentem à Deo ſaniorem precabor, qui cùm à veris paſtoribus velut ſubditi ac filij moneri regiq; debeant, os ſuum quaſi ponunt in cælum, tantumq; ſibi arrogant, vt non modo ſuorum paſtorum, ſed & rerum literarumq; ſacrarum audeant eſſe cenſores, de quibus etiam leuiter diſputare ac temerè definire, quamlibet imperiti non erubeſcunt. Ac de huiuſmodi præpoſterè ſapientibus, nimiumq; præfractis & imperioſis ouibus per Prophetam iuſtè queritur Deus:* Nónne ſatis vobis erat paſcua bona depaſci? inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: & cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis.

Matth. 7.
Rom. 16.
Tit. 3.
Pſalm. 72.
Ezechiel. 34.

IHS

DOMINICA SANCTISSIMAE TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

PRÆCLARVM hoc Euangelium, multisque myſteriis refertum, velut dialogus eſt inter Chriſtum Dominũ & Nicodemum Phariſæum habitus. Venit autem is obſcuro noctis tempore, in Euangelica fide rudis & infirmus, humanoq; timore impeditus, vt velut Catechumenus de religionis noſtræ myſteriis à Chriſto ſecretam acciperet inſtitutionem. Qui cùm ſecundùm carnem duntaxat ſaperet, & inter carnalem ſiue naturalẽ ac ſpiritualem cuiuſque hominis natiuitatem neſciret diſtinguere, propoſita hic Chriſti verba de ſacro baptiſmo aſſequi nõ potuit, præſertim iuſtificandum, & ad vitam immortalẽ regenerandum quemlibet mortalium ea renaſcentia indigere, vt ex aqua & Spiritu regeneretur, ac ſpiritualis totus efficiatur. Sed neq; illud in Chriſti verbis intellexit, Spiritum ſanctum in baptiſmo acceptum, inuiſibiliter, liberè ac potenter in baptizati hominis anima operari, licet nemo facilè ſentiat mirificos illos motus, actus & fructus ſpiritus inhabitantis. Audit præterea Nicodemus, ſed parùm intelligit, Filium hominis, Chriſtum ipſum ſcilicet, eſſe neceſſarium inſtitutorem, per quem renaſci, iuſtificari & doceri hominẽ oporteat, cuius etiam paſsione obtineri debeat Spiritus ſanctus. Igitur hoc Euangelium pulchrè nobis in Nicodemo depingit, quæ natura & conſuetudo ſit infidelium, ac aliorum omnium de rebus di-

uinis ſecundùm rationem humanam, & ſine fidei dono philoſophantium. Cuiuſmodi homines, quantumuis aliâs docti & ſapientes, non poſſunt cũ Nicodemo in magnis non verſari tenebris, atque ad cognoſcenda diuina egent inprimis fidei ſancta ſimplicitate ac peculiari gratia Spiritus, qui mentem illorum illuſtret atque purget. Cæterùm quod hodie celebratur ſolenne feſtum, ad ſanctiſsimam Trinitatem à fidelibus omnibus venerandum ſpectat, tantòq́; diligentius ac religioſius obſeruari meretur, quantò plures & blaſphemi prorſus errores aduerſus tres perſonas diuinas hodie ab impiis paſsim euomuntur atque ſtabiliuntur. Cui feſto concinnè quadrat Euangelium, in qua tres perſonæ omnium beatiſsimæ Trinitatis non obſcurè proponuntur, quod præterea de baptiſmi Sacramento diſſerit luculenter. Hoc ipſum ſanè quoties confertur & accipitur, trium perſonarum diuinarum mentionem expreſſam continet ac requirit. Tũ Sacramenti huius author Chriſtus non aliter à Ioanne baptizatus eſt, niſi eiuſdẽ Trinitatis perſonis omnibus mirè concurrentibus, ſeque Ioanni & mundo patefacientibus. Apparuit enim Pater æternus per vocem cœlitus allatam, Filius in carne ſuſcepta, & Ioanni ad baptizãdum oblata, tum & Spiritus ſanctus per columbã Chriſti verticiinſidentem. Hinc illa extat Ioannis Baptiſtæ confeſſio: Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcẽdentem, (in forma columbæ ſcilicet) & manentem ſuper eum: hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.] Præteritis autem ante Chriſtum ſeculis iure à vulgo, ſicut Rupertus monet, non exigebatur fides ſanctæ Trinitatis: quia infanti adhuc & ſub pædagogo ſeruienti populo Dei, declarata nõ fuerat hęc eadem Trinitas adorandi myſterij exhibitione, vel diſtinctione operis.] Ac de feſto quidem ipſo decenter inſtituto idem pulchrè ſic annotat: Celebrata ſolennitate de aduentu ſancti Spiritus, ſtatim è veſtigio gloriam ſanctæ Trinitatis Dominicæ ſubſequentis officio recta diſpoſitione concinimus, videlicet quia poſt aduentũ eiuſ-

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioann. 1.

Ioann 1.

Lib. 11. de diuinis officiis. cap. 14.

Ibidẽ. cap. 1.

dem Spiritus ſancti, prædicari ſtatim & credi, & in baptiſmo celebrari cœpit fides & cófeſsio nominis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.]

EIVSDEM FESTI EVANgelium. Ioann. III.

ERAT *homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei, Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cũ eo. Reſpõdit Ieſus & dixit ei, Amen, amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire & naſci. Reſpondit Ieſus, Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò. Spiritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, & quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei, Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrũ non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Et nemo aſcendit in cælum*

niſi

ſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſic-
Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari opor-
Filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum non pereat,
habeat vitam æternam.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.

INTER hominem carnalem & ſpiritualem ingens diſcrimen eſt, quemadmodum in hoc Nicodemo facilè poteſt animaduerti. Is diues, Phariſæus, princeps doctrina & authoritate clarus, legiſque pro-
ſor & interpres erat apud Iſraelitas, quem multi reuerebā-
. Idem verò minimè ſpiritualis dici cenſeriq; poteſt, quia
rę occidenti, vt Paulus loquitur, inhærebat, ſpiritu qui vi- 2.Cor.3.
icat deſtitutus, carniſque iudicio ſic impeditus, vt Chriſti
bum & diuina opera non poſſet aſſequi, quamdiu natu
lumine & ſenſu proprio nitebatur. Quarè idem Nicode-
s inter carnalem & ſpiritualem generationem, quæ ho-
ni competit, nequit diſtinguere, de priore tantùm ſollici-
, & in illa humanam ratiocinationem omnem collocās:
eram verò non ſolùm difficilem, ſed & impoſſibilem eſſe,
rudi captu ſuo ſtatuit atq; concludit. Ita verò ſe ille Adæ
um & carnis ſapientia inflatum; in his autem quę Chriſtus
promit, cæcutientem & cæcum oſtendit, vt in verba illa
orumpere audeat: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* perinde ac ſi
riſtum ipſum vanitatis accuſet. Multa quidem ille & præ-
ra viderat, audierat, legerat, publicis ſæpè conciliis docto-
n interfuerat, variiſq; de rebus quæ ad legem & Rempub.

ſpecta-

ſpectabāt, haud dubiè nouerat diſſerere. At verò quia vir ſpiritualis non erat, ſicut Simeon ille iuſtus, ad viuum Chriſti ſermonem, ſicut ad alia verè ſpiritualia, ſenſus obtuſos adfert, & in illis vel hallucinatur vel offenditur. Idem erat ingenium atq; iudicium aliorum Phariſæorum, qui nihil minùs cognoſcere ac probare poterāt, quàm ſenſa & dogmata Euangelica, præcipuè verò cùm Chriſtus de ſacroſanctę Diuinitatis & Trinitatis myſteriis concionaretur. Ac profectò, ſi ſupernaturalem diuinamq; lucem, ipſamque fidem auditorū Euangelij ſemoueas, caro ſiue carnalis intellectus non percipit veram hominis iuſtitiam, primamque iuſtificationem, de qua Chriſtus hoc loco diſſerit, nimirùm vt ſciat Nicodemus cum ſuis Iudæis omnibus, ad eiuſmodi iuſtitiam non perueniri operibus legis, vel ex opinionibus philoſophorum, neq; per vires hominis naturales, ſed fidei ſacramento, ſiue Chriſtiano baptiſmo, quo vera & ſalutaris renaſcentia homini cōparetur, vt ex Adę Filio Dei Filius fiat, illeque animo ſimul & corpore perfectè mundetur atque ſanctificetur.

Hinc ego non temerè colligam, quod ſit ingenium, quæ natura mundi ſapientum atque prudētum, quibus Chriſtus non reuelat, ſed abſcondit myſteria ſua; qui præterea cùm aures habeant, non tamen intelligunt verbum Dei, ſed eo facilè offenduntur. Adhæc quàm rectè Paulus illud ſcripſerit: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Eoq; magis mihi curandum fuerit, vt ſiue Chriſtum audiam, ſiue verbum eius diuináque myſteria legam, humanum deponā ſupercilium, neque proprio fidam iudicio, ſed carnalem ſapientiam vſque ſuſpectam habeam. Docet enim me ſuo Nicodemus exemplo, nè ad ſenſa diuina capeſſenda meipſum impediam, & ratione humana, quæ in ſacris parùm valet, me falli ſinam. Atque hic animalis homo dicitur, qui neglecto Spiritu Dei loquentis in Eccleſia, veræque fidei dono carēs, humanos ſenſus & affectus ſequitur, putatque nullo ſibi opus eſſe præſidio diuino, perinde ac ſi ratione humana & na-

turali velit ac poſsit aſſequi omnia. Quid verò Paulus? *Animalis homo* inquit, *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim eſt illi,& non poteſt intelligere.* Certè niſi Spiritu Dei doctore & rectore cumprimis indigeret homo, vt ad ſpiritualia diuináque cognoſcenda inſtruatur, Propheta vtiqúe non diceret: *Beatus homo quem tu erudieris Domine,& de lege tua docueris eum.* Vnde Paulus hoc de ſe aliiſqúe ſpiritualibus prædicat: *Quæ ſunt Dei, nemo cognouit niſi Spiritus Dei. Nos autem nō ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.* Ac iterum: *Iuſtificatio legis impletur in nobis,qui nō ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecūdùm ſpiritum. Qui enim ſecundùm carnem ſunt,quæ carnis ſunt ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt:quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt:prudentia autem ſpiritus vita & pax.* Eapropter nè cum præſenti Nicodemo ſecundùm carnem ſapiam,& in tenebris ſpiritualibus verſer,veri ſpiritus expers,natiuæ conditionis meæ ſemper meminero, qua ſum Adæ parentis filius atque carnalis,immò & ipſa caro,iuxta Chriſti ſententiam illam, *Quod natum eſt ex carne,caro eſt*, à progenitoribus nimirùm accepta mortalis, quæ nec regnū Dei poſsidere, nec eius myſteria intelligere poteſt,cuius quóque carnis prudentia ſecundùm Apoſtolum mors eſt, & inimica Deo, legíque Dei non ſubiecta, quoniam in ea fertur,quæ vetuit Deus, & mala ſunt, ſenſumqúe & affectum carnalem adfert, niſi per ſpiritum renouetur ac reformetur. Nihil igitur habeo quod de meipſo præclarè ſentiam,qui etiam poſt acceptum in baptiſmo ſpiritum, facilè poſſum & ſoleo in ſacris rebus hallucinari,pluráque ſemper neſcio quàm intelligo, vt meritò cū Propheta gemens dicam: *A, a, a, Domine* DEVS, *ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Præterea ſemper egeo precatione, quam & Apoſtoli recitarunt: *Domine adauge nobis fidem*, & quam Propheta ſublimis ita protulit: *Tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Adhæc perpetua cura mihi opus eſt,vt priuatas propriaſqúe opiniones, quæ à ſenſu & conſenſu Eccleſiæ ſunt alienæ,miſſas planè faciam,

1.Cor.2.
Pſalm.93.
1.Cor.2.
Rom.8.
Ioann.3.
1.Cor.15.
Rom.8.
Ierem.1.
Luc.17.
Pſalm.17.

ciam,memor illius Apoſtolicæ doctrinæ: *Idipſum inuicē ſentientes: non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes: Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Vetat autem idem Apoſtolus, nè ſimus ſenſu carnis inflati, magnamqúe fidei ſimplicitatem à Chriſtianis omnibus exigit, per quam intellectus omnis in obſequium Chriſti redigatur,omniſqúe inobedientia ſupprimatur. Eóque magis ego cauebo ab illorum intolerabili faſtu, qui nè parùm ſapere videātur, ſupra Eccleſiam Eccleſięqúe Patres ſacris de rebus iudicandi poteſtatem ſibi arrogant,neqúe ſe Nicodemos, hoc eſt,in fide rudes, & carnales malèqúe fundatos eſſe meminerunt. De his meritò cū Paulo dixeris: *Cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſunt elemēta exordij ſermonum* DEI; *& facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Nā ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe* (vt Phariſæi quidem & Philoſophi exiſtimârunt) *cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Sed & illos mihi cauēdos maximè putabo, qui hoc ſeculo quicquid in verbo Dei non intelligunt, quicquid etiam in Eccleſia nō probant, id facilè cum Nicodemo auerſantur; & quoniam ipſis diſplicet, idem abſurdum vel impoſsibile eſſe pronunciant. Habent enim in ore libenter hoc dictum Nicodemicum: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* ſicut & impij Capharnaitę, vt Chriſti verba eluderent, ſuumqúe ſenſum carnalem tuerentur, illud profundere auſi ſunt: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuā dare ad manducandum?* Mihi verò in Chriſti verbis Eccleſiæqúe doctrina nihil tam graue, ſublime, alienum, durū ac improbabile videbitur, quod non libenter amplectar, firmáq; fide profitear. Scio enim ſcriptum eſſe: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Et rurſus alibi lego: *Sentite de Domino in bonitate (cui non eſt difficile omne verbum) & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Perit autem omnis ſimplicitas cordis, vbi omnipotenti Deo, & columnæ veritatis Eccleſię fides denegatur iuxta præceptū illud: *Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ.* Prcęlarè quidem à Chryſoſtomo dicitur: Nihil peius eſt, quàm humanis rationibus ſpiri-

tualia

tualia ſubiicere. Abſit igitur vt in his quæ ob diuinam veritatem credere debemus, ego aut fallaci iudicio meo fidã, aut neſcio quorum hominum idola colam, vel phantaſmata & placita ſectecter, qui ex fidelibus contentioſi, & ex contentioſis præfracti atque hæretici facti, nouam nobis fidem inuehunt, vt ſe veteris Eccleſiæ hoſtes & perduelles toti mundo declarent. Humanus quidem in hoc Nicodemo lapſus erat, quod ſublimia Chriſti verba fortaſſe nè Apoſtolis quidem intellecta, nõ ſtatim cõprehenderet, qui tamen idcircò laudari meretur, quòd ſe patientem Chriſto auditorem atq; diſcipulum præbeat, illumquę magiſtrum pergat interrogare, nec ægrè ſuſtineat, ſe ab illo taxari ac reprehendi. *Tu inquit, es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Paulatim ille in Euangelica doctrina profecit, Chriſtique cauſam contra collegas Phariſæos defendit poſtea publicè, magnamque curam Domini in cruce defuncti habuit, quãdo corpus eius de cruce ipſa depoſitum honeſtæ ſepulturæ mandauit. Illi verò nõ tam Nicodemico quàm Satanico ſpiritu duci vidẽtur, quorum intellectus ignorantiæ tenebris ſemper manet obſcuratus, atque vt rectè inſtituantur, néque Chriſtum omnis ſapientiæ fontem, néque miniſtros eius in Eccleſia conſtitutos conſulere & audire dignantur, ſed ſuis præfidunt ingeniis, ſuasquę opiniones tuentur mordicus, ac aliorum qui ſemper in Eccleſia iudicârunt, legitimam ſentẽtiam ſequi detrectant. Nihil tale fecit aut feciſſet vnquàm Nicodemus, qui cũ celebris eſſet magiſter in Iſraël, multumquę valeret apud omnes authoritate, tamen ſe humilem Chriſti diſcipulum, ac velut paruulum fecit, vt nos quóque doceret obſeruare illud; *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.* Principiò quidem nonnihil homines ille metuebat, nè crabrones irritaret, ac ſuę dignitatis iacturam faceret: ſed deinde à Chriſto inſtitutus, non venit ad illum nocte amplius, ſed ſuam de illo fidem haud eſt obſcurè profeſſus, totumquę Phariſæorum ordinem facilè virtute & conſtantia ſuperauit, vtpote quem ſcribunt multa propter Chriſtum &

Ioann. 3.
Ioan. 7.
Ioann. 19.
Pſalm. 33.

rauia eſſe perpeſſum. Ita verò ille nos admonet, vt quòd ip- ſi competit, nobis etiam credentibus rectè accommodetur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Cæterùm vt ſupradictis de hoc Phariſæo máior fides conſtet, Chryſo- ſtomi verba ſubiiciemus. Nicodemus qui venerat ad Ieſum nocte primùm, afficiebatur quidem Chriſto, non tamen vt oportebat, néq; quo debebat animo, ſed adhuc Iudaica im- becillitate detinebatur: ideò noctu venit, qui interdiu formi- dabat. Sed clementiſſimus Deus néque tàm frigidum affe- ctum pepulit, néque obiurgauit, néque indignum duxit ſua doctrina, ſed multa cum manſuetudine cũ alloquitur, quip- pe quem longè magis venia dignum exiſtimauit, quàm qui ex malitia percunctabantur.]

Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.

EXCITABO me ad ſingulares gratias non meo tantùm, ſed & totius Eccleſiæ nomine reddendas beatiſſimæ Trini- tati, quandoquidem primum & maximè neceſſarium hoc le- gis nouæ ſacramentum, quod Baptiſmus dicitur, in prõptu habeamus. Etenim ſine lauacro regenerationis, aut eius ſal- tem voto, quotquot primi Adæ, & idcircò filij iræ naſcũtur, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, poſt promulga- tum Euangelium transferri & renaſci minimè poſſunt. Hanc Chriſtiani baptiſmi neceſſitatem, à qua nullus excuſari po- teſt, hoc loco Chriſtus euidenter oſtendit, ſicut & alibi clarè pronuncians: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Agam inſuper gratias ipſi baptiſmi huius authori, cui viſum eſt, me quamuis infantem reſpicere, & immerentem, immò neſcientem hoc ſummo beneficio gratis cumulare, vt per la- uacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti me ſaluum faceret, eumqúe Spiritum abundè in me, ſicut & in alios, effunderet, quemadmodum lõgè antea per Prophetã promiſerat, dicens: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Nec eo con-

tentus

tentiis adiecit: *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponã in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Etſi e-nim DEVS, cui difficile nihil eſt, ſolo ſpiritu & ſine aqua mundare & renouare hominem potuit, tamen pro ſummâ prudentia ſua decreuit baptiſmum è ſpiritu & aqua conflatum inſtituere, vt eundem duplicis ſubſtãtiæ hominem, qui ex corpore & anima vtique conſtat, perfectè mundaret, eũq; totum per Chriſtum reſtitueret. Væ igitur mihi, ſi tẽpus hoc manumiſſionis, libertatis & ſalutis non agnouero; quando me Deus Iſraël velut potenti manu ex AEgypto eduxit, mundi principem veluti Pharaönem in mare demerſit, ſuam legem non lapidi ſed cordi inſcriptam tradidit, ſuum fœdus mecum pepigit, ſuo electo populo me aggregauit. *Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, vt eum glorificemus & portemus in cordibus & corporibus noſtris.* Nihil autem refert, multa & prçclara in hoc ſacramento concurrere, quæ mente hominis cõcipi, & ſermone explicari neutiquàm poſſunt. Satis eſt mihi cum Chryſoſtomo ſentire ac dicere: Prima hominis formatio ex terra; hoc eſt Adæ, altera ex eius latere, mulieris videlicet, tertia ex ſemine, vt Abel. Verùm nullam harũ; quomodo & qua fiant ratione, aſſequi poſſumus, quanquàm craſſiores ſint. Quonam igitur pacto de intellectuali per baptiſmum generatione, & tam admirabili partu rationem reddemus, quæ longè altiora ſunt & ſubtiliora? Nam & Angeli qui fuerunt, tam inenarrabilis operis modum minimè enarrare poſſent. Affuerunt duntaxat & viderunt, nihil tamen operati ſunt, ſed Pater tantùm & Filius, & Spiritus ſanctus.] Peculiariter autem huius mirificæ renaſcentiæ meæ, quæ per lauacrum aquæ & verbum vitæ facta eſt, recordabor Dominico die, quando aqua ſacra de more adſpergimur & in feſtis dedicarç Eccleſię, quando de ſpirituali dedicatione in baptiſmo peractá commonemur, ſed & die meo natalitio, quandó parentes ac patrini de me regenerando piè ſolliciti eſſe cœperunt. Tũc autem præclarum & primum illud Moyſi cãnticum, quod Iſ-

Exodi 14.19. & 20.

Rom. 5.
2. Cor. 6.

Homil. 24. in Ioann.
Geneſ. 2. & 4.

Epheſ. 5.

rëlitæ omnes poſt Pharaönem in mari ſubmerſum lætè ce-
inerunt, mihi proponam, & ex eo verba illa reperam: *Can
emus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt; equum & aſcen-
ſorem deiecit in mare. Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Cũ
nim ego natura iræ filius in vtero materno cõceptus, & ſub
huius mundi principe damnabilis natus eſſem, meipſum ve-
rò nulla ex parte iuuare poſſem, per aquam & Spiritum ſan-
ctum, virtute ſanguinis Chriſti id ſum conſequutus, vt à pec-
catis ablueret, quæ hîc omnia pleniſſimè condonantur, ac
etiam regenerarer, nouáque prorſus efficerer creatura Deo
ſanctificata. Hinc meritò ad gratiarum actionem excitor, vt
ex animo cũ Propheta decantem: *Benedic anima mea Domi-
no, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſãcto eius. Benedic anima
mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui propi
ciatur omnibus iniquitatib' tuis, q ſanat omnes infirmitates tuas,
qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericor
dia & miſerationibus. Particeps ego ſum Deus omnium timen
tium te, & cuſtodientium mandata tua.* Eſt enim baptiſmus nõ
modò captiuorum & æris alieni remiſſio, ac peccati mors, vt
Baſilius magnus loquitur, ſed etiã animæ regeneratio, ami-
ctus ſplendens, character indeprehenſibilis, cœli iter & regni
cœleſtis conciliatio. Quarè Paulus tantoperè baptizatos ho
norat, vt eoſdem vocet Spiritu ſancto donatos, iuſtos, ſan-
ctos & ſanctificatos, qui cùm non ſecundùm carnem, ſed ſe-
cundùm Spiritum ambulant, reuera ſunt filij hæredesque
Dei, fratres autem & cohæredes Chriſti, quem induerunt, ſi-
mulque templa viua Spiritus ſancti. Contendam interim ſę-
pè ac ſedulò in animum reuocare, quemadmodum *Patres*
hortantur, quid in ſacro baptiſmo per *Patrinos* vt vocant,
meo ſit geſtũ nomine, & quo me voto per illos coràm Deo
& Angelis eius obſtrinxerim. Etenim ſanctè promiſi, huius
mundi principi diabolo, ſub quo vnuſquiſque naſcitur, om-
nibusque pompis & operibus eius abrenunciare, ſoliq; Chri
ſto mundi Redemptori & Imperatori fide ſumma militare.
Vnde monet vnumquemque Chriſtianum Ambroſius: Re-

pete quid interrogatus ſis, regnoſce quid reſponderis: renunciaſti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriç eius ac voluptatibus. Qui renunciat Diabolo, ad Chriſtum conuertitur.] Sequar & ſalutare conſilium Chryſoſtomi hoc modo ſcribentis: Sicut ſine calceamentis vel veſtimentis veſtrûm nemo in forum deſcendere eligeret: ita ſine verbo hoc (factę in baptiſmo renunciationis) nūquàm in forum prodeas, ſed cùm es ianuę veſtibula tranſgreſſurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuncio tibi Satana, & coniungor tibi Chriſte. Cū hoc verbo & crucem in fronte imprime: ſic enim nō tantùm non homo accurrēs, verùm nec ipſe diabolus te quicquam lędere poterit, cum his te cernens armis vbique apparentē.] Sed & paruulorum vicem dolebo maximè, qui ſiue parentū ſuorum incuria, ſiue nouorum ſectariorum crudelitate hoc neceſſario ſacramento ſæpè fraudantur, & idcircò inter fideles Chriſtianæ gratiæ participes nequeunt numerari. Sicut enim vetus circumciſio Iudæos, ita hic baptiſmus Chriſtianos, vt iuſtificentur ac ſaluentur obligat maximè poſt latam Chriſti legem, vt omnes ex aqua & Spiritu regenerētur. Qui ſanè baptiſmus paruulorum ad Apoſtolicam traditionem ab [a] Origene, [b] Auguſtino aliiſque refertur, ſimulque cum exorciſmo, & ſolennibus cæremoniis, in Eccleſia ſemper celebratus fuit, vt hinc etiam [c] Chryſoſtomus clarè pronunciet: Prædicat Eccleſia Catholica vbique diffuſa, debere paruulos baptizari propter originale peccatum. Vti verò mihi cōſolationem adferet, quod ſciam, verum baptiſmum ſiue à Catholico, ſiue ab hæretico collatum, ſi adſit intentio vt dicunt, faciendi quod facit Eccleſia, vnicuique ad conſequendam ſalutem ſufficere: ita iuſtum in me dolorem excitabit baptizatos omnes in æternum perire, qui in Catholica Eccleſia eiuſque fide integra cum pœnitentia non perſeuerant. Etenim ſecundùm firmam Fulgentij regulam ſemper iudicandum eſt, quæ in hunc modum tradit: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, ſacramentum baptiſmatis non ſolùm intra Eccleſiam Catholicam, ſed etiam apud hæreticos,

In lib. de his qui myſteriis initiantur. capit. 2.

Homil 21. ad populum Antioch.

Geneſ. 17.

a In epiſt. ad Romanos.
b Lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione. cap. 26. & 34.
c Homil. de Adam & Eua.

De fide ad Petrum. cap. 36.

qui in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizant, eſſe poſſe, ſed extra Eccleſiam Catholicam prodeſſe non poſſe. Imò ſicut intra Eccleſiam rectè credentibus per ſacramentum baptiſmi conferri ſalutem: ſic extra Eccleſiam baptizatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, eodem baptiſmo accumulari perniciem.]

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.

PRAECIPVA mihi cura erit hunc diem ita ſanctificandi, vt feſtum ampliſsimum, quo nec ſublimius & auguſtius vllum inſtitui poteſt, vnà cum militante ac triumphante Eccleſia ſolenniter celebrem, nimirùm ad laudem & gloriam indiuiduæ ſimulqúe ſanctiſsimę Trinitatis, à qua & ad quam omnia. Vbi Chriſtiani officij ratio exigit, fidem integrã quæ tribus perſonis diuinis longè ſacratiſsimis debetur, contra ethnicos, Iudæos, Turcas, & hæreticos omnes religione cõſtantiáque maxima profiteri. Summa profeſsionis eſt, vt pręcipuum Chriſtianæ fidei & doctrinæ myſterium, quod in vnitate diuinæ eſſentiæ, & in trium perſonarum, ſiue Trinitatis diſtinctione cõſiſtit, fideli corde complectar, ingenuè teſter, purumqúe conſeruem aduerſus omnes vel diabolicas, vel humanas impoſturas, technas, fraudes atqúe impietates. Qua ratione hodierno die ac Dominicis omnibus ſymbolũ illud, quod vocant Apoſtolicum, & Athanaſij valdè mihi cõmendatum habebo: quod niſi quiſqúe fideliter firmiterqúe crediderit, & cum ſana Eccleſiæ interpretatione inuiolatum ſeruauerit, abſqúe dubio in æternum peribit. Adhæc retinebo veterem probatumqúe morem Catholicorum, qui ſicut in ſanctiſsimæ Trinitatis nomine, vt Chriſtiani efficiãtur, expreſsè baptizantur, Deóque ſanctè conſecrantur; ita iam baptizati vt Chriſtiani conſtanter maneant, hoc etiã ſigno conuenienter vtuntur, vt Chriſti crucem digitis efformẽt, frontemqúe conſignent, apertè ſæpèqúe teſtantes, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quemadmodũ Apoſtolica traditione

tione, cuius meminit & Baſilius, iampridem ſumus edocti. Nec eſt vlla Chriſtianis fortior, vtpote quã & dæmones metuunt, armatura, præterquàm ſi coniunctis animis Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate confiteantur, venerentur, adorent, ſicut omnes omnium ætatum Orthodoxi clàm palàmque fecerunt, nihil dubitantes pro hac fide ac veneratione tuenda vitam ac ſanguinem profundere.

In lib. de Spiritu ſancto. cap 27.

Præterea hoc feſtum ſic exigam, vt non mei tantùm, ſed & Angelorum & hominum cunctarumque viſibilium & inuiſibilium creaturarum nomine laudem, adorem ac inuocẽ beatiſſimam Trinitatem, perinde ac ſi cum Auguſtino clarè dicam: Te DEVM Patrem ingenitum, te Filium vnigenitũ, te Spiritum ſanctum paraclêtum, ſanctam & indiuiduã Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, Tibi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.] Et cum eodem Auguſtino iterum fateri non verebor: Te inuoco beata & benedicta, & glorioſa vna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: Deus, Dominus, Paraclêtus: Charitas, gratia, communicatio: Genitor, genitus, regenerans: Verum lumen ex lumine vero, vera illuminatio: Fons, flumen, irrigatio. Ab vno omnia, per vnum omnia, in vno omnia: à quo, per quem, in quo omnia.] Cæterùm ad clariorem Dei diuinarumque perſonarum cognitionem valebit, quod in hæc verba notat Cyprianus: Certè ſibi ſoli nota eſt Trinitas, & ſolus Pater ſcit Filium, Patremque nouit Filius, nec à quoquã, niſi eo reuelante eſt cognitus. In hac diuini magiſterij ſchola Pater eſt qui docet & inſtruit, Filius qui arcana Dei nobis reuelat & aperit, Spiritus ſanctus qui nos replet & imbuit. A' Patre potentiam, à Filio ſapientiam, à Spiritu ſancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus ſanctus coniungit & vnit. A Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis eius cõformitas, à Spiritu ſancto integritas & libertas. In Patre ſumus, in Filio viuimus, in Spiritu ſancto mouemur & proficimus.] Ex Fulgentio ſatis ſit hæc pauca repetiuiſſe: Vnus Deus eſt inquit, ſancta Trinitas, Pater & Filius, & Spiri-

In lib. meditat. cap. 11. & 31.

Serm. de baptiſmo Chriſti

Matth. 11. Luc. 10.

Lib. ad Donatum, cap. 11. & 9.

tus ſanctus. Vna eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti natura, ſed non vna perſona. Ad huius imaginem Trinitatis homo factus agnoſcitur, in cuius nomine baptizatus, denuò renouatur. Baptizari autem gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Saluator noſter edocuit: vt ſicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, ſic in nomine Trinitatis, diuinæ adoptionis gratia frui mereamur. Vnus eſt ergò verus Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui omnipotentiſſima bonitate creat homines, & gratuita miſeratione iuſtificat peccatores.] Sed & dolebo, me ſanctiſſimæ Trinitati tot modis obſtrictum, tam ſegniter & indignè meum facere officium in ſummo illo Creatore, Redemptore & Sãctificatore timendo, amando, confitendo, celebrando, venerãdo atque colendo, cùm illi ſoli latriæ cultus in cœlo ac terra tum ab Angelis tum ab hominibus tribui debeat, & ab illis quidem plenius atque perfectius, qui plura & maiora ſui Autoris beneficia perceperunt. *Omni enim cui multum datum eſt, multum queretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Quo magis illorum mortalium deplorabo vicẽ, qui Deum diuinasque perſonas (quæ ignorantia longè turpiſſima eſt ac prorſus inexcuſabilis) non cognoſcunt, aut ſi cognoſcunt, non tamen ſicut decebat glorificant & gratias agunt, ſed potius Dei veritatem in iniuſtitia detinent, vt cum Paulo loquamur. Me quóque iure mei pudeat, quòd huius præſentis ac triſtis exilij dulcedine quadã captus, & qui ſcio terreſtrem domum huius habitationis citò diſſolui, nocte ac die non illûc adſpirem, vbi ſanctiſsima Trinitas lucem habitat inacceſsibilem, & coràm à beatis videtur, videndo amatur, amando laudatur, etiam Seraphim indeſinenter acclamantibus: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum.* Cæterùm, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, mirum & miſerandum putabo, quod ad ærumnoſæ peregrinationis militiæque huius finem non feruenter adſpirem, neque ſicut ceruus ſitiens, illum aquæ viuę fontem deſiderem, qui ſolus conſpectu ſuo noſtros explet a-

nimos.

nimios. Cur igitur cum Propheta non terrena faſtidio, & ſanctiſsimæ Trinitati nō ex animo dico: *Replebimur bonis domus tuæ: Satiabor cùm apparuerit gloria tua?* Cur cum eodē Dauid non ſupplex peto & feruenter obſecro: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuāt eum omnes fines terræ?* *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula.* Multum autem in eo ſitum eſſe iudicabo, ſi non modò ſanctiſsimam Trinitatem agnoſcam atque profitear, ſed & cordis mei oculum magis ac magis expurgem, reiectis omnibus tum ſpiritus, tum corporis inquinamentis, quæ ſola mentes humanas à ſummo illo lumine contemplando in hac futuráque vita remorantur. *Beati autem mundo carne, quoniam ipſi Deum videbunt,* puríque cum perenni fonte puritatis ſine fine permanebunt. Non enim in cœleſtē Hieruſalem, in qua Deus Deorum videbitur, intrabit aliquid coinquinatū, ſed innocens manibus & mundo corde aſcendet in montē Domini, & ſtabit in loco ſancto eius, nec permanebunt iniuſti ante oculos eius, qui odit omnes operantes iniquitatem, & loquentes mendacium. Demùm quo ſublimior eſt Deus, Deíque natura incomprehenſibilior, *quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt;* & qui ſolus ſeipſum ſuamque diuinam agnoſcit eſſentiam, quo inſuper magis arcanū & inſcrutabile eſt ſanctiſſimę Trinitatis myſterium, quod ſenſum intellectumque humanum omnem excedit: eo me ſanè, vti par eſt, ſubmiſsius geram, tantæque Maieſtati magis ſubiiciam, & cum ignorantiæ ac imbecillitatis meæ confeſsione ſoli Deo gloriam tribuam, ſimulque cum Paulo reuerenter exclamabo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* Sed & cum Sapiente vltrò teſtabor: *Difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit?* Quam ob rem humili Eccleſiæ fide contentus, & de tota Trinitate in bonitate ſentiens, illamq; in ſimplicitate cordis quærens, piè cum Sapiēte precabor: *Noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus*

Pſalm.16. Pſalm.66. Rom.11. Matth 5. Apocal.21. Pſalm.83 82. & 5. 1.Tim.6. Rom.11. Sapien.9. Ibidem.

Yy - 5 tuus

tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapiētiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?

PRECANDVS *autem inprimis eſt mihi* DEVS *pro infirmis ac dubitantibus in fide, aliiſq; omnibus de religione ſecundùm carnem iudicantibus, vt ſuo priuato magis quàm ſancti Spiritus & Eccleſiæ ſenſu ad credendum moueantur, neglecta vera fidei ſimplicitate, contra illud Pauli præceptum*: Idipſum inuicē ſentientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes: nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.

ORABO *etiam, vt Catholici in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis baptiZati, veram & integram fidem de perſonis diuinis, cunctiſq; Chriſtianæ fidei myſteriis teneant, eamq; aduerſus blaſphemos hæreticos ardenti Zelo vindicent, neq; vlla ex parte in orthodoxa fide, præſertim de ſanctiſſima Trinitate vacillent. Apoſtolica enim doctrina eſt, nè doctrinis variis & peregrinis ſeducamur, ſed vt in vnitate Spiritus & conſenſu fidei corda confirmemus, vno ore Deum honorificantes.*

ADHAEC *inuocabo Dominum pro infidelium & hæreticorum conuerſione, qui ſanctæ fidei luce & illuſtratione indigent maximè, & præterea pro fidelibus omnibus, vt in fidei doctrina concordes, ter ſanctæ Trinitatis imaginem ipſorum mentibus impreſſam, partim incontaminatam retineant, partim vitiis defor-matam gratia duce reforment.*

IN EXIMIO FESTO VENERABILIS CORPORIS CHRISTI, ET PER EIVS OCTAVAM.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM hoc pars eſt longæ difficilisque diſputationis, quam Chriſtus cum Capharnaitis habuit de carne ſua edenda, ſanguineque bibendo. Vbi ſanè ſcitu dignum eſt, duplicem Chriſti ſumptionem, purè ſpiritualem nempè & ſacramentalem conſtitui, & vtramque in hoc capite Ioannis, ſicut & in præſenti Euangelio intelligi oportere. Spiritualis eſt fides ſeu fiducia in meritũ corporis & ſanguinis Domini in cruce pro nobis oblati: ſacramẽtalis autem externa illa ſub panis & vini ſpeciebus Euchariſtiæ ſacræ perceptio. Hæc ſpiritualem ſanè ſumptionem ſemper includit, & ſine illa non prodeſt, quin etiam communicanti obeſt plurimùm. Licet autem Patres partim de ſacramentali, partim de ſpirituali ſumptione verba Chriſti in hoc Euangelio interpretentur, tamen ab Hilario, Chryſoſtomo, Cyrillo ac aliis diſcedere tutum non eſt, qui ſacramẽtalem illam ſumptionem hîc Chriſti verbis indicari & vrgeri planiſsimè tradunt. In quem ſenſum concedens Eccleſia hoc Euangelium vtriq; nunc proponit, & cum præſente feſto coniungit, quod ſacramenti huius firmam confeſsionem ſimul & publicã venerationem ſi vnquàm aliâs, nunc inprimis à fidelibus omnibus exigit. Et ſicut veterum Capharnaitarum, ſic Ioann. 6.

etiam murmurantium & blaſphemantium hodie ſacramentariorum ora potenter obturantur, cùm Chriſti verba ſic accipimus, quòd caro ſua non ænigmaticè aut parabolicè, ſed verè cibus, & ſanguis eius potus exiſtat, quandoquidem ſpiritualiter in nobis idem operentur, quod cibus & potus externus corporaliter in homine efficere ſolent. Nam reficiunt, confortant, reſtaurant ac oblectant edentem, ipſamque vitam hominis conſeruant, atque aduerſus famem, ſitim, multoſque defectus corporis omninò tuentur. Accedit & alter eiuſdem ſacramenti dignè ſuſcepti fructus, quòd hominem credentem Chriſto incorporet, & quodammodò cum illo vnũ faciat iuxta illud: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, manet in me, & ego in illo. Hinc illa mirifica virtus fidelium, qui poſt ſumptum hoc myſterium in Chriſto ita firmi tutique perſiſtunt, vt contra peccatum, mortem, diabolum & mundum inuicti pugnare, immò & fortiter triumphare poſsint. Etenim non fide tantùm & charitate, ſed etiam per carnem Dominicam in Euchariſtia perceptam cum Chriſto ipſo arctiſsimè coniungimur, vt hoc diuino cibo in ipſam quoque carnem conuertamur, quemadmodum [a] Chryſoſtomus & [b] Cyrillus Alexandrinus ſimul, & [c] Hieroſolymitanus perſpicuè docent. Maior adhuc ſuſcepti ſacramenti fructus eſt, quod vitam cum Chriſto perpetuam piis largiatur, qua nihil quidem perfectius & optabilius in hac futuraque vita poteſt deſiderari. Sic enim disertè promiſit Veritas: Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum. Vocat igitur Chryſoſtomus hoc ſacramentum antidotum aduerſus Cacodæmones, & pignus immortalitatis, eſtque caro viuificans quę mortem expellit rectè communicantium, teſte Cyrillo. Et nè vllus hæreat ſcrupulus, Chriſtum hîc de ſacramentali corporis ſui ſumptione loqui, quam Græci Latiniq; Patres plurimi adſtruunt, eludi ſanè non poſſunt verba eiuſdem Domini clariſsima, quæ in hoc ipſo capite paulò antè proponuntur: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Attende inquit Theophilactus, quod panis qui à nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantùm

figu-

figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed caro mea. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem & acceſsionem ſancti Spiritus in carnem Domini.] Nihil ſanè poterat Theophilactus, vt reliquos interpretes prætercam, proferre, qua Catholica ſententia euidentius confirmari, & veterum nouorumq; Capharnaitarum error retundi fortius poſſet. Errant verò turpiter in hoc ſexto Ioannis capite, qui nobis Catholicis obtrudunt illam Chriſti ſententiā: Caro non prodeſt quicquam, indeque colligunt, verum & naturale Domini corpus non eſſe in Euchariſtia, atq; vt ſolam ſpiritualem communionem per fidem vrgeant, & ſacramentalem excludant, his Chriſti verbis impiè abutuntur. Primùm enim ex eodem capite ſatis conſtat, Chriſti Domini carnem verè credentibus permultū prodeſſe, & ad edendam neceſſarium eſſe, ſicut Chriſtus ipſe teſtatur. Deinde refelluntur illic impij Capharnaitæ, opinantes viſibilem & mortalem Chriſti carnem edi, cibumque communem nobis effici oportere, carnem inquam, vt Auguſtinus loquitur, in cadauere dilaniatam, vel in macello venditam: atque idcircò Chriſtum de tanto myſterio diſſerentem aſſequi non poterant. Meritò igitur audiunt: Caro non prodeſt quicquam: Spiritus eſt qui viuificat. Verba quæ ego loquutus ſum, ſpiritus & vita ſunt. Falluntur & illi grauiter, qui communionem ſub vtraq; ſpecie cunctis etiam laicis adminiſtrandam, ac neceſſariò ſumendam eſſe ſentiunt, quia Chriſtus in hoc ipſo capite dixerit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vt enim concedatur, locum illum ad ſacramentalem manducationem pertinere, cùm veteres etiam eundem referant ad ſpiritualem, per quam Chriſto per fidē incorporamur, nulla tamen illic aut vini aut calicis mentio facta eſt, ac bibere quidem & manducare, ſicut Chriſtus ibidē loquitur, nō corporale, ſed ſpirituale eſt, ita vt qui corpus Domini manducant, etiam ſanguinem eius bibere videatur. Alia eſt ſanè communio ſacerdotum ſa-

Tractatu 27. in Ioann.

crificantium,

crificantium, qui Chriſti paſsionem in altari ex profeſſo repræſentant, quod ſine vtraq; ſpecie fieri nō poteſt: alia laicorum, quos nihil vetat, ſi ita præſcribat Eccleſia, ſub vna ſacramēti ſpecie Chriſtum integrū ſumere, quemadmodū Chryſoſtomus, Auguſtinus aliiq; plures probabiliter cēſent, duos diſcipulos in Emaus ſub panis dūtaxat ſpecie cōmunicaſſe. Errandi verò præbet anſam, quòd calicis vſum vrgentes, Dei ſpiritu qui extra verā Eccleſiam non eſt, deſtituti, de tāto fidei myſterio ſecundùm carnē iudicent, plus æquo ſolliciti de bibitione. Nec vident illi Catholicos ſub vna ſpecie cōmunicantes, non modò corpus, ſed ſimul ſanguinem & animam ac diuinitatem Chriſti percipere, atq; in illis communicantibus impleri CHRISTI promiſsionē: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et ſimile prorſus eſt quod ſequitur: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Labūtur in eo etiam noui Calixtini, quòd ſibi perſuadeant, ſub vna ſpecie minus quàm ſub vtraq; contineri, corpusq; & ſanguinem Domini propter diuerſa ſigna ſeparari; nec animaduertunt, licet diuerſa ſigna exhibeantur à ſacerdotibus, vt corporis & ſanguinis Dominici ſeparatio in cruce facta ſignificetur, vnum tamē eſſe ſignatū, & æquè ſub vna ſicut ſub vtraq; ſpecie integrum viuumq; Chriſtum cōtineri, & cum ſacramenti perfecta virtute à dignè communicantibus percipi. Qua de re alibi opportunius.

EIVSDEM FESTI EVANgelium. Ioann. VI.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis & turbis Iudæorū: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens*

Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna: & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA FESTVM ET EIVS OCTAVAM.

I.

De venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ prima inſtitutione.

QVOD nos Chriſtiani de veteri more dicimus Euchariſtiam, id ego ſummum diuinæ bonitatis beneficium, ſimulque ſacramentum præcipuum à Chriſto ipſo inſtitutum agnoſcam, atque maiorem in modum vt nullum aliud, reuerebor. Inſtitutionem verò illius Paulus Apoſtolus his verbis oſtendit: *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem*, vt alia prætercam quæ ad calicem benedictum pertinent. Viſum eſt autem Chriſto, ad maiorem ſacramenti huius commendationem, locum & tempus illius inſtitutioni congruum aſſignare. Locus eſt ſancta & in diuinis literis cumprimis excellens vrbs Hieroſolymorum, vbi & primitiæ ſpiritus datæ diſcipulis, & vnde verbum ſeu Euangelium Domini, quemadmodum Iſaias & Michæas prædixerant, in totum orbem prodire debuit. Exiſtimant quidam, cœnam hanc Dominicam in domo Ioannis vel Euangeliſtæ, vel eius qui Marcus à Luca

[1. Cor. 11.] [Act. 2. Iſai. 2. Mich. 4.] [Act. 12.]

cognominatur, inſtitutam fuiſſe. Sed Euangelicis literis eſt conſonantius, Petrum & Ioannem à Chriſto miſſos eſſe ad perquirendum, vbi Paſcha parandum & edendum foret. Sic enim Chriſtus illis iniunxerat: *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi Magiſter, Vbi eſt diuerſorium vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculũ magnum ſtratum: & ibi parate.* Cùm igitur hic paterfamilias, idemque Chriſti diſcipulus hæc percepiſſet, Magiſtri ſui votis libenter annuit, domumque ſuam, vtpote ſatis amplam & commodam, Chriſti & diſcipulorum voluntati planè permiſit ac tradidit. Vbi certè mẽſa, peluis, linteum & alia tum ad pedes diſcipulorum abluendos, tum ad Paſchale cõuiuium inſtruendum neceſſaria ſuppetebant. Agebat interim Chriſtus hoc maximè, vt loci ornatus & amplitudo auguſtiſſimo ſacramento, quod illic inſtituere ſtatuerat, rectius inſeruiret. Habuit & rationem temporis, illũ ſibi deligens diem ad cœnam celebrandam, qui primus eſſet *Azymorũ*, decima nempè quarta luna, quando Iudæi ex veteri more Paſchalem Agnum edebant ſimul & offerebant, ſicut haud obſcurè tres primi docent Euangeliſtę. Qui ſanè dies Chriſto fuit exoptatus, quandoquidem de hac ſibi gratiſſima, & nobis vel maximè neceſſaria cœna ſ[illegible]è ille multumque cogitauit, illisq; verbis mentem aperte prodidit: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar.* Etenim ſingularẽ Chriſti decebat ſapientiam, diuinum hoc cõuiuium vltimo reſeruare loco, in quo immẽſi amoris ſui copiam lectiſſimis diſcipulis, quos in finem vſque dilexit, clarius teſtaretur, ac ſimul nouum planè & præſtantiſſimum myſterium, ſuorum animis penitius commendaret, magisque infixum relinqueret. Cognouit hoc quoque conuiuium Iſaias, quando illud in Spiritu præuidens & commendans ita ſcripſit: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vinde-*

mæ defæcatæ: Ac Euangeliſtæ quidem & Patres non obſcurè tradunt, Chriſtum in hoc conuiuio ſe ita geſſiſſe, vt apparatum quendam & inſolitos ritus admiſcuerit, eoq; magis ad intentam rei nouæ contemplationem cunctorum animos voluerit excitare. Proinde cùm iuxta veterem & Iudaicum morem Agnum Paſchalem edisſet, ac diſcipulorum pedes ſuis ablutos manibus exterſiſſet, ad mẽſam iterum accubuit, factæque lotionis myſterium præſentibus explanauit. Deinde ad ſacrum Euchariſtię ſacramentum inſtituendũ ſeſe conuertit, cui nullos quidem alios niſi præcipuos & duodecim diſcipulos voluit eſſe præſentes, in venerabiles manus panẽ accepit, ac diuinum aliquid aggreſſurus, in cœlum ſuſpexit, benedixit, gratias egit, fregit, fractumque panem dedit diſcipulis, hoc præcepto addito: *Accipite & comedite.* Quæ omnia non ſine ſingulari grauitate perfecit, & ipſam panis conſecrationem antecedere voluit, priuſquàm ad calicem poſtea benedictum accederet. Vbi nè quiſquam de virtute ac efficientia tum panis tum vini conſecrati dubitet, aut ſacramenti huius inſtitutionem in alienum falſumq; ſenſum rapiat, magno ſanè iudicio prouidit Chriſtus, vt ſimpliciſsimis, clariſsimis & apertiſsimis verbis rem omnem proferret, eaque nobis perſcribi curaret fideliter. Etenim de pane propoſito ac benedicto ita dixit: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, ſiue datur.* De calice autem in quo vinum ſeruabatur: *Hic eſt* inquit, *ſanguis meus noui teſtamenti qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem:* hoc eſt, ad mei memoriam renouandam. Cuiuſcemodi verba repetit Paulus, & Patres omnes ſine vllo tropo dicta luce clarius aſtruunt, totaque ſimul Eccleſia de vero & naturali corpore & ſanguine Domini, conſtanter tot ſeculis intelligit atque interpretatur. Nobis verò ſat erit, ex innumeris Patribus, qui vitæ ſimul & doctrinæ laude floruerunt, tres in medium adferre, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, ſicut lege diuina conſtitutum eſt. [a] Euſebius Emiſſenus, cuius meminit & [b] Hieronymus, Meritò inquit,

Ioann. 13.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

Ibidem vt ſuprà.

1. Cor. 11.

Deuter. 17.
a Homil. 5. de Paſchate.
b De ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

cœleſtis confirmat authoritas, [c] *quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Recedat ergò omne veritatis ambiguum: quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbis ſuis ſecreta authoritate conuertit, ita dicens: *Accipite & comedite. Hoc eſt corpus meum*, & ſanctificatione repetita: *Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus.*] Nec ſolùm hic Euſebius corporis & ſanguinis Dominici veritatem in hoc Sacramento perſpicuè comprobat, ac Euāgelicis verbis adſtruit: verumetiam eiuſdē inſtituti Sacramēti rationem aliis verbis exponit: Quia inquit, corpus aſſumtū Dominus ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſyderibus illaturus, neceſſarium erat, vt nobis in hac die ſacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret: vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretiū: vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemtio, perpetua eſſet etiam redemtionis oblatio: & perennis illa victima vigeret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Vnde meritò cœleſtis confirmat authoritas: Quia *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*] Alterum verò teſtimonium ab Hilario fide digniſsimo probatiſsimoque doctore mutuabimur, cuius hæc verba ſunt: De naturali in nobis Chriſti vnitate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè dicemus. Ipſe namq; ait: *Caro enim mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.] vt cætera prætermittamus. Quid verò Theophylactus? Euangelicus & ipſe doctor & interpres, Chriſti verbum, *Hoc eſt corpus meum*, planiſsimè ſic explicat; Hoc inquit, quod ſumitis: non enim tantùm figura & exemplar eſt corporis dominici panis, ſed in illum conuertitur corpus Chriſti. Dominus enim dicit, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*: non dixit, Figura eſt carnis meæ, ſed caro mea eſt.]

Quapropter ſi Chriſtianus Catholicus videri cupio, ſi & vllus

vllus veræ pietatis in me ſenſus exiſtit, non humano & carnis iudicio; ſed luculentis Chriſti verbis, ſed veteris Eccleſiæ fide, Patrumque concordi ſententia Euangeliſtarum teſtimonia metiar, ac de veritate corporis & ſanguinis Domini in hoc admirabili ſacramento præſentis nihil prorſus dubitabo, illius inprimis authoritate contentus, qui cum ſit ipſa Veritas, mentiri nunquàm poteſt. In huius clariſſimo verbo acquieſcam, qui de ſuo corpore & ſanguine diſertè teſtatus eſt, ſicut & antea non obſcurè promiſerat: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Verbum Domini noſtri manet in æternum*, quicquid demum tentent filij tenebrarum, qui apertiſsimā verborum Domini lucē nullis poſſunt fallacibus & captioſis interpretationibus obſcurare. Adhęc maximę Chriſti charitati me plurimum debere fatebor, qui iamiam ad mortem acerbiſsimam abiturus, hoc ſummæ dilectionis & incredibilis in nos beneuolentiæ ſuæ monumentum incomparabile, ſimulque ſalutis æternæ pignus certiſsimum nulla vnquàm obliuione delendum, nobis donauit ac reliquit. Hinc illa ſeria & repetita præceptio: *Hoc facite in mei commemorationem.* Væ igitur mihi, ſi rarò, negligenter ac frigidē de hac tāti momenti inſtitutione cogitem, ac ipſius inſtituentis tum ſapientiam tum bonitatem non intimo corde complectar. Eſt enim hoc ſacramentum quod dicitur Euchariſtia, bona gratia, quum in hoc incomparabili dono fons & author ipſe omnis gratiæ contineatur: eſt inſuper gratiarum actio, quam Chriſto authori & largitori, ni planè ſimus ingrati, omninò reddere obligamur, cùm ſinę hoc pane cœleſtique manna peregrinantes, velut in via deficiamus. Etſi verò Dominus in hac inſtitutione non animæ & diuinitatis, ſed ſui tantū corporis & ſanguinis mentionem facit, tamen certo certiùs cū tota Eccleſia credam atque profitebor, ſtatim poſt factā conſecrationem corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum Chriſti, animam verò ſub vtraque ſpecie vi naturalis connexionis & concomitantiæ, ac

Ioann.14.

Ioann. 6.

Pſalm. 150.

Iſai. 40.

Luc.22.

Luc.22.
1.Cor.11.

ſimul diuinitatem propter admirabilem illam cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem, perfectè ibidem adeſſe, ac inſuper tantundem ſub altera, atque ſub vtraque ſpecie, & ſub quauis huius ſacramenti parte contineri, totum nempè & integrum Chriſtum, qui Deus & homo exiſtens, de Virgine natus, & in cruce oblatus, mortalibus redimendis vitam ſanguinemque profudit; ac licet in cœlum aſſumtus, tamen inuiſibiliter adeſſe nobis nō deſinit, iuxta illam ſuam firmiſſimam promiſsionem: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq. ad conſummationem ſeculi*, ſecundùm vtramque nempè naturam, diuinam & humanam; nec minus corporali quàm ſpirituali prę ſentia cum ſuis fidelibus per ſacerdotum miniſterium vſque perſeuerans. Eoque magis nunc operam dabo, vt meam de hoc ſummo myſterio fidem confirmem, ſimulque Propheticum illud cum Orthodoxis omnibus lætus decantem: *Cōfiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.* Cū Auguſtino certè per hanc octauam quotidie dicam: Clemētiſsime & benigniſsime amator hominum Deus, gratias tibi ago pro ſacratiſsima illa effuſione pretioſi ſanguinis IESV Chriſti filij tui Domini noſtri, quo ſumus redempti, ſimul & pro ſacroſancto & viuifico myſterio corporis & ſanguinis eius, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur & ſanctificamur, & vnius ſummæ diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos ſic amaſti & ſaluaſti per vnicum dilectum filium tuum.]

II.

De præſenti feſto in Eccleſia ſolenniter & cum externo cultu religionis obſeruando.

DIVINAE prouidentiæ & munificentiæ agam gratias, qua vtiq; contigit feſtum diem de Chriſti corpore inſtitui, & à Catholicis omnibus ſolenniter obſer-

obſeruari. Quod inſtitutum tantò nobis gratius ac laudabilius videri debet, quanto firmiùs nititur irrefutabilis Eccleſiæ Catholicæ,& venerandę ſynodi Tridentinæ authoritate. Sesſione 13. cap.5. Per hanc confirmatur & illa, vt vocamus, proceſsio Orthodoxorum, quæ hodierno die paſsim cum publica ſollenniq; pompa peragitur, nimirùm in laudem & gloriam ſacratiſsimi Sacramenti. Neque dici facilè poteſt, quanta conſolatio & vtilitas ex hoc ipſo inſtituto conſequatur, cùm fideles vnà congregati ac pręparati, ſacerdotem honeſtè proſequuntur, & in venerabili ſacramento deducendo externos adhibent ritus, ſuamque fidem religioſo apparatu & cultu profitētur, nec ſolùm in templis, ſed etiam in plateis locisque publicis piam gratitudinem & gratam pietatem ſtudioſè declarant. Id quod eò libentius illi faciunt, quandoquidem fide certi ſunt, ſe illum præſentem, licet ſpecie panis velatum adſpicere, qui ipſorum ac totius mundi princeps & Redemptor ſit vnicus, de quo ritè pronuntietur: *Si vos filius liberauerit* (nimirùm à peccato, morte, Satana & inferno, nocentiſsimis vtique hoſtibus) *verè liberi eritis.* Ioan.8. Sciunt præterea eum ipſum adeſſe, qui promiſerit fideliter: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Omnis qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo qui in cælis eſt.* Ioan.12. & 20 Matth.10. Non cōfitetur autem Chriſtum, qui contra expreſſum & luculentum ipſius verbū non agnoſcit, ſed peruicaciter negat, ſub ſpeciebus panis & vini veram Domini carnem, ac verum eius ſanguinē in Euchariſtia exhiberi. Non confitentur itidē, quotquot ex Chriſti corpore & ſanguine duntaxat figuram, ſignum & imaginem Dominici corporis & ſanguinis impiè fabricare & trāſformare contendunt. Cæterùm qui verè ſunt Catholici, cum antiquiſsimo Martyre Iuſtino ingenuè confitentur, nō communem vſitatumque panem & potum, ſed carnē & ſanguinem ipſius Chriſti qui homo factus eſt, à fidelibus accipi in Euchariſtia, poſtquàm hoc ſacramētum à miniſtro legitimo fuerit conſecratum. In dialogo cū Triphone, & in Apologia. Atq; vt certiores de mente Eccleſiæ eſſe

 poſsi-

poſsimus, quid illa hoc feſto quęrat & exigat, de hoc illa quidem teſtatur publicè: Laudis thema ſpecialis panis viuus & vitalis hodie proponitur, quem in ſacræ menſa cœnæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur. Sit laus plena, ſit ſonora, ſit iucunda, ſit decora mentis iubilatio. Dies enim ſolemnis agitur, in qua mēſæ prima recolitur huius inſtitutio.] Vt hinc ſatis appareat, ſanctiſſimum Eccleſiæ matris inſtitutum non ad ſolam pompam externumque cultum, ſed inprimis quidem ad Euangelicæ hiſtoriæ confirmationem, & ad communem fidelium vtilitatem pertinere, vt Chriſtiani homines, ſi vnquàm aliâs, hoc quidem tempore potiſſimū circa vltimam Chriſti cœnam accuratè verſentur, & Euchariſtiæ authori ſatisfaciant in eo quod ſcriptum eſt: *Gratiam fideiuſſoris nè obliuiſcaris, dedit enim animā ſuam pro te.* Quod verò ante Paſchale feſtum commodè fieri non potuit, vt Eccleſia rebus aliis diuinis occupata, præſentis myſterij, quod paſſionē Dominicam vtique antecedit, rationem diligētem haberet, id modò haud inconcinnè memorādum nobis colendumque propoſuit, atque in dies octo celebrandum prorogat. Etenim hoc ſacramento nihil admirabilius, nihil ſalubrius & efficacius inſtitutum eſt, quod idcircò non temerè Thomas ac alij vocant Dominicæ paſſionis memoriale perenne, figurarum veterum impletitium, miraculorū à Chriſto factorum maximum, & diſcipulorum de magiſtri ſui ad mortem tranſitu contriſtatorum ſolatium ſingulare.

Neq; verò mihi moleſtum, ſed potiùs iucundum erit nūc in externo cultu verſari, eoque meam fidem in Chriſtum teſtari publicè; aliosque idem facientes laudatione dignos exiſtimabo. Si quippe Chriſtum eiusque gloriam & maieſtatē amo, vt ſatis quidē amare non poſſum, non ſolùm ipſe quod in me fuerit, ad illius præſtabo reuerentiam, ſed & pio aliorū ſtudio delectabor, qui vt ſynceros ſeſe Dei cultores oſtendant, ad caput ſuum Chriſtum glorificandum non inuiti cōueniunt, ſuæque religionis aperta edunt indicia: ideòque noua velut lætitia perfuſi, præſentem in hoc ſacramento Chri-

ſtum honorificè tractãt, & vario cultus genere publicè profitentur. Vbi Regis Dauid ſequar exemplum, qui non cõtentus per ſe ſummam maieſtatem diuino, nec minùs externo quàm interno cultu proſequi, eodem alios etiam excitans & accendens dixit: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domini filios arietum. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Domino in atrio ſancto eius.* Cur mihi non placeat obſecro, quoſdã in vulgi frequentia reperiri, qui ſonoris vocibus modulantes Deo, ſpirituales hymnos decantent, nonnunquàm adhibitis etiam muſicis inſtrumẽtis? Hoc enim eſt illud obſeruare pręceptũ: *Sit iocunda dei coraꝗ laudatio. Laudate Deum in tympano & choro: laudate eũ in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis benè ſonantibus.* Incitat alios religio, vt flores & herbas vltrò ſpargant, domos & plateas exornent, coronas & ſerta conficiant, quæ multorum etiam capitibus imponuntur. Procedit clerus, ſequitur populus, habetur & ordinum variorum ratio: diuites, nobiles ac magiſtratus non ſordidè veſtiti prodeunt, magnaque religione ſacramentum ipſum deducunt. Carpat iſthæc, ſi velit, ſuperciliosa cenſura, prauumq; iudicium moroſorum, quibus nihil eſt facilius, præterquàm Catholicorũ ſponte ſuſcepta pièque inſtituta pietatis officia improbè calumniari & ad hypocriſin referre, quoniam ſeipſos illi potiùs quàm alios mirantur ac laudant. Sed enim Chriſtiani candoris eſt, ea quæ bono & ſyncero animo fieri poſſunt, in meliorem partem interpretari, ac de illis benignius iudicare, quæ ad Chriſti gloriam promouendam, & ad fidei virtutem profitendam, piorumq́ue morem veterem retinendum inſtituuntur. Nam & Chriſtus de hoc rerum genere loquens legem hanc tradidit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Quis quæſo niſi malignus & peruerſus, tot bonos & honeſtos viros reprehendat, quorum vnus in religione conſenſus, & in cultu diuino eadem mens apparet atq́ue cõfeſſio, nec diſpar eſt ſtudium ad Chriſtum Regem in medio ſui

Pſalm. 28.

Pſalm. 148. & 150.

Matth. 5.

populi glorificandum? Cur ego talem tantumqúe Redemptorem, qui de ſuis noſtriſqúe hoſtibus illuſtriſsimum reportauit triumphum, & hodie inter nos præſens Meſsias, Pontifex ac Rex inuiſibiliter dominatur (regni enim eius non eſt finis,) cum Simeone non ex animo laudem, cum Magis non adorem, cum pueris Hebræorum, totqúe mille fratribus atqúe ſororibus non omni cultus & honoris genere proſequar? Quid vetat eximium Prophetam Moyſen imitari? qui frequentem populum ad lætam gratiarum actionē educens, per ſe ac ſororem ſuam Mariam præcinuit: *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt. Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.* Cur meipſum ad laudationem non excitem, atqúe cum Iſaia fide plenus nō pronunciem? *Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Cæterùm eò nunc ventum eſt, proh dolor, vt plurimi è Chriſtianis Iudaizent, atqúe adeò ſeſe inuidis ac præfractis Phariſæis conforment, quoniam honorē & cultum Chriſto eiuſqúe ſacramento publicè tribui ægrè patiuntur. Qua in re deteriores ferè ſunt ciuibus Hieroſolymitanis, vt qui tot beneficiorum ac miraculorum à Chriſto perceptorum memores, tanto benefactori pompam celebrem inſtruxerunt, illumqúe non modò lętis vocibus & publicis canticis, ſed piis etiam ritibus ad templū ipſum vſqúe proſequi non dubitârunt. Nos verò in Chriſto apud hoc Sacramentum colendo tantò magis laborare par eſt, quantò nunc plures ſeſe offerunt perfidi Iudæi, barbari Turcæ, & inſani ſectarij, qui non ſolùm nobis indignè obſtrepunt, verū etiam Chriſtum ipſum gratitudine ac religione debita hodierna die ſpoliare non erubeſcunt. Simus igitur aduerſariis velut pueri Hebræorum, quorum ſimplicitatē Chriſtus gratam habuit, quorumqúe ſtudium aduerſus Phariſæos calumniantes apertè defendit; cùm illi ſuum Oſanna concinerent, ac benedictum illum qui venit Rex in nomine Domini,

corde,

corde,ore & opere intrepidè proclamarent. Quid autem optimus Rex & Propheta Dauid? nónne à ſuperba & proterua vxore Michol irriſus eſt, quòd arcam Domini, huius vtiq́ue ſacramenti typum, & veteris mannæ receptaculũ, ſummoperè honoraret,atq́ue in illa ſolenniter deducenda operam maximam poneret? Nam & præter morem,& ſine ſcriptura, coram eadem arca vir ille Dei publicè cecinit, ſaltauit ac luſit, ſeq́ue ducem aliis ad cultum & apparatum magnificum exercendum præbuit, nullo interim præcepto vel Dei, vel Prophetæ hûc illum impellente. Sed habet nunc quóq; Michol ſuos filios ſuperſtites, quos Iudas Apoſtolus illuſores appellat,& qui pios Prophetæ Dauid imitatores ſannis & ludibriis excipiant, quoniam Catholicum morẽ in arca noſtra honoranda vt cultum impium reprehendunt, ac populo etiam ridendum exponunt.At verò nos laudatiſſimi Prophetæ Dauidis conſolatur exemplum, qui eiuſdem Michol infœlicis ac ſterilis,immò à Deo maledictę probra & irriſiones pro nihilo duxit, ac illudenti ſuam opponens modeſtiã, conſtanter ita reſpondit: *Viuit Dominus,quia ludam ante Dominum qui elegit me,& vilior fiam plus quàm factus ſum,& ero humilis in oculis meis.* De hac Arca & alibi canit: *Surge Domine in requiem tuam,tu & arca ſanctificationis tuæ.* Propter hãc ipſam arcam fœderis idem Propheta,ſicut antea Obededon Gethæus, gratiam ſiue benedictionem ac proſperitatem à Deo ſingularem accepit. Certóque conſtat, populum Iſraël ſine omni vitio hunc tenuiſſe morem, vt eandem arcam in ſumma ſemper habuerit veneratione, & idcircò in caſtra etiam aſſumſerit, cùm pugnandum eſſet contra Philiſthæos. Et implacabiles adhuc aduerſarij nobis iraſcuntur, quòd Chriſtum manna verum & panem viuum,cuius vmbram & figuram tanti fecerunt Iſraelitæ,religiosè ſuſpiciamus ac ſupplices adoremus.Quidni? quum & Pater cœleſtis Filium introducens in orbem terrarum,diſertè iubeat: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, quem & præter pias mulieres Apoſtoli in Galilæa adoraſſe leguntur, qui præterea ſic à Patre fuit exal-

2.Reg.6.
Iudæ.1.
2.Reg.6.
Pſalm.131.
2.Reg.6.
1.Reg.4.
Ioann.6.
Hebræ.1.
Pſalm.96.
Matth.28.

tatus, vt nomen illi dederit ſuper omne nomen, vtque in IESV nomine genu omne non modò cœleſtium, ſed & terreſtrium & infernorum iure ſummo flectatur. Quod autem Chriſtus in Euchariſtia externo etiam latriæ cultu ſit adorandus, probat Auguſtinus, tum ex illo loco, *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt:* tum ex verbis eiuſdem Prophetæ: *Manducauerunt & adorauerunt omnes fines terræ*, ipſéque manifeſtè pronunciat; Nemo illam carnem manducat, niſi prius adorauerit.]

III.

Euchariſtiæ ſacramentum verè dici & eſſe fidei myſterium.

MECVM expendam ſedulò, cur hoc ſacramentũ inter alia nomina fidei myſterium appelletur, nempè quòd in eo multa Chriſtianæ religionis arcana concurrant, quodque fideles alibi nuſquàm circa fidem magis exerceantur, ac ampliore fidei egeant ſimplicitate. Eſt enim iſthuc de Euchariſtia negotium ſuapte natura tantò magis arduum, quantò à ſenſu humani corporis atque animi remotius inuenitur, quod in Dei verbis ac potentia duntaxat eſt poſitum, & de quo cautiſſimè diſſerere ſumma ſemper Patribus religio fuit. Habet hîc locum maximè quod Chriſtus aiebat: *Nolite dare ſanctum canibus: neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos*: quodque apud Prophetam legimus: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Beatum & illum verè dixeris hodie, qui non fuerit hîc ſcandalizatus, quemadmodum impij Capharnaitæ, cùm Chriſtum de hoc ſacramento primùm diſſerentem audirent, ac fide humiles eſſe nollent, grauiter fuerunt offenſi. Sicut autem lignum vitæ in paradiſo poſitũ eſt, quo æternaliter homo in corpore viueret: ſic Chriſtus in Eccleſia lignum vitæ ſeipſum poſuit, vt in ſe credentibus vita æterna eſſet. Præterea ſicut non in ligno illo vetito, ſic neque

in præ-

in præſenti ſacramento debet viſus aut guſtus, ſed fidei vigere iudicium, quia ſine fide non poteſt intelligi tantum ſacramentum, nec nos etiam per illud ſine fide ſaluari, vt Algeri verbis vtamur. Quò magis mihi precandus erit Deus, vt verè ſim ex illis paruulis Euangelicis, qui in ſimplicitate cordis quærunt Dominum, & diuinam ſapientiam in vera Eccleſia cœlitus edocentur. Agnoſcam igitur intellectus mei imbecillitatem, ac rationem ipſam hîc quaſi cæcam eſſe ſtatuam, vt in Chriſti obſequium ſenſus meos omnes captiuem, ac ipſi etiam rationi renunciem, ſolùmque innitar omnipotentiæ Verbi, quod à Chriſto qui mentiri non poteſt, acceptum ſacerdos conſecrans pronunciat, & ſimul de veritate ſacramenti me certiſſimum reddit. Habeo ſanè fidem Deo cuncta ex nihilo creanti, rebusque creatis dicenti: *Creſcite & multiplicamini*, eiusque verbi virtute res omnes in terris vſque creſcere & multiplicari eſt indubitatum. Cur igitur & Chriſto Redemptori non credam, cùm planiſſimè aſſerit, & per ſacerdotem in altari repetit: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus?* Eſt enim verbum illius in hunc vſque diem efficax & operatorium, quo panis & vinum in carnem eius & ſanguinem, vt diximus, inuiſibiliter conuertuntur. Quod carnis iudicio & acumine intellectus aſſequi non poſſum, id fide metior & comprehendo, ipſique Chriſto perfacile eſſe non dubito, vtidem cum Angelis in cœlo verſetur, & hic ſimul in terra nobis adſit, variis quidem in locis & ſub panis anguſta forma præſens, qui licet à multis percipiatur, tamen integer ac illæſus perſiſtat, nec minùs ſub vna ſpecie à populo, quàm ſub vtraque à ſacerdotibus ſacrificãtibus cum pleno ſacramenti fructu ſumatur. Ita enim niſi credam atque profitear, myſterium hoc fidei aut nego, aut non intelligo, ſecundùm carnem potiùs quàm ſpiritum iudico, alienus ſum à vera Eccleſia, in qua veritatem omnem conſtanter docet Spiritus ſanctus, & à germano verborum Chriſti ſenſu diſcedens, totam venerandam repudio antiquitatem. Illud in confeſſo eſt, ante Berengarium Sacramentariorum

Lib. 2. de ſacraméto. cap. 3. & 4.

Matth. 11. Sapien. 1.

Geneſ. 1.

Matt. 26.

principem, hoc eſt, ante ſexcentos annos exſtitiſſe neminem, qui de vini corporis veritate in hoc ſacramento litem mouerit, & contra Eccleſiam publicè diſputârit. Ac ſanè multa ſunt id genus alia, quæ Chriſtus ſupra omnem naturæ morem, legem ac ordinem fecit, vt ſuam adſtrueret diuinitatem, ac noſtram fidem probaret, mundiqúe ſapientiam & ſupercilium deprimeret. Nam & ingrediens mundum corpus ſuum ex clauſo Virginis matris vtero in lucem produxit, quod Iudæis aliquando nè videri capíque poſſet, occultè ſubtraxit, & in monte coràm tribus diſcipulis mirabiliter transfigurauit, ſed & ſuper aquas ambulans, noctè ſuis videndum præbuit. Cùm verò in cruce exhalaret animam, corpusqúe glorificatum recepiſſet, ex concluſo ſepulchro illud eduxit, & per clauſas fores ingreſſus, Apoſtolis reſtituit, demùm in altum ſubuexit, atqúe in ſummum cœlum vſqúe intulit, diuinam vtiqúe maieſtatem hac frequenti & ſupernaturali mutatione declarans. Pari ergò virtute & voluit & potuit efficere, quod alioquin intellectus noſtri vis & ratio humana non comprehendit, vt ſicuti ſecundùm propriam & viſibilem formam nunc corpus ipſius in cœlo exiſtit, ita etiam in Euchariſtia ſub aliena ſpecie nobis maneat præſens, atqúe ab innumeris integrè manducetur. Quod ſublime verèqúe ſtupendum fidei myſterium non percipiūt, qui cum Eccleſia non credunt admirabilem, adeòqúe incomprehenſibilem illam panis in corporis, & vini in ſanguinis Domini ſubſtantiæ conuerſionem, ſiue vt ſanctæ ſynodi vocant, transſubſtantiationem.

Quicquid autem ſenſus, natura & ratio, fallaces vtique conſiliarij, hîc ſuggerant, nunquàm ego dubitabo, adorandum hoc magis quàm inueſtigandum eſſe ſacramentum, (veteres tremenda etiam dixerunt myſteria) cui religioſa inprimis reuerentia, & valdè ſobria inquiſitio, cautáque diſputatio debeatur. Hûc enim ſpectant illæ ſacræ ſententiæ: *Altiora te nè quæſieris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus*

ribus eius non eris curioſus. Qui enim ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Cæterùm vt in re ſummi momenti quātum ſatis eſt intelligam, & ſicut Paulus inquit, ſapiam ad ſobrietatem, omnemqúe immodicam curam ac periculoſum errorem effugiam, à ſanctis Patribus, velut firmis Eccleſiæ columnis, me non ſinam auelli, & ad ſacrorum Conciliorum cō fugiam authoritatem, veterumqúe potius quàm recentium & inter ſe pugnantium ſcriptorum amplectar ſentētias. Præterea quò ſim paratior ad fidei meæ, ſi ſortè ſic vſus exigat, rationem aliis reddendam; his diebus mihi perlegenda ſumā, quæ Tridentina ſynodus vel Catechiſmus Romanus de hoc ipſo ſacramento enucleatè definit ac præſcribit. Dicam demum anathema perpetuum hæreticis omnibus, ac præcipuè Sacramentariis & Berengarianis nunc paſſim graſſantibus, qui tam multa blaſphema, impia, damnata & peſtiſera prorſus dogmata velut ab inferis excitata nobis in orbem renocant, atqúe de hoc myſterio latiſſimè ſpargunt, vt ſacra Euchariſtia nunquàm plures & petulantiores, magiſq́; nefarios habuerit inſectatores. Sic enim illis libet non obſcurè prodere orbiqúe teſtari, de cuius parentis ſemine ſint procreati, nempè qui pater eſt omnis mendacij atque blaſphemiæ, quod qúe veros agant præcurſores Antichriſti, cui aduētantì bellè viam præſtruunt ad ſanctiſſimum hoc ſacramentum & ſacrificium abolendum, atqúe ad abominationem deſolationis fœdiſſimam, quam Chriſtus poſt Daniēlē fore prædixit, vbiqúe gentium inuehendam, quàmqúe vir Apoſtolicus Hippolytus viuis expreſſit coloribus, ſicut à nobis alibi declarabitur.

Prou. 25.
Rom. 12.
Ioann. 8.
Matth 24.
Daniel. 9.
Marc. 13.

IV.

Euchariſtiam à Chriſto non ſolùm vt ſacramentum, ſed etiam vt ſacrificium nobis inſtitui atq́; dari.

NVL-

NVLLVS omninò cibus ac potus, nulla cœna Chriſto vnquàm charior, & in votis æquè fuit, præterquã alimonia & cœna illa Euchariſtica, pridie quàm in cruce pateretur, cùm lectiſſimis duodecim diſcipulis, & in cœnaculo grandi atque ſtrato, vt Lucas aſſerit, celebrata. Vbi ego eximiam Chriſti charitatem ac liberalitatẽ agnoſcam, ſimulquè tum meo tum vniuerſæ Eccleſię nomine gratias ingentes agam, quòd ille iuxta ſuum promiſſum ac diuturnum ardensquè deſiderium quo flagrabat, panem illum cœleſtem inſtituit, dedit atquè diſtribuit in nouiſſima cœna. *A*c duplex quidem deſiderium ad hanc inſtitutionem attulit: alterum vt ſacramentum, cœleſte ſcilicet alimentum animæ, ad vitam ſpiritualem tuendã perpetuò exſtaret mortalibus, ſicut illa Domini verba declarant: *Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Ac rurſus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Alterũ, vt Eccleſia mundum & iuge in literis Propheticis prædictũ haberet ſacrificium, idquè pro viuis & defunctis fidelibus ad gratiarum actionem & propitiationẽ in altari quotidie per ſacerdotes offerendum. Quæ quidem munda oblatio, vt Malachias vocat, non ad tempus durare, ſed nullo vnquàm tempore in Eccleſia ceſſare, ac ſuam vim & virtutem quotidie præſtare debebat: ideòquè tum præſentibus tum futuris ſacerdotibus tam diſertè mandatur: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod perinde eſt ac ſi diceret, Vos in Eccleſia conſtituti ſacerdotes, ex pane corpus meum per verba myſtica conſecrate, ac paſsionis meæ memoriam celebrate, dũ ſacrificium hoc incruentum ad altare obtuleritis. Hanc verò meam fidem & confeſsionem eo firmiùs retinebo, quo conſtantiùs eandem *P*atres veteres comprobârunt, à quorum paternis veſtigiis & vnanimi conſenſu diſcedere neutiquam tutum atquè conſultum eſt, Salomone ita præcipiente: *Ne tranſgrediaris terminos quos poſuerunt Patres tui.* Certè Martialis vnus ex diſcipulis Chriſti ſeptuaginta duobus hoc ſcriptum reliquit. Quod Iudæi per inuidiam immolauerũt (cor-

pus

pus Chriſti ſcilicet immaculatum) nos in ara ſanctificata ſalutis noſtræ cauſa proponimus, (ſuprà offerimus dixerat) hoc ſolo remedio ſcientes vitam nobis præſtandam & mortem effugiendam. Hoc enim ipſe Dominus noſter iuſsit nos agere in ſui commemorationem.] Prætermitto [a] Clementis & [b] Dionyſij, qui ambo Apoſtolorum fuêre diſcipuli, ſententias, vbi hanc Dominicam de offerendo ſacrificio altaris inſtitutionem, & ſacerdotum officium comprobant. Ex vetuſtis Eccleſiæ martyribus eſt vtiquè Cyprianus, luculenter aſſerens, quòd Chriſtus quum ſacerdos eſſet ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſe incruētè ſub panis viniquè ſpeciebus æterno Patri ſacrificauerit, atquè hoc ipſum in ſui ipſius cōmemorationem fieri præceperit: quandoquidem ſacrificiū benedictione ſolenni ſacratum, ad totius hominis vitam ſalutemquè proficiat, & ſimul medicamentum & holocauſtū ſit ad ſanandas hominum infirmitates & purgandas iniquitates.] Conſonat his Euſebius Cæſarienſis, quum teſtatur, Chriſtum per ſuos miniſtros & ſacerdotes ab Eccleſia conſtitutos id offerre ac perficere ſacrificium, quod olim gentium ſacerdos Melchiſedech panem & vinum offerens, cùm benediceret Abraham, celebrauit. Nec alia fuit Gregorij Niſſeni ſententia, cùm facit Chriſtum ſacerdotem ſimul & Agnū Dei qui tollit peccata mundi, quandoquidem non ſolùm in cruce ſeipſum oblationem & victimam pro nobis obtulit, verumetiam ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ſuum ad bibendum exhibuit familiaribus. Quis demum obſecro, in veterum lectione verſatus aut neſciat, aut ambigat, Liturgiæ vſum & Miſſæ ſacrificium in Eccleſia Græca & Latina, Syriaca & AEthiopica ſemper extitiſſe, illudquè incruentum ſacrificium non nudam commemorationem ſacrificij quod in cruce factum eſt, ſed verè etiam propitiatoriam oblationem apud veteres habitam eſſe, qua Deus nobis placatur & propitius redditur: quod inſuper ſacrificium non ſolùm immolanti ac ſumenti, ſed omnibus etiam profit fidelibus, ſiue illi nobiſcum in terris viuant, ſiue iam in Domino

mortui,

a Lib. 5. & 8. conſtitut. Apoſtolicarū.
b Lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 3.
In Epiſt. 63. ad Cæcilium.
Geneſ. 14.

Lib 5. de mōſtrat. Euangelica. cap. 3.

Geneſ. 14.

In oratione de feſto Paſchæ.

mortui,ac nondum planè expiari ſint,quicquid demum obſtrepant Aeriani. Nec dubium, ad Euangelicos quoque ſacerdotes pertinere, quod Paulus generali illo ſermone complexus eſt: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum: vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.*

Quocirca non verebor ſcriptorem Orthodoxum imitari, qui non eloquenter quidem, ſed ad Eccleſiæ doctrinam accommodatè iam pridem hæc tradidit: Quoties Miſſa celebratur, & hoſtia verbo Dei conſecratur, toties Deus noſter ad homines venit,pro hominibus de cœlo deſcendit,cũ hominibus manere deſiderat,quos creauit & redemit, ſicut promiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationẽ ſeculi.* Quando ergò ſacra hoſtia in altari ſacerdotis manibus leuatur, & hominibus adoranda oſtenditur,tũc Chriſtus prò nobis paſſus & crucifixus ſub myſtico velamine præſentatur, verè adoratur, deuotè inuocatur, ac dignè ho-
10. noratur.] Qui ſanè author vtiq; cognoſcebat,quod à Paulo ſcriptũ habemus de vnica hoſtia ſemel oblata & efficaci ad ſalutẽ omnium, quandoquidem Chriſtus in cruce & cruento modo ſemel ſeſe Patri obtulit, idemque ſacrificium non poteſt iterari. Nec ignorabat,aliam incruentæ ſub ſpecie panis & vini, & aliam cruentæ illius quam diximus, hoſtiæ ra-
ad tionem habendam eſſe, ſicut & Ambroſius illis verbis indicat: Per ſingulos dies offerimus,ſed ad recordationem mortis eius,& vna eſt hoſtia eius,non multæ: quia ſemel oblatus eſt Chriſtus: Hoc autem exemplum eſt illius.] puta in commemorationem prioris oblationis, ſicut illa Chriſti verba poſtulant: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cæterùm vt ego maiorem pietatis affectum ſentiam ac præſtem, eoque Chriſtum in Miſſæ ſacrificio præſentem ritè complectar,etiã atque etiam mecum expendam, quo deſiderio idem Chriſtus incenſus,nos in Miſſa quotidie viſitare,& amiciſſimè nobis adeſſe, ſeque totum nobis, ſi velimus, communicare dignetur. Adeſt illic ſanè vti nobilis pellicanus, ad ſuos pullos

ſanguine

ſanguine proprio viuificandos, conſeruandos ac paſcendos. Adeſt vti alma gallina, ſuos vt pullos ſub alis congreget ac tueatur. Adeſt vt fons viuus, ex quo bibant ſitientes, & aquã ſalientem, in vitam æternam hauriant. Adeſt vt paſtor bonus, ſeipſum totum, quantus quantus eſt, ouibus paſcendis libenter impendens. Adeſt vt pius Samaritanus, qui dirè vulneratos & ſemimortuos benignè curat ac reſtaurat. Adeſt vt Agnus ſine macula, qui non ſolùm edatur, ſed etiam ad ſacrã aram offeratur, ſuęque paſsionis ac mortis fructum renouet, ac in multis operetur. Adeſt vt miſericors & fidelis Pontifex, Dei ac hominum mediator, pro nobis apud Patrem interpellans, ſed & ſanctiſsimę paſsionis ſuæ meritum atq; vim viuis & defunctis fidelibus applicans, & per hoc efficaciſsimum medium ac remedium nobis omnem gratiam, qua in hiſce vitæ malis atque periculis egemus, clementer offerens ac diſpenſans. Quoties ergò ad menſam Dominicam accedo, vel Miſſam audio, me vnà cum Zachęo à Chriſto humaniſsimè inuitatum putabo, cumque ad me vltrò venientem excipiam lætus, & ſingularem à tali hoſpite benedictionem exſpectabo, perinde ac ſi cum Iacob dicerem: *Non dimittã te, niſi benedixeris mihi.* Et cum Dauid: *Viſita nos Domine in ſalutari tuo.* Neque dubitabo hîc promiſſorium illud Dei verbum impleri: *Suſcitabo ſuper oues meas paſtorem vnum, qui paſcat eas*; quodque Chriſtus ipſe pollicetur: *Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ eius vt miſericordiam conſequamur. Edent enim pauperes & ſaturabuntur.*

Matth. 23. Ioann. 4. Ioann. 10. Luc. 10. Exod. 12. Hebr. 2. & 9. Luc. 19. Geneſ. 32. Pſalm. 105. Ezech. 35. Apoc. 3. Hebræ. 4. Pſalm. 21.

V.

De tribus Miſſæ partibus inprimis animaduertendis.

IN mẽtem reuocabo tres illas Liturgiæ partes, quas in poſtrema cœnã Chriſtus inſtituit, & à ſacerdotibus omnibus in ſui memoriam voluit obſeruari,

dictóque illo, *Hoc facite in meam commemorationem*, breuiter comprehendit. Sunt autē illæ partes Conſecratio, Oblatio atquę Communio, nec illarum aliqua ſine ſacrilegio à ſacrificantibus poteſt prætermitti. Cætera verò, quæ vel conſecrationem antecedunt, vel communionem ſubſequuntur, velut acceſſoria ſunt, & ornatus decentiæque potius quàm neceſsitatis gratia per miniſtrum Eccleſiæ adiunguntur. Et Conſecratio quidem velut totius Liturgiæ fundamentum ac præcipuus neruus, ſicut & omnium Chriſti miraculorū longè digniſsimum à me debet exiſtimari. Nam qui legitimus eſt ſacerdos, cùm verba illa diuina, vt diximus, ſuper panem & vinum in fide Eccleſiæ pronunciat, mox panis in corpus, & vinum in ſanguinem Domini conuertitur, nulla deinde panis & vini ſubſtantia remanente, quicquid demum iudicet ſenſus oculorum. Proinde ſi vſquàm alibi, hîc ſanè potiſsimùm cum Propheta dicere habeo: *Verè tu es Deus abſconditus*. Præſtat enim hic ſummus Deus, quod apud Ieremiam in hunc modum affirmat: *Ecce ego Dominus Deus vniuerſæ carnis, nunquid mihi impoßibile erit omne verbum?* Cùm autem Chriſtus ipſe de pane pronunciauerit ac dixerit: *Hoc eſt corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? & cùm idem tam aſſeueranter affirmârit, *Hic eſt ſanguis meus*, quis vnquam dubitauerit, vt dicat non eſſe eius ſanguinē? quemadmodum ſcribit Cyrillus Hieroſolymitanus. Oblatio autē munda & incomparabilis, quæ dictam conſecrationem comitatur, & per omnia veteris legis ſacrificia fuit præfigurata, (omnia enim Iudęis in figura contingebant) per ſacerdotem æterno Patri commendatur, nec minùs ad viuos iuxta & defunctos fideles magno cum fructu applicatur. Nec alia certè fingi poteſt oblatio, quæ ſummo Deo ob chariſsimi Filij ſui dignitatem ac meritū ſit acceptior, & Eccleſiæ vtilior, quandoquidem immaculatum & perfectum cultum iugeque ſacrificium laudis & propitiationis vno velut ambitu comprehendit. De quo inæſtimabili theſauro, quicquid Eccleſiæ hoſtes garriant, mihi & Catholicis omnibus maximè gloriandum,

dum, Deóque gratiæ ſingulares agendæ ſunt. Stat enim ſtabitque ſemper illa Irenæi martyris ſententia: Chriſtus noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo.] per ſacerdotes nimirùm ſecundùm ordinem Melchiſedech inſtitutos, quemadmodum Deus per Malachiam Prophetã id prædixerat fore. Demum ſatis non habuit Chriſtus conſecrandæ & offerendæ Euchariſtiæ pręceptum & exemplum tradere, quod ſacerdotes perpetuò imitarentur, ſed iniũxit etiam omnibus ad ſacram accedere communionem ſiue ſynaxin, vt menſæ tam ſacræ participes redderentur, tantíque ſacramenti fructum referrent ampliſsimum. Hinc illud exſtat Eccleſiæ canticum, quo eiuſdem ſacramenti vis & energia breuiter comprehenſa eſt; O ſacrum conuiuiũ, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſsionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Breuiùs adhùc Chriſtus ineffabilem Euchariſtiæ fructum illo verbo cõplexus eſt: *Panis Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitãmundo.*

Lib. 4. cap. 32.

Malach. 1.

Ioann. 6.

Eapropter hoc ego tempus tranſigam religioſè, mihíque conſideranda proponam ſacroſancta perpetuòque recolenda myſteria, quibus potentiam, ſapientiam ac bonitatẽ ſuam immenſam Chriſtus indignis, nihilque tale vnquàm merentibus mirabili modo declarat, quando ſeipſum, quo nihil maius aut melius habere ac tribuere poteſt, nobis in Euchariſtia conſecrata, ad altare oblata atque ſumpta tam liberaliter elargitur. Non enim deſiſtit ſuum illud explere promiſſum: *Comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomẽ Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum.* Nec eſt diſsimile illud in Prouerbiis inuitamentum: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Cum his mihi iungendum eſt, quod Chriſtus poſtremò diſcedens, Apoſtolis dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi.* Cuius verbi ſententiam etiam atque etiam mihi commendatam habebo, vt obſeruem, non ſolis Apoſtolis, ſed & omnibus Eccleſiæ fidelibus Chriſti præſen-

Ioel 2.

Prouer. 9.

Matth. 28.

tiam ad mundi finem vſque victuris ita fuiſſe promiſſam. Pollicetur autem non diuinitatem ſuam, per quam non poteſt vſquàm abeſſe, neque præſentiam illam, quatenus per gratiam & charitatē tum in veteri ſynagoga, tū in *E*ccleſia iam inde à mundo cōdito electis vtiquè præſtò fuit & eſſe pergit. IESVS *enim Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula*, vt Apoſtolus dixit. *P*ollicetur autem Sanctus ille ſanctorum, ipſaq; veritas æterna, ſe nouo quodam & ineffabili, nec minus tamen amabili modo facturum, vt noui teſtamēti fidelibus tum in militante Eccleſia fouendis ac regendis, tum ad triumphantis *E*ccleſię conſortium perducendis potenter adſit, & indeſinenter aſſiſtat. Qui certè ſi oculis videndum hîc ſe præberet, horrorem adferret ſpectantibus, ideòque ſub Sacramenti ſpecie velatus, & inuiſibiliter cum corpore & ſanguine nobiſcum perſiſtens, ſe totum edentibus præbet non ſine ſumma Chriſtianæ *E*ccleſiæ tum vtilitate, tum dignitate, tum conſolatione, vt alibi pluribus declaratum eſt. Cuius præſentiæ præſcius & percupidus ille Iob, cùm in ſpiritu tantum præuideret myſterium, in hæc verba prorupit: *Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* quemadmodum eadem verba Chryſoſtomus interpretatur. An igitur ego cum piis omnibus non ex animo læter, Chriſtum vt verum *E*mmanuelem, tam ſuauiter quàm mirabiliter, non ad tempus, ſed perpetuò manere nobiſcum in ſacroſancta *E*ucharistia ad altare cōſecrata & oblata, immò & ore percepta? Quis hinc mecū non exultabundus cum *P*ropheta Iſaia decantet? *Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſraël, quæ largitus eſt eis ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.* Aut ſi cū Propheta Regio ſuccinctè loquendum eſt: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Ego autem retribuendum nihil aptius reperio, niſi vt me totum viciſſim ei offerā ac impendam, qui tot nominibus me ſibi totum deuinctum & obſtrictum tenet, vtpote Conditor, Redemptor, Conſer-

uator,

uator, dux, magiſter, frater, amicus, hoſpes, & ſponſus, immò & cibus meus atque potus, panis quotidianus & ſuperſubſtantialis, panis de cœlo præſtitus ſine labore populo Dei, panis omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem continens. Verè manna illud eſt abſconditum; quod nemo ſcit niſi qui accipit; verè panis Angelorum, quo nihil ſuauius, quum ex eo viuat homo; ſicut & Angelus, licet hic pleniùs eo perfruatur: vtque panem hunc Angelorum manducaret homo, creator Angelorum factus eſt homo, ſicut notat Auguſtinus. Matt. 6. Luc. 11. Sapi. 6. Apocal 2. In pſalm. 34.

VI.

De miniſtris Eccleſiæ ſacrificantibus; & ſacramentum hoc adminiſtrantibus.

APOSTOLO Paulo digna eſt ſententia: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores* (ſeu œconomos) *myſteriorum Dei.* Quæ verba primùm ad Apoſtolos ipſos, qui primas in Eccleſia tenent, referenda ſunt, vt illi inter paſtores, doctores & ſacerdotes noui teſtamenti primum ſemper ſibi locum vendicent. Vnde Lucas illos non ſolùm docuiſſe, ſed etiam ſacrificaſſe confirmat; quando Græco verbo λειτουργούντων, quod proprium eſt operantium ſacris; vel ſacrificium adminiſtrantium, de illis vtitur. Sic igitur locum eundem alij vertunt: *Cùm ſacrificarent Domino ieiunarentq́; dixit Spiritus ſanctus.* Noſter autem interpres Miniſtrantibus illis pro ſacrificantibus dixit, ſicut Andream quidem & Iacobum, & Matthæum, præter Apoſtolos alios, ad altare ſacrificaſſe conſtat. Paulus verò ſuperiore dicto non ſolos Apoſtolos, ſed & ſacerdotes & presbyteros alios Eccleſiæ comprehendit, de quibus ordinandis & inſtituendis Timotheo & Tito, vt Epiſcopis, tam multa præſcribit, iubens etiam, per ciuitates presbyteros cōſtitui; haud dubiè, vt in his quæ ſunt ad Deum verſantes; dona etiam & 1. Cor. 4. 1. Cor. 12. Actor. 13. Tit. 1. Hebræ. 5.

ſacrificia pro peccatis offerrent. Hic igitur de Chriſtianis cogitabo ſacerdotibus à Chriſto ipſo inſtitutis, qui paſtorum & ſacerdotum eſt princeps, quiquè ſolus perinde ac Melchiſedech, in pane & vino ſacrificium & ipſe cōſecrauit, & ſuos miniſtros ſiue ſacerdotes docuit conſecrare, atque in illis ipſis iuxta Propheticum dictum, *ſacerdos manet in æternum*. Sicut enim Theophylactus & [a] OEcumenius aliquoties notāt, Chriſtus æternus & immortalis eſt ſacerdos, qui ſeipſum pro nobis per miniſtros in Eccleſia ſemper offert, & qui, ſicut Auguſtinus affirmat, omni die populis immolatur, quandoquidem ſcilicet Domini paſſio & mors per quandam repræſentationem in altari commemorantur. Adhæc mirabor, quod Chriſtus poſt ſacerdotium Aaronicū abrogatum, ſicut per Malachiam fuerat interminatus, tantoperè ſacerdotes Chriſtianos à ſe inſtitutos extulerit, præclarisque functionibus cohoneſtārit. Siquidem non Reges ſed Principes quātumuis excellentes, non laicos aut fœminas quantalibet vitæ ſanctimonia præſtantes, non Angelos atquè Archangelos, innocentia, virtute & beatitudine cunctos mortales præcellentes, ſed Eccleſiæ Chriſtianæ ſacerdotes dūtaxat elegit atquè conſtituit, penes quos duraret facultas hoc nobiliſſimū ſacramentum ore conficiendi, tractandi manibus, pro viuis ac defunctis fidelibus ad altare offerendi, mortem Domini ex officio & inſtituto annunciandi, & demum Euchariſtiam populo vel diſtribuendi vel denegandi: qui præterea ſiue pbam, ſiue improbam vitam traducant, tamen ex inſtitutione diuina curando, docendo & regendo populo præficiantur, & concredita ſibi munia publicè adminiſtrent. Nihil ergò mirum, quod [a] Ignatius, [b] Chryſoſtomus & [c] Ambroſius ſacerdotes tantoperè laudent, ac eorum ordine nihil in Eccleſia præſtantius ac honorabilius reperiri conteſtentur. Nec dubitat [d] Gregorius Nazianzenus hanc ſacerdotij excellentiam prædicare, cùm admirabundus illos hoc modo compellat. O ſacerdotes incruenta ſacrificia mittentes, ô illuſtres animarum cuſtodes, ô magni Dei figmētum in manibus ve-

ſtris geſtantes, ô Deum hominibus conciliantes, Chriſtianæ fidei columina, Chriſtiferi & immortalis vitæ doctores.]

Ego verò demirabor multorum hodie iudicium inuidia & odio Eccleſiæ deprauatum & obcæcatum, vt nihil ferè ſacerdotum ordine contemptius habeant, nihil acerbiùs inſectētur, & vulgo magis inuiſum reddere moliantur. In hoſce ſacri ordinis calumniatores probè competit, quod ſuis æmulis aliquādo Chriſtus obiecit: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* Matth.12. Illos ego mihi maximè imitandos proponam, qui ſacerdotium, vti ordinem diuinitus inſtitutum, non ſolùm in bonis ac honeſtis, ſed etiā in vitioſis ac indignis preſbyteris haud grauatim honorāt, ſeque ad præſentis cleri abuſus extenuandos & excuſandos, quàm ad perſtringendos & exaggerandos procliuiores oſtendunt. Norunt enim præceptum Domini de his qui ſedent in cathedra: *Omnia quæcunq; dixerint, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Matth.23. Habent & in promptu Paulinam admonitionem: *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit.* Rom.14. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus.* 1.Cor.4. Mei muneris hoc proprium eſſe ducā, ſingulares vt Chriſto Domino gratias agam, qui dedit poteſtatem talem hominibus Eccleſiaſticis, illosque præcellenti dignitate ad commune commodum Eccleſiæ cohoneſtauit, vt ſiue boni ſiue mali exiſtant, venerandū hoc ſacramentum in ipſius verbo quaſi creent atque conficiant, ſummumque & noſtrum Redemptorem manibus teneant, ore proprio ſumant aliisque miniſtrent. Etenim panis hic myſticus, quo electos Dei filios veſci ac frui neceſſe eſt, ſine huiuſmodi miniſtris, ſi verum fatebimur, nec confici, nec offerri, neque frangi, nec diſtribui poſſet, ſed & inſtitutio diuina ſuo fraudaretur effectu, ac deniquè mors Domini vſque ad ſecūdum eius aduentum, ſicut fieri neceſſe eſt, in hoc myſterio nō annuntiaretur atque prædicaretur. 1.Cor.11. Pulſabo interim diuinæ miſericordiæ oſtium, & obnixè rogabo, vt ſacrorum omnium

quæ hoc anno à Catholicis presbyteris toto orbe celebrantur, particeps efficiar, eaque omnia non pro me ſolùm, ſed & maiorum, & fratrum ac amicorum nomine maieſtati diuinę offerantur atque commendentur. Præterea pro ſacrificaturis ipſis precabor Dominum, vt hi ſuæ vocationis memores, verè ſanctificentur, vtque ritè præparati ac puri tractent ſacra myſteria; nè alioquin cum Oza iram diuinam contra ſe prouocent, ſuóque malo experiantur. Sic enim habet diuinum oraculum: *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis vt eſſetis mei.* Ac iterum legimus: *Mundemini qui fertis vaſa Domini.* Poſtremò ſollicitus ero, vt ſicut Auguſtinus frequenter admonet, defunctorum fidelium animabus, quæ nondum expiatæ; purgatorij igne cruciantur; tum oratione tum oblatione ſacerdotum fideliter ſubueniatur. Etenim hæreticorum, præſertim Aërianorum, peruerſa doctrina; & ſacerdotum paucitas; communiſque populi negligentia ac tepor facit, vt eiuſmodi fratrũ qui peccata ſua diris pœnis expiare coguntur, exigua nunc ratio habeatur; parumque ponderetur conſtans & perpetua tum Iudaicæ, tum Chriſtianæ Eccleſiæ conſuetudo, qua pro defunctis fidelibus preces & oblationes publicè inſtitui ſolẽt. Vnde ſcriptum etiam illud legimus, ſicut multi veteres annotârunt; *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis ſoluantur.* Et Auguſtinus perſpicuè probat hunc Eccleſię morem, quo precationes & ſacrificium ſalutare, ac inſuper eleemoſynę defunctorum ſpiritibus applicantur: ita enim fideles mortuos adiuuari aſſerit, vt cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Quæ traditio Eccleſiæ tam vetus eſt, vt ad Apoſtolos ipſos authores referatur, ſicut [a] Chryſoſtomus & [b] Damaſcenus affirmant; ab illis enim inſtitutum eſt, vt fidelium defunctorum commemoratio in tremendis illis habeatur myſteriis, quemadmodum & Clemens & Dionyſius Apoſtolorum diſcipuli comprobant.

VII.

De indignè tractantibus ac ſumentibus Euchariſtiam.

CVMPRIMIS mihi notanda eſt grauis & formidabilis *Pauli* ſententia, in quo Chriſtus ita loquitur omnibus: *Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Aciterum: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Cum his non malè congruit, quod in veteri lege præcepit Deus, de hoſtia pacificorum ita decernẽs: *Qui fuerit mundus, veſcetur ex ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorũ quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis.* Adeò nõ ſufficit in ſacris meverſari locis, & ſanctorũ communione gaudere, vel ea quæ ſancta ſunt attingere, ſed ſancta ſanctè, & precipuè ſacramẽta religioſè mihi tractanda atq; ſumenda ſunt, nè alioquin obſint magis quàm proſint. Vnde nec mihi ſatis erit, ſummam ſummi Dei bonitatem in hoc digniſſimo ſacramento cum aliis Orthodoxis agnoſcere & celebrare, ſed quæ ad idoneam venerandæ *E*ucharistiæ ſumptionem ſpectant, cumprimis mihi obſeruanda putabo. Quod enim dignè ſumentibus eſt antidotum ſalutis ex prima Chriſti inſtitutione, quodque per ſe virtutis & gratiæ bonorumque in hoc ſacramento piis præbet augmentum, id indignè quidem accedentibus & in peccato communicantibus velut in toxicum & mortem exitiumque vertitur. Nam ſicut cibus cùm ſit nutritiuus, ſi à crudo tamen ſtomacho ſumatur, omnia perdit & corrumpit, fitque morbi cauſa: ita & in hiſce tremẽdis myſteriis agitur, Chryſoſtomo teſte. Si purè acceſſeris, inquit, ad ſalutem acceſſiſti: ſin praua conſcientia, ad pœnam & ſupplicium.] Grauiſſimum ſanè ac propemodum inexpiabile facinus erat illorum carnificum, qui ſacrilegas manus iam olim in Meſſiam Deiq; Filium innocentiſſimum coniecerunt, eumque vinctum toto corpore diriſ-

1. Cor. 11.

Ibidem.

Leuit. 7.

Homil. 61. ad populum Antiochen. & homil. 45. in Ioannem.

ſimè affixerunt, quoad vitam eius & ſanguinem profunderent, ſuamque efferatam in illum libidinē prorſus explerent. Nec illi tamen ſoli corporis & ſanguinis Domini ſunt rei, verùm & cum illis omnes Chriſtum in hoc ſacramento irreligiosè tractantes aut indignè ſumentes, niſi quod Iudæi Pilatique milites neſarij ob ſuam in Chriſto necando ignorantiam maiore quóque venia & minore ſupplició digni quodammodò æſtimari poſſunt. Etenim *ſi cognouiſſent*, vt Paulus affirmat, *nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Idem verò Apoſtolus, vt grauiorem nobis iniiciat metum, nè hoc ſacramento vnquàm abutamur, proponit nobis contemplandos Corinthios, qui cùm ſeſe circa hoc ipſum ſacramentū incōpoſitè indignèq; gererēt, præſentē irati Dei ſenſere vindictā, non leuibus morbis ac morte ipſa mulctati. *Ideò* inquis, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur*, nempè tot cladibus miſerandis affecti. Cuius rei velut typus in arca illa Iudæorū apparet, quando incircuncisi Philiſtæi graues idcircò pœnas dederunt, fœdisq; morbis diuexati ſunt, quoniam arcam illam in bello cepiſſent, & menſibus aliquot irreuerēter cuſtodiuiſſent. Eôdem horrenda ſpectant exempla, quæ [a] Cyprianus vel ſuo ſeculo accidiſſe narrat, quæque [b] Dionyſius Areopagita & Ioannes [c] Chryſoſtomus memorant de Chriſtianis, qui peccatis obnoxij, Euchariſtię communionem indignè perceperunt, ita vt à dæmonibus etiam diuexarentur. Tāti demum refert Apoſtolicum Canonem obſeruare: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, nimirùm vt ad menſam diuinam non accedat ante expiata delicta, ante exomologeſin factam, ante purgatam conſcientiam, quemadmodum loquitur Cyprianus. Væ etenim homini illi, qui velut illotis pedibus ad diuinam hanc cœnam ſe ingerit, & Iudæ proditori ſocium præbet: vtique bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille, quandoquidem in vtrumque Chriſti corpus naturale & myſticum atrociter peccat, & ſpiritui gratiæ contumeliam facit.

Cæterùm licet omnes indignè cõmunicantes mihi cõmiſerãdi ſint, quod re optima & Chriſto ipſo vtantur peſſimè, tamen inprimis mihi deplorandos capiã ſchiſmaticos & hæreticos, velut præcipuos crucis Chriſti inimicos, & Dominici corporis ſanguinisq; reos, qui prętcrea ex vnitatis charitatisq; ſymbolo non niſi ſignũ faciunt diuiſionis, omnisq; ſacrilegæ ſeparationis teſſeram. Et quò pluribus in fide erroribus illi cõſpurcati, in hæc ſacra myſteria inuolant, eò maiorẽ lachrymas profundẽdi cauſam mihi porrigunt, vt cum flẽte Magdalena & ipſe triſtiſſimus dicam: *Tulerũt Dominũ meum: & neſcio vbi poſuerunt eum.* Alij enim de Euchariſtiæ ſpeciebus ſine fide contendunt, & ſeditioſè admodũ tantiſper altercantur, donec non modò veritatem, ſed & Chriſtũ ipſum in vniuerſum amittant, indigni ſanè vel ſub vtraq;, vel ſub vna etiam ſpecie hoc ſumere ſacramentũ, quod ſine Eccleſiæ fide ſemper nefas eſt ſumere. Alij corpus Domini in pane, vel ſub pane, aut etiam cum pane collocant, & quaſi circa Chriſtum impanatum Andabatarũ more pugnantes, inter ſe conuenire nunquàm poſſunt, vt interim de nouis Vbiquetariis taceam. In hoc autem coniurati Eccleſię hoſtes maximè cõſentiunt, quòd mordicus negẽt transſubſtantiationẽ, quòdque ſacrificium altaris cane peius & angue oderint, ac inſuper Chriſtum Dominũ adorationis cultu vtplurimùm ſpolient, pro vero autem eius corpore meum vulgaremq; panem populo porrigant ij, quibus ius nullum competit in ſacramento conficiendo atque diſtribuendo. Quarè mihi copioſum lachrymarum donum optabo, vt Ieremiæ Prophetæ & Pauli Apoſtoli ſequutus exemplum, tèr infœlicem horum ſortem defleam, qui ſummã ex hoc ſacramento perniciem tum ſibi tum aliis creant, qui altare aduerſus altare per nefandum ſacrilegium erigunt, qui corpus CHRISTI myſticum impiè ſcindunt, qui demum homines à ſacrificio diuinoque cultu, ſicut ſub impio Rege Ieroboam olim accidit, per ſummum ſcelus paſſim abducunt. Siquidem vel nobis tacentibus res ipſa teſtatur, ciuitates & regiones,

Ioann. 20.

Thren. 1.
Philipp. 3.

3. Reg. 12.

& regiones, preſertim Aquilonares, nunc plurimas inueniri, de quibus cum Oſee Propheta iuſtè queramur, ſedere homines ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ephod, ſine teraphim. Et cũ Daniele eiuſque ſociis meritò dixerimus: *Non eſt in tempore hoc holocauſtum, neq; ſacrificium, neq; oblatio, neq; incenſum, vt poſſimus inuenire Dei miſericordiam.* Quãdo noſtri quæſo maiores iuſtiùs quàm nos, lamentari potuerunt: *Translata eſt gloria Domini de Iſraël, quia capta eſt Arca Domini?* in qua nimirùm manna cœleſte continebatur, & quæ Chriſtũ ipſum, vtpote panem verum & viuum in hoc ſacramento præſentẽ adumbrabat, Arca inquam, fœderis ac teſtamenti, ſingulare profectò decus & præſidium perfugiumque totius Eccleſiæ in rebus maximè deſperatis. Vtinã verò Arca noſtra, de qua gloriari ſatis non poſſumus, duntaxat hoc ſeculo capta eſſet, cui alioquin iam olim Philiſtæi, licet ethnici ac barbari, pepercerunt, cùm illam iure belli in poteſtatem ſuam redegiſſent, eamque Iſraëlitis ademptam in ſuum templum tranſtuliſſent, nec ſine religione quadam conſeruaſſent. Qui cùm poſtea virtutem illius magno ſuo & totius prouinciæ malo fuiſſent experti, eam ipſam Arcam non ſine aureis muneribus remittendam, ſuiſque legitimis poſſeſſoribus Iſraëlitis communi conſenſu reſtituendam curârunt. Quantò autem deterior Eccleſiæ noſtræ eſt conditio, cùm noui religionis hoſtes, Philiſtæos omnes impietate atque immanitate ſuperant, in ſacram Euchariſtiam quidem vt nulli antehac, contumelioſi atque crudeles? Vt enim ſuam horrendam libidinem expleant, velut furiis acti, in Catholica templa hoſtiliter irruunt, altaria ſubuertunt, ſacra diripiunt omnia, ſed & ſacrilegas manus hoſtiæ ſacroſanctæ frequenter admouent: eã fœdè abiicere, proculcare, comminuere, nonnunquàm canibus & beſtiis deuorandam exponere, vel tormentis bellicis rabiosè petere, nullus metus, nullus pudor eſt: certè in publicum vulgi ludibrium eandem protrahere, & plebeis animis exoſam reddere iampridem cœpit noſtris ſectariis eſſe familiare. Ergóne incredibilem Dei Opt. Max. patientiam &

bonitatem admirer, qui tantũ nefas tam multis impunè abire ſinit, & in Chriſti corpus naturale ac myſticum ſæuientes præſenti vltione non perſequitur, ſed crebrò etiam florere permittit? In hos Euchariſtiæ contemptores illud Eliæ Prophetæ dictum competit: *Dereliquerunt pactum Domini filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt.* Hîc meritò cum Ieremia conqueri poſſumus: *Viæ Sion lugẽt, eò quòd non ſint qui veniãt ad ſollennitatem. Omnes portæ eius deſtructæ: ſacerdotes eius gementes.* Quod Magnus ille Antonius de ſacrilegis Arianis prædixit, & euentus ipſe comprobauit, nunc ſanè paſſim impleri cernimus, mulos nimirùm altare calcibus impetere, & menſam ſacram euertere, ſicut & meminit Sozomenus. 3 Reg.19. Thren.1. Lib.6 Hiſtoriæ cap.5.

Meũ erit interim ſollicitè prouidere, vt nõ ſolũ ſacramẽti huius externo cultui cũ Nepotiano ſtudeã, ſed etiã vt Chriſtianæ reuerentiæ officium & zelus hîc in me magis magiſq; confirmetur & creſcat, ac ſedulò quidem exerceatur. *Maledictus enim homo*, ſi Prophetæ credimus, *qui facit opus Dei negligenter.* Et ſicut diuinum oraculum nobis intonat: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* De qua ſanctitate præſtanda Apoſtoli nos admonent diligenter. Nã vt [a] Clemens quóque ſcripſit Alexandrinus, ad diuina myſteria negligenter accedere, ſupplicium intolerabile promeretur.] Ac reuera pudendum eſt, nos alibi potiùs quàm in hoc tanti momenti negotio conficiendo vigilantes ac ſedulos agere procuratores, paruiqúe ducere, ſi ad regiam cœleſtẽq; menſam illam incompti accedamus, nullamqúe famem & ſitim adferamus, & conſuetudine potius quàm deuotione commoti, immò ſordida magis tecti, quàm nuptiali veſte ornati prodeamus. Iuſtum ſanè dolorem mihi creabit, quòd [a] Centurionis humilitatem, [b] Zachæi confidentiam, [c] Matthæi obedientiam, multorumqúe aliorum in Chriſto excipiendo diligentiam non contendam ęmulari, nec ſtudioſius ac religioſius verſer in hoc ſanctiſſimo ſacramento tractãdo atqúe honorãdo. Danda mihi poſthac erit opera, vt ad menſam Dominicam acceſſurus, me antea demittam, & inter vo- Ierem.48. Leuit.19. 1.Cor.1. Coloſſ.3. Hebr.13. 1.Pet.1. a Lib.1.Pædagogi. a Matth.8. b Luc.19. c Marc.2.

catos

catos alios cõuiuas locum mihi velut nouiſſimum ſumam. Sic mihi quóque dicet *Paterfamilias*: *Amice aſcende ſuperius. Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Adhæc ſpiritualem in me famem excitabo, vt cũ deſiderio ad hanc Dominicam menſam accedam, illum nempè ſumpturus, de quo Virgo ſanctiſſima cecinit: *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Cur infirmus ad illum nõ accurram medicum & Samaritanum qui corporis ſui medicamento libenter curat ægrotos, ac de ſeipſo prædicat: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus?* Cur meum teporem ac torporem non excutiam illius cõplexu, qui charitas eſt & ignis conſumens, ad quem qui acceſſerit, non confundetur? Cur de gratia diuina diffidam, mortem licet æternam promeruerim? quãdo me Chriſtus ipſe conſolatur, inquiẽs: *Hic eſt panis de cœlo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur, ſed habeat vitam æternam.* Alij alia ſpectent atq; mirentur: ego mihi dictum eſſe putabo, quod Salomon ſcripſit: *Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam.* Atqui propoſitus eſt illîc mihi *Agnus* ille immaculatus, & in cruce oblatus, qui tollit peccata mundi, quiq; laborantes etiamnum ac oneratos inuitat humaniſsimè, nec veniẽtẽ vllum repellit aut auerſatur, ſed ardenter quoq́ue & gratis cupit de omnibus benemereri. Proinde me ſubducam ab illorum conſortio, qui ſacramenti huius dignitate & amplitudine deterriti, & neſcio qua cõſcientiæ propriæ indignitate permoti, menſam Dominicam rariùs petunt, & vt ſemper egeni miſeriq́ue maneant, hoc ſaluberrimo cibo ſeſe defraudant. Illis verò fidelibus me ſtudioſè coniungam, qui diuinę miſericordiæ fiducia excitati, ſpiritalis ſanitatis conſequendæ deſiderio flagrant, & idcircò ſacramenti huius frequenter participes eſſe conantur. Norunt enim oues paſtoris ſui vocem dulciſsimã: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſsimi.* Nec temerè dixit Zacharias de hoc ipſo Meſsia: *Quid bonũ eius eſt,*

& quid

& quid pulchrum eius: niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Habeo ſanè quos iure inter lectiſſimos fratres & ſocios numerē, primos nēpe Chriſtianos, qui Spiritus primitiis locupletati, nō ſolùm in Apoſtolorū doctrina & oratione, ſed etiam in quotidiana fractione panis perſeuerabant, ſicut ex Luca perſpici poteſt. Adeamus itaque Chriſtū ſinguli ægrotantes magna cum fiducia, vt Chryſoſtomi verbis vtamur. Nam ſi quotquot fimbriam veſtimenti eius tum tetigerunt, rectè omnes conualuerunt: quantò magis corroborabimur, ſi totum in nobis Chriſtum habebimus? Cū fide autem accedere non eſt, vt tantūmodò propoſitum corpus recipias, verùm etiam multò magis vt mundo corde tangas, vt ſic adeas quemadmodum ad ipſum Chriſtum. Credite igitur omnes, quia etiamnū illa cœna celebratur, in qua Chriſtus ipſe recumbebat.] Idem autem Chryſoſtomus in eos acriter inuehitur, à quibus Euchariſtiæ ſacræ participatio ſine cauſa iuſta differtur, & raró quidem ſumitur. Nunc eò quidē in hac frigida Eccleſiæ ſenectute ventum eſt, vt bona Chriſtianorum pars ex pane olim quotidiano ſibi annuum faciat, vtque ſtatim à Paſchali cōmunione ad vomitum redeat peccatorum, quicquid demum antiqui Eccleſiæ ſcriptores & ſacra Concilia aduerſus hanc pudendam hominum oſcitantiam adferant ac ſtatuant. Ignatius, quem & alibi produximus, perſpicuè tradit: Feſtinate frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriam Dei. Quando enim aſſiduè hoc ipſum agitur, expelluntur poteſtates Satanæ.].

Actor. 2. & 4.
Homil. 51. in Matth.
Matth. 14.
Marc. 6.
In epiſtola ad Epheſ.

VIII.

De præclaris Euchariſtiæ fructibus & effectibus.

MAGNI, admirabiles ac diuini ſunt effectus ſacramentorum, ſed ſacræ potiſſimum Euchariſtiæ. In hac enim Chriſtus amoris in nos ſui diuitias mirum in modum effudit, talemq; noſtris animis alimoniā tribuit,

buit, vt in hoc deſerto peregrinantes non deficiamus, ſed ad cœleſtem ipſam patriam vſquè ſalui perducamur. Vnde cũ Pſalte Regio læti meritò canimus: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe. Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui; virtutem operum ſuorũ annunciabit populo ſuo. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulãt me. Et ſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Hic eſt ille panis viuus, qui de cælo deſcendit*, per illud cœleſte manna, quod priſcis Iſraëlitis ad promiſſam terram proficiſcentibus obtigit, non obſcurè adumbratus. Hîc noſtrum antidotum & pharmacum, quo à culpis quotidianis liberemur, & à peccatis mortalibus præſeruemur, ſimulquè pignus futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ fœlicitatis ad manum habeamus. Nullibi ſanè maior vis contra dæmones, vitia & peccata ſentitur, nequè præſtantiora dona quibus ad vitam immortalẽ promoueamur, tam vbertim reperiri poſſunt. Vt hinc etiam à Cypriano ſcriptum legamus: Panis ſubſtantialis & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemquè proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanãdas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens.] Quo minus admirandũ eſt, tam multis & eximiis nominibus hoc ſacramentum, vt nullum aliud, iampridem inſigniri, cùm dicatur panis viuus & ſuperſubſtantialis, corpus & ſanguis Domini, Euchariſtia, ſynaxis ſiue communio, ſacramentum altaris, myſterium fidei, res diuina, Liturgia ſiue Miſſà, ſacrificium vel oblatio, cœna Dominica, viaticum & pignus æternæ gloriæ. Vt autem de his omnibus dicere ſuperſedeam, illum ſacramenti huius effectum mihi proponam, quo per illud terrenus homo ad cœleſtem amorem incitatur & accenditur, vt idcircò ſacramentum amoris non perperam appelletur. Cùm enim ex omnibus Chriſti operibus & ineffabilibus beneficiis tria ſint præcipua, quibus ille ſuum immenſum erga nos amorem fortiùs rapit & inflammat, ſæpè de illis & multùm cogitabo. Primum eſt admirandus æterni Verbi in

humana

humana natura deſcenſus atque aduentus in terras: alterum acerbiſſima paſſio Domini, & tertium diuinæ Euchariſtiæ inſtitutio. Magnum vtique fuit, æternum DEI Filium naturam humanam cum diuina copulare, ſeque in peregrinationis noſtræ ſocium tradere. Maius, tam profundo afflictionũ pelago ſe committere, vel potiùs immergere, & crucis probrum ſuppliciumque ſubire, in pretium ſcilicet redemptionis humanæ, vt ſe vnicum Pontificem & propitiatorem orbi vniuerſo declararet. Maximum verò, ſeipſum mortalibus in cibum potumque præbere, vt non ſpiritualiter modò, ſed corporaliter etiam ipſa Chriſti membra cum ſuo Capite coniungantur, & omnimodam vnionem aſſequãtur. Hoc enim eſt quod noſtri amantiſsimus Dominus, quum in finem nos dilexiſſet, deſiderio deſiderauit, & in admirabile perpetuũq; ſui amoris pignus iam iã moriturus inſtituit ac reliquit, verbiſque illis anteà declarauit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo,* vt cætera prætermittam. Vbi ſanè Dominus cauſas mortis à nobis arcendæ, & ſalutaris vitæ introducẽdæ non alias, niſi ſeipſum ac ſuam carnem ac eiuſdem carnis in cibum traditionem eſſe teſtatur. Quis igitur pius cum Auguſtino non libenter exclamet? O ſacramentum pietatis? ô ſignum vnitatis? ô vinculum charitatis? Non poterat enim Chriſtus ſuam erga nos charitatẽ commendare abundantiùs, quàm cùm ſeipſum ſic exinaniuit, vt non ſolùm formam ſerui acceperit, ſed & panis figurã quodãmmodò induerit, ſeque ad viliſsima elementa abiecerit & humiliârit hoc ſolo nomine, vt nobiſcum maneat ac iugiter in Eccleſia beneſaciat. Nec tantùm ille pro nobis factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: ſed inſuper à nobis, vt ſic loquar, totus exedi, atq; intimè nobiſcum & cũ noſtra infirmitate permiſceri voluit; ſicut pro nobis crucifigi ac mori dignatus eſt. Qua de re Chryſoſtomus ita diſſerit luculenter: Non ſufficit illi (Chriſto) hominẽ fieri, flagellis interim cædi, ſed nos ſecum in vnam, vt ita di-

Ioann. 13. Luc. 22.

Ioann. 6.

Tractat. 26. in Ioann.

Philip. 2.

Homil. 83. in Matth. 61 & ad pop. Antio.

eam, maſſam reducit: neq; id fide ſolùm, ſed reipſa nos corpus ſuum efficit. Ea re nos alimur, quam Angeli tremunt, nec abſque pauore propter fulgorem qui inde reſilit, adſpicere poſſunt: nos in vnam cum illo maſſam reducimur.] Nec eſt diſsimile quod idem alibi docet: *Cùm ſuum in nos amorem Chriſtus indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè eſt.*] Eadem eſt Cyrilli Alexandrini ſententia, quem & imitatur [a] Damaſcenus, in hunc modum pios omnes exhortans: *Crucifixi corpus ſuſcipiamus, vt ignis in nobis deſiderij ex eo carbone aſſumens inflammationem, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participatione diuini ignis accendamur, ac deificemur.*]

Hinc ego meipſum incuſabo incogitantiæ ſingularis, qui vt ſummum, ita & ſuauiſsimum miraculum, quod cœleſti hac eſca continetur, tam parùm expendo, & raró qua par eſt pietate complector. Frigidum meipſum arguam, quem præſentem tanta myſterij ſublimitas & charitatis perfectio non magis afficit atque mouet, vt torpore omni poſito, in conſpectu Domini mei, cœleſti amore incaleſcam, immò & ſi fieri poteſt, ferueam & liqueſiam. Diſcam feruentem Bernardi ſpiritum induere, & cum eo quæ ſurſum ſunt ſapere: ſimulque mihi corporalem & ſpiritualem Euchariſtiæ perceptionem commendatam habebo, vt cum illo teſtari poſſim: *Cupio eum qui dilexit & tradidit ſemetipſum pro me, quibuſcunque brachijs vicariæ dilectionis amplecti: ſed oportet me & Agnum manducare Paſchalem. Niſi enim mãducauero carnem eius, & bibero eius ſanguinem, non habebo vitam in memetipſo.*] Vtinam verò in me ſpiritus Pſalmographi refloreſcat, vt eo duce lætus & ipſe decantē, cùm ad menſam hanc ſacram accedo: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meã.*

lerito interim mihi diſplicebo, meæque ingratitudini cul-
tam adſcribam, qui tot modis amanti Domino tam malè
ſpondeo; amor enim amorem exigit; neque totus in hoc
erſor, vt illum ex animo redamem, & velut extra me poſi-
s, nec mihi, nec mundo, ſed illi ſoli viuam, qui ſe mihi totũ
npendit, ſummamque charitatem oſtendit. Nam & Pater Rom. 8.
oprio Filio ſuo non pepercit, ſed illum in mortem & eſcã
obis dedit: quomodo igitur cum illo nobis non daret om
a? Filius autem ipſe, licet ſuum corpus in ſupremum thro-
um extulerit, tamen, vt cum Chryſoſtomo dicam, hoc ip-
m nobis exhibuit, & vt teneremus, & vt manducaremus,
uod maximum dilectionis ſignum exiſtit. Proinde ſingula
m ac ſeriam operam dabo, vt ſacram ſynaxin aditurus, non
odò purgatam & præparatam conſcientiæ domum habe-
n, *Domum enim Dei decet ſanctitudo*: ſed diuini etiam amo-
ignem, quem Chriſtus venit in terram mittere, & per hoc
ramentum amoris maximè vult incendi, in meo corde
agis magisque nutriam, omnem verò alium peregrini a-
oris ignem extinguam, ac ſimul praui affectus tempeſtuo-
ventos ac noxios impetus arceam ac præuertam. Vnde
tem veri amoris flamma in meo corde ſuccreſcet & nimi-
n partim ex Chriſti crucifixi vulneribus atque cruciatibus
nte deuota perceptis, quia ſcriptum eſt: *Haurietis aquas*
gaudio de fontibus Saluatoris, partim ex conſiderata Domi-
n hoc ſacramento venientis & operantis incredibili mu-
icentia & inæſtimabili charitate, vtpote qui magis quàm
o meipſum diligit, & dona ſua libentius conferre geſtit,
am ego recipere deſiderem, factus idcircò nobis, vt Apo-
lus monet, iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio: tantùm
ſt, vt meritorum meorum defectu & inopia hîc angi, &
s æquo diſcruciari debeam. *Reſpice* igitur *ô anima mea in*
iem Chriſti tui, & vocem illius audi, velut ad Zachæum
m, quem Abrahæ filium faciat properantis, ſeque ipſum
itantis vt dicat, *Feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua*
rtet me manere. Quid illo benignius hoſpite fingi poteſt,

Homel. 24. in 1. ad Corint. & homel. 61. ad popul. Antiochen.

Pſalm. 92. Luc. 12.

Iſai. 12.

1. Cor. 1.

Pſalm. 83. Luc. 19.

qui citra diſcrimen, cunctos inuitans ægrotos; quorum cauſa factus eſt Samaritanus, clamare non deſinit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Qui ſitit veniat: & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Omnes ſitientes venite ad aquas. Omne quod venit ad me, non eÿciam foras. Deliciæ meæ eſſe cum filÿs hominum. Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*

Vbi non oſcitanter aduertam, quàm ſint excellentes, diuini & immenſi ſacræ Euchariſtiæ fructus & effectus in ijs, qui præcipuum hoc animæ nutrimentum & ſaluberrimum pharmacum dignè percipiunt. De Iſraëlitis conſtat, quantā ex accepto manna dignitatē, voluptatem & vtilitatem iam olim ſint conſequuti, ſicut Sapiens illis verbis oſtendit: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantiam enim tuam & dulcedinem quam in filios habes oſtendebas, & deſeruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisq; volebat conuertebatur.* Quod vetus manna proprius typus erat exundantis gratiæ, quam Chriſtus cum ſuo manna & viuo pane nouo populo elargiri decreuerat, ſicut illis verbis conſolatione plenis non obſcurè declarat: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Qui mā ducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Quid autem ille maius promittere poterat, quàm ſeipſum ſuamque præſentiam, & beatam animæ vitam, ſed & lętam mortui corporis reſurrectionem? Tantò magis ego ad hunc nobiliſſimum & ſapidiſſimum adſpirabo cibum, eiusque famem & ſitim in me excitabo, quia eſurientes bonis implet inenarrabilibus, vt de huius menſæ conuiuis iure cantetur illud: *Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit illos.* Cæterùm inter alia commoda & emolumēta, quæ Sacramenti huius ritè percepti ſunt propria, magisque deſiderari & accipi quàm percenſeri queunt, hæc ſanè

poſtrema

poſtrema non ſunt, vt paucis multa complectar, peccatorũ remiſſio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior animi refectio, virtutum augmentum, contra hoſtes eorumq; inſidias armatura, fidei certitudo, ſpei ſubleuatio, charitatis incitamentum, deuotionis ardor, neque modò cum Angelis, ſed etiam cum rege Angelorum Chriſto mirifica quædã communicatio, immò & incorporatio. Sicut enim carboni accidit, vt mutetur in ignem, atque in ſimilitudinem ignis planè conuertatur: ita per dignam Euchariſtiæ ſumptionem conſequimur, vt in Chriſtum ipſum mirè commutemur, & diuinæ illius naturæ conſortes, & ſicut Cyrillus Hieroſolymitanus vocat, quodammodo concorporei & conſanguinei cum ipſo capite Chriſto reddamur. Tanta enim huius diuini cibi vis eſt, vt ſi quis eo dignè veſcatur, non modò ſpirituali coniunctione, verumetiam naturali quadam & arctiſſima vnione Chriſto copuletur, ac particeps fiat verè viuificatricis carnis, quæ verbi propria facta eſt, ſimulque precioſi ſanguinis Domini, quo nihil nobilius fingi poteſt. Facit igitur ſumptum hoc ſacramentum, vt & Chriſtus ſit in nobis, & nos in Chriſto, non animum tantùm reformante, ſed carnem etiam noſtram ad vitam, incorruptionem & immortalitatem præparante, ſicut Hilarius ante mille ducentos annos memoriæ prodidit.

In Catech. 4

Ioan. 6.

Lib. 8. de Trinitate.

PRECANDVS *mihi* DEVS *pro ſacerdotibus & miniſtris altaris, vt pro ratione ſui muneris præſtantiſſimum hoc ſacramentum ſecũdum præſcriptas leges Eccleſiæ legitimè tractent, offerant ac diſpenſent, neq; minus ordinem ſuum vitæ honeſtate, caſtitate ac pietate commendent. Tales enim* DEVS *miniſtros & ſacerdotes requirit, qui ſacrificia offerant in iuſtitia, quiq; myſterium fidei habeant in conſcientia pura, vt Paulus loquitur.*

Malach. 3.

1. Tim. 3.

ORABO *itidem pro Catholicis omnibus, quorum calcaneo ſerpens antiquus nunc maximè inſidiatur, vt fidem Eccleſiæ matris integram ac ſynceram in hoc ſummo myſterio retineant mors*

Geneſ. 3.

 dicus,

dicus, nullumq́; locum ſectarijs impijs tribuant. Nuſquàm enim maior, & hoc tempore grauior Dei tentatio pulſat electos, quos ad ſobrietatem ſapere, & cautè vigilare hîc maximè conuenit.

PRAETEREA *petam à Deo, ſua vt huic auguſtiſſimo ſacramento conſtet gloria reuerentiaq́;, præſertim in ſacra communione, ac quotidiana Miſſæ celebratione. Bona enim pars hominum ſeſe impedit, quò minus vberrimam tanti ſacramenti gratiam percipiat, eoq́; maiores pœnas plurimi luent, ingratitudinis & iniuriæ ipſi Chriſto irrogatæ, vbi hoc ſacramentum indignè tractatur, ſiue percipitur.*

ADHAEC *de mea quoq́; ſalute ſollicitus, gratiam implorabo diuinam, vt ſæpè & ſalutariter menſam petere Dominicam poſſim, vtq́; niſi tam ſacro viatico æternaq́; gloriæ pignore munitus, ex vita præſenti non decedam.*

POSTREMO *mentem à Deo meliorem precabor Sacramenti & ſacrificij huius occultis ſimul & apertis contemtoribus, quorum ſanè ingens hodie turba totam ferè complet Europam, permittente nimirùm ob noſtra peccata iuſto Deo Antichriſti præcurſoribus, vt Eccleſia hoc ſummo theſauro ſuo, & iugi ſacrificio, externoq́; ſacerdotio magis ac magis paſſim ſpolietur. Quod enim prædixit Daniel de iugi ſacrificio tandè auferendo, quodq́; Chriſtus de abominatione deſolationis exponit, ab* [a] *Irenæo,* [b] *Theodoreto alijsq́; Patribus eò refertur, vt Euchariſtici ſacrificij abrogatio certum ſit argumentum præſentis Antichriſti. Confirmat idem* [c] *Chryſoſtomus, cùm ſcribit ſacrificium Chriſtianorum ab Antichriſto eſſe tollendum, fidelibus per loca deſerta confugientibus, ita vt non ſint vel templa ingredientes, vel oblationem Deo facientes. Etenim ſicut peruetuſtus Martyr Hyppolitus euidenter aſſerit: Eccleſiarum ædes ſacra inſtar tugurij erunt, precioſumq́; corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, & Liturgia extinguetur, vt reliqua præteream.*

DOMINICA

DOMINICA PRIMA POST FESTVM TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM hoc permagni momenti eſt, in quo diues epulo & Lazarus mendicus ſimulque vlceroſus, nobis à Chriſto depinguntur. Ille molliter, ſuperbè ac ſplendidè viuit, ſuaſque facultates ad mundi faſtum & carnis delicias accuratè conuertit. Hic fame & morbo confectus, in ærumnis quaſi perpetuis degit, à diuite deſpicitur, & canes magis quàm homines fauentes experitur. Cæterùm vt diſsimilis vtriusque horum vita eſt, ita & diſpar omninò exitus reperitur. Diues enim à ſuperis ad inferos tranſit, pœnis flammiſque tartareis traditur, & in medijs flammis nè aquæ guttam quidem ad linguæ ardentis refrigerium poteſt impetrare, quicquid demum ab Abrahamo Patriarcha precetur. Lazarus verò cùm ex hac vita migrat, à ſanctis Angelis excipitur, & à Patre Abrahamo velut in lectiſsimo hoſpitio collocatur. Nam de ſinu Abrahæ ſic etiam tradit Auguſtinus: Si errare pueriliter non vis, ſinum Abrahæ intellige remotam ſedem quietis atque ſecretam, vbi eſt Abraham: & ideò Abrahæ dictam, non quòd ipſius tantùm ſit, ſed quòd ipſe multarum gentium pater ſit, quibus ad imitandum fidei principatum præpoſitus eſt.] Receptus autem loquendi vſus obtinet, vt ſinus Abrahæ dicatur quies poſt hanc vitam vniuerſa Sanctorum, ſiue ante, ſiue poſt Chriſti aduentum, mortalem hanc vitam cum immortali cõ- Lib. de origine animæ.

mutantium, ſed diſpari prorſus ratione. Priſci enim electi à pœnis duntaxat immunes fuerunt: reliqui poſt Chriſti in cœlos aſcenſum perfecta quiete & viſione diuina perfruũtur. Cæterùm probabilis eſt planè Tertulliani, Ambroſij & aliorum veterum ſententia, non parabolam ſed veram rei geſtæ hiſtoriam hoc loco à Luca deſcribi, quãdo & Lazari perſona, vt in alijs parabolis fieri non ſolet, à Chriſto exprimitur nominatim. Tum Euthimius ex traditione quadam Hebræorum id ipſum confirmat, diuitemque illum epulonem affirmat Nynenſem appellatum fuiſſe. Parùm autem refert, in eadem hiſtoria quædã adduci, quæ reuera conſiſtere non poſſunt, quemadmodum de lingua, de digito, de ſinu Abrahæ: quandoquidẽ ſolutæ corporibus animæ his membris carent. Verùm in Scripturis vſitatum eſt, non tantùm animabus & Angelis, ſed ſummo etiam Deo corporea membra ob intelligentiam faciliorẽ hominis adſcribi atq; deputari. Tertullianus in hunc modum loquitur: Animas torqueri foueriq́ue penes inferos licet nudas, licet adhuc exules carnis, probauit (Dominus) Lazari exemplo.] Non obſcurè docet hoc Euangelium de iuſtitia Dei, qui ſuũ cuiq́ue mortuo præmium vel ſupplicium decernit, deq́ue bonorum ac malorum hominum diſcrimine non ſolùm in præſente, ſed etiam futura vita, & Epicuræos quidem retundit fortiſsimè: quos & Iob ſanctus illis verbis coarguit: Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt: & ſcitote eſſe iudicium, nempe cum bonorum retributione ac damnatorum pœnis coniunctum.

EIVSDEM DOMINICAE Euangelium. Luc. XVI.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam*

mendicus

mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus: cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, ſed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinũ Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarũ in ſinu eius: & ipſe clamans dixit, Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham, Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris, & in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi qui volũt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neq; inde hûc transmeare. Et ait, Rogo ergò te Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres: vt teſtetur illis, nè & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moyſen & Prophetas: audiant illos. At ille dixit, Non, pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi, Si Moyſen & Prophetas nõ audiũt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit credet.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo: & epulabatur quotidiè ſplendidè.

DEO immortali gratias agam, qui me indignum ab aduentu Domini hucvſque conſeruauit, & intermedium tempus (Dominicæ diſpenſationis vocant) cum Eccleſia Catholica celebrare conceſſit. *Benedictus Dominus Deus Iſraël; quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ* per authorem & conſummatorem Euangelicæ fidei Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, cui beneficiũ ingens redemptionis humanæ acceptum ferre ſemper debeo. Nunc autem operã dabo tempori reliquo, quod Chriſtianæ peregrinationis dicitur, & ad ipſum Aduentum vſque procurrit, aggrediendo; & ſedulò quidem perurgendo, vt accepta Chriſti gratia in me fructum legitimum adferat, & ego cum Dei populo qui Aegyptum relinquit, in huius mundi deſerto ad cœleſtem patriam rectà proficiſcar. *Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futurâm inquirimus.* Ac tales quidem aduenæ & peregrini ſumus ſuper terram, quorum eſt proprium, à carnalibus deſiderijs aduerſus animam militantibus abſtinere, conuerſationem autem inter Gentes habere bonam, atque Deum ita glorificare, vt per opera bona vocationem & electionem noſtram certam faciamus, quemadmodum princeps Apoſtolorum fideles omnes hortatur. Caput autem ſalutaris peregrinationis, quam inſtituere par eſt, in eo ſtatuam, vt qui nomen Chriſto dedi, ab inſanis mundi huius filijs & amatoribus, qui nimiùm Aegypto ſunt affixi, me magis magiſque diſiungam & ſeparem, & viam ſeruem regiam quòcunque vocat Deus. Siquidem *amicitia huius mundi*, vt Iacobus inquit, *inimica eſt Dei*. Et diuinum præceptum habemus: *Fugite de medio Babylonis* (quæ mundi prorſus in maligno poſiti typum expreſſum gerit) *& ſaluet vnusquiſq; animam ſuam.* Sicut & Paulus admonet: *Nolite conformari huic ſeculo.* Cæterùm vt ego mundum eiuſque filios rectiùs agnoſcam & fugiam, diuitem epulonem in hoc Euangelio deſcriptum mihi ſæpè ob oculos ponam, eiuſq; mores diligenter expendam. Habet ille abundè vnde viuat & inter alios floreat: ſed ſuis opibus vtitur intemperanter ac

luxurioſè, menſam apparat lautam & opiparam, otio & genio indulget, cum blandis amicis viuit ſuauiter. Vult præterea videri atque laudari, vt hinc ornatus purpura, byſſoque & ſerico excultus prodeat, non ad pompam minùs quàm ad vitæ mollitiem ſe totum componens & inſtruens. Libet illi crebris cōmeſſationibus & poculis operam dare, nugis tempus fallere, ventrem delicatè paſcere, ſedulò curare cutem, & ambitionis mancipium eſſe. Nihil minùs illi placet, quàm beneficentia in pauperes collata, vnde & mendici Lazari ante ianuam ſuam iacentis & micas menſæ deſiderantis curam abijcit, ſibi duntaxat viuere contentus, & qui demum totus externis ſenſuum carniſque cupiditatibus & oblectamentis intentus eſt. Quid veró iſthuc eſt aliud, niſi ſecundum carnē ſapere ac viuere, & ea non quæ ſurſum, ſed quæ ſuper terram ſunt quærere, carnalem & Epicuræum eſſe? Quanquàm iſthæc quæ diximus, inſano mundo, ac præſertim noſtris diuitibus ac aulicis tam familiaria ſunt & vſitata, vt etiam pro vitijs non habeantur, & vulgò laudentur magis quàm reprehendantur, ac terrenæ fœlicitati quodammodo adſcribantur. Sed longè aliter iudicat Chriſtus, & præpoſteram huius mundi ſapientiam, immò ſtultitiam hîc non obſcurè coarguit. Qui præterea, ſuum Baptiſtam à ſtudio abſtinentiæ, ab amore ſolitudinis & aſperitate veſtium non temerè coram Iudæis prædicat, & inter alia ſic loquitur: *Venit Ioannes neq́ manducans neq́ bibens: Ecce qui in veſte precioſa ſunt & delicijs, in domibus regum ſunt. A diebus Ioannis Baptiſtæ vſq́ nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed & Iudæi quondam cum hoc epulone peccârunt, & idcircò Deus eorum luxum atque licentiam hac graui oratione corripuit: *Væ qui opulenti eſtis in Sion, ingredientes pompaticè domum Iſrael, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Monet igitur & Paulus, viduam Chriſtianam in delicijs viuentem, quia nempè voluptatum magis quàm Dei, & ſuæ carnis potiùs quàm animæ curam gerit, ſecundùm ſpiritum mortuā eſſe.

Roman. 8. Coloſſ. 3. Matth. 11. Luc. 7. Matth. 11. Amos. 6. 1. Tim. 5.

Curam

Curam inquit,*carnis nè feceritis in deſiderijs. Si ſecundùm carnem vixeritis,moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cū vitijs & concupiſcentijs. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

Nulla igitur mihi ſit pars cum hoc diuite epulone ac ſocijs eius omnibus,quos fortuna blandiens in magnum alutis diſcrimen,adeòque in flammas tartareas præcipitat, & in quibus dictum illud ſapientiſſimi Regis impletur: *Eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autē eius deducunt ad mortem. Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Vtatur ac fruatur mundus, quemadmodum noſter epulo, ſuis opibus, delicijs atque blandimentis: beatum dicat populum cui hæc ſunt,de huiuſmodi arridentis fortunæ illecebris,quantumuis caducis glorietur, ſeque fœlicem eſſe ſtultè confingat.Sapienter verò mundi contemptor Iob de hoc ſtultorum genere dixit: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Ego verò nè cum iſtis peream,Chriſtum viam, veritatem & vitam mihi proponam, qui cùm inde ab æterno diues eſſet,propter nos adeò egenus factus eſt, vt nec locum in orbe ad caput ſuum reclinandum haberet, quique legem Euangelicam in monte traditurus,à commēdatione pauperum exorſus eſt hoc modo: *Beati pauperes*,aut ſicut Tertullianus eandem vertit ſententiam: Beati mendici, *quia veſtrum eſt regnum Dei*. Hos pauperes & mendicos Dominus mirificè conſolatur, quemadmodum vbique ſeuerus & auſterus doctor eſt diuitum, in quos terribiliter intonat: *Diues difficilè intrabit in regnum cælorum. Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationē veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis,quia eſurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Tum alibi opes fallaces & ſpinas quæ diuinum ſemē ſuffocant, luculenter appellat, & ſimul verbo & exemplo commendat eos,qui paupertatem voluntariam amplectuntur: his ille centuplum & vitam pollicetur æternā. *Abſtigitur,vt*

tur, vt externa diuitum oblectamenta, quibus mundi amatores velut ebrij eſſe gaudent, in alijs admirer ac laudem, vel ipſe cupiam & magnifaciam, cùm nihil ſint aliud, ſi verum fatebimur, præterquàm inſidioſa vanitatis humanæ inſtrumenta, falla cis Satanæ præſtigiæ, occulta inſipientium retia, animarum præſentia venena, exitiales virtutum peſtes, vitiorum ardentes fomites, ac deniq́ue multorum malorum quibus plurimi deprauantur atq́ue perduntur irritamenta. Non dicam de ſcriptoribus ethnicis Phocilide, Seneca, Iuuenale, qui vanum diuitiarum ſtudium, fluxamq́ue locupletum gloriam variaq́ue pericula meritò inſectantur: quid verbo Dei luculentius? *Nihil eſt* ait, *iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam habet venalem.* [a] *Pecunia obediunt omnia.* [b] *Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic? & laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita ſua. Multos perdidit aurum & argentum.* Nec temerè dixerunt veteres: Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Quin & Apoſtolus Paulus, vt omnium habendi cupiditatem nobis præſcindat, grauiſſimè dixit: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Hanc ſanè radicem ſi tollas, nec bellum nec odia erunt, vt ait Chryſoſtomus, & vt Græci admonent, totius vitioſitatis ceſſabit metropolis. Eoque magis ego communẽ diuitum noſtrorum ſortem deplorabo, ex quibus pauci ſine auaritiæ & prodigalitatis fœda nota viuere ſolent, pauciores verò ſunt iuxta Pauli præceptum in bonis operibus diuites, ad impartiendum faciles, & libenter communicantes, quẽadmodum Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Dauid, & reliqui cõplures id genus amici Dei, magna cum laude diuites extiterunt. Peior autem & verè mihi commiſeranda illorum diuitum eſt conditio, qui non modò cum epulone noſtro in eâdem velut naui ſedent, quia ſuis opibus per ſuperbiam, in-

Eccleſ. 10.
a Eccleſ. 11.
b Eccleſ. 11. & 31.
Eccleſ. 8.
1. Tim. 6.
1. Tim. 6.

gluuiem & inhumanitatem apertè abutuntur: verum etia quod epulo noſter nō fecit, in aliena bona inuolant, furtum mendacio cumulant, vſuris miſeros compilant ac trucidant, vi & rapacitate facultates aliorum ad ſe abripiunt, acerbè & tyrannicè plus quàm debetur exigunt, malè occupata nō reſtituunt, improbis demum artibus & fraudibus fratrem circumueniunt. Non enim corde percipiunt quid ſibi velint illæ ſententiæ: [a] *Nè quis ſupergrediatur, nèue circumueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.* [b] *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* [c] *Væ ei qui multiplicat non ſua, & aggrauat contra ſe denſum lutum.* [d] *Non furtū facies.* [e] *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc eſt enim Lex & Prophetæ.* Quapropter ſiue diues ego ſim ac nobilis, ſiue tenuioris fortunæ & ignobilis, habeo ſanè in præſenti Euangelio cur meipſum ſpectem ac corrigam. Si enim diues fuero & copioſus, ſtudioſè mihi cauendum eſt, cum diuitibus huius ſeculi; ſicut Paulus prohibet, in ſublime ſapere, aut in diuitiarum incerto ſperare. Nec & interim mihi theſaurum in terra, vbi pereunt omnia, ſed in cœlo recondam, & in primis curam geram pauperum, quam certè diuitibus Deus commendauit, & ſeuerè ab illis tempore ſuo exacturus eſt. [a] *Facite vobis amicos*, inquit Chriſtus, *de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula:* [b] *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:* [c] *Date & dabitur vobis.* [d] *Quod feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* [e] *Quod ſupereſt date eleemoſinam: & ecce omnia munda ſunt vobis:* [f] *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* [g] *Iudicium verò ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.* Si verò egeſtate & penuria premor, vel ab alijs deſpectus viuo, aut à magnatibus negligor, mendicus Lazarus, qui Deo & Angelis eius eſt charus, me conſolabitur, & ſanctos Apoſtolos verè pauperes mihi ſocios eſſe gaudebo, Deoque immortali ex animo gratias agam, qui multas peccandi occaſiones imbecillitati meæ ſubſtraxerit, meque illis periculis ac deſiderijs liberârit, quibus ple-

ruſquè laborant diuites non ſine Sathanæ laqueis, & ſuarum pernicie animarum, vt Apoſtolus indicauit. Cæterùm quò minus mihi ſuppetit in proprijs facultatibus, eò ſanè propius ad primorum fidelium philoſophiam & diſciplinam me credam accedere: quoniam apud hos meum & tuum ex Apoſtolica institutione prorſus exulant, & in commune omnia conferuntur. 1.Tim.6. Actor.4.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius (diuitis) vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis.

AMABO vtrumquè Lazarum, cuius in Euangelio laus eſt, alterum quidem Marthæ & Magdalenæ fratrem germanum, quem dilexit Ieſus, ac mortuum vitæ reſtituit: alterum verò mendicum & vlceroſum, ſed in ſumma neceſſitate à diuite epulone deſertum. Ille me docet, cum Chriſto Domino firmam tenere coniunctionem ac familiaritatem, bonorumquè amicorum pro me intercedentium precibus & lachrymis permultùm fidere. Poſterior autem Lazarus, quem Lucas modò deſcribit, omnium Chriſti pauperũ & afflictorum viuum velut exemplar eſt ac ſpeculum, & ſanè dignus ille, quem licet mendicum, ego diuitibus & magiſtratibus omnibus ſeculi huius anteponam. Quò magis ille à noſtro diuite deſpicitur, tantò charior fit Angelis, qui frequentes conueniunt, & celebrandis eius quodammodo exequijs lætam operam vltrò præſtant. Quo minùs de illo conſolando & iuuãdo ſollicitus eſt mundus, eò commendatior eſt magno Patri Abrahæ, qui gaudet talem hoſpitem ſinu ſuo excipere ac fouere, vt ad plenam illius conſolationem nihil deſideretur. Quo demum ille vitam triſtiorem & acerbiorem apud mortales exigit, eò iucundiorem ac fœliciorem tranſitum ad ſuperos facit, vt ſuas temporarias ærumnas cum cœleſti requie nunquàm deſitura commutet. Fuit ille quidem Iro pauperior, vt illi nec domus, nec menſa, nõ cibus, potus, Ioan.11 Luc 16.

ictus aut veſtis ſuppeteret, quem & mundus tam inuiſum & exoſum habuit, vt omne humanum conſilium & auxilium illi ex compoſito denegare, & contra illum velut conſpirare videretur. Genere fuit obſcurus & terræ filius, diuitibus qui calamitoſum maximè conſolari poterant abominabilis, fame confectus, ægra preſſus valetudine, totus vlceroſus, neq; diſſimilis Iob patienti, qui vlcere peſſimo à planta pedis vſq; ad verticem à Satana percuſſus fuiſſe, & in ſterquilinio ſediſſe, teſtaqúe ſaniem ſuam raſiſſe memoratur, tantoperè quidē toto corpore defœdatus, vt in funeſto illo ſpectaculo & incredibili dolore nè à viris quidem amiciſſimis poſſet agnoſci. Ecce verò tibi noſtrum Lazarum, qui pannoſus, ſqualidus & æger ante domum diuitis iacet; nō aurum vel argentum, non elixas aut aſſas, ſed micas duntaxat de menſa epulonis decidentes exſpectat, ſi fortaſsè domeſticorū aliquis illi vel minimum largiretur. Reipſa verò ſentit miſer, canes viliſſimos meliore quàm ſe eſſe loco, quandoquidem diuitem patremfamilias illi quotidiè læti adſpicere, & neceſſariā impetrare alimoniam poſſent, vt vel panibus, vel menſæ reliquijs ſaturarētur. Quid quòd plus humanitatis canes quàm homines ipſi exhiberent, cùm ad viſitandum illum ſubinde accederent, & hiantia fœdaqúe ipſius vlcera lambere non recuſarent? Sed & meritò admirabor hominem tot modis ærumnoſum, ac velut inutile terræ pondus habitum, in Deum non murmurare, ſed firmiter confidere, non vltionem contra diuitem inclementem expetere, ſed pro eo precari, non luxum illius inceſſere, ſed iudicium omne Deo permittere, non crudelitatem condemnare, ſed in bonam partem accipere omnia, crucemqúe adeò duram, longam atq; multiplicem, cùm deſertus eſſet ab omnibus, æquo animo ferre.

8. Perinde ac ſi Dauidicum illud ſibi vendicaret: *Paratum cor meum Deus: paratum cor meum. Paratus ſum, & non ſum turbatus: vt cuſtodiam mandata tua. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. In Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.*

Eapropter

Eapropter mihi committendum non eſt, vt aduerſos infeſtosque caſus, quibus iſthæc mortalium vita eſt obnoxia, ægrè ac moleſtè feram, in quibus quidem Lazari noſtri virtus mirum in modum effulſit. Vireſcit enim vulnere virtus, vel ſicut Apoſtolus dixit: *Virtus in infirmitate perficitur*. Ac protinus illud annectit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto.* Cur ergò crucē à Chriſto ſanctificatam defugiam, quando Paulus Chriſti ſtigmata tam fortiter tulit, vt inde ſibi placeret, & in multiplici & quotidiana cruce vel maximè gloriaretur, Deoque ſummo gratias ageret? *Beatus vir*, inquit alius Apoſtolus, *qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Qui autem non eſt tentatus, quid ſit? Qui non expertus, pauca recognoſcit. Suſtine tentationes Dei: coniungere Deo & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua*, vt Sapientis verbis vtamur. Habeo igitur quod à Lazaro velut optimo præceptore diſcam, vt ſi Abrahæ, immò Dei filius, Chriſtique diſcipulus eſſe cupiam, impoſitam mihi crucem, ac præcipuè quidem paupertatem, famem, inediam, nuditatem, omniumque rerum penuriam, ſi ita neceſſitas ferat, non inuitus excipiam, ac longanimiter feram, quàm diu ita viſum fuerit diuinæ voluntati. Etenim cum Lazaro ſimul & Paulo conſtanter dicere gaudebo: *Ego didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare: & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati: omnia poſſum in eo qui me confortat.* Deinde Lazarus me docet, ſi aduertam animum, ſuum Deo ſummo iudicium permittere, quomodocunque cum iniquis mundi amatoribns dirisque tyrannis agatur. Habent enim illi, à quo nō modò iudicentur, ſed & grauiſſimè ſuo tempore puniantur. *Exiguo quippe conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio*. Nam vt Chriſtus quoq; teſtatus eſt: *Omni cui multum datum eſt, multum quæretur ab*

2.Cor. 12.

Gala. 6.
2.Cor. 1.

Iacob. 1.

Eccleſ. 34. & 2.

Philip. 4.

Sapien. 6.

Luc. 12.

eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. D[illegible] igitur hic Lazarus impatientes, atque contra diuit[illegible] manitatem obmurmurantes egenos aut famulos. [illegible] uiter peccauit Semei, quòd regi ſuo Dauid in perſe[illegible] fugienti non modò malediceret ac palam inſultaret, [illegible] dem quoque lapidibus peteret. Non ſunt irritan[illegible] nes, & contemnenda mihi ſemper erunt inſania [illegible] bria & faſtuoſa iudicia moroſorum, quibus bono[illegible] dem pietas & virtus ſalutariter exercetur. Vt enim P[illegible] ſerit: *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſequutionem patientur*, quemadmodum Chriſtus ipſe ſuis fore prædixit inquiens: *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur.* Adhæc valde mihi d[illegible] quòd in ſancta ſchola patientiæ ſim tam malè verſatu[illegible] Lazari noſtri veſtigijs procul abſim. Is probè nouerat d[illegible] rum aculeos, vitæque moleſtias omnes, vndecunque [illegible] rent, Dei gratia ſimul & animi fortitudine ſupera[illegible]. Quo magis illum mundus hic perfidus & deſerebat & affli[illegible] eò ſe diligentiùs ipſe cum ſummo bono coniungebat, [illegible] que animum diuinæ virtutis fiducia ſuſtentabat. Nec [illegible] ſanè in rebus triſtibus & aduerſis conſtare ſolatium [illegible] poteſt, quàm quòd ſciam & cogitem me illi eſſe curæ, [illegible] more ſuo *quem diligit caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim filius quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinā eſtis, cuius participes facti eſtis omnes, ergò adulteri & non filij eſtis.* Præclarè ſcripſit Baſilius: Quis in deli[illegible] ac tibijs corona fortibus viris debita ornabitur? nullus [illegible] currens brauium aſſequetur. Labores gloriam pariu[illegible], & anguſtiæ periculaque coronas promerentur. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Has tri[illegible]es regni cœlorum fœlicitas ſubſequetur: peccator[illegible]ò labores gehennæ dolor & immortalis triſtitia man[illegible] Quocirca conſtans omnium ſapientum eſt ſententia, [illegible] nobis magis quàm aduerſa formidanda eſſe, [illegible] ciant, hæc autem erudiant animos, multo[illegible]

ti-
ti.

atur, qui in periculis & calamitatibus verſantur, quàm
curè viuunt, quòd afflicta mens Deo vicina ſit, ſicut &
s Apoſtolus docuit, ſi Gregorio credimus Nazianze- In epiſtola ad Cæſarium fratrem.
1od verò ad pauperes attinet, horum cauſa mihi tantò
mendatior, quantò magis illi ſunt ærumnoſi, ac omni
no ferè ſolatio præſidioqúe deſtituti, quorum ſanè cō-
m & conuictum vnà cum noſtro diuite nunquàm a-
or, ſed ijsdem me comem, humanum & facilem exhi-
ontendam, nec de illis ſiniſtri aliquid facilè ſuſpicabor
nunciabo. Etenim in verbo Dei admonemur: *Noli a-* Tob. 4.
faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te a-
r faciet Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors.
n modo admonet Sapiens: *Fili eleemoſinam pauperi nè* Eccleſ. 4.
des, & oculos tuos nè tranſuertas à paupere. Ab inope nè
oculos tuos propter iram. Congregationi pauperum affa-
e faciſo. Etenim quales quales mendici fuerint, quan-
s deformes, abiecti, ſordidi ac indigni gratia appareāt,
noſtri & Chriſtianorum omnium fratres, ipſaq; Chri-
ccleſiæ membra cenſeri merentur, in quibus Chriſtū
qúe ſpiritum inhabitantem æquum eſt venerari. Ho-
tronus & vindex eſt Chriſtus, qui ſemper ſuos paupe-
et & nobiſcum agere vult, vt de illis benè mereamur,
os quoqúe ſaluemur. *Cùm facis* inquit, *conuiuium, vo-* Matth. 16. Luc. 14.
eres, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris quia non ha-
n hoc ſeculo) *retribuere tibi: retribuetur enim tibi in*
ctione iuſtorum. Et Apoſtoli vox eſt. *Nonne Deus elegit* Iacob. 2.
s in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni, quod re-
Deus diligētibus ſe? Quòd ſi Chriſtus & Apoſtoli hoſ-
eres eorumque cauſam nobis paſſim & accuratè cō-
nt, nihil ſanè mirum, Gregorium Magnum, qui erga Homel. 40. in Euangel.
olim munificentiſſimus fuit, fideles omnes in hunc
n hortari: Honorate quos pauperes cernitis, & quos
nſpicitis deſpectos ſeculi, intus arbitremini amicos
um his participate quod habetis, vt quandoqúe dig-
vobiſcum participare quod habent. Penſate quod

ore magiſtri Gentium dicitur: *In hoc tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopia ſit ſupplementum.* Penſate quod ipſi per ſe [illegible] *Quàm diu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Ad tribuendum ergò pigri cur eſtis, quando hoc quod iacenti in terra porrigitis, ſedenti in cœlo datis?]

Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt. Et in inferno eleuans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè.

BONE DEVS quàm funeſtus & infœlix exitus ſæpius diuitis vitam voluptariam ac ſplendidam comitatur? Diquærat ille ſe corpusque ſuum & mundum perdite [illegible]do, ita vt legem Dei non obſeruaret, & ſuam ipſe conſcientiam negligeret, nullamque pauperum rationem haberet. Proinde nunc miſerrimus & pauperrimus perpetuò apud inferos ardet, & ſitit, & eiulat: guttam verò aquæ precibus & lamentis omnibus per ſe & Sanctos non obtinet, vt vel ſemel modicè in tantis flammis ſitique maxima refrigeretur. Quo fœlicior æqualis huius Lazarus fuit, cuius animam [illegible] quàm leuiſſimum pondus, & chariſſimum pignus [illegible] geli aſportârunt, & in locum amœniſsimum perduxerunt, vt malis illa omnibus exempta, gaudijs maximis perfrueretur: eo ſanè infœlicior noſter diues habendus eſt, cuius animam vt grauiſſimum onus diuque exoptatam prædam tetri dæmones non ſolùm à corpore auulſerunt, ſed etiã in imum tartari abyſſum detruſerunt, vt miſerum hoc animal [illegible] voracibus flãmis, & horrendis gehennæ ſupplicijs [illegible] paſcatur. Adeò verè dixit Pſalmographus: *Nè timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit, non ſumet omnia: neq; deſcendet cum eo gloria eius.* His Iob ſanctus planè conſonat, ita [illegible] *Diues cùm dormierit, nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet. Apprehendet eum quaſi aqua inopia* [illegible]

cum tempeſtas. Non enim proderunt diuitiæ in die vltionis: iuſtitia autem liberabit à morte, teſte Salomone. Prou.11.

Ex his ego multa quæ non parui ſunt momenti colligã, & primùm quidem longè alia Dei mundum hunc deſpicientis quàm hominum plurimorum de mundo vanæ gloriãtium iudicia eſſe, iuxta illud diuinum oraculum: *Non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neq; viæ veſtræ, viæ meæ*. Quis Iſai.55. enim hunc diuitem non fortunatum ac fœlicem iudicaſſet, quum ad nutum illi affluerent omnia, ac ille præ cæteris valdè floreret, & celebris vulgo haberetur: nihil autem Lazaro calamitoſius atque deſpectius appareret? Verùm hîc vſu venit quod Chriſtus alibi pronunciauit: *Quid hominibus altũ eſt, abominatio eſt ante Deum. Vos à foris quidem paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate*. Proinde Luc.16. Matth.23. mihi placere non debeo multorum ore laudatus, & externis fortunæ corporisq; donis cumulatus, præſertim cùm idcircò deterius habeant diuites & magnates, quòd plurimos apud ſe ſemper inueniant aſſentatores. *Quoniam verò laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, exacerbauit Dominum peccator*, ſi Prophetæ fidem habemus. Pſalm. 9. Eſt Deus profectò fortis, zelotes & viſitans iniquitatẽ, Exod.20. qui perſonas hominum non reſpicit, quia puſillum & magnum ipſe fecit, qui ſolus orbem iudicat in æquitate, quique Sap 6. in altis habitans, alta deſpicit, *& humilia reſpicit in cœlo & in terra, ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui*. Actor.17. Pſal.112. Apud illum ipſum nullum opus bonum irremuneratum, nullum malum impunitum remanet, *ſed reddit vnicuiq; ſecundùm opera eius*. Matth.16. Roman.2. Vnde quod Sapiens dixit, ſæpè multumque perpendam: *In die bonorum nè ſis immemor malorum, & in die malorum, nè ſis immemor bonorum*. Eccleſ.11. Cur igitur illum vitæ ac mortis Dominum mihi non ſæpè propono, & ex animo vereor, in cuius manu cuncta conſiſtunt, cuius voluntati nullus reſiſtere poteſt, qui mortificat & viuificat, pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat? Eſter.13. 1.Reg.2. Adhæc potenter hîc mo-

neor, animam hominis exhalantem & à corpore ſeparatam non diſsipari, ſed manere ſuperſtitem, & immortalem eſſe, quæ nec mori, nec à quoquam occîdi poſsit, quicquid demum impij garriant Sadducæi ac Epicuræi. Vnde Chriſtus apertè tradit, diuitem & Lazarum poſt mortem ſuam non modò viuos, ſed etiam ita iudicatos fuiſſe, vt alteri quidem æternum gehennæ ſupplicium, alteri locus quietis & conſolationis firmiſsimus aſsignaretur. Iuſtus enim Deus reddit vnicuique ſecundùm opera ſua non ſolùm in extremo illo iudicio, quando omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ſed etiam cumprimùm cuiuſque hominis anima migrat ex corpore, & pro ſe Deo iudici rationem reddit. Vnde dixit etiam Sapiens: *Facile eſt coràm Deo in die obitus retribuere vnicuiq; ſecundùm vias eius.* Cuiuſmodi retributionem alter quoque diues expertus eſt, quem nulla de ſalute animæ ſuæ cura tenebat, ſed de augendis duntaxat facultatibus anxia ſollicitudo premebat, vt hinc vocem illam triſtiſsimam audiret: *Stulte, hac nocte animam tuã repetunt à te; quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Tum alibi nos Chriſtus admonet, eos non eſſe timendos, qui corpus occîdunt, quoniam animam non poſſunt occidere. Sed & morituro in cruce latroni diſertè promiſit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ac demùm nè dubitemus, cur Paulus alijque viri ſancti ex animo cupiant diſſolui, & cum Chriſto ſtatim viuere, ita ſeipſum idem Paulus explicat: *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.* Quid verò de hoc epulone aliisque vel ſine fide, vel ſine charitate morientibus? *Horrendum eſt ait, incidere in manus Dei viuentis.* Qualem enim te inuenit Deus cùm vocat, talem pariter & iudicat, vt cum Cypriano loquamur. Tantoque magis futuræ mortis meæ horam extimeſcam, in qua vocatus ego à ſummo iudice, totius vitæ rationem reddam, & ſicut beneactorum præmium, ita & pro malefactis quæ hîc expiata non ſunt, ſupplicium debitum

tum excipiam. *Cuncta enim quæ fiũt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.* Mirabor itaq; , nos de hora mortis adeò incertos, & de iudicio diuino, quod mortem è veſtigio conſequitur, certiſsimos eſſe, nec ſollicitè tamen cogitare de bonorum prœmijs malorumq́ue ſupplicijs breui accipiendis, ac perpetuò duraturis. Quid verò non ſolùm hoc epulone, ſed etiam damnandis apud inferos omnibus infœlicius? quorum vermis non moritur & ignis non extinguitur, quibus nec aquæ gutta, nec refrigerium vllum, nec ſpes aliqua redemptionis ſuppetit, qui dentum tenebris exterioribus, & fletu oculorum, & ſtridore dentium liberari nuquàm poſſunt. Quod iudicium Dei in hoc epulone præceſsit, nobis etiam cum illo peccantibus, & ſine charitate hinc decedentibus certo certius imminet, vt feratur in nos illa quoq́ue ſententia: *Quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Idem ſatis indicat Chriſtus illis verbis: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala* (ſicut nempè vulgus de bonis malisq́ue ſentit & loquitur) *Nunc autem hîc conſolatur, tu verò cruciaris.* Senſum verborũ ſic Auguſtinus reddidit: Qui hîc conſolantur, indigni diuina cõſolatione habentur: ſed qui hîc cruciantur, à Deo conſolantur: & qui participant paſsionibus, participant & conſolationibus. Nemo enim poteſt in vtroq́ue ſeculo conſolari: nec poteſt quis hîc & in futuro gaudere, ſed vnum neceſſe eſt vt perdat, qui alterum voluerit poſſidere.]Tum Origenes Auguſtino antiquior in eandem ſcribit ſententiam: Nemo poteſt in carne & ſpiritu habere delicias: ſed ſi quis in carne deliciatur, ſicut ille diues, carebit gremio Abrahæ & delicijs. Qui verò in præſenti ſeculo pane afflictionis veſcitur, ſicut & ille pauper (Lazarus) cùm hinc abſceſſerit, in delicijs erit.]Ac iterum de ſeipſo piè ſic loquitur: Ego opto, vt dum in hoc ſeculo ſum, viſitet Dominus peccata mea, nè in altero audire merear: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Propterea cùm corripimur à Domino, eſſe nõ debemus ingrati: ideó enim cor-

Eccleſ. 12.

Marc. 9.
Luc. 16.

Matth. 13. 22.

Apoc. 18.

In ſoliloquijs cap 22.

In pſal 36.

Super Exod.

ripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.] Volens multa præterea, quæ ſuppeditat nobis Chryſoſtomus, quoniam ſæpè, grauiter & copiosè diſſerit de hoc Lazaro & epulone: ſed nolumus eſſe longiores. Quid verò ſi noſter epulo nunc tandem nobis rediuiuus adeſſet, ac de anteacto luxu, omniq; vitæ ſuæ ſplendore interrogatus, reſpondere deberet, quid aliud quæſo adferret in medium, quàm quod mundi amatores omnes vno velut ore, & incredibili cum luctu, ſed ſerò pœnitentes, ad extremum confitebuntur? *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquàm vmbra. Quoniam ſpes impij tanquàm lanugo eſt quæ à vento tollitur: & tanquàm ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tanquàm fumus qui à vento diffuſus eſt: & tanquàm memoria hoſpitis vnius prætereuntis.*

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro diuitibus & alijs ſeculi filijs à Dei proximiq. charitate alienis, qui donis acceptis ad luxum, faſtum carnisq. illecebras licenter abutuntur, ac interim ſuæ ac alienæ ſalutis curam nullam vel exiguam gerunt.*

ORABO *etiam pro deſpectis hodie mendicis, & preſſis alijsq. corpore calamitoſis, vt in ferenda cruce patientiam Lazari æmulentur, ſuumq. ſolatium ex promiſſa futuræ vitæ quiete & fœlicitate capiant; ſintq. in fide & virtute Abrahæ filij atq. ſectatores. Precabor eisdem miſeris fidos hic amicos, procuratores atq. patronos, quorum ope ac præſidio in neceſſitate ſua ſubleuentur.*

DIVINAM *quoq. gratiam implorabo, vt ſicut Lazarus clementem, & epulo ſeuerum iudicem poſt mortem habuit Deum, ita & ego Chriſtum in iudicio particulari propitium mihi iudicem ſentiam. Sicut enim à Paulo ſcriptum legimus:* Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium, *generale nimirùm, quod ſuper viuos ac mortuos manifeſtè ac ſemel ad*

mundi

mundi finem celebrabitur, ac prætcrea particulare, quod ſuper animas è corpore migrantes occultè, inuiſibilitèr & quotidiè exercetur. Vtriuſq; iudicij nomine, quod nullus effugere poteſt, ſæpè Chriſtus nos vigilare præcepit.

Matth.24. & 25. Marc.13 Luc.12.

DOMINICA II. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

INSIGNIS eſt hæc parabola de cœna magna per hominem diuitem inſtructa, ad quàm frequentes conuiuæ humaniter inuitantur, ſed venire detrectant, ſuæque ingratitudini & improbitati friuolas excuſationes obtexunt. Quamobrē offenſus paterfamilias hos reijcit, & alios cōuiuas ad eandem cœnā per nuncios accerſiri, ac rurſus alios eò pertrahi & adigi iubet, nimirùm nè tātus conuiuij apparatus fruſtra factus eſſe videatur. Monet autem hæc parabola, quàm rectè iuſtus Deus Iudæis primùm vocatis negârit beneficium; quod gentibus poſtea in gratiam receptis communicauit, quandoquidem eos Euangelicæ gratiæ ac æternæ ſalutis participes facere dignatus eſt. Præterea docet hæc parabola, non Deum in cauſa eſſe, ſed hominum vitio fieri, quòd ex multis vix pauci mortales benè beatèque viuant, & ad eam pertingant fœlicitatem, quam omnes deſiderant, & cuius cauſa fideles etiam ſeſe conditos ac redemptos eſſe vltrò cōfitentur. Quid enim proſit vel ampliſsima decerni munera ijs, qui ea nolint accipere, vel acceptis magna cum ingratitudine & iniuria donantis improbè abutantur? Fecit ſuum officium Chriſtus, factus omnibus, vt Apoſtolus dixit, obtēperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, quod

Heb.5.

ad id quidem attinet. Non autem obtemperant Chriſto, ſed aduerſantur omnes ambitioſi & humanæ gloriæ cupidi, omnes auari & rebus terrenis addicti, omnes concupiſcentiæ carnis dediti, præſertim qui vaſa ſua, vt idē Paulus loquitur, in ſanctificatione & honore non poſſident, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidē pietatis, virtutem autē eius abnegantes.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Luc. XIIII.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis: Homo quidam fecit cœnam magnā, & vocauit multos. Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ vt diceret inuitatis vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei, Villam emi, & neceſſe habeo exire & videre illam, rogo te habe me excuſatū. Et alter dixit, Iuga boum emi quinq̃, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Et reuerſus ſeruus nunciauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc. Et ait ſeruus, Domine factum eſt vt imperaſti: & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

NOTAE

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

ME inprimis conuertã ad humaniſsimum & ditiſsimum hoſpitem, Ieſum Chriſtum nempè, Deum & hominem plenum gratiæ & veritatis. Huic gratias Ioan.1.
ingentes agam, quòd Iudæos primùm, ac deinde gentiles miſeroſque mortales omnes, quamlibet immerentes, tanti habuerit, vt de ſalute illorum tanquàm filiorum, impensè ſollicitus eſſet, variaque media & remedia illis ad benè beatèque viuendum non minùs ſapienter quàm vtiliter prouideret. Hinc tot miſit ille nuntios, tam multa promiſſa, præcepta, ſacramenta variaque dona Spiritus, quæ omnia generali magnæ & honorificæ cœnæ nomine cõtinentur, eiſdem impertijt, paratus inſuper maiora & cœleſtia æternaque bona conferre, ſi vocati tantùm ſiue diuites, ſiue pauperes, propoſitam gratiam & gloriam velint amplecti. *Venite* inquit, *quia parata ſunt omnia*, nempè ad redemptionis humanæ, ſalutiſque veſtræ ac fœlicitatis æternæ negotium neceſſaria. 1.Tim.2.
Perinde ac ſi diceret: Volo ſaluuos omnes effici, & perire neminem: de ſumptibus, nuncijs, & ferculorum apparatu fideliter prouidero: nihil vobis deeſſe ſinam, cœna mea omnes qui accubuerint, abundè exaturabit. *Quid enim eſt quod debui facere, & non feci, nec faciam vel cœna, vel vinea mea? Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à via ſua, & viuat. Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum; quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam*

2.Pet.3. Iſai.5. Ezech.18.33. Zachar.1. Iſai.55. 2.Pet.3.

nitentiam reuerti, quemadmodum Propheticæ & Apoſtolicæ voces euidenter ac frequenter oſtendunt.

DEINDE mecum diſpiciam, quomodo idem Chriſtus inter alios tam multos, me quoque pro ſumma benignitate ſua vocârit, ac vocet etiamnum, quùm per diuina beneficia, ſuauiſſimaque inuitamenta me, quamuis indignum, ad ſe amandum & colendum quotidiè allicit ac prouocat. *Etenim* tanquàm cœleſtis ſponſus ad *E*uangelicæ gratiæ precioſiſſimas & copioſiſſimas epulas nos inuitans inquit: *Comedite amici, & bibite & inebriamini chariſſimi*. Nam ſicut tempore Salomonis ingens diuitiarum abundantia inundauit, vt tantum argenti quantum lapidum reperiretur, ita verus Salomō Chriſtus, in cuius diebus iuſtitia & abundantia pacis exorta eſt, Euangelicæ gratiæ fœcunditas & vbertas cumulatim fuit effuſa. *Fluminis enim Dei repletum eſt aquis, & ſuo impetu lætificat ciuitatem, de qua glorioſa dicta ſunt*, vt meritò cum Propheta lætus decantem: *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: benedixiſti Domine terram tuam*. Quid quæſo blandius ac benignius, præterquàm credentibus, immò & pueris fidem alienam adferentibus in baptiſmo ſalutem æternam offerri, fidem, ſpem, charitatem aliaq; dona eximia renatis ipſis per Spiritum ſanctum infundi, iamque adoptatos Dei filios ea muniri gratia, quæ ipſis cooperantibus ſufficiat ad Dei præcepta implenda, & ad victoriam de carne, mundo & Satana reportandam? Eôdem ſpectat, quod relapſo in peccatum Chriſtiano, ſi pœnitentiæ medicinam adhibuerit, peccata cuncta quamlibet multa & fœda, remittantur, quòd mortis & inferni terrores ac pericula corde verè contrito depellantur, quòd præſens ac ineffabilis Sacramentorum, & potiſſimùm ſacræ *E*uchariſtiæ, virtus & gratia percipiatur, quòd contra omnes tentationum laqueos & infeſtationes virtutum ac donorum potens præſidium votis lachrimiſque piè comparetur, quòd fideles afflicti in cruce & morte quamlibet atroci magis quàm in mundi blandimentis carniſq; voluptatibus conſolationem & gloriam ſolidam experiantur,

eniqúe quòd pios Chriſti amore flagrantes, à ſummo æter-
oqúe bono illo nihil in hoc mundo ſeparare poſsit. Adeò
erum eſt illud: [a] *Omnia poſsibilia ſunt credenti.* [b] *Omnis qui* a Marc.9.
tit accipit: & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. [c] *Om* b Matth.7.
a quæcunq́, orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient c Marc.11.
bis. [d] *Omnia poſſum in eo qui me confortat*: vt hinc etiam à d Philip.4.
opheta decantetur: [e] *Apud Dominum eſt miſericordia, &* e Pſal.129.
pioſa apud eam redemptio. Neque ſat eſt Chriſti munificen-
, quòd me ſuis infinitis beneficijs præueniat atque proſe
atur, paratus etiam plura & maiora quàm ego petã & me-
ri poſsim impartiri: verùmetiam incommoda quædam &
uerſa miſcet proſperis, vt me torpentem ac dormientem
igis ad officium reuocet, & in viam reducat errantem, at-
e ad perfectiora velut ſtimulis quibuſdam impellat ac adi-
t negligentem. Eſt enim hoc illi tanquàm peritiſsimo
edico propriũ, ſuis vt ægrotis acerba quaſi pharmaca pro-
iet ac applicet, paterque filios virga corripiat & emendet.
uem enim diligit Dominus, caſtigat, ſæpè implens illud quod Heb.12.
iptum eſt: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam* Olee.2.
ceria. Interim diligentibus Deum in bonum cooperantur
nia, etiam quæ inſuauia & deprecanda potiùs quàm op- Rom. 8.
da videntur imbecillioribus. Verùm ego ex immiſſis Dei
e flagellis ſiue plagis, præſentem fructum colligam tum
ientiæ, in qua poſsidemus animas noſtras, tum obedien- Luc.21.
ſummo parenti debitæ, qùm de manu illius cuncta pro-
iant, & ad illius gloriam referenda ſint. *Bona enim & ma-* Eccleſ.11.
vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt, vt nos docet
cleſiaſticus. Vnde cum Iob in cruce ſua conſtanti atqúe
ganimi, quomodocunque affligar ac diſcruciar, ex ani-
dicam: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non* Iob.2.&1.
ineamus? Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Do-
i benedictum. Ad eundem modum Rex Dauid, nõ ſolùm
acceptis beneficijs die ac nocte gratias egit, verùmetiam
ribulatione ſua Dominum inuocare ſolitus fuit, & velut Pſal.119.
cruce gloriabundus illud decantare potuit: *Virga tua &* & 23.

baculus

baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Vtinam & mihi cum [illegible]lo verè teſtari liceat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.*

Et cœperunt ſimul omnes excuſare.

Si malum eſt errare atque peccare, omnes a[illegible] errantes à Propheta vocamur, peius eſt profectò in peccato ipſo perſiſtere, ſiue vt Pſalmographus loquitur, in via peccatorum ſtare, & peccandi conſuetudinem facere. Peſſimum autem, quod malefeceris excuſare atque defendere, [illegible] velut conduplicare culpam, quemadmodum iſti ad lau[illegible]mam cœnam inuitati turpiter faciunt. *Impius autem cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium*, ſicut Salomon docet. Hanc [illegible] cuſandi in peccatis conſuetudinem, quæ multa poſt ſe [illegible] trahit, ac peccãtem ipſum ſæpè incurabilem reddit, ego tantò magis exoſam habebo, quantò grauius Deum ipſum offendit, omnemque illius gratiam facilius impedit ac [illegible]guit. Multa quidem & ingentia ſunt incommoda, quæ [illegible] hæreditaria & congenita primi parentes nobis reliquerunt, à quibus immundis nos etiam immundi ac leproſi, [illegible] & natura iræ filij naſcimur. *Iugum enim graue ſuper filios [illegible] à die exitus de ventre matris eorum, vſq; in diem ſepulturæ.* Ab hoc ipſo impuro fonte, quo genus humanum [illegible] modũ vitiatur, virus fœdæ huius excuſationis in nos & omnes ſuperbiæ filios perniciosè manauit. Sanè cùm primi parentes propoſitam ſibi à Deo legem ingrati violaſſent, tantum abeſt, vt commiſſum inobedientiæ ſcelus [illegible] ac deprecarentur, vt friuolas etiam excuſationes [illegible]rent, quibus improbitatem ſuam vtcunque tegerent. Etenim Adam de culpa perpetrata monitus à Domino, dicere non metuit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Acceſſit & Eua (noſtri ſexus [illegible] litatis omnis oblita, tantùm in [illegible]

à ſe remoueret, & transferret in alium, ideoque hoc tantùm ad ſe purgandam attulit: *Serpens decepit me.* Peiores adhûc illi, & tãquàm Eccleſiæ peſtes execrandi ſunt, qui Deum Opt. Max. peccati cauſam faciunt, & quæuis vitia tanquàm opera Dei, excuſare non metuunt. Hoc enim nihil eſt aliud, quàm quæ ab hominum malitia proficiſcuntur, in omnis boni fontem, in quem nè peccati quidem ſuſpicio cadere poteſt, conijcere impudenter. De hoc ſolo aſſeri fas eſt: *Non Deus volens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operãtur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendaciũ.* Hinc illa ſententia iuſtiſſimè traditur: *Nolite exaltare in altum cornu veſtrum, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.* His affines, nec minus fugiẽdi ſunt, qui vt ſe vanè ac peſtilenter excuſent, fato cuncta tribuunt, ſuaque ſcelera & humanos euentus cœli ſignis, certisq; planetis & aſtris imputare non erubeſcunt. Damnat hos Braccarenſe Concilium primum, cùm ita decernit: Si quis animas & corpora humana fatali ſigno velit adſtringi, ſicut Pagani & Priſcillani dixerunt, ſit anathema.] Et ſeuerè diuinum præcipit oraculum. *Iuxta vias Gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.* Rectèq; probat Auguſtinus, iniuſtum fore Deum, & res humanas non curare, ſi fatum ſemel admittatur atque confirmetur. Grauiſsimè quidem peccant omnes, verèque filij ſunt Belial, qui ſummi numinis prouidentiam negant, ſuamque in illa fiduciam non collocant, & peccata ſua quouis prætextu tegere & excuſare nituntur. Hos Deus illo dicto percutit: *Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quod dixeris, Non peccaui. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Benedictus autem vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Impius peccatorũ ſuorũ funibus cõſtringetur.*

Pſal. 5. Pſal. 74. Cap. 9. Ierem. 10. Lib. 38 quæſtionum. Ierem. 2. Iſai. 5. Ierem. 17. Prou. 5.

EGO per Dei gratiam ita me comparabo, vt ſciens ac prudens mea peccata nullis verborũ inuolucris extenuem, aut velamentis contegam vel excuſem, nè alioquin ſepulchrum

fiam

ſiam, vt Chriſtus loquitur, dealbatum, quod foris quidem cãdidum apparet, intus autem mortuorum oſsibus & ſpurcitia plenum eſt. Quoties enim meam prauitatem excuſo, Chriſtianam excutio ſimplicitatem, & Chriſti exemplũ imitandum relinquo, qui tot modis ab impijs accuſatus, tanquàm ouis obmutuit, vt nec ſuam excuſaret innocentiam, nec obiecta crimina refutaret. Hoc eſt quod Apoſtolus dixit: *Non voſmet ipſos defendentes chariſsimi*. Cùm ergò naturaliter ſimus arrogantes, & ex immodico ſui amore quiſque laudari potiùs quàm deprimi velit, valdè mihi cauebo, nè vitijs meis benignè indulgeam, nèue lœſus ab alio, tentem aggrediarq; vindictam, quam ſibi Dominus omnium iudex reſeruauit. Multoq; magis operam dabo, vt ad mei defenſionem maiorum iuſsis non obſtrepam, ſed citra omnem excuſationem vel exceptionem illorum dictis & monitis parêre æquiſsimũ iudicem. Mandat enim & Paulus, inferiores ſuis præpoſitis non ſolùm obedire, ſed etiam ſubiacere, talesq; ſeruos Chriſtianos exigit, qui cum timore & tremore dominis carnalibus nõ ſecus quàm Chriſto ſummo Domino ex animo morem gerant. Deinde mihi procurandum eſt, vt vitia mea ſiue occultè ſiue publicè patrata non minuam ac excuſem, vt vulgus hominum, quod ſe reprehendi ægrè ſuſtinet, impudenter facere ſolet: verùm vt illa ipſa coràm Deo & hominibus ingenuè fatear: hoc enim ſpiritualis incolumitatis cõſeruandæ ſimul & recuperandæ initiũ eſt & fundamentum. Qua in re mihi commendatũ erit Regis Dauidis præclarum exemplum, qui à Nathan Propheta de graui crimine reprehenſus, adeò ſe humilem præbuit, vt culpam ſtatim agnoſceret, nec ſeſe vlla ex parte purgaret. *Peccaui* inquit, *Domino*. Eandem ille ſeruauit modeſtiam, cùm pœnam meritam ob numeratum populum ſubiret, & Angelũ in ſubditos valdè ſæuientem experiretur. *Precor* inquit, *Dominum, vt transferat iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis. Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me & contra domum patris mei*. Ab eodem rege

dem rege

... rege & Propheta ducam, ad omnem arrogantiam cæ... ſuperbiam præuertendam me precibus armare, ac ... identidem vſurpare: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Quem locum pulchrè ſic Bernardus illuſtrat: Genus excuſationis eſt, quū argueris tu, alium incuſare. Porrò excuſare te velle quando corriperi, quàm ſit non modò minimè fructuoſum, ſed & pernicioſum, ſanctum Dauid interroga. Verba nempè malitiæ excuſationes in peccatis appellat, nè in ea declinet cor ſuum rogans & ſupplicans. Meritò quidem. In animam etenim ſuam peccat qui ſe excuſat, repellens proinde à ſe pœnitentiæ medicinam, & ſic vitam ſibi proprio ore intercludens. Et quænam maior malitia, quàm propriam armari in ſalutem, & linguæ tuæ teipſum mucrone confodere? Deniquè *qui ſibi nequam, cui eſt bonus?*] Rectè igitur & ante Bernardum dixit Gregorius: *P*eccatum peccato addit, qui culpæ quam fecit, patrocinia defenſionis adiungit.] Nec ſolùm precabor Dominum, vt linguam ab omni vanè excuſantium abuſu vindicem, verùmetiam patientis Iob piam ſollicitudinem induam, qui de ſeipſo ſyncerè pronunciauit: *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti*. Tum alibi ſcriptum eſt: *Iuſtus prior accuſator eſt ſui. Sapiens timet & declinat à malo: ſtultus verò tranſilit & confidit. Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.*

Pſal. 140.

In Cantic. Serm. 16.

Eccleſ. 14.

Iob. 9.

Prou. 18. & 14.

Prou. 4. & 28.

Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

HIC ego mirificam Dei tum bonitatem, tum iuſtitiam conſiderabo. Quid enim niſi merā Dei gratiam ſenſère Iudæi, præ nationibus omnibus in peculiarem Dei populum electi, totque illuſtribus magiſtratibus, legibus, cæremonijs, promiſſionibus ac beneficijs decorati? *Nec enim eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi: nec fecit Deus taliter omni nationi*, quemadmodum Moyſes & Dauid

Deut. 4.
Pſal 147.

Prophetæ confirmant. Habent & Gentes, vt cum Paulo loquar, ſuper miſericordia honorare Deum: quoniam ethnici licet ſine Deo, ſine Chriſto viuerent, varijs idololatriæ ſordibus conſpurcati, & flagitijs omnibus cooperti planeque perditi, tamen à tenebris ad lucem vocati, & à morte ad vitam reducti, cum primis illis qui vocati fuerant, per ſummã ſummi Dei miſericordiam iuſtificantur atque ſaluantur. Neque parùm Dei iuſtitia rurſum elucet in his ipſis vocatis, ſiue ſint ex Iudæis ſiue Gentiles, ſiue diuites ſiue pauperes, ſiue clari ſiue ignobiles: quoniam iratus hoſpes qui illos inuitauerat, magnam illorum partem, vt ſua cœna indignam rejicit tandem & excludit. *Dico vobis* inquit, *quòd nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Quid autem triſtius ac formidabilius fingi poteſt, quàm à cœleſti illo conuiuio & ſanctorum conſortio prorſus arceri, & eò detrudi, vbi maledicti præ dolore cordis clamabunt, & præ contritione ſpiritus ylulabunt, in ſtagno ignis & ſulphuris in ſempiternum cruciandi? Proinde inter ſpem & metum verſabor in mea vocatione, quia non temerè Propheta loquitur: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* Et quod Paulus grauiter monet, mihi quoque dictum putabo: *Vide bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos qui ceciderunt, ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excidêris.*

NOTABO inſuper, ad iuſtitiæ diuinæ commendationem ſpectare, quòd à propoſita cœna excludantur non ſolùm infideles & aperti Chriſti Eccleſiæq; contemptores & hoſtes, nec tantùm adulteri, homicidæ, raptores & alij publicè criminoſi, infames ac flagitioſi, in quos meritò ſuum gladium exerat Magiſtratus: Non enim ſine cauſa gladium portat. Et ex Paulo Apoſtolo ſatis cõſtat, quòd iniqui fraudantes proximum, & carnis opera facientes, regnum Dei non poſſidebunt, vtpote quod paratum eſt ſine macula ingredientibus, & iuſtitiam operantibus, diuertentibus itidem à malo, & bonum facientibus, ſicut Pſalmographus aſſeuerat. Verùm

[illegible]hs hoc loco de credentibus diſſerit, qui tametſi credant, orent & ſperent,ſe fore ſaluos, ſicut & virgines fatuæ fecisſe leguntur, tamen ſe variis modis impediri permittunt, quò minus verè ac ſeriò ſpiritualibus cœleſtibusque ſtudijs vacent. Poterant illi quidem villas,oues, boues,vxores,liberos atque facultates ſine peccato habere, ſicut & Abraham, Iob,& viri ſancti complures habuerunt: peccant autem in eo,quòd huiuſmodi res per ſe bonas immodicè diligãt, eisq́ imprudenter & per intemperantiam ad ſuæ ſalutis diſpendium abutantur. *E*tenim vocantis hoſpitis,& cœnæ promisſæ,ſeruorumque inuitantium exigua cura tanguntur: ſed & reprehenſi culpam excuſare malunt quàm agnoſcere, & ſeriæ vocationi ſuæ reſpondere negligunt. Alij lucro terreno & [illegible] pecuniæ ſunt dediti,obcæcante illos auaritia: alij ad honores & dignitates adſpirant, inflati fumo ſuperbiæ: alij carnalem ſequuntur concupiſcentiam, inſanæ libidinis æſtu concitati. Tantum abeſt vt primùm DEI regnum quærant eiusq́ue iuſtitiam: diuina enim faſtidiunt, & pro ſpiritualibus amant curantq́ue temporalia, nihil vt minùs obſeruent quam Apoſtolicum illum Canonem: *Nolite diligere mundũ neq́ ea quæ in mundo ſunt: quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Quæ Ioannis verba ſic mihi accomodabo, vt ad Deum in timore conuerſus cum *A*uguſtino dicam: Ecce Dominus Deus meus, mundus totus plenus eſt concupiſcentiarum laqueis, quos parauerunt pedibus meis. Et quis effugiet hos laqueos? Profectò à quo tu abſtuleris extollentiam oculorum ſuorum, vt non eum capiat concupiſcentia oculorum, & à quo tu abſtuleris carnis concupiſcentiam, nè eum capiat carnis concupiſcentia: & à quo tu abſtuleris animum irreuerentem & infrunitum, nè eum callidè decipiat ſuperbia vitæ.]Hinc & illis *P*rophetæ verbis vti conſueſcam: *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me & miſerere mei. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui.* Niſi autem vul-

Math.25.

Matth.6.

1.Ioan.2.

In ſoliloquiis cap.12.

Pſal.24. & 118.

gus hominum hæc ſenſibilia, fluxa, caduca, fallacia bona quę ſunt laquei, ſupra modum & pernicioſè diligeret, non illa tanto deſiderio appeteret, non tanto ſtudio & labore conquireret atq́ue conſectaretur, nec præſentibus tam ſuauiter incubaret & mordicus inhæreret, ſed neq́ue tam moleſtè dolenterq́ue ferret eadem ſibi ſubduci ac eripi, quæ & Chriſtus tota vita contempſit, & mortales per Apoſtolos contemnere docuit. Hinc illæ Apoſtolicæ voces: *Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquàm nō habentes ſint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudeant: & qui emunt, tanquàm non poſſidentes: & qui vtũtur hoc mundo, tanquàm non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Figura inquam, eò quòd hic mundus, in quo vanitas omnia, nihil ſolidi habeat, ſed tantummodò ſpeciem quandam bonorum ac malorum præ ſe ferat, rebus interim omnibus, velut rapidi fluminis aqua, præterlabētibus. Quid ergò mirum obſecro, ex multis vocatis paucos electos eſſe, totumq́ue mundum in maligno verſari, ſicut Ioannes deplorat? Etenim paucis libet anguſtam portam & arctam viam quæ ducit ad vitam ingredi: complures autem per latam portam & ſpatioſam viam lætè procurrunt ad perditionem, planèq́ue ad illam Chriſti vocem obſurdeſcunt: *Contendite per anguſtam portam intrare: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.*

QVOCIRCA mihi quidem ſatis non erit à grauioribus abſtinere peccatis, præſertim cum naturæ Deiq́ue lege pugnantibus, & quæ manifeſtam criminis enormitatem oſtendunt. Citò ex paruis peccatis, inquit Chryſoſtomus, maxima fiunt negligentia noſtra, quia nemo repentè ad extremam péruenit improbitatem. Cùm parùm peccauerimus vel deſidia torpuerimus, nolimus id vt exiguum deſpicere. Siquidem id neglectũ quamprimùm in immenſum euadet.] Vnde Scriptura quoq́ue teſtatur; *Quaſi à facie colubri fuge peccata. Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Quò magis meum confirmabo pectus, vt iuſti viri Iob ſequar exemplũ, qui timens

Deum

Deum & recedens à malo deſcribitur, vtque cum Zacharia & vxore eius Elizabetha in omnibus DEI mandatis ſine crimine & quærela verſer. Hoc enim eſt quod Apoſtolus à fidelibus omnibus exigit, iubens eos cum metu & tremore ſuam ſalutem operari, & ſicut ſimplices Dei filios viuere ſine querela & reprehenſione. Præterea deplorabo communem miſeramque ſortem filiorum huius ſeculi, qui concupiſcentiæ malæ vino velut ebrij, & rerum ferè diuinarum obliti, duntaxat quæ ſunt ante oculos vident & curant, de futuræ interim vitæ ſtatu & electorum fœlicitate, quam breui labore conſequi poterant, nunquàm aut modicè quidem ſolliciti. His ego commiſerans acclamabo: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sed & operam dabo, vt regulam illam ſeruem Apoſtolicam: *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit.* Pugnabo aduerſus noxia ſenſuum oblectamenta, nè vitam cum beſtijs cõmunem tãtùm degere videar, & præcipuè bellũ inſtruam cõtra tres immaniſsimas belluas in mundo graſſantes, ambitionem ſiue ſuperbiam, cupiditatem vel auaritiam, & libidinem ſiue luxuriam. Nam hi malorum omnium fontes, & occultæ animorum peſtes ſunt, quæ nũquàm nõ mortalibus inſidiantur, & plurimos quidem in clero & populo à Deo Deique regno abſtrahunt, atque in perpetuum exitium quotidiè præcipitant. *Caro quippe*, quæ hîc velut in patria ſuum explere deſiderium cupit, *concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcunq; vultis, ea faciatis*, Apoſtolo teſte. *Quæ concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Ab hac morte qui ſeruus manet concupiſcentiæ, nunquàm ſe vindicare, & ad veram vitã redire poteſt. Demum ſæpè ac multùm expendam, qui praui affectus, quæ carnis deſideria in me potiſsimùm hæreant: ita rectiùs obſeruauero quod Paulus iniungit: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis*

Luc. 1.
Philip. 2.
Pſal. 4.
2. Tim. 2.
Gal. 5.
Iacob. 1.
Rom. 6.

cõcupiſcentijs eius. Semper autem de retibus mihi relinquendis curam habebo, hoc eſt, vt præcipua meæ vocationis & ſalutis impedimenta norim atque abijciam. Deinde vt mihi & veteri Adæ vim ſalutarem, ſine qua regnum DEI nequit obtineri, cum zelo ſancto inferã, adlaborabo. Ita enim Chriſtus ipſe teſtatur: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Hûc ſpectabit, vt mihi velut indomito equo, frenum inijciam, & ſæpè dicam illud: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

PRECANDVS eſt mihi DEVS, vt omnes Eccleſiæ ordines vocationis ſuæ terminos norint & obſeruent, vtq́; ſuæ vocationis authori ac fini Deo, cum timore & iuſtitia ſeruire cõtendant. Nam & Paulus in omnibus Eccleſiis docet, vnumquemq́; ſicut vocauit Deus, ita ambulare oportere.

PETAM inſuper diuinæ gratiæ præſidium, quo vehementer egeo, ad vocationis meæ rationem rectè inſtituendam, & ad impedimenta quæ mihi ſeſe in eâdem vocatione offerunt, magis magisq́; ſuperanda, nè à propoſita cœna cœleſtis fœlicitatis per curas & occupationes temporarias auocer & abducar.

ORABO etiam, vt me tueri & vindicare poſſim aduerſus inſanas cupiditates, malorum vitiorum omnium radices, ac præcipuè quidem contra omnem inordinatum huius mundi rerumq́; fluxarum amorem, ſicut & contra meorum ſenſuum pernicioſam curioſitatem atq́; vanitatem, neq́; minùs contra ſpiritum fornicationis, per quem fideles mancipia fiunt libidinis, & templa conſecrata Spiritui ſancto violant, quandoquidem vaſa ſua, vt Paulus loquitur, in ſanctificatione & honore non poſſident.

DOMINI-



DOMINICA III. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIO declaratur, quàm ſit ingens Chriſti erga nos immerentes bonitas & miſericordia, quandoquidem ſe publicanis etiam, qui apud Iudæos erant infames, alijsque ſceleratis clementem ac familiarem exhibet. Cùm autem idcircò Phariſæi inuidi obmurmurarent, duabus parabolis id agit Chriſtus, vt falſa illorum iuſtitia indignationis & amarulentiæ plena redarguatur, ſimulque appareat dignum & præclarum eſſe ſtudium, quod peccatoribus vel maximis benignè tractandis, & ad pœnitentiam reducendis impenditur. Eſt hoc proprium Meſsiæ officium, calamum quaſſatum conterere, & linum fumigans non extinguere, omnesque laborantes & oneratos reficere atque ſubleuare, modò ad ipſum cum iſtis publicanis cupidi & ſtudioſi veræ ſalutis accedant. Prior parabola eſt de paſtore valdè ſollicito in oue perdita requirenda, & ad ouile cum gaudio reducenda. Altera proponit mulierem induſtriam, quæ drachmam perditam indefeſsè quærit, donec eam inueniat, indeq; ſibi & vicinis nouum gaudium creat. Vbi non obſcurè confirmatur articulus fidei de remiſsione peccatorum, ac præterea virtus & vtilitas pœnitentiæ, ſicut & Chriſti atque Angelorum charitas erga peccatores nobis declaratur. Quòd ſi flagitiorum conuerſio & pœnitentia ſingulare in cœlis gaudium gignit, quid mirum quæſo, peculiares ferias ab Eccleſia inſtitui & celebrari, in quibus

Iſai. 42. Matth. 12. & 11.

fideles de perfecta Sanctorum pœnitentia, æternaq; gloria Christo, ſibi & illis publicè congratulentur?

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium, Luc. XV.

ERANT appropinquantes IESV *publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocat amicos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat? Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem? ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram? Ita dico vobis, gaudium erit coràm Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Erant appropinquantes IESV *Publicani & peccatores, vt audirent illum.*

QVOD Chriſtus Dominus tanquàm Agnus inter lupos degit, & cum ſceleratis tam benignè familiariterquè verſatur, ſicut hiſtoria Euangelica ſæpè teſtatur: id tantò mihi ac fidelibus omnibus debet eſſe gratius & charius, quantò à ſuperbis quidem Phariſæis hoc ſingulare charitatis officium indigniùs accuſatur, ac ſæpiùs publicè reprehenditur. Et publicanorum quidem nomen non modò Iudæis, ſed etiam Græcis infenſiſſimum ac planè odioſum erat, ita vt illi ob notam auaritiam & iniquitatem, nè dicam & rapacitatem, haberentur infames, & à magiſtratibus publicis arcerētur. Nec parum illis augebat inuidiam, quòd à Romanis conſtituti, vectigal & tributum à Dei populo exigerent nomine Imperatoris, atq; idcircò libertatis aſylum effugere viderentur. De his accipere poſſumus Iſaiæ ſententiam: *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt.* Nec dubium, ex hoc hominum ordine Matthæum, Zachęum multosquè alios ad Chriſtum conuerſos extitiſſe. Quicquid autem de his hominibus Iudæi eorumquè Phariſæi ſentiāt & loquantur, Chriſto nos gratias agere par eſt, qui vt Euangelicæ gratiæ cunctis communicandæ typum ederet, hoc inuiſum genus hominum ſibi conciliauit, tantoq; maiorem ſpem præbuit de miſericordia Dei à Iudæis ad Gentes breui transferenda. Proinde cum Paulo iure gloriamur: Habentes Pontificem magnum IESVM Filium Dei, qui poſsit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimili-

Iſai.3. Matth.9. Luc.19. Heb.4.

tudine abſque peccato. Is plenus gratia & veritate, venit vocare non iuſtos ſed peccatores, iamque factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Is ardētis charitatis & raræ miſericordiæ ſpecimen exhibiturus, communem, non ſeparatam in mundo vitam elegit, pauperes diſcipulos velut domeſticos inſtituendos accepit, ſe manſuetum vt agnum cunctis præbuit, frequentem congreſſum etiam cum vilibus & deſpectis mortalibus habuit, ſine delectu ſeruire omnibus voluit, nec ſolùm docendo, ſed etiam peregrinando, ſe totum peccatoribus ad meliorem frugem conuertendis impendit, propter illos ipſos demum Apoſtolicū munus inſtituit. *Venit* inquit, *filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Miſericordiam volo, & nō ſacrificium. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et quia non eſt ſeruus maior Domino ſuo, hoc tanti præceptoris exemplo diſcam de proximis benèmereri, & in curanda illorum ſalute ſedulò aduigilare, quicquid tandem æmuli calumnientur. Inprimis autem mihi cauebo à ſupercilio Phariſæorum, qui quanto ſibiipſis placent magis, tanto indignius alios iudicant & auerſantur. Chriſtianū eſt officium, cenſorem aliorum candidum agere, & compaſſione quadam & miſericordia erga criminoſos affici, nec ſe illis exhibere ſeuerum ac rigidum. Habet enim illîc locum Apoſtolica ſententia: *Tu quis es qui iudicas proximum? Qui detrahit fratri, atq; iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem.* Eadem fuit lenitas in Paulo ſic admonente: *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum,* hoc eſt, lapſum poteſt erigere, ac ſtantem confirmare, cùm & quoties ei viſum fuerit. Nihil enim eſt difficile omnipotenti, *qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt,* eodem Apoſtolo teſte. Poteſt & Chriſtus ex lapidibus Abrahæ filios excitare, & Lazarum licet quatriduanum, adeoque in ſepulchro ſuo fœtentem, ad vitam reſuſcitare, & præterea ex la-

trone ſerò pœnitente primum paradiſi incolam facere. Ad- Luc 23.
hæc diſco eos, qui grauiter peccando lapſi ſunt, exemplo Domini mei molliter potius quàm durè aſperèque tractare, & ſicut Paulus præcipit, inſtruere ſeu reficere illos in ſpiritu le- Galat.6.
nitatis. Demum ad fraternæ charitatis officium hîc prouocor, vt de lapſis benmereri ſtudeam, errantes in viam conſilio & ope reducam, reſipiſcentibus ex animo gratuler, & ob illorum conuerſionem gratias Deo agam ſingulares. Etenim ad homines verè ſpirituales, ſicut vocat Paulus, perti- Galat.6.
net, infirmitatem humanam, quia certè labiles & proni ad peccandum omnes ſumus, agnoſcere, peccanti commiſereri & compati, extenuare potius quàm aggrauare culpam alienam: demum illius officium ſequi, qui tametſi ſit potentiſſimus, tamen conſolando Paracleti nomen accepit.

CAETERUM quia non omnibus, immò paucis datum eſt, vt cum improbis & peſtilentibus ſecurè vtiliterquè verſentur, ac Paulinum præceptum extat, vt nos ipſos ab omni 2.Theſſ.3.
fratre qui inordinatè ambulat, ſubſtrahamus, optimi Tobiæ Tob.1.
ſequar exemplum, qui ab impiorum & prauorum conſortio prudenter ſeſe ſubduxit. Cùm enim irent omnes ad vitulos aureos à Ieroboam fabricatos, hic ſolus fugiebat conſortia malarum: & pergebat in Hieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Deum. Teſtatur de ſe quoquè Propheta regius: *Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Eòquè magis meminero, Ioannem primis iniunxiſſe fi- Pſal.100.
delibus, vt cum doctrinæ peruerſæ profeſſoribus nullum 2.Ioan.1.
commercium haberent, & nec eos quidem ſalutarent. Nam veriſsimè dixit Salomon: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus verò ſtultorũ ſimilis efficietur.* Sicut alius quoq; Prou.13.
Sapiens monuit: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Neq; mihi vn- Eccleſ.13.
quàm arrogabo munus alios reprehendendi ac vituperandi, ſed quod Paulus Epiſcopo, doctoribus & magiſtratibus commendauit; mihi ac priuatis fidelibus dictum non eſſe putabo, nimirùm: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæte-* 1.Tim.5.

ri timo-

ri timorem habeant. Siquidem eodem capite idem Apoſtolus mandat: *Seniorem nè increpaueris, ſed obſecra vt Patrem.* Ac rurſùs alibi docet, vt nō ſolùm honore nos inuicem præueniamus, ſed etiam vt magiſtratibus tributum, vectigal, timorem & honorem bona fide reddamus. Dabo inſuper operam, cùm locus & tempus ita ferent, vt ex charitate non ficta Chriſti præceptum de fratre quem peccaſſe conſtat, corripiendo non negligam, ſi illum aut poſsim aut ſperem lucrifacere. *E*xtat & Apoſtolicum decretum de malis aliquando arguendis, immò & ſaluandis, & de igne rapiendis, quos falſa impiaq; doctrina iam adûſſit ſiue peruertit. Nullum enim ſacrificium omnipotenti Deo gratius eſt, ſi Gregorio Magno credimus, zelo animarum, quas authori ſuo Deo ſacrificare, Chriſtoque paſtori velut oues perditas reſtituere, verè pijs cōuenit, ſi ſolùm zelus ille modum obſeruet, & ex charitate debita proficiſcatur, nè alioquin cum Paulo dici queat: *Aemulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiā.* Veriſſimè docet Iacobus *A*poſtolus; *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Demum præſentes in Euangelio publicani & peccatores manifeſti me in via Dei ſępè dormientem excitant, immò & commonefaciunt, quòd ab illorum veſtigijs ſæpè diſcedam. *E*tenim vocationis ſuæ tempus agnoſcunt, & ad verbū Dei audiendum ſimul & cuſtodiendum vltrò ſe colligunt, ægroti ad illum properant medicum, *qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, non ſolùm vt fidem diſcant, ſed & relictis peccatis Euangelicæ pœnitentiæ doctrinam amplectantur, & credentes ſimul & pœnitentes per Chriſtum offenſo Deo reconcilientur. Ita illi reipſa complent quod ſcriptum extat: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt: inuocate eum dum propè eſt. Appropinquate Deo & appropinquabit vobis. Conuertimini ad me & conuertar ad vos.* Verùm de pœnitentibus nos poſtea fuſiùs.

Et mur

Et murmurabant Phariſæi & Scribæ dicentes, Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

MORDAX, inuidum & virulentum planè eſt hoc Phariſæorum genus, qui Chriſti tum dicta tum facta nunquàm non calumniantur, nihil vt candoris, & charitatis, & æquitatis oſtẽdant, ſed amarulentia, obtrectatione & criminatione ſuam profeſsionem mirè defœdent, in ſuis quidem vitijs agnoſcendis perpetuò cæcutientes, in aliena verò vita exploranda vt curioſiſſimi, ita & iniquiſſimi iudices. Adeò nihil illos commouebat grauis illa Dei interminatio: ***Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*** Iſai.5. Deplorabo autem iſtos, qui hoc Phariſaicum ſupercilium & calumniandi inſtitutũ noſtro æuo ſectantur, quoniã complures æquè in bonis ac malis aliorum dictis & factis accuſandis & vituperandis ſibi permittunt plurimùm. Quod vitium ego quidem tantò magis mihi fugiendum putabo, quantò grauius illud Deum qui ſolus renes & corda ſcrutatur offendit, quantòq; peſtilentiùs charitatem, quæ patiens & benigna ſuper iniquitate non gaudet, extinguit, hominemque ab omni humanitate alienum efficit. 1 Cor.13. Nec ſcripturæ deſunt exempla quæ doceant, murmurantium & obtrectantiũ peccata diuinitus caſtigari. Murmurauit [a] Maria, & Moyſi legislatori detraxit, ſed idcircò fœdæ lepræ morbo punita. a Num.12. Detraxerunt principes [b] Hieremiæ Prophetæ apud regẽ Sedechiam. b Hier.38. Simon [c] Oniæ Pontifici ſtruxit calumniam, & 2.Mach.4. apud regem Darium ſatrapæ [d] Danieli Prophetæ per meram Dan.3.& 6. inuidiam obtrectârunt, quòd alienæ fœlicitati peſsimè inuiderent: nec impunè tulit illorum maledicentiam Deus. Peccârunt hîc etiam Iſraëlitæ ad murmurandum valdè procliues, Num. 11. 13. 14. & 33. ſed tam grauiter à Deo caſtigati, vt Paulus apertè ſcribat: *Nè murmurauerítis, ſicut quidam* (ex veteribus nempè Iſraëlitis) *murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* 1.Cor.10. Quarè cum Dauid Propheta dicam: *Detrahentem ſecretò proxi-* Pſal.100.

mo ſuo

mo ſuo, hunc perſequebar, quum nempe à ſummo Deo mandatum ſit: *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.* Ac iterum ſcriptum lego: *Cum detractoribus nè commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum.* Nulla igitur mihi pars erit cum hoc infœlici hominum genere, qui cùm ſeipſos neſciant, alios rectè cognoſcere & reprehendere non poſſunt, ira & odio (peſsimis conſultoribus) inflammati, lingua ſerpentina inſtructi, liuore obcæcati, Deo demum & hominibus execrabiles, præſertim qui calumnijs & obtrectatione proximi famam lædunt & exiſtimationem. Quid quæſo ſtultius ac indignius, præterquàm lingua (tam nobili membro) non ad Dei laudem ſed iniuriam, neque ad veritatis confeſsionem proximique vtilitatem, ſed ad mendacium, fraudem & obtrectationem abuti, & eâdem lingua qua bendicimus Deum & Patrem, maledicere homines, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt, ita vt fons de eodem foramine emanet dulcem & amaram aquam, ſicut Iacobus Apoſtolus loqui nos docuit? Quòd ſi de verbis etiã otioſè prolatis Deo iudici, quo nihil æquius, ratio mihi reddenda eſt, qua fronte coram illius tribunali reſpondebo de verbis non modò vanis & inutilibus, ſed etiam maledicis, obtrectatorijs atq; mendacibus petulanter effuſis; & quam illorum veniam conſequar, niſi læſo fratri priùs ſatisfaciam, de cuius dignitate & fama detraxi? Cur in mentem non reuoco, quod futurus ipſe iudex vnumquemque noſtrum præmonuit: *Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis?* Eoque magis ac diligentiùs Propheticam illam vocem ſequar: *Dixi, cuſtodiam vias meas vt non delinquam in in lingua mea Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Etenim vt Iacobus admonet, *ſi quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, huius vana eſt religio.* Et Chriſtus ipſe teſtatur: *Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala.*

QVANTVMVIS autem angar atque diſcrucier animo, tamen

tamen ſingularem inde conſolationem percipiam, quòd hîc audiam, Chriſtum quamlibet innocentem ac irreprehenſibilem, vltrò ac libenter agere cum peccatoribus etiam valdè criminoſis, & omni turpitudinis genere coopertis. Hos ille amanter vndicunquè vocat & inuitat, hos venientes alacriter excipit, exceptos inſtruit, & familiariter complectitur, eoſdem accuſatos aduerſus æmulos ac obtrectatores defendit, mœſtos conſolatur, iniquos iuſtificat, ac tantùm non perditos ſaluat. Hic igitur cum *Paulo* dicam: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus* IESVS *qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui & eſt ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergò nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Ac nè vnquàm ab hac fidei & ſpei Chriſtianæ anchora diuellamur, idē Paulus qui ſe primum peccatorum appellat, tam luculenter aſſeruit: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus: quòd Chriſtus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Is ipſe ad indulgentiam magis quàm ad vindictam eſt vſquè propenſus, & peccatores omnes æterno Patri cupit reconciliare, ſuumquè populum à peccatis redimere, ad totum nempè hominem in anima & corpore perfectè reſtituendum. Adhæc meam in Chriſtum fiduciam alet, quod idem quotidiè manducat cum peccatoribus, eoſquè diuinæ menſæ ſuæ ſocios & conuiuas habere dignatur. Siquidem vt eos ipſos carnis ſuæ delicijs paſcat & ſaturet, digniſſimum Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit, ſeque velut hoſpitem præbens ad hanc menſam accedentibus: *Accipite* inquit, *& manducate; hoc facite in meam commemorationem.* Igitur in hunc vſquè diem impletur illud Prophetæ vaticinium: *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum*, quemadmodum iam antè fuſiùs tractatum eſt. Quoties autem ad ſacram ſynaxin acceſſero, harum parabolarum de oue aberrante & per paſtorem ſuum recuperata, dequè drachma in domo amiſſa & per mulierem rurſus inuenta meminero, ac meam animam talem ouem &

Rom. 8.

1. Tim. 1.

Matth. 26.

Pſal. 21.

drachmam eſſe cogitabo. Sed ô paſtorem bonum! eiuſmodi oue perdita ſedulò requirenda, & ſuper humeros ſuos in ouile fideliter nec ſine dolore maximo deportanda? O diuinam ſapientiam, quæ inſtar prouidæ induſtriæq; matronæ tam multa tentauit, tam laborioſè quæſiuit, donec drachmam amiſſam recuperaret. Quid ouis eſt perdita quæſo, niſi natura humana, quam filius Dei ex virgine filius hominis factus, reparauit ſanguine ſuo, & vſque in cœlos extulit, magisquè in hoc opere ſuo quàm in Angelis creatis vſquè lætatur, iamquè ſibi homines in cœleſtibus facit conſidere? Quapropter ex animo deſiderabo, & pro virili etiam procurabo, vt ex paſtoris huius, qui ouem perditam reſtituit, amicis & vicinis eſſe queam, illudq; præceptum exequar: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quam perdideram.* Congratulor autem, ſacrificium confeſsionis & laudis offerens Patri propter Filium, qui ſe in cruce pro nobis immaculatam hoſtiam obtulit, vt Paulus loquitur, in odorem ſuauitatis. Quare Pſalmographi ſequar exemplum, qui ſacrificium laudis amauit plurimùm, & de illo dixit: *Dirupiſti Domine vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* Congratulabor etiam Filio Dei, præſertim in Miſſæ ſacrificio, reuerēter agens gratias, quòd ſeipſum ille totũ mihi ac ſeruis omnibus licet indignis redimendis, tanta charitate impenderit, ſuamquè animam pro nobis poſuerit, vt ad ipſum Paſtorem & Epiſcopum animarum conuerſi, ac peccatis mortui, iuſtitiæ perpetuò viueremus. Hic enim eſt, quem Paulus nobis commendat, quòd populum Dei per ſanguinem ſuum ſanctificârit, & de quo credentes omnes idem hortatur: *Per ipſum* (Chriſtum) *offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Itaquè Chriſto paſtori & Pont. Opt. Max. qui heri & hodie & in ſecula perſeuerat, quiquè ad altare quotidiè pro nobis offertur, vnà cum ſanctis & electis omnibus congratulabor: quoniam per illum acceſſum habemus ad Patrem, & ſtamus in gratia, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Dei. Ac meritò quidem huic noſtræ fidei ac ſalutis authori ac vindici congratulamur, verſantes in hoc verno tempore gratiæ, & præſente iam anno Iubilæi fruentes, quando ſubactis per Chriſtum hoſtibus, licet electis ſancto otio & ſpirituali gaudio vacare, quemadmodum Iſaias Eccleſiam vniuerſam admonet dicens: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Nec diſpar eſt Pauli hortatio: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Iſai.12. Philip.4.

Ita dico vobis, gaudium erit coràm Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

DEMIRABOR, peccatoris vnius, licet abiectiſsimæ ſortis, ſicut & precantis in templo publicani pœnitentiam tanti momenti eſſe rem, vt commune feſtū & ingens gaudium Angelis creet in cœlo, ouiumq́ue paſtorē Chriſtum ipſum permoueat ad peregrinationem & longiſsimam & difficillimam ſubeundam. Venit enim de ſummo cœlo in hanc omnis miſeriæ vallem, in hoc incultum horridumq́ue deſertū, quod plenum eſt latronibus. Venit ad labores & dolores plurimos ac maximos per omnem vitam exantlandos, ob amorem ſcilicet vnius errantis ouiculæ, quam cùm ſuis humeris impoſuiſſet, ad ouile reducit, ac totus exultat, multosq́ue alios & homines & Angelos ſecum exultare mandat. Hinc ego ſanctæ pœnitentiæ dignitatem atq; vtilitatem nouo ſtudio, maioreq́ue contentione complectar, ac tali virtuti, quam ignorauerunt ethnici, partim in me qui quotidiè pecco, exercitandæ, partim in alijs excitandæ & promouendæ diligentiorem poſthac operā dabo. Tum hanc noſtram ætatem ſceleribus inquinatiſsimā deplorabo; (omnis enim caro corrupit viam ſuam) quandoquidem ſine timore, ſine pœnitentia tam licenter & impunè peccatur, vt pœnitentia interior ſimul & exterior, priuata & publica, tum & ea quæ ſacramentalis dicitur, tantùm non exulare, paucisq́ue commendata, aut certè quidem frugifera & perfecta eſſe videa- Luc.18. Geneſ.6.

tur. Dolebo autem, preciosiſſimam pœnitentiæ herbam in agris noſtris incultam iacere & exareſcere partim concionatorum, partim auditorum ſeu communium fidelium vitio & corruptela. Videmus enim plærosqúe concionatores (de Catholicis loquor) in Chriſti gratia credentibus commendanda vehementes, ſed in pœnis peccatorum denunciandis, & in ira Dei proponenda tam flaccidos & languidos eſſe, vt meritò cum Ieremia queramur de præſenti Eccleſia: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas & eiectiones*. Tum apud Iſaiam & Ezechielē extat queremonia, quòd Pſeudoprophetæ dulcia pollicerentur, & ſua blandiloquentia vulgi augerent licentiam, pacem falsò illis denunciantes. Sed & communis populus eſt mihi deplorandus, qui vt nouo ſectariorum fermento vitiatus, & ſuapte ſponte ad omnem luxum licentiamqúe procliuis eſt, ita doctrinam & diſciplinam pœnitentiæ vix audire ſuſtinet, eiusqúe vſum mirum in modum refugit & exhorret, perinde ac ſi dicat ſynceris concionatoribus: *Nolite adſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores*. Eòqúe magis mihi cum clero & populo precandus eſt Deus, vt eiuſmodi pœnitentiæ profeſſores largiatur Eccleſiæ, quales olim Prophetæ, Apoſtoli, & Ioannes Baptiſta, maximo cum fructu audientium extiterunt. Si enim vnquàm antea, nunc maximè quidem clamantis Dei vocibus indigemus, qui in hoc vaſto & horrido mundi deſerto ſanctæ pœnitentiæ doctrinam vrgeant, ac enormiter peccantes terreant, eosqúe ad humilē confeſſionem adducant. Nam & Ioannis auditores inde commendantur, quòd peccata ſua confiterentur, ſicut & credentes Apoſtolis *veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos*.

ET quoniam ſectariorum nunc eſt proprium, vt ab Eccleſiæ fide alieni, peccatores nunquàm nō conſolentur, etiamſi nondum lugeant, vtque ſynceram de pœnitentiā doctrinam fœdis inuoluant erroribus, ab his velut peſtibus ego mihi

caueb o

cauebo maximè, nec vllum concedam locum iis, qui ex tribus pœnitentiæ partibus Contritione, Confeſſione & Satisfactione nè vnam quidem nobis relinquunt integrã, & præterea iubent homines quamlibet criminibus magnis grauatos, certò ſecum ſtatuere, ſe in Dei gratia eſſe, ſibique remitti peccata propter mediatorem fide apprehenſum, etiamſi claues Eccleſiæ & peccatorum enumeratio non adhibeantur. Tantòq; magis in promptu habebo Scripturæ teſtimonia, quæ nobis credentibus pœnitentiam, vti rem ſanctam, ſalutarem ac neceſſariã, ex ipſo Dei ore commendant, quæque luculenter docent, remiſſionem peccatorum non niſi pœnitentibus & conuerſis promitti ac tribui. *Verbum* enim *Domini manet in æternum*, nec poteſt ſolui Scriptura, pœnitentiam à peccatoribus Deo reconciliandis exigens. *Si pœnitentiam* inquit, *egerit Gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiã ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq; iudicium & iuſtitiam, nec fecerit quicquam iniuſtum, vita viuet, & non morietur*. Sed & apertæ Chriſti ſunt ſententiæ: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Veni vocare peccatores ad pœnitentiam. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Quocirca idem Dominus Galileæ ciuitatibus palàm exprobrat, quòd in cilicio & cinere pœnitentiam non egiſſent, ſicut egerunt Niniuitæ, cùm territis Ionæ prædicationem audiſſent. Præterea iubet Apoſtolis, vt in ſuo nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum prædicent in omnes gentes, ac eiſdem Apoſtolis ad remittenda & retinenda peccata tribuit facultatem. Vt hinc etiam princeps Apoſtolorum dixerit: *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*. Poſtremò ex Bernardo mecum reputabo ſæpiùs, nos ad remiſſionem peccatorum conſequendam tribus reconciliari oportere, nimirùm hominibus, Angelis & Deo. Et hominibus quidem reconcilior, quando cum offenſo fratre in gratiam redeo, ſecundùm illud: *Vade priùs recõciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*;

Iſai.40. Ioan.10. Ierem.18. Ezech 18. Matth.4. Luc.5. Luc.13. Luc.24. Ioan.20. Matth.18. Actor.3. In lib. vtiliũ ſententiarum Matth.5.

quando inſuper in confeſsione ſacerdoti facta beneficium abſolutionis impetro, certumq́ue ſignum me ſanctæ matri Eccleſiæ reconciliatum eſſe demonſtro, iuxta illud: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus*. Angelis autem quos peccando itidem offendi, reconcilior, cùm aſſumptæ pœnitentiæ zelum illis vtiq́ue gratum reipſa declaro. Vt enim præſens docet Euangelium, *gaudium eſt Angelis in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Quod explicans Ambroſius monet, Angelos in hominum redemptione lætari, & fidelem omnem credere debere, ſuam conuerſionem Angelorum cœtibus gratã eſſe, quorum & affectare patrocinium, & vereri offenſam deceat.] Demum immortali Deo, cuius gratiam & gloriam peccando amiſi, ac iram iuſtam promerui, tunc reconcilior, cùm cordis contriti & ſpiritus humiliati ſacrificium, quod ille nunquàm deſpicit, offero, pijsq́ue iuſtitiæ officijs eundem placare contendo. Ita enim loquitur Spiritus ſanctus: *In cubilibus veſtris compungimini, ſacrificate ſacrificium iuſtitiæ. Scindite corda veſtra. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro Catholicis miniſtris atq́; paſtoribus, vt ad peccatorum morbos animosq́; tractandos periti ſint medici; & charitatem atq́; prudentiam neceſſariam præſtent: quando nihil eſt difficilius ac periculoſius, præterquàm animarum ſuſtinere curam, & rationem de illis Chriſto iudici reddere.*

ORABO *etiam, ſalutarem pœnitentiæ vſum & vigorem, qui nunc maximè deſideratur, hoc ferreo ſeculo refloreſcere, in quo tot impunè peccantium greges, & pauci vel publicè vel priuatim pœnitentes inueniuntur. Hinc tam multæ & magnæ hominum calamitates vbiq́; gentium inualeſcunt, quoniam per veram pœnitentiam offenſo Deo peccatores non reconciliantur, & ſine timore peccare pergunt plurimi, atq́; impœnitentes pereunt in ſempiternum. Horum ſingulis Paulus acclamat:* An diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnis?

ras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit?

RSVS diuinam implorabo gratiam, peccata mea tum ag-ndi, tum dignis pœnitentiæ fructibus expiandi, vt purgatus c vita ad cœleſtem patriam, quæ puras mentes duntaxat ttit, euolem. Non enim habitabit iuxta te malignus, *in- Dauid*, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Apoc. 21. Pſal 5.

OMINICA IV. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

VANGELIVM hoc vndique charitatem ſpirat, & ſi-cuti cœleſtis Patris miſericordiam commendat, ſic manam immiſericordiam, ſiue inhumanitatem, cum terna charitate pugnantem, apertè improbat atq; ve-. Qui verò germani ſunt filij Dei, vtrique Patris ſui ſe-untur indolem, non temerè iudicant, minusque con-mnant proximum in his, quæ per Chriſtianam lenita-m atque modeſtiam vllo modo excuſari poſſunt. Rur-s illi ſi quando ab alijs offendantur, vel non rogati li-nter ignoſcunt, & quacunque ratione licebit, indigen-ous alijs tum corporalia, tum ſpiritualia miſericordiæ era non grauatim impendunt. Sunt enim duo præci-a miſericordiæ opera, quibus ſuam vocationem or-nt, Deumque licet iratum placant Chriſtiani. Primum ignoſcendum, alterum ad præſtandum proximo be-ficium ſpectat: plus verò in ignoſcendo quàm in dan-o ſitum eſt. Peculiariter autem Chriſtus nos admonet,

quam ſe facilem Deus oſtendat, ſed; libenter nobis conformet, vtpote ignoſcens ignoſcentibus, & miſericordibus clemens, viciſsim autem duris & inhumanis ſummè rigidus perpetuòque ſeuerus. Quam propriam Dei naturam ſatis agnouit, qui hoc modo cantauit: Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.] Etenim idem peruerſis & obſtinatis eſt adeò terribilis, vt de ſe ipſo pronunciet: Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via: occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & conſumam eos ibi quaſi leo, beſtia agri ſcindet eos.] Præterea Chriſtus hoc loco in hypocritas inuehitur, iuſtè illos verberans, qui ad ſua vitia conniuentes, ſibiq; nimiùm blandientes aliena errata numerare & exaggerare gaudent, quiq; ab omni charitate alieni, cæterorum auſteri cenſores & accuſatores potiùs quàm in ſuis curandis animorum morbis ſeduli medici & æqui iudices eſſe ſolent. Ex hoc ipſo Euangelio ſibi vſurpauit, quod prouerbij loco ſcitè dixit Tertullianus: Stipulā quis in alieno oculo faciliùs perſpicit quàm in ſuo trabē.] Cùm autem opera miſericordiæ, vt vocamus, latiſsimè pateant, quæ hoc Euangelio præcipuè commendantur, elegantem Auguſtini locum adſcribam, vt quilibet de illis rectiùs cognoſcere ac iudicare poſsit. Ad omnia inquit, quæ vtili miſericordia fiūt, valet quod Dominus ait: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.] Non ſolùm autem qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti: verùmetiam & qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læſus eſt aut offenſus, dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, non ſolùm in eo quod dimittit atque orat, verùmetiam in eo

quod corrigit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati, quia ipſi ſibi inueniuntur eſſe inimici, amici verò eorum potiùs illi quos inimicos putant, & reddũt errando mala pro bonis, cùm reddere mala Chriſtianus non debeat pro malis. Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis noſtra peccata.]

EIVSDEM DOMINICAE Euangelium. Luc. VI.

ESTOTE miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Menſuram bonam & confertam & coagitatã & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eâdem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & ſimilitudinem. Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonnè ambo in foueam cadunt? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem quæ in oculo tuo eſt non conſideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine, eijciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita eijce primùm trabẽ de oculo tuo: & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

GRATIAS imprimis agam Chriſto Domino vti clementiſsimo Samaritano, qui plenus miſericordia, ad nos miſerrimos de ſummo cœlo deſcendit, nec minùs opere quàm verbo perfectam docuit charitatem. Quæ charitas mater eſt & regina virtutum, legis & Prophetarum ſumma, præceptorumque omnium primum & maximum. Cuiuſcemodi matris prænobilis, nec ſatis laudata vnquàm filia exiſtit miſericordia, per quam alius alij ex animo compatitur, & quibuscunque poteſt modis fideliter ſubuenire contendit. Auguſtinus pro eodem cenſet miſericordiam facere, & eleemoſynam dare, rectèque Chryſoſtomus monet, eleemoſynam non propriè dici, ſi pecuniam vel opes egenti tribuas, ſed ſi cum miſericordia ſeu ex commiſerationis affectu tribuas. Nec temerè notat Gregorius, plus eſſe aliquando, ſi ex corde compatiâris, quàm ſi eleemoſynam conferas: illum autem cum laude & perfectè tribuere, qui cùm pecuniam afflicto porrigit, afflicti quoque animum in ſe ſuſtinet. Apud Ambroſium ita legimus: Miſericordiæ communis eſt vſus: ideò commune præceptum, quæ omnibus officijs, omnibus ætatibus neceſſaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola vel vrbanus, diues & pauper: omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti. Miſericordia enim plenitudo virtutum eſt. Nihil tam commendat Chriſtianam animam quàm miſericordia.] His conſonat Gregorius Nazianzenus, nullam omninò rem eſſe inquiens, quæ Dei beneuo-

lentiam

lentiam pe inde hominu conciliet ac miſericordiam, nec vlla alij rei potius quàm humanitati & commiſerationi, à Deo commiſerationem & humanitatem rependi ſolere. Hanc ergò miſericordiæ virtutem, quam Chriſtus in hodierno Euangelio præcipit & inculcat omnibus, quam Patres tantopere comprobant, ac mirãtur etiam ethnici, pulcherrimum ſanè hominis ornamentum, ego inprimis mihi commendatam habebo, ac laborem nullum, nullamqúe moleſtiã ſubterfugiam, modò periclitanti aut indigenti proximo meo ſpirituali vel corporali ope ſuccurrere, & de illo benemereri poſſim. Quod vt propenſiùs ac diligentiùs faciam, cœleſtis æternique Patris exemplum, ſicut Chriſtus hîc me docet, ſæpè multumqúe in animum reuocabo, *Vt ſitis* inquit, *filij Patris mei qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*. Ac iterum: *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, vt pereat vnus de puſillis iſtis*. Vnde Propheta regius in Pſalmis toties repetit, nobiſq; commendat hanc incredibilem & incomparabilem Dei miſericordiam, qua plena eſt terra, quæ in ſeculum ſeu perpetuò durat, & quam omnes in cœlo & terra debent celebrare. *Miſerator* inquit, *& miſericors Dominus, patiens & multùm miſericors. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Huic ineffabili ac immenſæ miſericordiæ feram acceptum, quòd cùm non eſſem, ſim conditus, cumqúe periiſſem, per Chriſti ſanguinem reſtitutus, ad Chriſtianam perueni gratiam, ac in meis etiam peccatis Deum mihi fauentem, exſpectantem, reuocantem atq; benefacientem in hunc vſqúe diem ſentiam. Nihil ergò mirum, quòd Paulus hunc ipſum vocet *Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione*, qui præterea in ſcripturis pater orphanorum & iudex viduarum ſolet appellari.

Matth.5.

Matth.18.

Pſal.32. 118. & 106.

Pſal.144.

2.Cor.1.

Pſal.67.

Exod.22.

QVAPROPTER non leuiter mihi ponderandum eſt præceptum illud: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*, quemadmodũ & doctor Gentium dixit: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione.* Dolebo interim, nos *Adæ* filios adeò inhumanos, duros & ferreos eſſe, vt huius præcepti, quod alioquin natura humanis infixit cordibus, indigeamus, quandoquidem ad imaginem & ſimilitudinem *Dei* conditi, à paterna illa indole & amore fraterno degenerauimus, vt multis iam beſtijs inter ſe pacificè & manſuetè viuentibus, longè ſtupidiores ac efferatiores facti eſſe videamur. Etenim *omne animal diligit ſimile ſibi, omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur*, vt ſcripſit Eccleſiaſticus: nihilq́; tam ſecundùm naturam eſt, quàm iuuare conſortem naturæ, Ambroſio teſte. Nunc verò nos mundum, proh dolor ac pudor, ab omni miſericordia & charitate alienum experimur, quandoquidem iuxta *Chriſti* vaticinium abundauit iniquitas, & refrixit charitas, & tempora ſunt illa periculoſa, quibus homines ſe ipſos amant, & voluptatum magis quàm Dei ſunt amatores, vt Paulus diſertè prædixit. Sed & ipſe mihi ſuccenſebo, qui ſecundùm ſynceram, nec ſatis vnquàm commendabilem charitatem ſæpè non ambulo, quin potiùs me velut degenerem *Dei* filium præbeo. Etenim pro charitate, quæ ſui prodiga, & fraterni boni ſemper eſt auida, ſæpè domum meam inuadit malè ſana, verę́que pacis & coniunctionis diſſipatrix cupiditas, & neſcio quos fumos rancoris, amarulentiæ, inuidentiæ ac ſimiliũ affectuum inijcit. Hinc petitam opem egeno facilè denego, & acceptam iniuriam libenter vlciſcor, nonnunquàm & amorem fratris in iram ac odium verto, auſtero Nabal potiùs quàm miti Dauid ſimilis. Scio interim hanc virtutum omnium eſſe principem, legis plenitudinem, iuſtitiæ ſummam, & perfectionis vinculum, charitatem inquam, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, eamq́ue tantoperè neceſſariam, vt ſine illa nihil Deo placere, & in vita homini ſalutiferum eſſe poſſit. Semper enim cum Apoſtolo fateri habeo:

Si cha-

Si charitatem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt, quicquid nempè credam, vel agam vel patiar. Quàm verò friget in me ardens miſericordiæ & charitatis affectus? vt cum Apoſtolo quidem bona conſcientia teſtari non poſsim: *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnia omnibus factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Ac iterum ille: *Ego libentiſſimè impendam* inquit, *& ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar*. Maius & illud eſt, quod idem Apoſtolus ardentem charitatis exceſſum declaraturus, vt Iudæorum & detractatorum perditionem ſui diſpendio auertat, illorumq́ue ſalutem proprio exitio redimat, optat ex animo, ſe pro illis anathema fore, hoc eſt, vt ſi fieri liceret, à cœtu ſanctorum & gloriæ fruitione ſit alienus, illiq́; Deum propitium aſſequantur. *Optabam* ait, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Ita & Moyſes eximio erga rebellem populum amore flagrans dicere non dubitauit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti*. Nec diſſimilis charitas in Dauide floruit, cùm deſideraret pro Abſalone filio, licet ingratiſsimo & peruerſiſſimo, mortem oppetere, vt illum ſcilicet ſua morte à morte liberaret: Quàm verò inſignis miſericordia in Zachæo refulſit? qui cùm ditiſſimus & princeps publicanorum foret, vixq́ue Chriſtum cœpiſſet cognoſcere, dimidiam bonorum ſuorum partem pauperibus vltrò erogauit. Quid autem humanius ac liberalius primis fidelibus, ſua omnia ſponte in pauperes profundentibus, & in commune quicquid poſſidebant conferentibus? Tanta illis cura fuit ſpinas & retia relinquendi, illumq́ue Dominum & magiſtrum perfectè ſectandi, à quo traditum eſſe nouerant: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis. Facite vobis, amicos de mammona iniquitatis*. Scrutabor ego vias meas, & omnes perquiram angulos, an domi meæ inſalubris, immò & inexplebilis habendi cupiditas hæreat, & quàm fidus frater-

1.Cor.13.
1.Cor.9.
2.Cor.12.
Rom.9.
Exod.32.
2.Reg.25.
Luc.19.
Actor. 2. & 4.
Luc.11.12. & 16.

fraternusquе meus erga pauperes & calamitoſos affectus vegere ſoleat. Etenim quantò impenſiùs meipſum meumque lucrum & commodum quæro, ſicut plurimi quæ ſua ſunt quærunt, tanto minùs propoſitum diuinæ paternæque miſericordiæ ac pietatis exemplum imitor, & longiùs à canone illo Paulino diſcedo: *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem.*

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & nõ condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis.

DIGNVM ſanè & iuſtum eſt, vt æterna DEI ſapientia Chriſtus à me & renatis omnibus, plus quàm à Iudæis, Turcis ac Ethnicis exigat. Norunt & illi ac docent, fidam inter homines charitatem & miſericordiam conſtare oportere: laudant & beneficos, omneſque alios de pauperibus & ærumnoſis benemerentes extollunt. Cur enim mortales mutuò ſeſe non ament ac iuuent, cùm immanes etiam belluæ naturali quodam miſericordiæ affectu incitatæ, inter ſe agãt humaniter, & amicam quandam coniunctionem retineant & oſtendãt. Proinde Cicero quamuis ethnicus, aſſerere non dubitauit: Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. Nec ignotum eſt poetæ Ouidij carmen: Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis. Cæterùm Chriſtus nunc loquitur verè credentibus, & in Dei filios adoptatis, meritòq; de Patre ſuo cœleſti gloriantibus, quos ad perfectiorem charitatis legem obſeruandam inſtruit & adſtringit, quibus miſericordia duntaxat fructuoſa eſt. His ipſis paulò antè dixerat: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt. Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt: quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt. Et ſi mutuum dederitis*

ritis his a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Verum tamen diligite inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filij Altiſſimi. Neq; contentus Euangelicæ perfectionis magiſter hoc ſubiecisſe: *Eſtote ergò miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt*, qui nempè diligit ſibi aduerſantes, vt iam ſeipſum declaret magis, adiungit, in quo conſiſtat iſthæc miſericordia Chriſtiana, priſcis quidem parùm cognita & minùs exercitata, quam in nouo teſtamento erga proximum perfectiùs præſtare debemus, nè alioquin acceptæ gratiæ iniuriam irrogemus, qui legem gratiæ profitemur. Conſiſtit autem in alijs leniter iudicandis, in remittendis offenſis, & in tribuendis eleemoſynis cum noua ſui cognitione, nouoqúe ſpiritu & conſtanti renouati cordis integritate. In primis enim agnoſcendus eſt proximus, quem iudicare, & de quo benemereri cogitem. Vbi miſſam facere oportet vanam Iudæorum & hominum vulgarium perſuaſionem, qui pro ſuo arbitratu diſcernunt inter circumciſum & incircumciſum, inter domeſticum & externum, inter notum & peregrinum, inter amicum & hoſtem. Atqui Euangelicæ doctrinæ ſectatores quemlibet hominem, cuiuſcunqúe ſit ordinis & conditionis, loco proximi habent atqúe complectuntur, immò & germani fratris inſtar æſtimant. Sciunt enim quod verè Paulus affirmauerit: *Non eſt Iudæus neq; Græcus, non eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus neq; fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto* IESV. Nec ignorant, quemlibet hominem licet inopem, vilem, ſordidum ac inimicum, tantò magis diligendum nobis, quantò certiùs conſtat, eundem beatiſſimæ Trinitatis imagine inſignitum, Chriſti ſacroſancto ſanguine redemptum, ſancti Spiritus gratia multiplici cumulatum, ab electis Angelis conſeruatum, neqúe minùs quàm te, ad vitam æternam prædeſtinatum eſſe. Erro igitur tota via, niſi proximum perinde ac me ipſum purè ac ſyncerè diligam, eamqúe dilectionem omni candore animi & beneuolentiæ

Galat. 3.

& huma-

& humanitate beneficentiaq; declarem. Hoc enim eſt quod à Paulo dicitur: *Dilectio ſine ſimulatione*, quodq́ue Ioannes illis verbis deſignat: *Filioli mei, non diligamus verbo neq́, lingua, ſed opere & veritate. In hoc cognoſcimus, quoniam ex veritate ſumus*. Ita verò lex Chriſti, quæ & lex charitatis exiſtit, à me perficitur iuxta illud: *Qui proximum diligit, legem adimpleuit: plenitudo enim legis eſt dilectio. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Huc ergò Chriſti verba ſpectant, vt inſtructus & munitus ego charitate, à temerario falſoq́ue iudicio quorumuis hominum abſtineam, nec malè de illis quidem ſuſpicer, ad excuſandum quàm accuſandum ſemper paratior, vtq́ue cuncta quæ à proximo fiunt, in meliorem partem dextrè interpreter. *Charitas enim non irritatur, non cogitat malum*. Vt hinc etiam Chriſtus alibi dixerit: *Nolite iudicare ſecundùm faciem: ſed iuſtum iudicium iudicate*. Tantum abeſt, vt quiſquam ſibi perſonam iudicis arrogare, & alium condemnare poſſit ac debeat. Ex eodem charitatis fonte proficiſcitur quòd ſiue rogatus, ſiue ſponte remittam omnibus ex animo, qui dicto vel facto me prudenter aut ignoranter offenderunt. Scriptum eſt enim: *Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & Pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra*. Eâdē charitatis lege permotus, egenti largiar eleemoſynam, & Tobiæ ſeruabo mandatum: *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Quo modo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude*.

QVOCIRCA maiorem vt fructū ex hoc præſenti Euangelio colligam, nullo non die, quo conſcientiæ meæ rationes excutiam, etiam atq́ue etiam vigilanter inquiram, an vlla in parte cogitârim, dixerim, fecerim vel prætermiſerim aliquid, quod veram proximi charitatem offendere potuerit, aut labefactare. Vt enim grauiſſimè dixit Ioannes: *Qui non diligit, manet in morte. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt*. Deinde percurram opera miſericordiæ

ricordiæ corporalia & ſpiritualia, vt ſciam, quantùm in charitatis officijs aut proficiam, aut deficiam ſecundùm meam quidem vocationem. Vt enim Cyprianus docet, in Euangelio nihil frequentiùs præcipitur, quàm de charitate ac eleemoſynis tribuendis, & Christus ipſe futurus omnium iudex, liquidò præmonuit, ſe in iudicio de his operibus nobiſcum acturum, & æterna omnibus præmia vel ſupplicia certò definiturum eſſe. Quemadmodum verò beati ſunt miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam nunquàm finiendam conſequentur: ita viciſsim iudicium ſine miſericordia illi futurum eſt, qui non fecerit miſericordiam, Iacobo Apoſtolo teſte, quicunquè demum ille fuerit. Vt enim fortioribus fortior, ita & ditioribus copioſior inſtat cruciatio, niſi peccata ſua eleemoſynis redimant, ac miſericordiæ præſidio ſubleuentur. Et corporalia quidem opera miſericordiæ, quæ paſſim ſacris literis commendantur, hæc præcipuè numerantur, eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ęgrotos inuiſere, hoſpitio excipere peregrinos, mortuos ſepelire. Spiritualia verò miſericordiæ opera, in quibus non corporali miſeriæ proximi, ſed ſaluti animæ eius benè conſulimus atquè ſubuenimus, & ad quæ præſtanda plures quàm ad priora illa obligantur, hæc ſunt: peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, pro ſalute proximi Deum orare, conſolari mœſtos, ferre patienter iniurias, offenſam remittere. Quæ Christianæ pietatis & miſericordiæ opera tantò plus veræ laudis æterniquè prœmij mortalibus adferunt, quanto illa ſyncerius, alacrius, liberalius ad proximi commodum referuntur. Quapropter meritò ſanè me mei pudeat, pigeat tædeatquè, qui hactenus tam parcè ſemino, vt hinc parcè quoquè metere debeam ex Pauli ſententia. Nec obſeruo dictum illud: *Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Beatius eſt magis dare quàm accipere.* Quid enim eſt eleemoſyna, niſi quemadmodum Patres appellare ſolent, Chriſti gazophilaciū, Abrahæ ſinus, cœli theſaurus, ſacrificium

De opere & eleemoſynis. Matth. 25. Matth. 5. Iacob. 2. Sapient. 6. Dan. 4. 2. Cor. 9. Eccleſ. 4. Actor. 20.

Chriſtianorũ,& ars quidem omnium artiũ quæſtuoſiſſima?

Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, vt educas feſtucam de oculo fratris tui.

DVO ſunt vitia mihi valdè cauenda,& à Chriſto Domino hîc meritò reprehenſa, vt illa veluti peſtes & fomites multorum malorum in noſtris animis radicitus euellantur. Prius vitium ad priuatũ & iniquum iudicium de alijs conceptum, alterum ad noxiam curioſitatem pertinet. Illud extra controuerſiam eſt, ſuam in iudicando facultatem conſtare magiſtratibus in ſubditos, parentibus in liberos, & magiſtris in diſcipulos, vt idcircò in verbo ſuo præcipiat Deus: *Rectè iudicate filij hominum. Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Magiſtratus enim Dei miniſter eſt, nec ſine cauſa gladium portat, & vindex in iram, ei qui malum agit.* Conſtat præterea, iudicandi poteſtatem competere Chriſtianis, quando peccantes manifeſta turpiaqúe mala, quæ animo bono fieri nequeunt, & apertam oſtendunt iniuſtitiam, perpetrant. Vult ergò Paulus non modò iudicari, ſed & caueri prorſus carnis opera deſignantes, quia regnum Dei non conſequentur. *Nolite* inquit, *communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Et Ioannes grauiter monet, non modò iudicandos ſed & fugiendos illos eſſe, qui nouitiam falſamqúe doctrinam adferunt aut defendunt. Eſt autem aliud iudicandi genus, ex quo velut peſtilenti radice, nunquàm non pullulant herbæ illæ noxiæ, ſiniſtræ de alijs ſuſpiciones, falſæ opiniones, amarulentiæ, æmulationes, obtrectationes, lites contentiones, diſſidia & alia id genus vulgaria quidem, ſed grauia certè vitia, quę bonam hominum partem ad omnem acerbitatem, inhumanitatem ac ferociam ſæpenumerò pertrahunt, vt hinc etiam verè dicatur: Homo homini lupus. Contra hos cenſores mandatum Chriſti ſerium extat: *Nolite iudicare, nolite condemnare*: quemadmodum & Paulus omnibus imperat: *Nolite ante tempus iudicare, quoadu{ſq;} veniat*

Dominus

Dominus. Tu quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Conſonat Iacobus Apoſtolus: *Vnus eſt* inquit, *legislator & index, qui poteſt perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum?* Iacob. 4.

QVAE cùm ita ſint, ita meæ ſaluti & charitati proximi conſulam, vt Chriſti præceptum de non iudicando fratre ſæpè recogitē ac diligenter obſeruem. Candidum enim cenſorem Euangelica requirit modeſtia; & veræ charitatis ſpiritus non fert ſeuera, temeraria & falſa iudicia, quibus nunc alioquin plena ſunt omnia. Nam vt Paulus quoque tradit: *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non irritatur, non cogitat malum, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*. Eò igitur mihi contendendum eſt, vt à perſonis & rebus alienis curioſè perueſtigandis, facilèque iudicandis & reprehendendis ſtudioſè abſtineam, quantumuis me hûc natura vel conſuetudo praua incitet ac impellat. Cuncta verò quæ in alijs video, vel de illis audio, ſi cum vitio coniuncta ſunt, non illa mihi facilè ſinam perſuaderi, aut certè in partem meliorem ita interpretabor, vt me candidum potiùs quàm ſeuerum iudicem & caſtigatorem præbeam. Sequar & conſilium Sapientis, qui me admonet: *De ea re quæ te non moleſtat, nè certeris, & in iudicio peccantium nè conſiſtas. Fili, nè in multis ſint actus tui.* Illud verò maximè curabo, nè lingua mentem præcurrat, nèue meam de alio ſententiam præcipitanter feram: alioquin & curioſitatis & temeritatis ac ſtultitiæ culpa me contamino, neque ſolùm apud Deum pœnam mereor, ſed etiam à ſapientibus iuſtè reprehendor, quoniam in illud Sapientis dictũ impingo: *Noli citatus eſſe in lingua tua. Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* Ego verò in iudicando fratre tantò magis plumbeo, vt ſic dicam, pede progrediar, quantò faciliùs ac ſæpiùs homines in iudicando labuntur. *Beatus enim vir qui nõ eſt lapſus verbo ex ore ſuo*, præſertim cùm certò conſtet, ſummum Deum ſibi ſumere iudicandi, ſicut & vindi-

1. Cor. 13.

Eccleſ. 11.

Eccleſ. 4.
Prou. 17.

Eccleſ. 14.

candi poteſtatem, *qui & omne iudicium dedit filio, vt omnes*
2. *honorificent illum, ſicut honorificant Patrem.* Mihi inquit, *vin*
2. *dictam & ego retribuam.* Vnde ſcripſit & Apoſtolus: *Inexcu*
ſabilis es ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum,
te ipſum condemnas. Quòd ſi alium temerè iudicare pecca-
tum eſt, peiùs cum illo agitur, qui ſimul ſeſe hypocritã præ-
ſtat, ſicut Chriſtus illum appellat, quicunque de oculo alte-
rius à feſtucis liberando magis quàm de ſua trabe tollenda
ſollicitus eſſe ſolet. Toties verò mihi hypocritæ notam inu-
ro, quoties in alios auſterus, mihi parco, meiſque vitijs blan-
dior, aut cæca philautia impeditus, meorum vitiorum obli-
uiſcor, ac in aliorum interim erratis moribuſque tum incu-
ſandis tum corrigendis præpoſteram operam pono. Vbi me
ipſum reprehendam, & Euangelicum illud velut mihi dictũ
9. repetam ſæpè: *Medice cura te ipſum*, vt meo nempè morbo
potiùs quàm alieno ſanando medicinã porrigam. Et quòd
Moyſi fuit olim obiectum, mihi quoque dictum putabo:
Quis conſtituit te principem & iudicem? Eòdem ſpectat Chri-
23. ſti verbum: *Munda prius quod intus eſt, vt fiat id quod foris*
eſt mundum. Ad ſimiles hypocritas referendũ eſt, quod Chri-
ſtus loquitur de cæcis ducibus & Phariſæis ita culicem ex-
colantibus, vt camelum glutiant. Alioquin ſi mihi cum Pe-
1. tro libet curioſius de fratre percontari, meque alienis nego-
tijs immiſcere, cum eodem Petro licebit & illud audire à
16. Domino: *Quid ad te? tu me ſequere. Non enim ſapis ea quæ Dei*
ſunt, ſed ea quæ hominum. Nam & Paulus non temerè dixit:
2. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus: vt ei placeat*
cui ſe probauit. Cæterùm quo latius patet hoc peſſimum ge-
nus curioſitatis, ad quod natura hominũ deprauata, mirum
in modum propendet, eò diligentius aduigilabo, vt à com-
muni mortalium in vtroque ſexu corruptela licentiaque re-
motus, meipſum potiùs quàm alios iudicem, ita vt peccan-
tes ſi poſſim, libenter abſoluam, meipſum verò non ſolùm
in malis, ſed etiam in bonis quæ agere videor, frequenter ac
11. cuſem. *Si enim noſipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur.*

Si noſtra

Si noſtra peccata cognoſceremus, noſq́; condemnaremus, vtique ab huius & futuri ſeculi ſupplicijs liberaremur. Qui enim ſeipſum modò condemnat, vt Chryſoſtomi verbis vtar, dupliciter Deum placat: & quòd peccata ſua cognoſcit, & quòd in poſterum pigrior ad peccandum efficitur.] Nullum autem vel exiguum ſanè fructum inde capiam, ſi maximè circa feſtucas & ſtipulas aliorum iudicandas verſer: longè præſtat ſuas quàm aliorum labes & maculas abſtergere, ſuamq́ue trabem ex oculis proprijs demere. Cur igitur ego inſtar ſtultorum mea potiùs quàm aliorum probem ac mirer? Cur exilibus curis, nec neceſſariis rebus impeditus, velut in alienis feſtucis euellendis laborē, & cum ſollicita Martha, quæ maiora & meliora ſunt negligā? Norunt & Phariſæi mordere Apoſtolos, quòd illotis manibus capiant cibū, & in ſabbatho inter peregrinandum ſpicas euellant, ſed meritò ijdem ſuperciliosi Momi & Ariſtarchi audiunt: *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coràm hominibus: Deus autem nouit corda veſtra.* Mihi ſemper commendatum erit hoc ſtudium, vt ſicut à quauis iniuria proximi, ita etiam ab omni hypocriſi me ſeruem immunem, vtq́ue nullum hoſtem meipſo nocentiorem ac magis fugiendum mihi conſtituā. Aduerſus hunc domeſticum hoſtem, vti contra nullum alium dimicabo, & cum Dauide precabor: *Ab homine iniquo & doloſo erue me.* Nam & *iuſtus prior accuſator eſt ſui, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Adeò mihi cordi ſemper erit, quod Chriſtus diſertè mandauit: *Cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Veriſſimum enim id eſſe conſtat, quod Baſilius Magnus prudenter admonet: Quàm curioſi ſumus, & diligentes in iudicandis alienis defectibus, tam negligentes ferè ſumus in noſtris perſcrutandis. Et velut oculi cum cæterarū partium corporis maculas videant, ſuas tamen non cernunt: ita nos cùm nimiùm inquiramus aliena delicta, ad noſtra cæcutimus & hallucinamur.] Præclarè igitur & Seneca ſcripſit: Altioris terci & ignotæ noli ferre cenſuram.

Luc. 10.
Matth. 15. & 12.
Luc. 16.
Pſal. 42.
Prou. 18.
Luc. 14.
Orat. 17. de humilitat. & vana gloria.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro magiſtratibus, vt acceptam iudicandi poteſtatē prudenter ac legitimè exerceant, quemadmodum rex Ioſaphat ſuis iudicibus imperauit:* Videte *inquit,*
lip.19. quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei: & quodcunqúe iudicaueritis, in vos redundabit.

ORABO *etiam pro ſubditis magiſtratuum, vt in priuatis iudicijs plus Chriſtianæ lenitatis quàm noxiæ temeritatis ac iniquæ ſeueritatis admiſceant, & nè ſiniſtrè ac perperam iudicando, charitatem proximo debitam ex peſſima conſuetudine ſcindant ac violent: præſertim verò nè alij alijs ſiue maioribus, ſiue inferioribus licenter obtrectent ac malignè detrahant. Scriptum eſt*
4. *namque*: Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem.

ADHAEC *gratiam implorabo diuinam, vt charitatis ignem iam ferè paſſim extinctum in orbe reſuſcitet, nouumq́ Chriſtianæ miſericordiæ ſpiritum Catholicis largiatur. Nam ſine hoc fieri non poteſt, vt illi amanter ſe mutuò complectantur, nec ſolùm ſeſe erga egenos liberales, ſed etiam erga inimicos clementes ac beneficos, & demùm erga cūctos ſine hypocriſi ſynceros, vereq́ fratres in Chriſto germanos præbeant.*

dita- cap. 1. DEMVM *hûc ſpectat ſequēs Auguſtini precatio: Deus meus, miſericordia mea, oro te per dilectum Filium tuum, da mihi miſericordiæ opera, pietatis ſtudia, compati afflictis, conſulere erroneis, ſuccurrere miſeris, ſubuenire egenis, conſolari mæſtos, releuare oppreſſos, pauperes recreare, flebiles refouere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem deſpicere, ſed honorare.*]

DOMI-

DOMINICA V. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

MONSTRAT Euangelium, plurimos ad Chriſtum Dominum concurriſſe, ſummumque audiendi ab illo Euangelij deſiderium attuliſſe, quibus ipſe non ſolùm in terra, ſed etiam in mari docens ſatisfecerit. Deinde cùm Chriſtus Petrum nauis Dominum ad piſcandum permouiſſet, illius piſcationem adeò proſperam reddidit, vt is reti ſuo piſces plurimos attraheret, & copioſo illo prouentu naues duas impleret, non ſine cunctorum qui aderant ingenti admiratione. In eo autem colloquio quod Petro cum Chriſto intercedit, ſingularis huius Apoſtoli fides, obedientia, humilitas ac modeſtia nobis elucent. Ac præcipuus quidem huius illuſtris miraculi fructus penes Petrum, Iacobum & Ioannem extitit, qui diuinitus illuſtrati, ſe totos in Chriſti diſciplinam illicò tradiderunt, ac poſtea primarij Apoſtoli, & ſummi piſcatores hominum effecti ſunt, ſicut illis Chriſtus prædixerat fore. Nam impleri debuit, quod per Hieremiam Prophetam promiſſum erat: Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſthæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.] Nec dubium, hîc Chriſtum præludere voluiſſe myſterium, quòd per eundem Petrum, eiuſque nauim ſeu Eccleſiam, & ſocios ſiue collaboratores ſuo tempore perficere decreuerat, nimirùm vt eorum opera ſpiritualis piſcatio ex Iudæis & Gentibus colligenda ſuccederet, ac innumeri Hierem.16.

piſces ex vaſto huius mundi pelago per Euangelicum rete pertracti, ad littus æternæ ſalutis peruenirent. Cæterùm quòd retia rumpebantur piſcium copia, & nauiculæ impletæ ſunt, ita vt penè mergerentur, ſignificat, vt Auguſtini verbis vtamur, hominum carnalium tantam multitudinem futuram in Eccleſia, vt etiam diruptione pacis per hæreſes & ſchiſmata ſcindatur. Oportet enim & hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant, Apoſtolo teſte.

EIVSDEM DOMINICAE Euangelium. Luc. V.

CVM turba irruerent in IESVM, *vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth. Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia. Aſcendens autem in vnam nauem quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de nauicula turbas. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia veſtra, in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſocijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua* IESV, *dicens: Exi à me,*

quia homo peccator ſum Domine, ſtupor enim circumdederat eum & omnes qui cũ illo erant, in captura piſcium quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus, Noli timere: ex hoc iam, homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm turbæ irruerent in Ieſum vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth.

CHRISTO Domino inprimis gratias agam, quòd in Iordane baptizatus, & iam Spiritu ſancto vnctus, venerit euangelizare pauperibus, & prædicare captiuis remiſſionem, quemadmodum de vero Meſsia prædixerat Iſaias. Quod prædicandi & Euangelizandi munus obiuit ille tam ſedulò & indefeſſè, vt terra mariq́ue ad ſemen ſuum diuinum paſsim diſſeminandum peregrinaretur, ac deſerta monteſque penetraret. Vnde Matthæus etiam illud affirmat; *Circumibat Ieſus omnes ciuitates & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Quarè ſicut alibi frequenter in templo, in loco campeſtri, in monte vel deſerto: ita hîc etiam in mari & ex naui clementiſsimus Dominus concionatur; vt qui ardentiſsimo diuini nominis honorandi, & humanæ ſalutis procurandæ deſiderio tenetur. Sed heu mihi, quòd ab hoc ſancto ſtudio & feruenti zelo magiſtri mei tam procul abſim, nihilq́ue vel Dei gloria, vel proximi amore dignum inſtituam, vt me Chriſto aliqua

Matth. 3 & 4. Luc. 4. Iſai. 61. Luc. 4.

Matth. 9.

ex parte conformem. *Qui enim dicit ſe in Chriſto manere: debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*, prout Ioannes Apoſtolus monet. Ac multò magis Domino IESV agam gratias, qui Euangelio ſuo vim peculiarem indidit, vt ſit virtus Dei ad ſalutem omni credenti, quique tantam illi gratiam apud primos illos auditores conciliauit, vt omnes & doctorem ipſum, & doctrinam nouam & miraculorum virtutem admirarentur. *Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi*, vti Euangeliſtæ teſtantur. Mirabor & ego inſolitam Iudaici populi ad Chriſtum audiendum alacritatem atque contentionem; quandoquidem relictis ædibus, villis & oppidis, ad montes & deſerta vſque nouum doctorem comitantur, & ſacras eius conciones abſque faſtidio, magnoque cum deſiderio ſic audiunt, vt ab eo propemodũ diuelli non poſſe viderentur. Sed væ mihi meique ſimilibus, quos nihil pudet ſine fame ac ſiti veræ iuſtitiæ Chriſtum ac doctrinam eius cœleſtem audire, nec præſentem Iudæorum pietatem æmulari, qui remotis è locis ad Chriſtum docentem vltrò concurrunt, adeòq; in illum cateruatim irruunt, quòd ſuauiſſimis eius concionibus haud poſſent exſaturari. Illum enim audiunt, qui ſolus dare poteſt aquam viuam, & cuius verbũ ſermo viuus eſt & efficax, omnique gladio ancipiti penetrabilior Apoſtolo teſte. Sed ego meam dolebo vicem, qui ſtomachum tam crudũ, & neſcio quibus humoribus malis vitiatum habeo, vt animæ cibum vel maximè ſalutarem ſæpè non appetam, aut ſumptum non optimè digeram. Quid verò iuuet bonum & præclarum ſemen, ſi agro inculto mandetur, aut mandatum, ſentibus & ſpinis, nè porrò creſcat impediatur? *Beati verò qui audiunt & cuſtodiunt verbum Dei*, quod in manſuetudine ſuſceptum, & animo inſitum, vt Iacobus loquitur, ſaluare noſtras animas poteſt. Eoque magis curauero, vt ad verbum Dei, ſiue ſcriptum illud, ſiue pronunciatũ percipiam, ſingularem animi attentionem atque auiditatem adferam, mihique Salomonem regem ob oculos ponam, cuius faciem videre, &

1. Ioan. 2. Rom. 1. Matth. 7. Marc. 1. Luc. 4. Ioan. 4. Heb. 4. Matth. 13. Luc 8. Luc. 11. Iacob. 1. 3. Reg. 10.

ſapientiam audire omnis terra deſiderabat. Optabo itidem, hoc tempore complures reperiri, qui in verbo DEI audiendo ſe conforment pijs Theſſalonicenſibus, quos Apoſtolus Paulus ita commendat: *Gratias agamus* DEO *ſine intermiſſione: quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus* DEI, *accepiſtis illud non vt verbum hominum; ſed (ſicut eſt verè) verbum* DEI, *qui operatur in vobis qui credidiſtis.* 1.Theſſ.2.

PRAECLARVM autem ſæpèque mihi recolendum eſt illud CHRISTI beneficium, qui ſacrum Euangelium ore ſuo primùm orbi denunciauit. Sic enim illi Pater demandârat: *Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam.* Tum idem ipſe, quemadmodum princeps paſtorum & Apoſtolus magnus, Euangelij prædicandi officium, quod nunquàm in Eccleſia ceſſaret, inſtituit, certiſque miniſtris delegauit, initio quidem facto ab Apoſtolis & eorum principe ſeu corypheo, ſummoq; paſtore Petro. Huic porrò collegas alios clementer adiunxit, quos veluti primos hominum piſcatores multis ornauit priuilegijs, vt maior illorum dignitas & poteſtas apud omnes extaret. *Euntes* inquit, *in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Ecce, dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem, & nihil vobis nocebit.* Benedictus Deus, qui hoc Apoſtolicum in Euangelio prædicando munus tam benignè conſeruat, & ad mundi finem vſq; conſeruabit, nunquàm vt deſint puræ fidei ſanæq; doctrinæ profeſſores, & fidi animarum paſtores, ſiue illi maioris, ſiue minoris ordinis vel claſsis eſſe videantur. Etenim qui manet cõtinenter in Eccleſia ſua Chriſtus, hos Euangelij ſui miniſtros per Spiritum ſanctum identidem vocat, inſtituit, mittit, ordinat atque confirmat,

Iſai.40. 1.Pet.5. Heb.13. Marc.16. Ioan.20. Matth.10. Luc.10.

horum manibus ac operibus benedicit, vt ipſorum piſcatio cùm rete laxant Euangelicum, multis in fidelibus ac fidelibus, Iudæis & Gentibus ſit vtilis atque ſalutaris. Cur autem non pudeſio & erubeſco, quòd Chriſtum Dominum in hiſce ſuis legatis loquentem ſurdis velut auribus prætereo, & per illos ipſos mandantem non ſequor, & arguentem non vereor, talesque teſtes omni exceptione maiores, qui ad me à Deo mittuntur, non ſuſcipio & obſeruo? De illis Veritas ipſa pronunciat, quòd cùm ad iudicium extremum ventum fuerit, ſedebunt ſuper ſedes duodecim tribus Iſraël. Quibus autem oculis tunc ego illos aſpiciam? qua fronte illos exprobrantes audiam, cùm meam erga eundem Dominum ingratitudinem ac inobedientiam iure accuſabunt; ſuaque iuſtitia, quam verbo & opere hîc præſtiterunt, meam coarguent iniuſtitiam? quandoquidem in mandatis diuinis exequendis, & in præclaris ipſorum inſtitutis atque veſtigijs cuſtodiendis adeò immorigerè, ſegniter ac negligenter me geſſerim. Accuſabit ſuos Iudæos legislator Moyſes, & meritò apud Patrem accuſabit, quoniam Chriſtum ad ſe miſſum fide obedientiaque complecti recuſârunt. *Surgent & viri Niniuitæ in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*, ſicut Euangelica verba commonſtrant. Et ecce plus quàm Ionas hic, quem olim Apoſtoli, & nunc Præpoſiti Eccleſiæ Catholicæ, vt ſummum orbis præceptorem prædicare, & cuius iram breui venturam inobedientibus denunciare non ceſſant, nimirùm vt in iuſtitia & ſanctitate coràm ipſo vſque viuamus. Eapropter nouum planè ſtudium adhibebo, vt inſtitutos & miſſos à Chriſto paſtores, hominumque piſcatores poſthac reuerentius habeam, eorum dicto ſtudioſius paream, Chriſtumque ipſum ſuas oues in illis paſcentem ac gubernãtem religioſius colam. Scio enim ad hos quoque pertinere canonem Apoſtolicum: *Obedite præpoſitis veſtris*, ſicut & propheticum dictum: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Præcep-

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

INTER alia quæ Petrus hoc loco mihi notanda porrigit, perſonam eius & conditionem conſiderabo. Erat ille in humili vico Galileæ Bethſaida natus, non diues, ſed piſcator vulgaris ac rudis, arte & manu victum ſibi neceſſarium quæritans, in fide adhuc quaſi Cathechumenus, nec ſolùm prædicati à Chriſto verbi auditor, ſed etiam ad laborandum & operandum, quod Chriſtus mandaret, promptus & obſequens. Vnde à Domino admonitus, nō moratur anchoram ſoluere, & ſuam nauim in altum mare prouehere, reteq́; expeditum laxare, licet ſuperiore nocte nullum è longa piſcatione fructum retuliſſet. *In nomine* inquit, *tuo, laxabo rete.* Cum hoc facto non malè congruit, quod alibi legimus, Petrum eundem à Domino iuſſum vt ſuper aquas ad ſe veniret, citra moram & excuſationem vllam ſtatim de nauicula deſcendiſſe, & quod eſt mirabiliùs, ſuper aquam ambulaſſe. Dolebo igitur, me à Petri huius exemplo, qui verè Simon, id eſt, obediens fuit, abeſſe procul, quandoquidem licet Chriſti verbum ſubinde audiam, tamen opere illud complere, & exactam obedientiam præſtare piget ac tædet, etſi ſcriptum interim eſſe norim: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos.* Igitur cum Petro & Paulo dicere nequeo: *Domine tu ſcis, quia amo te. Dei ſumus adiutores: Gratia Dei in nobis vacua nō fuit.* Niſi ego ad otium potiùs quàm ad laborem ſanctumque negotium paratus eſſem, etiam iniuſſus ſubinde laxarem rete, multaque piè molirer in Chriſti nomine, & inſtituta piſcatio mihi & alijs fœliciter haud dubiè ſuccederet. Docet me interim hic Petrus, vt ſi proſperū laboris mei progreſſum & exitum cupiam, opus ipſum ab inuocatione diuini numinis ordiar, mihique obedientiam præceptorum Dei ob oculos ponam. Non enim fallit Prophetica regula: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Sicut & Salomon patrem ſuum ſequutus pruden-

Ioan. 1.

Matth. 14.

Iacob. 1.

Ioan. 21.
1. Cor. 3.
& 15.

Pſal. 36.

ter tradidit: *In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipſe diriget greſſus tuos*. Conſonat his prorſus Tobiæ dictum: *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant*. Eôdem ſpectat præceptum Apoſtolicum, vt ſiue manducemus, ſiue bibamus, vel aliud quid inſtituamus, omnia in Dei gloriam faciamus. Piam verò precationem, quam hûc adferre conuenit, ex illis Prophetæ verbis colligere licet: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me: Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus*. Proinde vt propoſito Petri exemplo ſatisfiat, fidem in Deum, & animi quoquè ſynceritatem adhibere neceſsè eſt: atque ita non modò fœliciter laborem aggrediemur, ſed etiam cum Propheta dicere poterimus: *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros*.

ILLVD mihi modis omnibus prouidendum eſt, nè cùm Petro nocte piſcari, & omnem in nocturna piſcatione laborem perdere videar. Id quod, ſi myſticum ſenſum inueſtigemus, iampridem Iudæis miſeris accidit, qui legis Moyſaicæ ceremonijs & vmbris affixi, quàm diu iuſtitiæ ſol Chriſtus illis non ſplenduit, velut in obſcura, frigida ſteriliquè nocte verſabantur, nihil mercede dignum Deo præſtabant, ſed pro maturis vuis duntaxat acerbas labruſcas vineæ ſuæ Domino, vt & Iſaias queritur, proferebant. Tum apud ethnicos quid quæſo, niſi atra nox, erroris & omnis rectæ fidei ignorantia paſsim in orbe vigebat? eaque tantiſper durauit, donec Chriſtus acceſsit, denſaſque impietatis tenebras diſpulit, ſibiquè gentes barbaras & in fide cæcas omninò ſubiecit. Hoc enim eſt quod Iſaias prædixerat: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis*. Nox igitur illis in diem verſa eſt, cùm noui hominum piſcatores, Apoſtoli Euangelicæ prædicationis laxârunt retia, & gentium velut piſcium maximā multitudinem ad littus æternæ ſalutis pertraxerunt. Iam verò è Chriſtianis plurimi reperiuntur, quibus in mari huius

mundi quotidiè libet piſcari,ſed quia Petri exemplum relinquunt, & temporalia ſpiritualibus præferunt, nocte dieque fructum piſcationis nullum colligunt. Alij habenis, vt ſic dicã, aureis in hoc piſcantur, vt opes fluxas augeant, & inexplebili habendi cupiditati ſatisfaciant. Alij vt inſano amore carnis fruantur, fortiſsimi Samſonis exẽplo ſeſe conformãt, qui falſis amicæ Dalilæ oblectamentis deprauatus, prius robur amiſit, & obcæcatus in aſinaria mola vile mancipium agere, & in poteſtatem hoſtium venire coactus eſt. Reliqui demum ſine *Deo* laborant, & laborando ſe miſerè diſcruciant: quoniam omnes corporis & animi neruos hûc intendunt maximè, vt ambitioni ventriſquè ſtudio ſeruiant, haud diſſimiles quidem diuiti epuloni. Nihil autem rectiùs de hoc vano & miſerando genere hominum dixeris, quàm quod illi ipſi de ſe teſtantes vltrò fatentur: *Errauimus de via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus*. Et quidẽ Iſaias hos ipſos nocte vel piſcantes vel errantes, fruſtraquè ſudantes pulchrè depingit, quum aſſerit, eos in nihili confidere, concipere laborem, & parere iniquitatem, telas etiam araneæ ad capiendas muſcas texere, quum opera ſint inutilia, & cogitationes eorum inanes. Nulla igitur mihi ſit pars cum filijs tenebrarum, illisquè omnibus, qui charitatis expertes, ſibi & mũdo magis quàm Deo & virtuti viuunt ac ſeruiunt. *Qui enim non diligit*, (Deum nempe & proximum) *manet in morte*, vt Ioannes affirmat: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis, vt Gregorij verbis vtamur. Sed & Paulus clarè pronunciat, fidem, ſcientiam & alia virtutum opera ad ſalutem conſequendam ſibi non profutura ſine charitate, vt quæ vita eſt animæ, neq; aliter quàm de corde puro, conſcientia bona & fide non ficta procedit. Dolebo inſuper, me hactenus ita vixiſſe, vt retia mea ex præſcripto verbo *Dei*, vbi & quando decebat, non laxauerim, ſed ea potiùs vel otioſa domi abſconderim, vel

Iudic. 16.
Luc. 16.
Sap. 5.
Iſai. 59.
1 Ioan. 3.
Homel. 27.
1. Cor. 13.
1. Tim. 1.

ſciſſa

ſciſſa & complicata ſeruârim. Quas enim corporis animique vires accepi, non ad Dei conditoris gloriam, neq; ad proximi commodum expendere volui, ſed in rebus ſæpè velillicitis vel vanis malè conſumpſi, vt mihi potiùs quàm Deo vel proximo viuerem. Eſt enim & hoc nocte & in tenebris laborare, & Chriſtianæ piſcationis fructũ amittere. Quid? quod magnam vitæ meæ partem, ſi verum fatendum eſt, velut dormiendo & ſomniando malè contriui, vt multò ſanè peius quàm Petrus, nocte piſcatus videar. Etenim quicquid ſine ſpiritu Chriſti agitur, nec ad aliquod Chriſtianæ iuſtitiæ caput refertur, ſed ex mera duntaxat conſuetudine, & ad captandam hominum gratiam inſtituitur, id veræ virtutis iuſtitiæque fructu ac merito caret, nec ſummo Deo placere, nec operanti ſalutiferum eſſe poteſt. Nihil ergò piſcantur inflati Phariſæi, quamlibet ſpecioſa & præclara illorum opera vulgo cenſeantur, ſed vt Chriſtus inquit, ſuam receperunt mercedem: quoniam ſine fide & ſyncera intentione, ſine charitate & inhabitante gratia ſuam iuſtitiam coràm hominibus operantur. Tantoque magis mihi curandum erit, vt diuinæ mandanti voci paream: *Præbe fili mi cor tuum mihi. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*. Alioquin oleum & operam in laborando perdo, meque cœleſti mercede defraudo, ſi cor ſimplex & integrum non attulero, vt omnia quæ facio, Dei amore faciam, Deoque vni & ſoli placere cõtendam. Hoc eſt quod Chriſtus ipſe verbis illis indicauit: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Vtinam ego ea cordis gaudeam ſimplicitate, quæ in Petro vtiq; fuit, vt apertè Chriſto teſtaretur: *Domine, tu omnia ſcis: tu ſcis quia amo te*. Nec diſſimilem videmus in Iob ſimplicitatem, qui vir ſimplex, id eſt perfectus in ſcriptura vocatur, ac de ſeipſo fateri non dubitat: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.*

Noli

Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſequuti ſunt eum.

EGO non modò Petrum, ſed & ſocios eius auxiliares in hoc Euangelio mihi contemplandos proponam. Non ſunt illi ſanè contenti Chriſtum è naui docentem audire, præſens miraculum cernere, ac Domini promiſsionibus fidere, ſed & poſt acceptum beneficium prudenter & piè ſeſe gerunt. Cùm enim magno & inſperato piſcium prouentu ditati eſſent, vt naniculæ ipſorum nouo illo, ſed grato pondere oppreſſæ propemodum ſubmergerentur, non ſeſe licenter effundunt, nec intemperanter efferunt, neque ſtultè gloriantur, quòd piſcatores eſſent adeò fortunati ac diuites. Ita enim complures vnà cum Saul rege facere ſolent, vt fœlici rerum ſucceſſu elati, criſtas erigant, & ſe alijs anteponant, Deumque bonorum omnium largitorem nec ament, nec metuant. Docet verò me Petrus eiusq; ſocij obſeruare illud quod ſcriptum eſt: *Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere*, ſicut & illud: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriã.* Tantum enim abeſt, vt illa piſcium abundantia efferantur, vt etiam humiliores fiant, maioremq; miſeriæ ſuæ notitiam non in afflictione, ſed proſperitate aſſequantur, coniectis veræ fidei oculis in ſolum Chriſtum, quem potiùs inprimis vt maris terræque Dominum, ac tanti miraculi nouique beneficij authorẽ ex animo ſuſpiciebat. Ac peculiariter quidem idem Petrus in ſe nihil boni ſpectat, ſed ſuorum potiùs malorum conſcius extimeſcit, & præ pudore non ſe continet, quin ad Chriſti genua ſupplex procidat, ſuamque indignitatem aperta confeſsione teſtetur: *Exi à me Domine* inquit, *quoniam homo peccator ſum.* Nam quo maiorem Chriſti benignitatem & gratiam expertus erat, eo ſe geſsit ille ſubmiſſius, ac in fide non minùs profecit quàm ille Centurio, qui Chriſtum ſuſcipere hoſpitem auſus non eſt, licet fidem excellentem haberet. Quàm verò præclarè mecum ageretur,

1.Reg.15.

Pſal.61. & 113.

Matth.8. Luc.7.

ſi ex vno, immò multis miraculis tantam Chriſti meiq; cognitionem haurirem, & laudem omnem rei benè confectæ, ſoli Deo tribuere; tum in proſperis ſucceſsibus haud minùs quàm in rebus aduerſis meipſum deprimerem, nullumque ſubrepenti vanæ gloriæ aut arrogantiæ concederem locum, ſanctæ nimirùm modeſtiæ, & Chriſtianæ ſubmiſsionis vbiq; ſtudioſus. Hoc enim eſt quod Petrus non ſolùm fecit, ſed etiam per epiſtolam poſtea docuit, ita ſcribens: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die viſitationis.* Nec diſsimilem in Petro ſubmiſsionem cernimus, vbi Chriſto pedes ſuos lauare pedes volenti, piè reſtitit, ſuamque indignitatem agnoſcens, corã diſcipulis omnibus dixit: *Domine tu mihi lauas pedes? Non lauabis mihi pedes in æternum.* Quanquàm ille in hac mira ſubmiſsione ita ſe geſsit, vt Chriſti mandato cederet ac parêret, & à timore ad confidentiam & charitatem, qua reliquis diſcipulis antecelluit, inſignes progreſſus faceret. Eſt enim timor Domini principium ſapientiæ, ſine quo nullus poteſt iuſtificari, & humanæ ſalutis fundamentum, cui reliquas virtutes ſuperſtruere à Petro docemur. Sic enim ſcribit, vt cum modeſtia & timore conſcientiam bonam habeamus, Chriſtumque Dominum ſanctificemus in cordibus noſtris, nec humano quidem timore conturbemur. Adhæc Petrus eiusque collegæ & primi Apoſtoli in Euangelio ſic depinguntur, vt mihi ſint documento ad tollenda in Dei amore & cultu impedimenta, quæ meum in ſancta vocatione progreſſum remorari poſſunt. Nam hi Chriſtum perfectè ſectaturi, primùm naues & retia ſibi relinquenda putârunt, nec ſine renuntiatione quadam Euangelica ad meliorem piſcationem obeundam ſeſe componunt: quandoquidem, vt Lucas de illis aſſerit, ſubductis ad terram nauibus, & relictis omnibus ſequuti ſunt Dominum, eiusque veſtigijs perfectè adhæſerunt. Quid autem iſthuc eſt aliud, præterquàm pari lucri, reiq; temporariæ, & corporeæ voluptatis diſpendio verè ſpiritualia & æterna bona à Chriſto ipſa promiſſa,

fœliciſsimè

fœliciſsimè comparare. Fœlices ego illos Adæ filios & benedictos Chriſti diſcipulos iudicabo, qui cum Petro eiusq; ſocijs ita ſtudioſi ſunt Euangelicæ philoſophiæ, vt bona conſcientia teſtari queant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Quid autem viciſsim Chriſtus illis promittit ac reddit? *Vos* inquit, *qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſua, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Promittit deinde voluntariè pauperibus, quod accepturi ſint centuplum, & vitam æternam poſſeſſuri. Eòque magis dolebo, me inter ſapientes negociatores non poſſe numerari, qui precioſam margaritam inuentam empturi, vendunt quæ habent omnia, & eam ſibi comparare gaudent. Cæterùm velim nolim, vt ſyncerum Chriſti diſcipulum præſtem, retia mihi contemnenda & abijcienda ſunt, retia inquam, quibus me Satan & mundus irretire, ac velut piſcem ex aquis eductum & captum ſibi vendicare, & à Deo, Deique menſa vel regno ſeparare conantur. Eiuſcemodi retia ſunt ambitio, faſtus, luxus, ira, inuidia, gula, incontinentia, ſimilesque peſtes animæ, quibus tam multi, proh dolor, à Dei cultu, Chriſti amore, & ſalutis æternæ cura quotidiè impediuntur, ac idcircò Dei verbum ſine fructu audiunt, nomenque Chriſtianum atque Catholicum inaniter profitentur. Ego verò cum Paulo fidenter dicam: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus* (nedum criminoſis) *vt ei placeat cui ſe probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitimè certauerit.*

Geneſ.12. Matth.19. Matth.13. Rom.8. 2.Tim.2.

NOTABO inſuper, quòd Chriſtus in hoc Euangelio Petrum alijs collegis ſiue Apoſtolis quodammodo præferat, & cum illo familiarius agat. Siquidem cùm duæ naues adeſſent, ſolam Petri nauem eligit, in qua ſedeat ac doceat populum de regno Dei: ſed & eandem nauem in altum vehi præcipit, magnoque decorat miraculo, vt ſe maris Dominum eſſe commonſtret. Vni Petro facienda in mari piſcatio

iniungitur,illius manibus ac labori,dum rete ſuum laxat,benedicitur, ita vt vnico etiam tractu piſces plurimos lucrifaciat,maioremque prouentum piſcium colligat,quàm nauis ferre queat. Accedit quod terræ mariſque Dominus hunc Petrum roget, vt nauim ſuam à littore modicè ſubducat, quòdq; ſingularem Petro conſolationem & illuſtrem promiſſionem impertiat illis verbis. *Noli timere: ex hociam, homines eris capiens.* Quorſum autem iſthæc omnia? niſi vt Petrum Apoſtolum tanto maioris faciamus, quantò illum impenſius amat ornatq; Chriſtus, qui paſſim in Euangelio pluribus ac maioribus priuilegiis eundem cohoneſtat. Hac igitur velut imagine præludit ſumma ſapientia, non æquandũ, ſed pręferendum eſſe Petrum aliis Apoſtolis,paſtoribus atq; doctoribus,quia penes illum paſtoralis curæ & regendæ Eccleſiæ poteſtas ſumma conſtaret, vt ſicut in veteri, ſic etiam in nouo teſtamento vnus & maximus extaret Pontifex,princeps Epiſcoporum,ac totius caput Eccleſiæ, quemadmodũ ex Euangelicis litteris Patres & ſynodi probant,ac vno velut ore cuncti Orthodoxi conteſtantur. Hinc illud Hieronymi dictum: Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pẽdet, cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas,tot in Eccleſiis efficiẽtur ſchiſmata, quot ſacerdotes.] Tum Cyprianus Martyr ſemel ac iterum admonet,omnium hęreſum & ſchiſmatum cauſam ex hoc fonte naſci,quod iudex vice Chriſti in Eccleſia Chriſti conſtitutus, ſummuſque ſacerdos ſuperbè & indignè ab hominibus quibuſdam iudicatur atque contemnitur.Et Auguſtinus contentioſis hæreticis hoc velut firmiſſimum telum obiicit: Numerate ſacerdotes,vel ab ipſa Petri ſede:& in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte: Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.] Quapropter ſingulares ego principi paſtorum Chriſto gratias agam, & ab omnibus Dei filiis agi deſiderabo, quòd Petri nauim & Eccleſiam, vt aliarum Eccleſiarum matrem ac magiſtram, ſibi delegerit, in qua ſedẽs doceret,veramque fidei doctrinam tueretur,ac per Petri ſuc-

ceſſores

ceſſores Eccleſiæ ſuæ vnitatem tot ſeculis conſeruaret. Eſt interim & manet hoc proprium Petri officium, vt ſocios habeat ac poſtulet auxiliares, eorumq́ue vtatur opera continēter, nimirùm vt munus Euangelicę prædicationis maiore cū fructu vbiq́ue gentium obeatur, aliæq́ue naues ſiue Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſine ordine & capite periclitarentur, ad littus æternæ ſalutis commodius promoueantur. Nihil autem impedit, quoſdam diuinæ ordinationi de primatu Petri (vt optimis peſſima ſemper adiuncta ſunt) nunc paſſim oblatrare, ac inſano pertinaciq́ue ſtudio reclamare, nè ſcilicet ſe à Pastore paſtorum Chriſto per Petrum eiusq́ue ſucceſſorem regi patiantur. Hi certè non ſe Chriſti oues, ſed hœdos eſſe, quorum à ſiniſtris eſt ſtatio certaq́ue damnatio, reipſa declarant, & cum portis inferorū bellè cōſpirant, digni certè, qui non ſolùm à Petri naui & cathedra, ſed etiam à cūctis electis Chriſti ouibus perpetuò ſegregentur. Ego interim cum Hieronymo confidenter dixero: Qui Petri cathedræ iungitur, meus eſt. Verùm de primatu Petri nos alibi copioſius. Matth.25. Ad Damaſū. epiſt.58.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro Catholicis concionatoribus, vt Petri naui ſeu Eccleſiæ, eiusq́ gubernatoribus fideliter adhereant, & Euangelicum rete impigrè tractent, ſeduloq́ ſint hominum & animarum piſcatores, nimirùm illi Petri dicto ſatisfacientes:* Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, forma facti gregi ex animo. 1.Pet.5.

ORABO *etiam pro ſectariis, nè Petri naui & clauibus adeò temerè & hoſtiliter aduerſentur, ſed vt potius cum Romana Petri Eccleſia, extra quam Chriſtus & Euangelium fruſtra prædicantur, ſeſe reconciliare contendant. Non enim eſt poteſtas, & maximè primatus Petri, niſi à Deo: & qui huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, ſibiq́ damnationem acquirit.* Rom.13.

PETAM *& ſingularem à Chriſto benedictionem Catholicis*

 omni-

omnibus, vt cupidè verbum Dei audiant, & audito Simones, id eſt, obedientes diſcipulos, verbiq́ factores præbeant, quibus in vocatione & piſcatione ſua probè ſuccedat, præſertim huius mundi ceu maris perturbatiſſimi fluctibus ac tempeſtatibus, contra Petri nauim & Catholicam pietatem vbiq́ gentium adeò vt antea nunquàm, deſæuientibus.

DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

MVLTA & grauia Chriſtianæ doctrinæ ſunt capita, quæ Chriſtus in hoc tradit Euangelio. Primum de diſcrimine inter falſam Iudæorum & veram Chriſtianorum iuſtitiam; vt hæc illa præſtantior, magiſque neceſſaria conſtituatur. Alterum eſt de vero ſenſu illius diuini præcepti, Non occides, quod iuſtitiam ac perfectionem longè maiorem à Chriſtianis quàm à Iudæis requirit, nimirùm vt non ſolùm cruenta cædes hominis, quæ cum lege quoque naturæ pugnat, euitetur, ſed etiam ab impotenti animi motu ad vindictam & ira, conuitio odioque fratris abſtineatur. Tertiũ caput eſt de diſtinctis iræ gradibus, vt ſciamus, in hoc præceptum impingentes, ſecundùm culpam & pœnam differre, variiſque modis à Deo iuſto puniri. Quartum addi poteſt de ira hominum non ſolùm reprehenſibili, ſed etiam tolerabili atque laudabili, cũ & Propheta iubeat: Iraſcimini, & nolite peccare.] Nam ira eſt mater diſciplinæ, ſine qua nec doctrina proficit, neciudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur, ſed vitia ſeminantur, nutriuntur negligentiæ, & nõ ſolùm ma-

li, ſed & boni incitantur ad malum, Chryſoſtomo teſte. Poſtremum Euangelij huius caput eſt de reconcilianda pace cum fratre, ſi gratum Deo ſacrificiũ offerre cupias. Gregorius prudẽter admonet, aliam iram eſſe quam impatientia excitat, de qua Chriſtus hoc loco diſſerit, aliam quam zelus iuſtitiæ format, qualis in Phinees apparuit, cùm iratus fornicantes gladio trucidauit: illam enim ex vitio, hãc ex virtute generari. Certè Baſilius Magnus iracundiæ peccatum præclarè depinxit, cùm illam vocat animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, obliuionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dæmonem peſsimum noſtris animis innatum, incolam quendam impudentem noſtra interiora poſsidentem, denique ſancti Spiritus iter ad nos impedientem.]

Homel. 11. in 5. cap. Matth.

Lib. 5. Moralium in Iob. cap 33.

Num. 25.

In Homel. 10. de ira.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ, Matth. V.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarũ & Phariſæorum, nõ intrabitis in regnum cælorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit conſilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Dico vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

VTINAM ego aures audiendi habeam, quid Chriſtus à cœleſti Patre magiſter orbis deſignatus, mihi & credentibus omnibus in Euangelio, & maximè per grauiſſimam concionem in monte habitã commendauit, ac tribus capitibus Matthæus Euãgeliſta deſcripſit. Illic enim aperuit os ſuum ſumma æternaque Sapientia, & abſcondita eructauit à conſtitutione mundi, ſicut Pſalmographus dixit, varias vt vias doceret, quibus verè beati homines efficiantur, cùm miſeri Adæ filij ad fœlicitatem omnes adſpirent. Cæterùm ego inprimis Chriſto iuſtitię doctori, vt à Propheta dicitur, ex animo gratias agam, quòd in hoc Euangelio & adiuncta concione tam excelſa, tam ſacra, tamque erudita, vt nemo alius, nobis tradiderit, & ſic legem Euangelicam patefecerit, quę imbecilles mortales ad perfectæ iuſtitiæ verticem perduceret, ac filios Dei, vt Iſaias inquit, à Domino doctos redderet. Loquitur autem hoc loco de iuſtitia non vulgari, ſed excellenti & abſoluta, quę in Chriſtiana fide fundatur, nec minus interiorem cordis munditiẽ quàm externam morum diſciplinam vitæque honeſtatem exigit, iuſtiſque ipſis regnum cœlorum aperit, quod quidẽ iniuſtis perpetuò manet occluſum. Quæ Chriſtiana iuſtitia omnes virtutum ſpecies ambitu ſuo continet, & Euangelicæ quidem philoſophiæ ſtudioſos præfert Iudæis, immò & philoſophis, & in mundo prudentibus omnibus ſanctiores

eſſe

eſſe vult, quantalibet vitæ integritate alios illi præcellere videantur. Eandem iuſtitiam publicani & peccatores poſtquã Chriſtum docentem audiuerant, fœliciter amplexi ſunt, & illa duce Phariſæos in ſua iuſtitia fidentes longo poſt ſe interuallo reliquerant. Hinc illa Chriſti extat oratio: *Venit ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, vt crederetis ei.* Quis verò non magnifaciat præſentẽ de iuſtitia Chriſtiana doctrinam? cui pœna omnium ſeuerißima mox annectitur, hominem nempè expertem iuſtitiæ, in corpore & anima à Dei regno & gloria excludi, & perpetuis gehennæ ſuppliciis addici oportere. Defendant Iudæi mordicus Moſaicæ legis iuſtitiam & opera, ex quibus teſte Apoſtolo nullus iuſtificatur. Iactent fidei ſuæ iuſtitiam Eunomiani veteres & noui, à fide & Eccleſia Catholica, extra quam nulli iuſtificari vel ſaluari poſſunt, alieni, quandoquidem Chriſtus eos qui Eccleſiæ non obtemperant, pro ethnicis habendos eſſe decernit. Præ ſe ferant alij politicam & ciuilem iuſtitiam, eaque excellenti commendentur, dum coram omnibus irreprehenſibiliter & honeſtè viuunt in Repub. quemadmodum Socrates & Ariſtides, Cato & Scipio inter ethnicos iuſtitiæ laude floruerunt. Sedenim vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, quia *iuſtus ex fide viuit:* & vbi deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt etiam in optimis moribus, ſicut clarè pronunciat Auguſtinus. Phariſæi qui vitam agebant duriſſimam, nulliſque mollitam deliciis, iuſtitiæ & ſanctitatis externum ſpecimen oſtentabant, præſertim vt maiorem ſibi laudem & nominis autoritatem apud populum compararent. Quid verò illorum iuſtitia coram Deo, niſi ſepulchrũ quoddam dealbatum, & interiore ſpurcitia plenum, immò & abominatio quædam, vti Chriſtus ipſe definiuit, exiſtimanda eſt? Ego verò acquieſcam in illa iuſtitia, quam ore ſacro Chriſtus hic tradidit, nec ſolis Apoſtolis, ſed nobis etiam omnibus commendauit, quamque à fidelibus in iudicio ſuo exiget, vt

Matth. 21.

Rom. 3.
Galat. 3.

Matth. 18.

Habac 2.

In ſententijs cap. 106. Et lib. 1. de ſermone Domini in monte.
Matth. 6.

Matth 23.
Luc. 16.

ſecundùm illam iuſtis mercedem, & iniuſtis ſupplicium, ad extremum rependat. Sic enim ipſe teſtatur: *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; ſecundùm opera ſua.* Hanc iuſtitiam agnoſcens Propheta regius dixit: *Dominus retribuet vnicuiq; ſecundùm iuſtitiam ſuam & fidem.* Tum alibi: *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm munditiam manuum mearum in conſpectu oculorum ſuorũ.* Ac iterum: *Ego in iuſtitia apparebo in cõſpectu tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quæ iuſtitia nobis etiam à Salomone commendatur, ita differente: *Iuſtitia liberabit à morte, Seminanti iuſtitiam merces fidelis: Qui ſequitur iuſtitiam, diligetur à Deo. Qui ſequitur iuſtitiam ac miſericordiam, inueniet vitam, iuſtitiam & gloriam.* Nec dubium, in his aliiſque locis eam iuſtitiam prædicari, quæ ſit fidei iuxta & operum interna ſimul & externa, iuſtitia inquam, cordis & operis, qualis in [a] Ioſeph Mariæ ſponſo, & in [b] ſene Simeone, nec non in [c] Zacharia & Elizabeth Ioannis Baptiſtæ parentibus, aliiſq; multis emicuit. Nam & [d] Abel, & [e] Noë, & [f] Patriarchæ tres in ſcriptura laudantur, vt iuſtitiæ titulum habeãt, omnibuſq; ſeculis retenturi ſint. Erant enim iuſti ante Deum, peculiari quadam vitæ integritate conſpicui, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela, nec ſolùm fidem habuerunt, ſicut virgines illæ fatuæ, ſine qua nullus dici haberique fidelis poteſt, ſed vnà cum piis Philippenſibus tanquàm luminaria quædam, aliis in mundi huius tenebris præluxerunt, ita vt operati ſint iuſtitiam, ac demum adepti repromiſſiones. Repromiſit enim Deus iuſtis coronã iuſtitiæ, quã reddet his qui ſe diligunt, quemadmodum ſcriptura diuina luculentiſſimè probat. Et *credere inprimis oportet accedentem ad Deum quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit*, Apoſtolo teſte.

Quæ cùm ita ſint, iſtorum ego conſuetudinem mihi prorſus interdicam, qui hoc ſeculo perniciosè docent, Chriſtum nobis miſſum & datum eſſe vt Redemptorem tantùm cui fidamus, & non ſimul Legiſlatorem cui iuſtè viuendo obe-

diamus. Etenim è ſacris literis planiſſimè conſtat, Chriſtum ſæpè dici Legislatorem, cuius lex de Sion exitura promittitur, & cui nullus eſt ſimilis in legislatoribus, cuius præterea lex immaculata eſt, & conuertit animas, ſapientiam præſtans paruulis. Qui Legislator ita cum ſuis agit fidelibus, vt eos in perpetuo iuſtitiæ cultu conſeruet ac exerceat, ideóq; ab iiſdem pœnitentiam, charitatem & obedientiam præter virtutes alias exigit. Hinc illæ voces: [a] *Pœnitentiam agite.* [b] *Hoc fac & viues.* [c] *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Tum à ſuis digreſſurus Dominus, iniunxit ea fidelibus baptizatis ſeruãda proponi omnia, quæcunque ipſe mandaſſet. Sed neq; illis aſſentiar, qui fingunt, Euangelium nihil eſſe niſi nudam & abſolutam æternæ vitæ promiſsionem, remota conditione obſeruationis præceptorum, quæ iſti quidem non ſine fœda blaſphemiæ nota non modò renatis grauia, ſed etiam ad implendum impoſsibilia eſſe contendunt & vulgo perſuadent. Quaſi verò mentiatur Veritas, quæ iugũ ſuum ſuaue, & leue onus eſſe aſſerit, & velut ad Euangelium nõ ſpectent illæ clariſsimæ ſententiæ: *Qui me diligit, præcepta mea ſeruabit. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Si mãſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis. Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.* Æquè mihi cauendi ſunt impoſtores, qui Chriſtianam iuſtitiam in ſola fide collocant, & Paulo apertè contradicunt, vbi de ſeipſo pronunciat: *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autẽ non habuero, nihil ſum.* Idem præterea docet, Chriſtum ſibi obtemperantibus, id eſt, mandata ſua ſeruantibus, ſalutis æternæ cauſam eſſe, nec auditores quidem legis iuſtos fore apud Deum, ſed factores legis iuſtificari. Fides enim ſine operibus tantum abeſt vt iuſtificet, vt & mortua verè Iacobo dicatur, & ad maiorem damnationem his conferat, qui ſciunt & non faciunt Dei voluntatem, peccantq; voluntariè. Gloriabor autem in Chriſto legislatore, qui Pſalmographo te-

Iſai. 33. Iacob 4. Pſalm. 9. Iſai 2. Iob. 36. Pſalm. 18. a Matth. 4. b Luc. 10. c Matt. 19. Matth. 28. Matt. 11. Ioann. 14. Ioann. 15. 1. Ioann. 5. Hebr. 11. 1. Cor. 13. Hebr. 5. Rom. 2. Iacob. 2. Luc. 12. Hebr. 10. Pſalm. 83.

ſte, dat benedictionem, qualem Moyſes dare non potuit, vt credentes de virtute in virtutem eant atque proficiant, donec Deus Deorum in Sion videatur. *Iuſtorum enim ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſq; ad perfectam diem*, vt notauit Salomon. Ego verò ingentes Deo gratias agam, qui Chriſtianum populum hac illuſtri ornauit prærogatiua, vt iuſtificati, Euangelicæ iuſtitię viam agnoſcere, & accepti Spiritus virtute perambulare poſſint, omnia opera noſtra operante in nobis renatis Deo, qui operatur & velle & perficere, noſtramque adiuuat infirmitatem. Quod vt Paulus confirmet, Chriſtianæ gratię beneficium eò refert, vt iuſtificatio legis impleatur in nobis credētibus, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Atque hûc ſpectat nō minus illuſtris quàm ſuauis Dei promiſsio, quæ Chriſtianos à Iudæis ſeparat ac conſolatur, in hunc modum ſonans: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corda eorum ſcribā eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Conſonat Propheta Ezechiel, per quem æquè magnifica promittit Deus inquiens: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Adiungit & illud: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.* Dabo interim operam, vt me Chriſto gratum ſimul & obediētem oſtendam, qui mihi prorſus immerenti Euangelicam gratiā impertiuit, vt cum renatis de manu inimicorum liberatus, ipſi tota vita ſeruiam in ſanctitate & iuſtitia; qui præterea mihi ad præſtandum Chriſtianæ iuſtitiæ officium ſanctiſsimas leges partim ſcripto, partim viua voce editas tradidit, multaſque vias & facultates ad iuſtitiam hanc exercitandam, cōfirmandam & augendam tribuit, nouamque ſemper gratiam vt iuſtior fiam, mihi petenti, quærenti & pulſanti conferre paratus eſt. Tantòque magis in hoc iuſtitiæ ſtadio pugnanti mihi fuerit vigilandum, quantò certius intelligo, immutabili lege ſancitum eſſe, nullus vt iniuſtus & impurus hoſpes tandem in cœleſtem patriam admittatur, atque vt

ſuum quiſque vel præmium vel ſupplicium recipiat pro anteactæ iuſtitiæ aut iniuſtitiæ ratione atque menſura. Vnde in mentem ſæpè reuocabo tum Pauli ſententiam: *Vnuſquiſq; proprium mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*, tum illud Ioannis præceptum: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc*, quodque Sapiens cuique fideli commendat: *Nè verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Demum quia duæ ſunt iuſtitiæ partes, *Declina à malo, & fac bonum*, ſicut & Auguſtinus comprobat, eas vt ad benè beatèque viuendum neceſſarias, quicquid alij garriant, ego mihi valdè commendatas habebo. *Qui enim facit iuſtitiam, iuſtus eſt: qui facit peccatum, ex diabolo eſt*, ſicut Ioannes diſertè teſtatur. Chriſtusque futurus tandem omnium iudex non obſcurè pronuntiat: *Ibunt hi* (qui mala fecerunt) *in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam*. Sicut & alibi ſcriptum extat: *Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces illorum*. Eam verò mercedem Paulus extollit, cùm affirmat, Deum ſecundùm patientiam boni operis redditurum electis gloriam, honorem, incorruptionem, illudque præmium, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.

1.Cor.3. 1 Ioann.3. Apocal.22. Eccleſ.8. Pſalm.36. Serm.59.de tempore. 1.Ioann.3. Matth.25. Sapient 4. Rom.2. 1.Cor.1.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: Qui autem dixerit fratri ſuo, racha: reus erit conſilio. Qui autem dixerit, fatue: reus eſt gehennæ ignis.

EX vno & quinto decalogi præcepto *Non occides*, quod Chriſtus nobis explicat, alia etiam plura diuinæ legis præcepta diſcam intelligere, vtpote in illis non modò manũ, vt dici ſolet, ſed & animum, nec ſolùm operis, ſed & cordis iniuſtitiam fidelibus prohiberi, ſimúlq; ſingularẽ tum interiorẽ tũ exteriorem iuſtitiam ac æquitatem ab illis requiri. Proinde mihi ſatis nõ erit, ab adulterij ſiue fornicationis, furtique

Exod.20. Matt.5.

& rapi-

& rapinæ crimine abſtinere, quæ ſcelera vel impij ſæpè deteſtantur: verumetiam vt ſecurim ad radicem vitioſæ arboris ponam, à Venereę libidinis & rei alienę concupiſcentia meũ ſeruare animum impollutum ac integrum nitar. Nam totius puritatis author & amator Deus caſtum & mundum pectus ſimul & corpus exigit, qui ſuos electos vult mortuos eſſe peccato, & iuſtitiæ tantùm viuere, iuxta illud Paulinum: *Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato; viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Petrus Apoſtolus ita dixit: *Vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus.* Verùm hîc mihi de praua hominis concupiſcentia cogitandum eſt, quæ in renatis & iuſtis etiam manet, illiſque luctam quotidianam carnis contra ſpiritum excitat, & præterea Chriſtianæ iuſtitię diuinæque charitatis perfectionem in iiſdem iuſtis impedit vehementer. Vnde Paulus etiam Apoſtolus ingemiſcit & clamat: *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Noſtrum interea & iuſtorum omnium officium eſt, eiuſmodi concupiſcentiæ ad illicita ſollicitanti non modò non obſequi & cooperari, ſed nè cõſentire quidem, & impuris illius titillationibus in corde non oblectari. Quoniam verò quamdiu in hac vita corruptibili degitur, hanc ipſam concupiſcentiã, velut domeſticum hoſtem, circumferre cogimur, illam in nobis nunquàm non odio perſequi, eiuſque vires frangere & minuere iubemur, vt canonem illum Apoſtolicum obſeruemus: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ: & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* De hac concupiſcentia monet quoque Iacobus Apoſtolus ita ſcribens: *Vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, nimirùm ob fomitem naturâ homini inſitum, & baptizatos etiam ad malum ſemper inclinãtem. *Quæ concupiſcentia cùm conceperit*, accedente ſcilicet vitioſa peccandi delectatione atque libidine, *parit peccatum. Peccatum autem* (iam homine tentationi oblatæ conſentientę) *generat mortem.* Deus enim, cui aperta ſunt omnia, etiam ſe-

cre ô

precantis voluntatem ac propoſitum intuetur, nec mi
it, ſimulque pro ſua punit iuſtitia. *Fortis enim eſt & Ze-
uiſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartã
tionem eorum qui oderunt illum*, de quo cecinit inſuper
: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*. Ex quibus de-
colligã, quàm rectè Paulus Apoſtolus fideles omnes
monefaciat: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpo-
bediatis concupiſcentiis eius*. Nec eſt peccatum quidem,
uſtino credimus, niſi prauus liberæ voluntatis aſſen-
m inclinamur ad ea quæ iuſtitia vetat, & vnde liberum
tinere. Conſonat Apoſtolo Sapiens cùm præcipit:
*ncupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si
animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium ini-
tis*. Quid autem peccato deteſtabilius atque pernicio-
cam, quod ſiue in ſolo conſenſu permaneat, ſiue in fa
pſum vſque procedat, liberum hominẽ peſsimis ſub-
micis, tetris nempè Dæmonibus ac perpetuæ damna-
A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt, vt Pe-
irmat. Vnde minus ego mirabor, Chriſtum hîc velut
tiſsimum medicum, aduerſus malam & propriam vo-
em diſſerere, cùm ſciret, ſolam hominis voluntatẽ eſſe
æ damnationis cauſam, & ſicut bona voluntas om-
bonorum origo, & virtutum eſt mater, ita ex mala vo-
e tãquàm è fonte, vitia omnia dimanare, quemadmo-
ernardus perſpicuè docet. Eius hoc quoque dictum
Quid odit aut punit Deus præter propriam volunta-
Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem
gnis ille deſæuiet, niſi in propriam voluntatem? Cæ-
inter omnia Dei dona quæ ad ſalutem hominis ſpe-
dentur, primum inquit, & principale bonum bona
as eſſe cognoſcitur, per quam imago Dei in nobis re-
tur.]
propter ſi Chriſto animarum medico placere, & Euã-
uſtitiæ particeps eſſe cupio, me tanquàm ægrotum,
que curatione indigẽtem ſtatuam, quoniam in illud

præce-

Exod. 20.
Pſalm. 5.
Rom. 6.
De Geneſi ad literã. cap. 1.
Eccleſi. 18.
2. Pet. 2.
De vita ſolitaria, & ſerm. 3. de Reſurrect.

præceptum, *Non concupiſces*, frequenter impingo, prauamq́; concupiſcentiam ſubinde ebullientem non ita peritè ac fortiter comprimo, vt ſicut Propheta loquitur, paruulos ipſos ad petram allidam. Dolebo inſuper, me gratiæ diuinæ non magis cooperari, vt voluntarius in bonum aſſenſus, qui virtus dicitur, in me magis magisque confirmetur & creſcat, nè vſquàm diuinæ volũtati, quæ vnica humanorum actuum eſt ſcopus & regula, voluntas mea renitatur. Quæ voluntas mea non rarò, proh dolor, ad malum procliuis, & in bono imbecillis & inſtabilis eſſe ſolet, neque ad oblatam gratiam ſeſe applicat, vt in via propoſita iuſtitiæ progreſſum faciat, & ad meliora conſurgat. Tantòque magis vocem illam Apoſtolicam ſequar: *Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite & confortamini.* Iam verò in verbis Domini, quæ contra vitioſam iram inſtituuntur, valdè notabo, me & Chriſtianos omnes longè magis atque perfectius, quàm olim Iudæos, ad Euangelicam iuſtitiam inſtrui & obligari. Sicut enim lex vetus cædem ſeu homicidium vetat ac damnat: ita lex à Chriſto in Euangelio tradita, omnem prauum animi motum, qui ad proximum lædendum referri poteſt, ac vno nomine ira dicitur, omninò præſcindit, ac grauiſſimè prohibet atq́; caſtigat. Nam qui iuſtus eſt Dominus & iuſtitias diligit, fraternáque hominum charitate maximè delectatur, cuiusque animum ab ira, odio & contumelia prorſus alienum exigit, vt nec verbo aliquem laceſſere, nec fatue quidem dicere ſine certo diuini iudicij periculo liceat. Vbi varios iræ prohibitæ gradus obſeruabo, ſicut Chriſtus hoc loco tradidit: quoniã alia intra pectus latet, nec ſeſe vlli prodit: alia leue quoddam internæ commotionis ſpecimen oſtendit, alia in apertum erumpit cõuitium, alia tam immaniter charitatem extinguit, vt vitam fratri adimat, vel eum in anima & corpore inſigniter lædat. Cùm igitur infœlix ira ſuos habeat gradus atque progreſſus, vt à leuioribus ad grauiora, & niſi coërceatur, ad

horrendum homicidium, immò gehennam vſquè procedat: quid mirum quæſo, diuerſos etiam iræ peccato reatus, variasq́; pœnas adſcribi, & ab iraſcente diuinitus poſtulari? Nam prior iræ dictæ gradus & modus, ſi conſenſus voluntatis accedat, diuino iudicio: ſecundus multorum iudicum in cœlis conſeſſui ſiue concilio, qui de futuro ſupplicio deliberant: tertius verò, & ſi quid eo deterius cōſequitur, extremo gehennæ ſupplicio, quo nihil grauius ac terribilius infligi metuiq́ue poteſt, totum hominem obnoxium reddit. Tam ingens periculum iraſcentibus à Chriſto denunciatur, tantumq́ue malorum hoc vnum crimen homini creat, quod tamen inter mortales vſitatiſſimum, & vbiq́ue gentium domi ac foris familiariſſimum eſſe conſueuit. Quæ verò lerna malorum ex ira non prouenit? amarulentia, odium, furor, contentio, diſſidium, ſeditio, rapacitas, violentia, cædes, aliæq́ue peſtes exitiales, quæ in familiis & ciuitatibus, multis aliquando ſeculis graſſantur, & ſopitæ facilè recrudeſcunt. Hinc iam ego mecum accuratè perpendam, metuendam eſſe ſummi Dei iuſtitiam, qui longè aliter quàm ab hominibus fieri ſolet, de peccatorum gradibus, & futuris in alio ſeculo pœnis omnes & ſingulos mortales iudicare decreuit. Præcipit ſanè hoc loco Chriſtus, non ſolùm vt manum à cæde vel percuſſione contineam, ſed etiam vt animum ab omnibus affectibus ad proximi offenſionem propenſis ſeruem immunē, eumq́ue contrariis virtutibus imbuam. Nec enim ſat eſt malum pro malo nulli reddere, niſi & bonum pro malo reponam, & ſiue amicum, ſiue inimicum ex animo diligam, vt omnis iraſcendi occaſio ſubmoueatur. Siue autem fratri dixero fatue, quod ad manifeſtum conuitium ſpectat, & gehē-næ igne plectendum eſt, ſiue Raca protulero, vt indignantis animi qualemcunq́ue motum prodam, ſiue occultè alicui ſuccenſuero, vt vindictæ appetitum duntaxat in mente referuem, nō modò Deum ipſum offendo, & conſcientiam meā polluo: verùm etiam certis grauibusq́ue pœnis vel in hac vel in futura vita expiandis meipſum obligo, dignus vtiq́ue co-

ram ſum-

ram ſummo iudice accuſari, & multorum contra me delibe-rantium ſuffragiis argui atq́ue conuinci, quin etiam extremi ſupplicij reum ab eo proclamari iudice, cuius ſententia & ir-refutabilis eſt & irretractabilis. An quicquam illo verbo for-midabilius, in quod toties incidunt iracundi? *Qui dixerit* inquit, *fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ.* Verè igitur à Petro Apoſtolo dictum eſt: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & pecca-tor vbi parebunt?* quandoquidem & ille qui credit & orat, multáque piè facit, propter ſolum iniuſtæ vindictæ appetitũ, & ob verbum vnum contumelioſè prolatum, niſi ad frater-nam charitatem redeat, Dei regno priuatur, & igne ardet in-extinguibili, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Vnde mihi notandum putabo, quod Ephrem Baſilij Magni diaco-nus in hunc modum ſcribit: Ex conſenſu Dominus iudicat adulterium, & ex mulieris cupiditate factum metitur, & cæ-dem ex iracundia, & odium exiſtimat homicidium. Nè dixe-ris ergò nihil eſſe cogitationes, quando conſenſus carũ pro factis exiſtimatur, & omnium quæ voluntas approbat, Deus rationem repetit. Actionis autem vis & caput in ipſo conſen ſu & propoſito ſitum eſt.] Ad quæ probanda idem author adducit, quod Chriſtus aduerſus Phariſæos differẽs affirmat, malas cogitationes de corde hominis exire, ſicut & oculum malum & ſtultitiam, quæ hominem coinquinent vel macu-lent. Citat inſuper Apoſtolum adſtruentem: *Digni ſunt mor-te non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Hinc monet quoq́ue Tertullianus, Dominum adulterium & in concupiſcentia deſignare, ſi oculum quis impegerit li-bidinoſè, & animam commouerit impudicè: qui homicidiũ etiam in verbo maledicti vel conuitij, & in omni impetu iræ iudicet. Sed & Auguſtinus hoc aſſerere nõ dubitat: Propter peccata cogitationis etiam ſine voluntate perficiendi, ſed cũ voluptate oblectandi totus homo damnatur.] Eadem eſt Caſsiani ſententia, ſicut hęc illius verba declarant: Dominus non ſolùm pro operationis effectu, ſed etiam pro voluntatis ac voti deſiderio vnicuiq́ue aut præmium reddet, aut pœnã,

ſecun-

ſecundùm illud quod ipſe loquitur per Prophetam: *Ego aut tem opera corũ, & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis.* Quo magis ego Deum timens operam dabo, vt cum Sara virgine teſtari poſſim: *Tu ſcis Domine, quia nunquàm concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia.* Sicut & cum Iob ſancto acæquè pudico ſyncerè pronunciabo: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem quidem dè virgine.* Obſiſtam igitur prauæ ſiue cogitationi ſiue affectioni, quæ me ad peccandũ pellicit, vt irruenti hoſti voluntate & conſenſu omninò renitar. Amat enim Chriſtus Eunuchos Euangelicos, qui caſtrant ſe ipſos propter regnum Dei, quiquè oculum & manum pedemque ſcandalizantem eruunt ac proiiciunt. Peculiariter autem meum confirmabo pectus aduerſus iram, verè noxiũ animæ virus, quo grauius illi vulnerantur, qui naturam concitatiorem ac bilioſam adferunt, niſi rebellem ac ferocem hanc ancillam velut Agar, heræ ſuę Saræ, id eſt, ſpiritui atque rationi ſedulò ſubiiciant, illique ſubiectam ſeruent. Chriſtus enim, cuius in pace factus eſt locus, vt mites oues diligit, ita pugnaces hœdos, & iracundos canes, ſæuoſque lupos inprimis auerſatur, ſuamque domum è familia pacifica & concordibus inter ſe fratribus conſtare gaudet, vt cor vnum & animam vnam omnes habere videantur. *Habete in vobis* inquit, *ſal, & pacem habete inter vos. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Etenim ſicut ille humanam ſuperbiam & credentium diſcordiã maiorem in modum deteſtatur, ſic fraternam fidelium charitatem tantoperè amat, & ab omnibus deſiderat, nulla vt illam ratione ſcindi, aut etiam leuiter violari offendique permittat. Quare Paulus hos nobis canones tradidit: *Iraſcimini & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* Ita Ioſeph ſuos fratres ad patrẽ & patriam remiſſurus, nõ temerè illud iniunxit: *Nè iraſcimini in via.* Nec ſolùm Eccleſiaſticus præcipit: *Nè ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſi-*

Iſai. 66. Tob. 3. Iob. 31. Matth. 19. & 6. Geneſ. 16. Pſalm 75. Actor 4. Marc. 9. Ioann. 13. Epheſ. 4. 1. Tim. 2. Geneſ. 45. Eccleſ. 7.

nu ſtulti requieſcit, ſed etiam Iacobus Apoſtolus hoc poſtulat, vt veloces ad audiendum, tardos autem ad loquendum & ad iraſcendum nos præbeamus, quãdoquidem *ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Semper autem illud mihi à Chriſto diſcẽdum eſt, qui nõ modò ſe velut agnum mitiſſimum etiã hoſtibus immaniſsimis præbuerit, ſed cunctis inſuper fidelibus ita præceperit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Errant igitur vehemẽter, quotquot non ſolùm iram, ſed etiam odium fratris, iram ſcilicet inueteratam, leuiter æſtimant, & ad animi verborumq; acerbitatem facilè prorumpunt, moroſi & aſperi, leui etiam de cauſa ſæpè contendentes, & Apoſtolicam regulam non ſine graui charitatis iactura violantes. *Omnis* inquit, *amaritudo & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Et Ioannes vti charitatem fraternam diligenter inculcat, ita & hoc grauiſsimè pronũtiat: *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Quid multis? ſummopere mihi fugiendum eſt hoc vipereũ & ſerpentinum venenum (iram loquor) quod hominẽ tantum non belluam, ac furibundum reddit, ſępèque turbas funeſtas & ſeditiones ingentes excitat. Cõtra hoc diabolicum telum (iracundiæ impetum) me aliosque præmunire cõtendam, & Apoſtolicum illud pharmacum ſemper ad manum habebo: *Si fieri poteſt* inquit, *quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes: non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit Dominus.*

Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

MAGNAS Chriſto gratias debeo, qui vt ſe perfectæ iuſtitiæ do-

tiæ doctorem præſtaret, vniuerſam Dei legē ad affectus tranſtulit, & puros credentium animos exegit in rebus agendis omnibus, ſi eius diſcipuli eſſe cupiamus. Quis vnquàm credidiſſet, Chriſtianæ profeſsionis tantam eſſe ſublimitatem atq; perfectionem, niſi Dei Filius de cœlo deſcendens, hanc inauditam philoſophiam in terris tradidiſſet? Atq; hûc noua etiã doctrina & exhortatio ad fraternam reconciliationem pertinet, quæ tanti momenti eſt, vt quicquid neglecta illa credideris, ſperaueris, oraueris, erogâris ac ſuſtinueris, id vel fruſtraneum, vel ingratum ſit Spiritui ſancto. Quarè magna mihi neceſsitas indicitur, vt qualemcunque proximum verbis aut factis vnquàm offenderim, offenſum citò & ſyncerè placem, & cum illo in gratiam redeam, ſi communem Dominũ in hac futuráq; vita mihi reconciliatum, perpetuòque propitium habere cupiam. Sed ò ſtupendam ſemperqúe laudandam ſummi Dei bonitatē, qui debito ſibi cultu priuari mauult, quàm inter duos fratres debitam arctamqúe coniunctionem diruptam diſſutamqúe permittere, quæ ſi aliqua ex parte labefactata eſt (nã & amantes inter ſe facilè diſſentiunt) primo quoqúe tēpore inſtaurari, ac perſtare integra debet. Vt hinc ego iure diſcam, veræ concordiæ, fraternæqúe charitatis & amicitiæ curam in omni vita habere maximã, ſummóque pacificationis & ſubmiſsionis ſtudio teſtari, non fictam ſed ſeriam in me voluntatem ineſſe cum fratre offenſo in gratiam quàmprimùm redeundi, illumqúe mihi ſyncerè conciliandi. Quod ſi illum cogitatione læſerim, cogitatione me illi reconciliabo: ſi verbis offenderim aut operibus, verbo etiam & opere vt illi ſatisfaciam decet, iuxta illam Chryſoſtomi regulam: Qualis præceſsit offenſio, talis debet ſequi reconciliatio. Iam verò quando mihi cum offenſo proximo conuenit, Deum ipſum rectè colo, & Euangelicum præceptum obſeruo, immò & naturã cœleſtis patris tanquàm germanus filius exprimo, ſiue merenti, ſiue immerēti fratri hoc charitatis officium tribuam & impendam. Eâdem ratione fiet, vt frater cuius gratiam & fauorem ambio, meo admo-

Homel. 11. in homeliis non abſolutis.

neatur exemplo ad charitatem ſimilem & mihi & aliis exhibendam, & fortaſsis eundẽ, qui velut ouis erat perdita, Chriſto lucrifaciam. Certè Chriſto non poterit non eſſe gratum hoc reconciliandi ſtudium, tum quòd ſanctæ illius volũtati paream, cui omnem obedientiam debeo, tum quòd ipſius venerandum ſequar exemplum qui cùm Iudam diſcipulum ſibi maximè offenſum, & in proditionis inſtituto obſtinatũ haberet, multis tamen humilitatis & charitatis officiis adhibitis procurauit, vt ferreum illius pectus, ſi fieri potuiſſet, ſibi demereretur. Quapropter abſolutionis beneficium à ſacerdote non petam, nec ad altare aliquid oblaturus accedam, multòquè minus ſacroſanctam Euchariſtiam percipiam, niſi præceptum diuinum de offenſis remittendis, & de pace cum fratre redintegranda mihi primùm obſeruetur. Vnde probatus & ſolennis ille mos apud multos durat, vt communicaturus, præſertim ægrotus, & veniam offenſoribus tribuat, & viciſsim ab offenſis petat. Grauiter autẽ delinquo, ſi abſque reconciliatione me ſacris immiſceo, & aduerſus fratrẽ quem læſi, animum malè affectum ſeruo, quandoquidẽ legem Chriſti temerè violo, & munus Deo ingratum offero. Mandat enim Dominus, nè momentaneam quidem iram à nobis admitti vel in animo retineri oportere, immò nec ſacrificia vlla ſpiritualia orationum noſtrarum permittit offerri, ſi vel alium contra nos aliquid rancoris habere cognoſcamus. Vt enim Caſsiani verbis vtar, volẽs Chriſtus occaſiones iracundiæ radicitus à cordibus noſtris euellere, nõ ſolùm ſi læſi fuerimus, iubet nos remittere, & recõciliari fratribus noſtris, nullamquè aduerſus eos iniuriæ ſeu læſionis memoriam retinere: ſed etiam ſi illos aduerſum nos ſeu iuſtè ſeu iniuſtè habere aliquid nouerimus, ſimiliter præcipit, vt munus noſtrum relinquentes; id eſt, compeſcentes orationes noſtras, ad eorum prius ſatisfactionem tendere feſtinemus, & ita fratris curatione præmiſſa orationum noſtrarum munera illibata deferre.]

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt Chriſtianæ perfectæq́ iuſtitiæ deſiderium & ſtudium multis iniuſtis tribuat, ac primùm quidem, vt ego contractas iniuſtitiæ meæ labes perfectius cognoſcam, & cognitas adhibita pœnitentiæ ſpongia abſtergam & diluam in Chriſto* IESV *Domino noſtro.*

ORABO *inſuper pro efficaci gratia infirmitati noſtræ neceſſaria, vt minorem vim atq́ tyrannidem in Chriſtianis obtineant praui vitiorum habitus & affectus, potiſsimùm autem iracundiæ, inuidiæ, odij, impatientiæ, vindictæ & concupiſcentiæ, quatenus fraternæ charitati, quæ legis plenitudo eſt, aduerſantur. His* Rom.13. *enim pernicioſis animorum peſtibus effici ſolet, vt omne ſcelerum genus in familiis, ciuitatibus atq́ prouinciis impunè graſſetur, veraq́ bonorum & Reipub. coniunctio, pax, diſciplina & virtus miſerandum in modum perturbetur atq́ diſsipetur.*

PETAM *& gratiam ordinibus Eccleſiæ omnibus, vt hi charitatem fraternam, quæ paſsim elanguit & refrixit, nouo ſtudio nunc erigant atq́ reſtituant, initio quidem facto ab ignoſcentia & reconciliatione verè fraterna & neceſſaria.* Vnus enim panis, 1.Cor.10. & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus, *Apoſtolo teſte.*

DOMINICA VII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM hiſtoriam continet, quæ Chriſti Domini tum admirandam miſericordiam, tum diuinam virtutem euidenter oſtendit, dum in ſolitudine verſans,

quinque hominum millia per ſeptem panes à ſe benedictos ac diſtributos alit, neque contentus cõmunem tantæ turbæ famẽ extinguere, omnes inde ſaturatos dimittit, ſeptemq; ſportas de reſiduis panum fragmentis colligi facit. Apoſtoli ſuam hîc fidem infirmã produnt, quòd humano iudicio nitentes, tam frequentem hominũ multitudinem ſeptem panibus in deſerto ſuſtẽtari poſſe diffidant: in hoc tamen laudandi, quòd victu paruo contenti, ſua etiam quamuis modica, libenter egentibus porrigant. Iam verò in præſente populo ſingularis elucet pietas, quoniam ad vaſtam ſolitudinem vſque Chriſtum comitatur, totumque triduum cum illo verſatur, de verbo Dei audiendo magis quàm de neceſſario cibo comparando curam gerens. Solida verò laus in vno Chriſto conſiſtit, qui etiam non rogatus, tanti miraculi ſimul & beneficij author tot hominum millibus fuit, & ſicut præſentibus, ita quoque futuris fidelibus demonſtrauit, quantam ipſe ſuorum in corpore & animo curam ſuſtineat, quum ipſi in via ſalutis confidunt & adhęrent. Non diſsimilem hiſtoriam Ioannes exponit, & nos quibuſdam notis illuſtrauimus in Dominica Lætare dicta. Chryſoſtomus prudenter admonet, Chriſtum hîc non ſolùm corporibus, verumetiam animis alimenta præbere voluiſſe, ſimulque ſuos inducere ad humilitatem, abſtinentiam, charitatem mutuam, & vt omnia communia eſſe putarent: quoniam non plures panes ac piſces adhibet, & omnibus communiter eadẽ proponuntur, & æqualiter diſtribuuntur. Notat inſuper Theophilactus, Chriſtũ hîc nobis ita eſſe ſpectandum, vt qui velit nullum à ſe ieiunum dimittere, ſed donorum ſuorum participem quemlibet reddere, maximè eos qui triduo apud ſe manent, hoc eſt, baptizatos. Tum prudenter indicat Ambroſius, ſi in via deficere nolimus, illud in nobis eſſe ſitum, vt manus extẽdamus ad accipiendam eſcam: nullam enim noſtræ damnationis cauſam in Chriſtum poſſe referri, qui bonorum omnium eſt diſpenſator, quique miſeretur, frangit ac diuidit panes, quos ille per diſcipulos offert omnibus, ſi tantùm eos manu aperta velimus amplecti.

6. l. 50. in zum. angel. Lucã.

EVAN-

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Marc. VIII.

CVM turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent: conuocatis IESVS *diſcipulis, ait illis, Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habēt, quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui, Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos, Quot panes habetis? Qui dixerūt, Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. Et manducauerunt & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.

SICVT in aliis Euangelicis miraculis, ita hic etiam Chriſti Domini potentiam ſimul & bonitatem verè diuinam agnoſcam, & incõparabilem illius virtutem ac gratiam in miſeris iuuandis mortalibus non ſine gratiarum actione ſuſpiciam & colam reuerenter. Quarè non meo tantùm, ſed totius etiam Eccleſiæ nomine cum Nicodemo fatebor: *Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Sed & meam ipſe ſocordiam & oſcitantiam arguam, quòd in Chriſto quærendo, audiendo, complectẽdo, ſectando tam malè proficiam, vt præſentibus Iſraelitis nequeam comparari. Nam hi relictis ædibus & ſepoſitis negotiis tum priuatis tum publicis, non ſine longis itineribus ad Dominum proficiſcuntur, docentem eum ad mare, montes & ſolitudines vſque proſequuntur, tantáque in audiendo illo cupiditate flagrant, vt rerum domeſticarum, & victus ad vitæ ſuſtentationem neceſſarij obliuiſcantur, totoq́; triduo ſine domo, ſine lecto, ſine hoſpitio, ſine commeatu cũ Chriſto ſponte in deſerto perdurent, ſuper nudam quoque humum cubare contenti, & apud illum aſſidui. Tam ægrè illi à Chriſti conſpectu atque conſortio, eiuſque paſcuis abſtrahuntur, veluti cum Gentilibus qui aſcenderant Hieroſolymam, ſibi ſumerent illud: *Volumus Ieſum videre*; & perinde ac ſi cum Petro dicerent, *Bonum eſt nos hîc eſſe*; & cum quibuſdam militibus: *Nunquàm ſic loquutus eſt homo, ſicut hic homo loquitur.* Tales nimirùm auditores Chriſtus, qui laborem & dolorem conſiderat, miſericorditer aſpicit, libenter paſcit, & abundanter reficit: horum pio & flagranti ſtudio inprimis delectatur, cibumq́ue tum ſpiritus tum corporis illis liberaliter elargitur. Hîc enim impletur dictum Propheticum: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperãt ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Eandem Dei benignitatem ſenſit Elias, cui ſumma rerum penuria laboranti diuino iuſſu corui ſeruierunt, quoniam panem & carnes illi mane ac veſperi deferebant.

Nec

Nec eſt diſſimile, quod [a] Athanaſius & [b] Hieronymus tradũt, diuino nutu veniſſe coruũ, qui panem ſummis Anachoretis Paulo & Antonio apportâret, eosque nutriret. AEquè clementer Iudæis proſpectum fuit, vt in vaſto deſerto peregrinantibus victus & veſtitus multis annis ſuppeteret, Deo ſuum populũ non minùs humaniter quàm mirabiliter conſeruante, immò & cœleſtem panem quotidie ſuppeditante. Dolebo igitur, mihi deeſſe hanc eſuriem & ſitim iuſtitię, quę in præſente hominum turba viguit, & corporalem alimoniam, immò & ſaturitatem impetrauit, ita vt Chriſtũ vtriuſq; hominis verum perfectumque paſtorem experirentur. Ego ſpiritualis panis, qui animam reficit, tanto deſiderio non teneor, vt cum diſcipulo æternæ ſapientiæ teſtari poſſim quod ſcriptum eſt: *Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* Beatos autem iudicabo Euãgelicæ philoſophiæ ſtudioſos, quales Dauid peritè depingit, qui nempè ſunt immaculati in via, & ambulant in lege Domini, & ſcrutantur teſtimonia eius, & Dominum exquirunt in toto corde. Talis autem vtique Dauid ipſe fuit, legis diuinę adeò ſtudioſus, vt licet regale munus adminiſtraret, bona tamen conſcientia diceret: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? ſuper mel ori meo: dilexi ea ſuper aurum & topazion.* Ego verò nec intus loquentem in me Dominum, nec ſonantem foris Euangelij vocem deſideranter & religiosè complector, neque amorem, voluptatem & fructum verbi Dei perſentio, ſicut illi ſanè perſenſerunt, quorum aperta erat confeſſio: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Vtinam quod pœnitenti Magdalenæ obtigit, mihi ſaltem donetur, vt verbum Dei humiliter audiam, ad dominicos nempè pedes, & meum paſcam animum pane cœleſti, curis ac negotiis excluſis omnibus, quæ ſtudioſos etiã auditores Euangelij remorantur, ſæpè & infrugiferas ac ſte-

a In vita Antonij.
b In vita Pauli Eremitæ.
Deutero. 8.
Exod. 16.
Sap. 8.
Pſalm. 118.
Ibidem.
Luc. 24.
Luc. 12.
Matth. 13.
Luc. 8.

riles velut arbores reddunt, vt hinc exareſcant & ardeant, iuxta illud: *Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Beati autem qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt.*

Præterea docet me famelica turba, cuius in præſenti Euãgelio laus eſt, ſuper terram diſcumbere, hoc eſt, in his quæ ſanctè docentur & diſcuntur, non altum ſapere, nec inflato eſſe animo, ſed humilibus conſentire, nec aliis me præferre, ſicut Paulus à veris Chriſti ouibus meritò exigit. Simplicibus enim ac paruulis Dei myſteria reuelantur, quæ prudentibus & curioſis abſconduntur. Ouibus nihil conuenit magis, quàm ſubmiſſè ſeſe gerere, vt ſuos paſtores & duces habeant & ſequantur, ex illorum ductu & arbitrio pendeant, omnemque illis ſubiectionem & obedientiã ex animo præſtent. Norunt enim illos Chriſti eſſe legatos, & Angelos Dei exercituum, quos cùm audiunt, Chriſtum ipſum audiunt, & Deum in iis loquentem ac regentem ſentiunt, totiesque cœleſti benedictione dotantur, quoties per ſacerdotum manus Dei verbo & Eccleſiæ ſacramentis aptè reficiuntur. Proinde Dominus ſummo ſacerdoti Aaron eiusque filiis præcepit, vt populo Iſraëlitico diſertis verbis in templo benedicerent, hac etiam addita promiſsione: *Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicã eis.* Facit interim Deus quod fidus præceptor apud ſuos obſeruat diſcipulos in docendo, videlicet auditores omnes amet quamlibet rudes ac imbeciles, eorum tamen indole ac docilitate maximè delectetur, quos in diſcendo reliquis alacriores ac fœliciores reipſa cõperit. Eſt enim Deus, vti Paulus loquitur, *inquirentibus ſe remunerator*, qui de ſeipſo prædicat: *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me.* Rurſus eiuſdem turbæ diſcam exemplo, ſic in huius mundi deſerto peregrinari, vt propter Chriſtum, eiusque verbum vel amiciſsimos negligam, & familiares curas ſubinde ſeponã. Hoc enim eſt Chriſtum præeuntẽ ſequi, cum illo in deſerto viuere, ſicut Moyſes cum Deo quadraginta diebus in monte permanſit, ſeque

huic

huic ſummo paſtori adiungere, vt ardenter cum Petro dicā: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et cũ Propheta: *Vt iumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum. Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram?* Quarè Chriſtum vt mundi lucem iuſtitiæq́ue doctorem ſemper ob oculos feram, meam fidem & ſpem in illo collocabo, ardenti illũ amore proſequar, cum Pſalte regio profeſſurus: *Non diſcedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.* Ac feſtis quidem diebus hoc mihi maximè curandum fuerit, vt ob Chriſti amorem domeſticas res externasq́ue curas miſſas faciam, cultum ſacrum peragam ſedulò, Dei domum libenter honorem, meq́ue totum, quoad licet, colligam, velut à ſummo æternóque paſtore Chriſto paſcendus atq́ue reficiendus. Tunc enim & IESVS in ſacra Euchariſtia præſens veræ fidei oculis mihi piiſq́ue omnibus ſpectandus proponitur. Tunc æterna veritas per os Catholici concionatoris differens meritò reuerenter auditur. Tunc cuiusq́ue fidelis anima cum Redemptore ſuo intimè cõiuncta, piè ſabbathizat. Id verò ab illis fit conſultiſsimè, qui corpore & animo puri, venerabilem percipiunt Euchariſtiam, quando Chriſtus ipſe palàm aſſeuerat: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ioann. 6. Pſalm. 72. Ioann. 9. Malach. 4. Pſalm. 75. Ioann. 6.

Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via.

EXERCEBO & augebo meam in Chriſtum fiduciã, maximè quando neceſſariis vitæ commodis, vt victu atq; amictu, omniq; humana ope deſtituar, nullam vt mihi conſolationem mundus vel promittere, vel præſtare velle videatur. Habeo enim fidum, prudentem ac diuitem procuratorem, ſimúlq; auxiliatorem IESVM, qui de me vigilante ac dormiente cogitat, mihi etiam non ſollicito victum & veſtitum prouidet, omnem mei curam indeſinenter gerens, vt corpori animóq; meo neceſſaria nunquàm deeſſe patiatur. Meritò igitur Iacob Patriarchæ ſequar exemplum, qui vouens Deo, dixit:

dixit: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quã ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſusq́; fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, cunctorumq́; quæ dederit mihi, decimas offeram tibi.* Quid illo benignius quæſo ac liberalius, qui tot virorum millia (mulieres & paruulos excipio) miſeratus, omnes & ſingulos, nec illos vſquequáque optimos, in media ſolitudine paſcit, fouet ac ſatiat, idq́ue ſæpius pro immenſa clementia ſua non rogatus facit? Sicut enim hoc locò ſeptem panibus & piſciculis paucis quatuor hominũ millia virtute diuina ſaturat: ſic alibi quinq́; hominum qui conuenerant millia, quinq́ue panibus hordeaceis ad ſatietatem vſq́ue ſuſtentat. Is eſt, qui populum Iſraëliticum, eumq́ue fre quentiſsimum, annis quadraginta in ſterili deſerto, non vulgari, ſed cœleſti pane nutriuit, vt idcircò cum Sapiente iure dicamus: *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Is eſt, qui tantã ſuorum diſcipulorum curam habuit, nihil vt illis in varia loca miſsis deeſſet, etiamſi abſq́ue ſacculo & pera & calceamentis proficiſcerentur. Idem in peccatricem publicam adeò liberalis fuit, vt ei ploranti ſimul & amanti debita grauiſsima remitteret, tum erga pœnitentem ſerò latronem tam munificus, vt eodem die primum illum è renatis paradiſi incolam faceret, quod idem nec ſperare, nec petere auſus vnquàm fuiſſet. Is ipſe quotidie complet in electo populo ſuo, quod Propheta verbis illis prædixit fore: *Edent pauperes & ſaturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.* Is ipſe demum eſt, qui vbiq́ue Gentiũ, & ſeculis omnibus miſeretur ſuper turbam hominum, & ex affectu immenſæ miſericordiæ, quam nemo ſatis prædicet, gratis orbem paſcit vniuerſum. Hinc quotannis largitur nobis frumẽta in cibum, vina in potum, lanam & linum in veſtitum, ligna & ſtramen in vſum ignis, nec non elementa omnia in communem viuentium vtilitatem. De hoc ſolo

patre

patre & conſeruatore omnium, *qui das omnibus affluenter, & non improperat*, cum Pſalte regio habemus dicere: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Iacob. 1. Pſalm. 144.

Illud verò iuſtũ pudorem ac mœrorẽ adferet mihi, quod maximorum Dei beneficiorum, quæ per ſe, per Filium & Spiritum ſanctum ex infinito amore quotidie offert ac tribuit, rara mihi ſit memoria, & ego illa in precio habere neſciam, immò & illis frequenter abutar. Non modicum eſt ſanè beneficium, mihi hucuſquè ſuppetere quod edam & bibã, quodq; nihil deſit fouendo corpori, vel valetudini cõſeruandæ. Quanto autem amplius ac præſtãtius donum eſt, me ad imaginem ac ſimilitudinem ſanctiſsimæ Trinitatis conditum, non modò creaturas huius mundi ſeruientes, ſed & beatos Angelos miniſtrantes habere, ac de me quoquè verè dici poſſe: *Signatum eſt ſuper eum lumen vultus tui Domine. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* At longè præſtantius eſt in me quóque illud competere: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus: in miniſterium miſsi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Eſt mihi quidem corpus hoc quod geſto corruptibile atquè mortale, ſed cui Deus per Solem & Lunam (fidos miniſtros) largitur cœli claritatem vt videam, aëris puritatem vt ſpirem, ſonorum varietates vt audiam, ſaporumquè differẽtias vt guſtem: atquè vt aliis inſuper vtar ſenſibus, varia præſidia mihi quotidie confert, quæ & viuentem recreent, & ægrotum curent, & afflictum conſolentur. Habet igitur corpus vnde mirabiliter ſuſtentatur atquè fulcitur à cœlo & aëre, à terra & mari, à luce & tenebris, à calore & vmbra, à rore & imbre, à ventis & fluuiis, à volucribus & piſcibus, à beſtiis, arboribus, herbis, aliiſquè creaturis hûc deſtinatis, vt meo corpori ſeruiant, illudquè miniſtret animę, quę porrò ſoli ſuo vacet au-

Pſalm. 4. & 8. Pſalm. 90. Hebr. 1.

thori, illumque vt ſummum bonum amet vnicè, ac eo fruatur in ſempiternum. Hic iam licet ac decet cum Auguſtino ſic ratiocinari: Si tam magna & innumera beneficia corpori hominis præſtat Deus, quàm ingentia & innumerabilia erũt illa bona, quæ præparauit diligentibus ſe in illa cœleſti patria, vbi de facie ad faciem videbitur? Si tanta facit nobis in carcere, vbi boni malique cõmuniter viuunt, quid aget demum in cœleſti palatio, in quo boni & electi tandem ſoli coronabuntur? Si tanta in die lachrimarũ prębet ſolatia, quantum bonorum cumulum conferet in die nuptiarum?]. Tantòque magis mihi habeo ſuccenſere, & ſubmiſsè veniam à Deo petere, qui tantorum bonorum author atque diſpenſator eſt immerenti, ſeque ingratiſſimo etiam ſemper munificentiſſimum præbet. O ſi Chriſtum Dominum ſequar, qui cùm acceptis panibus Deo Patri gratias egit, ſicut frequenter egit, pulchrè nos admonuit de beneficiis acceptis, præſertim cũ editur ac bibitur, Chriſtianæ gratitudinis ſpecimen exhibere, quando ille non ſolùm ante cibum gratias, verùmetiam poſt acceptum cibum apud ſuos hymnum dixiſſe commemoratur. Quarè Paulus & me & fideles omnes euidenter admonet: *In omnibus gratias agite. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Præterea in eo delinquo, quòd licet cibum potumque & alia id genus commoda corporis, à Deo tribui confitear, ſic ut negare ſit impium, tamen ad luxum & voluptatem ea potius quàm ad frugalitatem temperantiamque conuertam, & in his vltra fines naturę progrediar. Obliuiſcor enim ſententiæ Domini mei: *Attendite vobis, nè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Nec obſeruo dictum Sapientis: *Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur.* Ac prudẽter monuit Paulus: *Carnis curam nè feceritis in deſideriis*, nimirùm vt voluptuoſam nobis adimeret carnis diligentiam, nè alioquin ab immodico ſtudio corporis ad noxias deſideriorum occupationes deuoluamur, maioremque incontinentiæ quàm ſanitatis & reficiendarum virium rationem habeamus. Cùm

verò

vero non ſæpius in mentem reuoco conſuetudinem Apoſtolorum, qui neceſſariis etiam panibus caruiſſe, vel hordeaceos tantùm habuiſſe leguntur? De Chriſto Domino ſatis conſtat, quod non multis & lautis epulis, ſed panibus & piſciculis duntaxat turbas voluerit ſaturare, & à ſingulari victus parcitate in omni vita non diſcedere, vt ita nobis etiam ſalutarem corpori & animo ſobrietatem commendaret. Alioquin inter carnis opera Paulo numerantur commeſſationes & ebrietates, quæ à regno Dei credentes excludunt, & ex filiis lucis filios faciunt tenebrarum. Adhæc valde dolebo, quòd in donis & beneficiis mihi collatis meam in Deum fidem ſubinde non excitem, & ex diuina illius prouidentia totus non pendeam, vt in aduerſis rebus æquè ac proſperis me Creatori ac protectori integrè ſubiiciam, fideliterque committam. Etſi enim ſcriptum eſſe nôrim: *Iacta curam tuam in Domino: & ipſe te enutriet*, ſicut & princeps Apoſtolorum affirmat: *Ipſi cura de vobis*: tamen neſcio qua carnis infirmitate impeditus, paupertatis onus difficile ac moleſtum ſentio, curáque ventris immodica nõnunquàm affligor ac torqueor. Cuiuſcemodi morbus non ſolùm hæret in turba populari, ſed etiam in Propheta Moyſe cernitur, qui cùm audiſſet Deũ frequentiſſimo populo eſcas carnium pollicentem, ex diſſidentia quadam hoc modo reſpondit: *Sexcẽta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis, Dabo eis cibum carnium menſe integro. Nunquid ouium & böum multitudo cædetur, vt poſſit ſufficere ad cibum, vel omnes piſces maris in vnum cõgregabuntur, vt eos ſatient?* Sed hoc indicium carnis in Moyſe reprehenſum, & illo Dei verbo caſtigatum eſt: *Nunquid manus Domini inualida eſt?* Ac maior fidei imbecillitas in Iudæis fuit, quũ in deſerto murmurantes dicerent: *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?* Quid quod Apoſtoli hac in parte ſuam prodũt infirmitatem? de victu adeò ſolliciti, vt ob præſentem & vrgentem inopiam ita quererentur: *Panes non habemus*. Reſpondit autem Dominus non ſine quadam vehementia:

Matth. 14. Marc 6. Luc. 9. Ioann. 6.

Galat 5.

Epheſ. 5.

Pſal. 54.

1. Pet. 5.

Numer 11.

Pſalm 77.

Num. 33.

Marc. 8.

mentia: *Quid cogitatis quia panes non habetis? nondum cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? & oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? Vbi fides veſtra?* Horum igitur ac ſimilium exemplo admonitus, rebus non terrebor aduerſis, vrgentique non frangar penuria, & cæco carnis iudicio me falli non ſinam, vt præſentibus tantùm fidam atque inhæream, quæ vel ditiſſimis frequenter eripiuntur. In Deum potius verum & viuum erigam animum, & cum Pſalmographo fide munitus dicam: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram. Ego mendicus ſum & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei. Deus noſter refugium & virtus: Deus adiutor in tribulationibus: propterea non timebimus dum turbabitur terra.* Habeat interim mundus, vt ſemper habet, ventris animalia, quę & ventrem pro Deo colunt, & diuinæ diffidunt prouidentiæ, ſicut ethnici quoque ſolēt, craſtini ſollicitudine ſe ſemper diſcruciantes. Mihi ſat erit ditiſſima Chriſti promiſſio, quæ & muri firmiſſimi loco cūctis debet eſſe fidelibus: *Quærite* inquit, *primùm regnum Dei & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergò ſolliciti eſſe in craſtinum.* Conſonat & Apoſtolica tuba: *Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus. Ipſe enim dixit: Non te deſeram neq; derelinquam: ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Cauebo ſemper à Iudæorū fermento, qui cùm ſuos ventres carnibus explere non poſſunt, aduerſus Dominum murmurant, atque ob inſignem ſuam incredulitatē omni ſe gratia reddūt indignos. Murmurant illi cùm non fuerint ſaturati, tunc cōfeſſuri Dominum, cùm benefecerit eis, vt rectè Pſalmographus annotauit. Adeò verum eſt quod idem Propheta ſe reipſa comperiſſe teſtatur: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem:* quodque Salomon patri ſuo conſonans affirmat: *Non affliget Dominus fame animam iuſti.* Docet enim certa Dei prouidentia, quòd electos etiam in lacu leonum, & in ventre ceti, immò & in camino ignis ardentis alat atque

conſer-

conſeruet ille, qui dat eſcam omni carni, & ſuorum curam deponit nunquàm. Quanquàm interim fatendum eſt euenire nõnunquàm, vt pij quemadmodum aliis perſequutionibus, ſic & inedia, paupertate, fame & anguſtia premãtur grauiter, adeòque à Deo fermè derelicti eſſe videantur. Nam fames inter alias plagas diuinitus immiſſas peracerba, & ferè diriſſima ſanctis Dei negotium haud paruum exhibuit ſæpè, cum qua illuſtres [a] patriarchæ, ſicut [b] Elias etiam & [c] Heliſæus Prophetæ conflictati ſunt, quòd ſuo quidem ſeculo fames & inedia publica graſſaretur. Sed enim in tanta inediæ calamitate, quæ multos deinde pios frequenter exercuit, ac etiamnum probat electos, mirabiliter illi à Domino conſeruantur atque paſcuntur, ita vt in ſumma etiam caritate laudent Dominum, & fratres conſolentur afflictos, atque vnà cum Paulo communem habeant illam confeſſionem: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur* (id eſt, laboramus) *ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: humiliamur, ſed non confundimur: deiicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes, vt & vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris.* Horum eſt demum ex animo dicere Propheticum illud: *Bonus Dominus & confortans in die tribulationis: & ſciens ſperantes in ſe.*

Pſalm.135.

a Geneſ. 12. 28.42.& 48. b 2.Reg.21. c 4.Reg.6. & 8.

2. Cor.4.

Nahum.1.

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt.

PARATVS eſt Chriſtus conſeruare mortales quos condidit, ideòque cibum corporis quotidie bonis & malis impertitur: at longè paratior, credentium animos paſcere cibis ſpiritualibus, qui vel pereunte corpore, ingentem animo fructum adferre, & nobiſcum permanere poſſunt. Vnde apud Ioannem ita loquitur Dominus: *Operemini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Igitur ad vitam animæ meæ tum retinendam, tum reficiendam, tum corroborandam pręter panem externum, à Chriſto petam triplicem cibum vel panẽ ſpiritualem. Pri-

Ioann.6.

Matth.6.

mus eſt verbum Dei. *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Alter eſt, diuinorum præceptorum ac beneficiorum meditatio. *Beatus enim vir, cuius voluntas in lege Domini, & in lege eius meditatur die ac nocte,* meditando autem mirum in modum paſcitur atque corroboratur. Tertius eſt panis vitæ, qui verè confirmat cor hominis, ſacroſancta Euchariſtia, copioſum illud gratię munus largiens, nè in via periculorum & laborum & latronum plena deficiamus, quin potius vt illo confortati, cum Iſraëlitis ad promiſſam patriam victores hoſtium, qui ſunt nobis caro, mundus & Satanas, recta perueniamus. Quid carne fragilius? quæ in Apoſtolis etiam aduentu & robore Spiritus reformantis indigebat. Quid mundo vanius atque fallacius? qui totus in maligno verſatur. Quid mundi principe Satana potentius? *quia non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret.* Ego autem hoc triplici cibo vel pane inſtructus, facilè hos aduerſarios ſuperabo, præſentis vitæ quæuis feram incōmoda, meipſum in cruce conſolabor, & ad cœleſtem patriam properās, gaudens cū Propheta cantabo: *Dominus paſcit ſiue regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.*

Quod autem Chriſtus populum ſeptem panibus in deſerto aluit, occaſionem mihi dabit de ſeptem ſacramentis cogitandi, immò & Chriſto gratias agendi, qui multa myſteria in ſacris literis paſſim obuia, ſacro ſeptenario numero voluit comprehendi. Certè ſicut Chriſtus olim Iudaico populo per ſeptem panes ſeſe ac virtutem ſuam prodidit: ita & noui teſtāmenti populo ſuam potentiam & benignitatem ſingularem per ſeptem ſacramenta cognoſcendam ac prædicandā, immò & perſentiendam præbere conſtituit. Nulla fuiſſet vis in ſeptem illis panibus, niſi à Chriſto omnis gratiæ fonte illi benedicti fuiſſent: ſic egena & infirma eſſent elementa, nec efficaciam haberent ac conferrent vllam nouæ, ſicut veteris

legis

legis Sacramenta, niſi illam ab eo mutuarentur, de quo ſcriptum eſt: *Gratiam & gloriam dabit Dominus. Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Adhæc Iudæi quibus de agitur, ſine panibus illis benedictis defeciſſent atque periiſſent in via, ſicut ipſa Chriſti verba confirmant. Ita verò & nos Chriſtiani, quamdiu in mundi huius deſerto verſantes, à Domino peregrinamur, niſi horum virtute ſacramentorum fulciamur, virtutem ſpiritualem ordiri & tueri non poſſumus, ſed velut lætaliter vulnerati, in certa perpetuæ mortis diſcrimina incurrimus, nullo vnquàm antidoto ad vitã, quæ in Chriſto eſt, reuocandi. Hic demum ſe prodit verus ille cuſtos hominum & fidus Samaritanus, qui, vt Euangelica mõſtrat parabola, homini ſaucio & moribundo, quem ſæui latrones ſemiuiuum reliquerant, certa medicamenta, & proprium miniſtrum atq; curatorem prouidit. Per hos velut canales, Dominicæ paſſionis immenſa virtus ad nos mundandos atque ſanctificandos manat, ac ſalutariter deriuatur. Dicuntur autẽ Eccleſię ſacramenta, non quòd ab illa primùm inuenta ſint vel tradita, quia ſolum Chriſtum habent inſtitutorem, à quo velut optimo ditiſſimoq; ſponſo, ſponſæ ſuæ lectiſſimæ, vti precioſiſſima monilia, iampridẽ collata, & ad perpetuam filiorum vtilitatem relicta perſeuerant, nimirùm Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo & Matrimonium. Quæ omnia Scripturæ authoritate, Patrumque teſtimoniis iam pridem tam ſolidè ſunt ſtabilita, tamque firmiter ab Orthodoxis omnibus approbata, vt ea pluribus hoc loco aſtruere ſit ſuperuacaneum.

Pſalm. 83. & 106.

2. Cor. 5.

Luc. 10.

Dolebo interim vehementer, hos diuinos panes toti credentiũ multitudini propoſitos ac neceſſarios, à Chriſto ipſo benedictos, inter tot hominũ myriades Apoſtolorum manibus primùm diſtributos, totiq; relictos Eccleſiæ, à plurimis hodie vel nõ agnoſci, vel exiguo in precio haberi, tamq; nequiter ac impiè à pleriſque tractari, vt è ſeptem ne duo quidẽ ſacramenta nobis relinquant integra. Quanquàm & illa

pro ſua libidine indignè corrumpunt, ac pernicioſis erroribus contaminant, vt ſacra nunquàm in Eccleſia æquè ac ab iſtis canibus & porcis, profanata fuiſſe videãtur. Stat autem firma Chriſti ſententia, nec poteſt aboleri: *Noli dare ſanctũ canibus: neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè cõculcent eos pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Deinde pro Catholicis peculiariter Deum ſummum inuocabo, vt iſthæc ſacramenta Chriſtiano populo tam ſalutaria quàm neceſſaria mentium pharmaca, non ſolùm ſincerè & concorditer profiteantur, verùm etiam religioſè ac legitimè tractent, nè alioquin ſeipſos in effectu ſacramentorum percipiendo impediant, ſi his venerandis ſacriſq; myſteriis indignè abutantur. Peccat enim hîc ſæpè & grauiter tum Clerus tum populus, & oblatæ in ſacramentis diuinę gratiæ videntes ac volentes reſiſtũt, vt hinc magna bonorum offenſio, & animarum pernicies conſequatur. Præterea ingentem animi mei mœrorem amaris, ſi poſſum, lachrymis teſtabor, quòd abuſus & contemptus ſacramentorum hodie tam latè pateant, ac indies ferè magis ac magis paſsim inualeſcant, nimirùm malorum omnium incentore Satana hoc procurante, vt impuri ac impij homines in hos benedictos panes furioſè inuolent, ac ſanctam Dei domum tam precioſo theſauro defraudent atq; deſpolient. Hinc immanis & plus quàm barbarica templorum & altarium prophanatio, cultuſque diuini & rerum ſacrarum demolitio. Hinc tam ſæua iræ diuinæ flagella, quæ Chriſtianum orbem dirè concutiunt, & horrẽdam nobis vaſtitatem interminantur. Præclarè dixit Auguſtinus: Sacramenta debita veneratione proſequamur, vt ea etiamſi ab indignis tractata fuerint, illis ſua peruerſitate damnatis, illa intemerata ſanctitate permanere demonſtremus. Quorum ſacramentorum vis inquit, inenarrabiliter valet plurimum, & ideò contempta ſacrilegos facit. Impiè quippe cõtemnitur, ſine quo non poteſt perfici pietas.]

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro miſeris, egenis & afflictis*

omni-

us, vt præſentem Chriſti miſericordiam in corpore & ani- vita & morte tanto efficacius experiantur, quanto magis iq; gentium indigent.

ABO *itidem pro pane gratiæ impetrando, vt quia meæ tatis & indigentiæ ſum conſcius, tum ad alios ſubleuandos, l vocationis meæ curſum in hoc deſerto conſummandum, um* qui adiutor eſt in opportunitatibus, *miſerantem & icentem vſq; ſenium.* Pſalm.9.

TAM *& gratiam acceptis Dei beneficiis conuenienter v- non ad luxum, ſaturitatem vel ſuperfluitatem, ſicut diues* Luc.16. *uis facultatibus turpiter fuit abuſus, ſed cum moderatione perantia, nec minus ad indigentis proximi cõmodum, ma- verò cum debita erga Deum gratitudine & erga proximũ ate, ſicut à diuite Zachæo factum fuit.* Luc 19.

MVM *Chriſto Domino Sacramentorum inſtitutori ſuppli vt verum & ſalutarem illa vſum & fructũ Catholicis ad- , nec tantoperè ab Eccleſiæ hoſtibus contemnantur, ac im- fanentur.*

OMINICA VIII.
POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

MAGNVM eſt hæreticos, qui Pſeudoprophetarũ no- mine continentur, agnoſcere: maius & melius, coſ- n in fide ac moribus deuitare. Vtrumque ſummus pa-

ſtor Chriſtus à ſuis requirit ouibus,nè alioquin ſicut oues errantes,à via veritatis aberrent,& prauum dogma ſeu hę reſim vllam, vt exitiale animi toxicum,imbibant. Neque verò ſat habet Dominus Catholicos ab hæreticis,præſertim docendi officio fungentibus,alienos eſſe,ita vt eoſdé veluti præſentes peſtes habeant & fugiant, verùmetiam iubet illos ſicut præclaras arbores,bonis iuſtitiæ Chriſtianæ operibus ac fructibus commendatos eſſe. Blandiatur ſibi quiſquis volet, certòq; ſtatuat Deum ſibi propitium, ſeq; ex electis Chriſti ouibus fore. Niſi ab hæreticis & eorum erroribus cauerit,niſi bonæ arboris fructus attulerit, niſi Patris voluntatem fecerit, licet Chriſtianus videatur, & ouillam veſtem oſtentet,tamen in regnum cœlorũ nunquàm intrabit, ſicut in hoc Euangelio Chriſtus diſertè teſtatur. Rectè igitur à Fulgentio ſcriptum eſt:Regnum cœlorum ſicut infideles, hæretici atque ſchiſmatici non habebunt, ſic Catholici crimino ſi poſsidere nõ poterunt.] Hoc autem inter hæreticos & malos Catholicos intereſt, quod hæretici falſa credunt, illi autem vera credentes nõ viuunt ita vt credunt,quemadmodũ Auguſtinus affirmat. Multa ſunt interim & præclara, quæ de cognoſcendis & cauendis hæreticis in ſuo aureo Cõmonitorio tradit Vincentius Lirinenſis: ſed nos pauca duntaxat, quæ ad hoc Euangeliũ ſpectant,ab illo mutuabimur. Citat igitur hæc propoſita verba Saluatoris: Attẽdite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quid eſt,inquit ille,veſtitus ouium? niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia, quæ idem ouili quadam ſynceritate agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi,tanquàm vellera quædam detexuerunt? Qui ſunt lupi rapaces? niſi ſenſus hæreticorum feri & rapidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtãt,& gregem CHRISTI quaqua poſſunt dilacerant. Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententiis, velut quibuſdam velleribus, obuoluunt, vt cùm quiſque lanarum mollitiem præſenſerit,nequaquàm aculeos dentiũ pertimeſcat.] Vbi præterea egregiè docet hic author, quaratione

tione hæreticos à Catholicis diſcernere debeamus: Hoc enim apud illos quaſi ſolenne eſſe atque legitimum, vt ſuos errores diuinæ ſcripturę verbis adumbrent & excuſent, ac profanis interim nouitatibus gaudeant, & antiquitatis ſcita faſtidiant: Catholicorum verò manere proprium, depoſita ſanctorum Patrum & commiſſa ſeruare, & damnare profanas nouitates. Ille inquit, eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, ſed in fide fixus ac ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolùm ſibi tenẽdum credendumque decernit.]

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. VII.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neq̃ arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

MIRABOR magnam hominum incogitantiam atq; ſtultitiam, qui oracula diuina de venturis Pſeudoprophetis ac hæreticis tam parùm expendunt, fœdèque negligunt, hac præſertim ætate, quæ talium hominũ & ſectariorum eſt longè feraciſsima. Prædixit Chriſtus: *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Manifeſtè Spiritus per Paulum monuit: *In nouiſſimis temporibus diſcedent à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Nec tacuit Petrus: *In vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis.* Tum Iudas meminit, ab Apoſtolis omnibus eſſe prædictũ de venturis illuſoribus, qui ſecundùm deſideria ſua ambulẽt in impietatibus. Atqui plus ſatis experimur omnes, diuina iſthæc & Apoſtolica vaticinia ſi antehac vnquàm, nũc maximè quidem compleri, quum ſectarum & ſectariorum numerus vix vllus poteſt iniri. Tãtòq; magis ac iuſtius admirabor, in obliuionẽ fermè verti ea, quæ vigẽtium & graſſantium hæreticorum tempore inprimis obſeruare ac fugere oportebat. Tunc verò de fidei rebus & ſacræ Scripturæ ſenſu non iubemur cum Eccleſiæ hoſtibus contendere atque diſceptare, non ad ſolum Dei verbum prouocare, & ſuũ cuiq; iudicium de ſacris permittere, quemadmodum hodie pleriquè non modò infrugiferè, ſed etiam perniciosè, magnáq; cum multorum offenſione factitant. Clamat autem in Euangelio Chriſtus, ſi tantùm aures ad audiendum habemus, clamat

mat & Paulus: Attēdite vel Vigilate, Declinate, Deuitate. Sic enim ſonant Apoſtolicæ voces: *Hæreticum hominem poſt vnā & ſecundam correptionem deuita. Depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates.* Deuita inquam, quaſi viperā, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, nè te non ſolùm tactu, ſed etiā viſu flatúque percutiat, quemadmodum Vincentius Apoſtolum hìc interpretatur. Cur verò iſthæc tam crebrò, tam ſeriò inculcantur? nimirùm vt ſciant Chriſti oues, ſi aduerſus luporum rabiem ſeſe tueri cupiunt, nullum ſibi remediū ac refugium ſecurius eſſe, quàm falſos fidei doctores, & ſimulatam illorum religionem, qui ex ouibus lupi facti ſunt, modis omnibus deteſtari, vt neqúe cibum cum illis capiant. Damnatus enim in fide error, à quocunqúe imbibatur vel diſſeminetur, eſt fermentum quod vel modicum, vt Paulus inquit, totam maſſam corrumpit; eſt velut ſpina in oculo prorſus excæcans hominem, vt nec ſe, nec Deum, nec veritatem aſpicere poſſit: eſt animæ virus tam peſtilens, vt nō modò authorem ipſum, ſed & innumeros alios miſerè perdat: eſt fœda, atqúe vtplurimùm incurabilis lepra, quæ ſine ſacerdotum iudicio neqúe cognoſci, neqúe mundari queat; nec ſolùm à Dei, ſed & bonorum omnium ſocietate in cœlis & terris excludit. Breuiter, nulla omninò peſtis hoſtiumqúe vis tantam perniciem hominis & orbis creat, quantam impia opinio & doctrina hæreticorum ſemel admiſſa, domeſticis & vicinis, ſed & magnis ciuitatibus, & prouinciis & regnis apportat. Vt nihil ſit mirum, à Paulo tam ſeuerè mandari de hæreticis, velut omniū peſtilentiſsimis in Eccleſia hoſtibus deuitandis, cùm illorum aliquis eodem teſte ſit ſubuerſus, nec ſolùm delinquat, ſed etiam proprio iudicio condemnetur. Eâdem de cauſa mitiſsimus ille Ioannes, ſed in hęreticos acerrimus poſtulat, vt Catholicus cum alio, qui à fide Catholica eſt alienus ſiue hæreticus, nullum commercium habeat, quando ſic loquitur: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.*

Actor. 20. Rom. 16. Tit. 3. 1. Tim. 6.

Lib. aduerſu profanas nouitates.

Galat. 4.

Leuit. 14. Luc. 17.

Tit. 3.

In epiſt. 2.

Vnde *A*poſtolicorum temporum vicinus Tertullianus admonet, hæreticos ad vllam de ſcripturis diſputationem non admittendos, & admiſſos plus damni Catholicis, quàm ſibi vel aliis fructus allaturos eſſe pronuntiat.

Hic iam ego permultos, qui nouæ falſæque doctrinę ventis, velut arundines agitantur, & à Pſeudoprophetis ſeducuntur, etiam atque etiam deplorabo. Tantum enim abeſt, vt Chriſti præceptũ de Pſeudoprophetis deuitandis obſeruent, vt illorum etiam conſuetudine, doctrina & libris gaudeant, magno in precio illos habeant, & errores eorum tanquàm dulce venenum, non ſine contentione imbibant ac defendant. Dolebo & vicem Catholicorum, qui ſeueram Dei viſitationem atque caſtigationem non agnoſcunt, ſuis nempè peccatis id promerentes, vt mater Eccleſia vix ab vllis hoſtibus grauius ac periculoſius, quàm à noſtri temporis hæreticis paſsim impetatur atque conuellatur. Etenim ab his velut immanibus feris, vinea Domini miſerandum in modum deuaſtatur, & ſacra ferè omnia nuſquàm non profanantur, tantáque animarum ſtrages & religionis mutatio inuehitur, quantam noſtri maiores multis anteactis ſeculis nunquàm experti ſunt. Nam *eò quòd charitatem veritatis* (Catholici) *nõ receperunt vt ſalui fierent* (verbis Paulinis vtor) *ideò mittit eis Deus operationem erroris vt credant mendacio.* Et quoniam in ſanctæ fidei negotio tam ſe ignauos, tepidos & ingratos exhibent, iuſto iam iudicio de ore Dei magis ac magis euomuntur. Vnde Paulus etiam queritur de nõnullis fidelibus, qui repellentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragauerunt. Qua in re plurimi non ſunt diſsimiles perfidis & à Deo reiectis Iudeis, qui oblatam Chriſti gratiã, & miſſos ad ſe miniſtros ordinarios indignè repudiârunt. Ita enim fieri plerunque ſolet, vt lepra lepram, error errorem pariat, & religionis mutatio imperij quóque mutationem trahat ſecũ, nullusque fidus affectus inter illos duret, quorum fides diuerſa eſt. Proinde, ſi ſapio, maius in me aliisque ſtudium excitabo, vt Catholicę fidei depoſitum non temerè ab Apoſto-

lo com-

lo commendatum, omnibusque mundi theſauris præferendum, magno in precio habeatur, illudque integrum & immaculatum cuſtodiatur, cùm ex eo Chriſtianæ ſapientiæ, pacis publicæ, & ſalutis humanæ pars maxima pendeat. Neque vnquàm obliuiſcar Apoſtolici præcepti, vt in omnibus ſanctæ fidei ſcutum, quo tela nequiſſimi ſpiritus extinguuntur aſſumam, ac in IESV nomine conſtanter pugnem gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, idemque malleus conterens petras, vt apud Hieremiam legimus. Etenim ſi vnquàm antea, nunc vel maximè Catholicis eſt elaborandum, vt hæreticorum laruas detegant, ſimulatam iſtorum religionem arguant, & fraudes diſſipēt, quum ſint, ſicut Apoſtolus vocat, operarij ſubdoli, in Chriſti Apoſtolos ſeſe transfigurantes. Sicut enim ſimia hominem, & fuci apes ſimulant, ita iſti ſub prætextu religionis & purioris doctrinæ ſe miniſtros Euangelij iactant, ſuáque noua dogmata ſimplici populo nō modò venditant, ſed etiam peſtilenter inſtillant. Ita verò ſub ouilla pelle magis fallunt incautos, & nunquàm ſatis deplorandam in animas immanitatem exercent. Nam vti Paulus dixit, *per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium, ac ſicut ſeductores, in peius proficiunt, errantes & in errorem mittentes.* Actum eſt igitur de ouibus, quas in luporū poteſtatē redigi neceſſe eſt, ſi Apoſtolica regula negligatur, quæ in hunc modum definit: *Obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis.* Cum hac regula conuenit, quod idem Paulus commendat fidelibus, in hunc modum ſcribens ad Theſſalonicenſes: *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, vt ſubſtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis.* Cùm autem hæretici omnes per Apoſtolicam traditionem maximè conuincantur, & illam ferre omninò detrectent, rurſus ab eodem Paulo ſancitū, & nobis firmiter obſeruandum eſt illud: *State, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.*

Epheſ.6. Hierem.23 2.Cor.11. Rom.16. 2.Tim.3. Rom.16. 2.Theſſ.3. 2.Theſſ.2.

A fru-

A fructibus eorum cognoſcetis eos.

MIRVM, pleroſq; tam rudes & craſſos reperiri, vt Pſeudoprophetas, & ſicut Paulus dixit, hæreticos huius ætatis ignorent, immò Chriſti Eccleſiæque hoſtes pro veris Euangelij doctoribus ac legitimis Eccleſię paſtoribus ac miniſtris habeant atq; colant. Cur autem propriam notam veros falſosque fidei doctores diſcernendi, quam Chriſtus hîc tradidit, non obſeruant? *A fructibus eorum* inquit, *cognoſcetis eos.* Eſto, vtrinque boni & mali, docti & Scripturarum periti appareant, verbum Dei concionentur, ſacramentis vtantur, & variam pietatis ſpeciem in vita & moribus præſeferant. Non tamen ab hiſce fructibus cognoſcuntur, qui ſæpè ſectariis æquè ac Catholicis miniſtris congruunt: quoniam & Montaniſtæ ieiunia, & Euchitæ precandi conſuetudinem, & Apoſtòlici facultatum renunciationem ſeuerius quàm Catholici, iam olim exigebant atq; præſtabant. Quarè non tam Sectariorum perſonam & vitam quàm doctrinam ſpectare debemus, eiuſq; doctrinæ fructus, qui arbores non bonas, ſed in radice ipſa corruptas & putres eſſe probant, inprimis nobis æſtimandi atque cenſendi ſunt. Cuiuſmodi fructus exiſtunt, quod obedientiam Eccleſiaſticis magiſtratibus debitã non doceant, nec præſtent, ſed potius illorum contemptum verbo & exemplo vrgeant: quod pro Chriſtiana & Euangelica libertate, quæ ſeruos iuſtitiæ facit, carnalem vitæ licẽtiam commendent, votorum ſoluant vincula, probatos Eccleſiæ ritus abrogent, docendi paſcendique alios officium illegitimum ſibi ſumant, neque per oſtium ingrediantur, vt legitimè ordinati, vocati ac miſſi videri poſſint. Nõ libet illis cum antiquis, receptis laudatiſque Patribus de religione ſentire ac docere, ſed iampridem damnatos Eccleſiæ hoſtes imitantur, & ſeditioſis ætatis noſtrę hæreſiarchis non ſolùm in fide, ſed etiam in Dei cultu & adminiſtratione ſacramentorũ, vel potius in abrogatione ſacrorum adhærent. Nulla tot ſeculis

extitit ſecta, quæ maiores in religione & Republica diſtra-ctiones faceret, tot ſeditionum & profanationum flãmis arderet, tam tetris ac damnatis erroribus abundaret, tantum ſupercilij in ſacris tractandis, mutandis & abolendis ſibi arrogaret, ipſa fidei noſtræ fundamenta hoſtilius concuteret, demum ad omnem impietatem & ipſum Atheiſmum vulgo feneſtram & oſtium euidentius aperiret.

Quis ergò niſi cæcus non videat, hos teterrimos eſſe fructus, à quibus noſtri Pſeudoprophetæ cognoſcantur, & in illos ipſos nouæ fidei magiſtros competere, quod Iudas Apoſtolus illos velut ſuis depingens coloribus dixit: *Hi ſunt murmuratores, queruloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperbiam. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes?* In eoſdem profectò quadrat, quod princeps Apoſtolorum de magiſtris mendacibus præmonuit: *Multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, qui poſt carnem in concupiſcẽtia immunditiæ ambulant, dominationemq́; contemnunt: audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, blaſphemantes, & libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis.* Perſtringit eoſdem & illa Ioannis ſententia: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtiq́ue nobiſcum*, eo ipſo ſubindicans, hæreticos omnes à multitudine vnitatis exiuiſſe, ſicut notat Auguſtinus. Tantum verò abeſt, vt vna, ſancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia queat apud hos reperiri ac ſtatui, vt non ſolùm à veteri & præſente Catholicorũ Eccleſia in fidei & doctrinæ vnitate diſcrepent, ſine qua nec vera conſtitui poteſt Eccleſia, ſed etiam inter ſe mutuò diuiſi atq́ue diſſecti, Andabatarum more depugnent ac tumultuentur. Bone Deus, quàm ingens inter eos viget concertatio de canone ſcripturæ, authoritate Eccleſiæ, libero arbitrio, iuſtificatione, Sacramentis, aliiſq́ue id genus capitibus ad religionem conſeruandam neceſſariis? Quoties iſti ſuæ fidei & confeſsionis formulas fingunt ac refingunt, ſuaſq́ue de doctrina ſcripturæq́ue intelligentia ſentẽtias mu

Iudæ 1.

2 Pet. 2.

1. Ioann. 2.

In Pſal. 106.

tant,

tant, vt inter ſe ſubinde plus quàm ex diametro pugnare, ac ſe inuicem damnare minimè vereantur? Deeſt enim illis nō priuatus propriusquè ſenſus, non mentis humanæ ſupercilium, non rationis cæcum iudicium, non fallax coniectura, ſuíque fiducia & contendendi libido, quæ quidem ſunt diræ peſtes & venena noxia religionis: deeſt autem veræ Eccleſiæ certa nota, communis nempè ſenſus atque cōſenſus Orthodoxorum, in vnam eandemque veritatem conſpirantium, & ea nitentium obedientia, quæ in Chriſti & Chriſtianæ fidei obſequium hominis intellectum captiuum redigit, redactumquè cuſtodit. Hinc ego grauem iuſtumque animi dolorem concipiam, cùm intra paucos annos tanta vis ac ferocia ſectariorum erumpat, quantam Catholici magiſtratus & incorrupti iudices reprimere non poſſunt. Creſcunt ſynagogæ Satanæ, ſiue numerum, ſiue amplitudinem, ſiue fortunas & opes conſideremus. Eccleſia verò ſuis propriis domiciliis, collegiis, monaſteriis, Epiſcopatibus per ſummam hæreticorum crudelitatem orbatur, omnibusque veteris religionis exercitiis & cæremoniis tyrannicè ſpoliatur, ac demū in tot ciuitatibus, prouinciis, inſulis & regnis, quæ Catholicum nomen antea profitebātur, triſtiſsima rerum facies apparet, quæ nullis piorum lachrymis æquari poſſe videatur. Ita demùm Chriſti vaticinium magis magisque indies impletur: *Filius hominis veniēs* inquit, *putas inueniet fidem in terra?* Inualeſcit ſanè magna & horrenda, quam Paulus apertè prædixit, diſceſsio, cùm præclarum fidei donum in plurimis extinguatur, & in paucißimarum gentium animis purè conſeruetur, eáque aduentantis quidem Antichriſti certiſsima nota eſt. Vtinam autem omnes quibus cordi eſt veritas atque religio, mecum iuſto cōmiſerationis tangantur affectu, propter incredibilem tot animarū velut in cataclyſmo pereuntium multitudinem, quoniam nouum hunc Sataniſmum amantes, in arca myſtica (vnico electorum domicilio) nolunt perſiſtere. Nec leuem debemus compaſsionem iis, qui ad Reipub. clauum modò ſedētes, duriſsimam prouinciam ſu

ſtinent.

ſtinent, vtpote quibus cum grauiſsimis belluis ac pernicioſiſsimis tēpeſtatibus velut in procelloſo mari quotidie confligandum eſt. Ita igitur me comparabo, vt ſeductis & ſeductoribus, quorum Chriſtus in Euangelio meminit, mentem meliorem ex animo precer: deinde vt maximum hoc irati Dei flagellum, qui per graſſantē hæreſim, ſuam caſtigat Eccleſiam, cum intimo ſenſu doloris deplorem, ac poſtremò vt cum Apoſtolis in mari periclitantibus ad Chriſtum dormientem inclamem: *Domine ſalua nos, perimus*, vtque cum Propheta precer: *Diſſipa gentes quæ bella volunt. Confundantur & conuertantur qui oderunt Sion: pax ſuper Iſraël.* Matth.24. Matth.8. Marc.4. Pſal.67.128. & 172

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

EST quidem hoc mihi & Catholicis omnibus neceſſarium, vt hæreticis & eorum erroribus abrenunciemus. Sic enim docet canon Apoſtolicus: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Alioquin quiſquis in vna fidei parte claudicat, is ex Catholico ſeſe hæreticum, vel ſicut Chriſtus Thomæ diſcipulo dixit, infidelem facit, & à vera fide iuſtificante atque ſaluante prorſus excidit, ſuam vtique partem cum infidelibus in Chriſti iudicio & apud inferos habiturus. Sed enim non erit mihi ſatis impiorum fugere conſortium, & piis Catholicam fidem profitētibus adhærere. Nota enim & firma eſt ſymboli Athanaſiani regula: Quicunque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem: quam niſi quiſque integram inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit.] Igitur cum ſanæ & Orthodoxæ fidei profeſſione, quæ velut humanæ ſalutis eſt baſis, diuinæ legis obedientiam, Chriſtianæque iuſtitię fructus, quos hîc operari per Chriſti gratiā licet, pro mea virili coniungam. Tales enim diſcipulos informat exigitque Chriſtus, qui audiant, id eſt, credant ſimul & faciant Patris voluntatem. Non enim tam linguæ officium, quàm cordis Galat.1. Ioan.20.

affectum & operis fructum ille requirit, qui vult religionem non verbis tantummodò, ſed rebus conſtare maximè, vt nō titulus, ſed vita Chriſtianum arguat. Etenim *non in ſermone eſt regnum Dei: ſed in virtute*, Paulo Apoſtolo teſte. Et ſicut ipſe Chriſtus liquidò aſſerit, *ille ſeruus qui cognouit voluntatē Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius: vapulabit multis*. Igitur in hoc Euāgelium ita ſcribit Theophilactus: Docet nos Dominus, ſi fidem abſque operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam, cùm dicat: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* His conſonans Chriſtianus Druthmarus affirmat, quòd ſicut arbor vnaquæque ex fructu cognoſcitur, & vel laudatur ex ipſo, vel vituperatur: ſic omnem hominem ex opere ſuo quod eſt fructus eius, aut remunerari, aut condemnari. Non ergo confidat aliquis, quòd ſit Chriſtianus: ſi non facit opera Chriſtianitatis, non intrabit in vitā æternam, quia *qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt*.] Ac prudēter quidem cum Auguſtino expendam, quod Chriſtus poſt Ioānem Baptiſtam dixerit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur*, nec fructum tamen malum nominet. Etenim non modò malum feciſſe, ſed etiam bonum nō egiſſe Chriſtiano eſt damnabile, quem non folia & flores ſiue frondes, ſed ſani maturiq; fructus ſic commendare debent, vt is cum Propheta dicere poſſit: *Ego ſicut oliua fructifera in domo Dei*. Hinc poſſumus euidenter agnoſcere (eiuſdem Auguſtini verbis vtor) quas pœnas arbor ſpinoſa in die iudicij patietur, quando illa quæ fructum non dederit, excidetur, & in ignē mittetur. Quid verò exciſione iſta formidabilius? quæ hominem otioſum & inertem eò redigit, vt à Dei gratia excidat, ſanctorum chorum & ſocietatem amittat, atque à cœleſtis regni gloria in ſempiternum exulet. Quid inſuper illo gehennæ igne acerbius, quid intolerabilius, qui ſemper ardens, conſumitur nunquàm, ac omnia ſuppliciorum & tormentorum genera, quæ vnquàm pertulêre mortales, in immenſum excedit? O infœlicem ar-

borem,

borem, diuini iudicij acutiſsima ſecuri iam iam excidendam, & in ignem illum inextinguibilem coniiciendã, ſiue ob commiſsionis, ſiue omiſsionis, vt vocant, peccatum tartarea pœna luenda ſit. Hinc ego diuini iudicij metũ tanto magis concipiam & præ me feram, quanto certius comperio & agnoſco, bonos in me fructus permultos deſiderari, malos autem plus ſatis in horto meo quotidie creſcere, meamque arborẽ frondibus & foliis ſpecioſis potius quàm ſolidis maturisque fructibus abundare. Cæterùm vt iſthæc arbor fructus Chriſto gratos, mihique ſalutares & neceſſarios adferat, multis virtutibus ſicut frugiferis herbis opus eſt, quas horto meo magis ac magis inſeram, quemadmodum princeps Apoſtolorum hiſce verbis oſtendit: *Miniſtrate in fide veſtra virtutẽ, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinẽtiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent, nõ vacuas, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri* IESV *Chriſti cognitione.* Quod ſi deprehendero, hos alioſque fructus ſpiritus, ſicut *P*aulus eos appellat, in horto meo ſuccreſcere, cũ arbore mea præclarè agi putabo, ſimulque cœleſti agricolæ, qui bonorum fructuum omnium ſeminator & conſeruator eſt, ex animo gratias agam, & ab eo inſuper petam benedictionem, vt eſſe poſsim tãquàm arbor ſecus decurſus aquarum plantata, ſuumque fructum in tempore proferens, ita vt nec folium eius decidat, & circa illam omnia proſperentur, ſicuti Prophetæ loquuntur. *Dicam igitur & ipſe: Omnia opera noſtra operatus es nobis. Non nobis Domine non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.* Verùm ſi malè ſuccedit arbori meæ, quoniam fructus habet præcoces, acerbos, putridos ac noxios, iuſtam verebor iram tãti Patrisfamilias, qui nè infrugiferas quidem arbores in horto ſuo ferre vult, ſed eas maledictione ſua perſequitur, vt maledictæ exareſcant, ac ignis æterni pabulum perpetuò fiant. Vnde & illa Chriſti extat ſententia: *Si quis in me nõ man-*

2. Pet. 5.

Galat 5.

Pſalm. 1. Hierem. 17. Iſai. 26. Pſalm. 113. & 17.

Ioan. 15.

ferit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Id quod Chriſtus illa etiam expreſſit ſimilitudine, cùm malediceret in via ficulneæ, quæ nihil habebat præter folia, vt hinc illi dixerit: *Nunquàm ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Quam ſententiam ſtatìm comprobauit euentus, quoniam ficulnea continuò eſt areſacta, vt hinc etiam Apoſtoli admirarentur. Nec eſt diſsimile quod alibi legimus de patrefamilias, qui arborem fici in vinea ſua plantatam habuit, & cùm nullum in illa fructum offenderet vt ſperârat, iuſsit illam ſuccidi, nè fruſtrà terram longius occuparet. Cur igitur & ipſe mihi non metuam, nè iratum contra me iudicem Deum ſentiam, breuíque audire cogar illum ita pronunciantem: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores. Terra enim proferens ſpinas ac tribulos*, vt Paulus affirmat, *reproba eſt & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Certè Chryſoſtomus hoc ipſum Chriſti verbum eò refert, vt timorem inde colligant, qui mores ſuos maturè ac diligenter, vti par eſt, non inſtituunt.

Cùm verò hæc illuſtris Domini ſententia, quam & Ioannes Baptiſta propoſuit, bonorum operum neceſsitatē commendet fidelibus, eſt illa mihi contra nouos Eccleſiæ bonorumqúe operum hoſtes etiam atqúe etiam conſideranda. Sic enim iſti ſupra modum efferunt fidem, vt bona opera fidelium velut ad ſalutem non neceſſaria indignè prorſus deprimere, ac fructibus debitis pro ſua tantùm libidine ſpoliare contendant. Catholici ſanè cùm bona opera, Deo grata & homini ſalutaria, ſiue, vt in ſcholis loquuntur, meritoria prædicant, illa ſola intelligunt, quæ fundamento veræ fidei ſuperſtruuntur, quæqúe Chriſtus in credentium cordibus habitans facit, & Spiritus ipſe ſanctus ex radice charitatis producit, vt eadem non modò fructus bonæ arboris, ſed etiam, ſicut Paulus vocat, fructus diuini ſpiritus meritò cenſeantur. Hæc opera cuique ad ſalutem non poſſunt non eſſe neceſſaria, tum ad iuſtificationis gratiam retinendam, iuxta illud: *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: qui facit peccatum, ex*

diabolo

diabolo eſt. Tum ad obedientiam præſtandam illi, qui ea ipſa in verbo ſuo præſcripſit, & ſeriò à credentibus exigit, Chriſto ipſo teſtante: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Si diligi-* Matth.19.
tis me, mandata mea ſeruate. Tum ad pœnas peccatorum ef- Ioann.14.
fugiendas, quas Deus malè operantibus interminatur, vt oſtendunt illæ ſententiæ: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimi-* Luc.13.
liter peribitis. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, Matth.18.
non intrabitis in regnum cœlorum. Tum ad præmia virtutum bonorumque operum promerenda, & pro iuſtitiæ corona in cœlis conſequenda. *Reddet enim Deus vnicuiq; ſecundùm* Matth.16.
opera eius, iuſtis quidem ſecundùm patientiam boni operis, glo- Rom.2.
riam, honorem, incorruptionem & vitam æternam. Et omnis de-
mùm miſericordia facit locum vnicuiq; ſecundùm meritum ope- Eccleſi.16.
rum ſuorum. Quid multis? *Procedent qui bona fecerunt, in re-* Ioann.5.
ſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iu-
dicij. Ac ſolus quidem Ioannes in Apocalypſi ſatis docet, bo- Apoc.2.3.7.
na opera credentes ipſos etiam à morte comitari, ad æterni 14. & 21.
iudicis penetrare tribunal, exactè illa ſingula diſcuti atq; ponderari, quæ autem plena inueniuntur ac pura, immenſis æterniſque præmiis affici. Ex quibus omnibus mecum ipſe concludã, opus eſſe, vt ego Chriſti gratia cooperante, tanquàm arbor bona fructus proferam bonos, ſi certam & infrugiferis arboribus decretam maledictionem æternam velim effugere. *Qui autem ſiue bonus ſiue iuſtus eſt, iuſtitiam adhùc faciat,* Apoc 22.
vel iuſtificetur, & ſanctus ſanctificetur, Ioanne Apoſtolo teſte.

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS *pro Eccleſiæ deſertoribus & aduerſariis, præſertim verò hæreticis hoc tempore infinitis, partim ſeductoribus, partim ſeductis, nempè vt hæreticæ prauitatis velamen à cæcis illorum oculis auferatur, illiq; Eccleſiæ Catholicæ, extra quam Chriſti merita nulli proſunt, reconcilientur: aut certè vt illi ſuis fraudibus, inſidiis & artibus minus noceant Orthodoxis.*

ORABO *etiam pro Catholicis peccatoribus, vt hæreſim, tan-*

quàm horrendum ac præcipuum flagellum Dei peccata noſtra puniẽtis, agnoſcant ac metuant, iuſtóque ſanctæ fidei Zelo incenſi, ab iſtis Antichriſti præcurſoribus, eorumque technis & erroribus caueant, quemadmodum Chriſtus & Apoſtoli ſeriò præceperunt.

ADHAEC *diuinam implorabo gratiam pro Pſeudocatholicis, quorum numerus eſt maximus, vt non externa ſolùm ſpecie pietatis, ſed & ſyncera iuſtitia & perfecta obediẽtia Deum honorent: neq; ſolùm ore, ſed etiam opere dignisq; fructibus Catholicam profeſſionem teſtentur ac comprobent. Canon enim eſt Apoſtolicus omnibus obſeruandus:* Satagite fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.

2.Petr.1.

DEMVM *quoniam diligentibus Deum cuncta in bonum cooperantur, Orthodoxis petam dari gratiam, vt ex hæreſibus hodie vigentibus peculiarem colligant vtilitatem, quemadmodum Auguſtinus his verbis innuit: Ideò diuina prouidentia, multos diuerſi erroris hæreticos eſſe permiſit, vt cùm inſultant nobis, & interrogant nos ea quæ neſcimus, vel ſic excutiamus pigritiam, & diuinas ſcripturas noſſe cupiamus. Propterea Apoſtolus ait:* Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos. *Ac rurſus: Multi ad quærendum pigri ſunt, niſi per moleſtias & inſultus hæreticorum, quaſi de ſomno excitentur. Qui homines ſi bonæ ſint fidei, non credunt hæreticis, ſed quid illis reſpondeant, diligenter inquirunt. Nec eos deſerit* DEVS, *quin petentes accipiant, & quærentes inueniant, & pulſantibus aperiatur.*]

Lib.1. ſuper Geneſin contra Manichæ. cap.1.

1.Cor.11.

Matth.7.

DOMI-

DOMINICA IX. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM nobis proponit parabolam, & in illa villicum ſeu œconomum, qui bona Domini ſui diſsipauit, & prodegit potius quàm diſpenſauit. Is infidæ adminiſtrationis malè ſibi conſcius, & ab hero ſuo accerſitus, quum nullã rationem diſpẽſationis reddere confideret, ſua conſilia eò inſtituit, vt etiam officio deſtitutus, haberet vnde viueret, nempè per amicos demùm ſuſtentatus. Quamobrem quæ illi reſidua ex bonis heri ſuppetebant, inter eiuſdem heri debitores nõ ſine arte diſtribuit, quòd ſperaret ſe illorum fauore & beneficio vicisſim eſſe iuuãdum, cùm ad extremam neceſsitatem redactus, præſenti amicorum ope indigeret. Qui villicus ab hero ſuo laudatur, non ob fraudẽ in bonis cõcreditis apertè cõmiſſam, ſed quòd ingenij aſtutiam & ſagacitatem, quæ vulgo etiam prudentia reputatur, reipſa probaſſet, quando cum alieno damno ſuum commodum tam callidè promoueret, ſuæque neceſsitati aduerſus futuram egeſtatẽ & penuriam maturẽ proſpiceret. Et frequens quidem ac artificioſa eſt iſthæc filiorum mundi induſtria, vt proximum fraudando diteſcant, ſuamq; propriam vtilitatem potius quàm iuſtitiam & charitatem expendant atque procurent. Chriſtus autem huius parabolę ſcopum in eo ſtatuit, vt ſi animis noſtris benè conſultum velimus, & amicos inprimis neceſſarios, ſine his enim nõ viuitur, deſideremus, ſingulari amore ac ſtudio nobis pauperes ad-

ſciſcamus & commendatos habeamus. Per hos enim ef-
fici poſſe docet, vt etiam immerētes poſt mortem Deum
1. ſ. clementem, ſedesque cœleſtes obtineamus. Beati enim
miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequen-
tur,] non ſolùm in præſenti, ſed etiam futuro ſeculo, vt
quomodo ſeruos Dei participes faciunt in terrena ſub-
ſtantia, ſic vnà cum illis partem habere mereantur in vi-
eſ.18.li- ta æterna, quemadmodum loquitur Auguſtinus. Quid i-
o.Ho- gitur eſt reliquum, præterquàm vt fratres diuitiarum par
ticipes faciamus, vt quando hinc defecerimus, hoc eſt, ex
hac vita exceſſerimus (Theophilacti verbis vtor) accipiāt
nos pauperes in æterna tabernacula? Æterna enim ta-
bernacula conſtituta ſunt, in quæ poſsint recipere eos,
qui hîc ipſis amicè de bonis, quę ſunt dominica, largiun-
lm.121. tur.] Teſtatur & Auguſtinus, ſanctos qui ad iudicandum
1.19. venient, & ſedebunt cum Domino, illorum rationem ha-
bere qui fecerunt miſericordiam, quos etiam ſeparatos
in regnum cœlorum ſint aſſumpturi. Nec tacet Ambro-
.16. ſius, largiendo pauperibus, Angelorum nobis cætero-
rumque ſanctorum gratiam comparari.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Luc. XVI.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis, Homo quidam erat diues qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocauit illum, & ait illi, Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra ſe, Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erube-*

ſco. Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaq; ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo. Quantum debes Domino meo? At ille dicit. Centum cados olei. Dixitq; illi, Accipe cautionem tuam: & ſede, cito ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit, Tu verò quantum debes? Qui ait, centum coros tritici. Ait illi, Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

GRATIAS agam Chriſti bonitati ac ſapientiæ, qui vt ſeſe humano & imbecillo captui attẽperet, acceptas à rebus externis parabolas ac ſimilitudines nobis ſæpè proponit, ſuaque diuina in illis iudicia & occulta myſteria vtiliter explicat. Siquidem vt Paulus ipſe fatetur, *inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas.* Habet ſanè mundus, ſemperque habiturus eſt vbique gentium dominos & ſeruos, creditores ac debitores, amicos & inimicos, iudices & accuſatores, æquos & iniquos homines, filios Rom.1.

demùm lucis ac tenebrarum. Nec eſt difficile ſapienti, iſtiuſmodi perſonas ad ſpirituale referre ſenſum, & humana quidem conferre diuinis. Sicut enim animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſic ſpiritualis iudicat omnia, vt
.2. ab eodem Apoſtolo traditur. Cæterùm quod ad præſentem parabolam attinet, mirùm ſanè, Chriſtum de ratione à ſeruis exigenda toties diſſerere, remque tanti momenti quæ ſalutem hominis æternam continet, à nobis parum aut frigidè admodum cogitari. An enim apertæ Chriſti voces nō ſunt?
th.12. [a] *Reddent rationem de verbo otioſo in die iudicij.* [b] *Reddet*
t.16. *vnicuiq; ſecundùm opera eius.* [c] *Voluit rationem ponere cum ſeruis*
t.18. *ſuis.* [d] *Cùm cœpiſſet rationem ponere cum ſeruis ſuis.* [e] *Omni cui*
t.25. *multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendaue-*
.12. *runt multum, plus petent ab eo*: vt alias id genus Apoſtolicas ſententias de ratione villicationis cuique reddenda conſonantes prætermittam. Adeò verè ſcripſit Auguſtinus: aliud
at. 44. angel. n. eſſe tempus operationis, aliud receptionis. Vnde mihi ſæpè proponam duplex tempus nobis à Deo concedi atque præfigi: alterum negociandi & villicandi: alterum iudicandi & remunerandi. Ac ſingularem quidem gratiarum actionem ſæpè offeram Deo, qui hoc tempore gratiæ tam clementer nobiſcum agit, vt in ſuis donis & beneficiis offerēdis ſe cunctis munificum ac liberalem oſtēdat, hoc vnum interim exi-
19. gens: *Negotiamini dum venio. Operamini dum dies eſt: venit*
n 6.& 9. *enim nox, quando nemo poteſt operari. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Vt hinc etiam ſcitè
at 44. in n. & in iridio 10. dixerit Auguſtinus: Operetur homo dum viuit, nè illa nocte præueniatur, vbi nemo poſſit operari. Modò eſt vt operetur fides per dilectionem, & ſi modò operamur, hic eſt dies, hic eſt Chriſtus. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam releuari quiſpiam vel grauari. Nemo autem ſe ſperet quod hîc neglexerit, cùm obierit, apud Deū promereri.] Hinc iā ego meipſum incuſabo, qui velut in copioſo mercatu ſeu emporio conſtitutus, ingentia mihi lucra paruo precio comparare moror, & quaſi in media viuens æ-

ſtate,

ſtate,fruges parare ceſſo,ſagaci prouidáq; formica ignauior, quòd illa,licet duce,præceptore & principe deſtituta,tamen in æſtate ſibi paret cibum,& in meſſe congreget quod come dat in hyeme, quemadmodum à Rege Salomone ſcriptum habemus. *Igitur vſq; quo piger dormies? quando conſurges à ſomno tuo? Si impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te.* Prou. 6. Ibidem.

Sequitur autem & alterum iudicij tempus ac remunerationis, quo Chriſtus iudex rationes dati & accepti ad calculum reuocabit, & à ſingulis exiget, piorum quidem benefacta præmiis ampliſſimis cohoneſtaturus, malorum autem crimina ſuppliciis acerbiſſimis, nec vnquàm finiendis vindicaturus. Quod quidem iudicij tempus ab ineuitabili morte, cuius hora nihil nobis eſt incertius,initium ſumit: *Statutum eſt enim hominibus ſemel mori*, ipſamque animam à corpore Hebr.9. ſeparatam in eo ſtatu collocat, vt mox Chriſti Domini tremendum iudicium ſubire cogatur. *Pater enim omne iudicium* Ioann.5. *dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Ipſe eſt viuorum ac mortuorum iudex, ſi Petro creditur,à Deo conſtitutus. Iam verò duplex Chriſti iudicium,ſicut & alibi monſtratum eſt, expectare habeo, generale nimirùm, quo mundus hic totus ſimul & ſemel ante Chriſti tribunal iudicabitur, quemadmodum Paulus Athenienſibus clariſſimè concionatur, & particulare. Niſi enim anima cuiuſque morientis hominis, cùmprimùm migrat à corpore, occultè à Chriſto iudicaretur, nõ tantopere Iob timẽs Deũ extimeſceret inquiens: *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* nec à pio Rege Dauid cum formidine proferretur: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine*: neque Apoſtolus pronunciaret: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Si enim ceciderit lignum ad Auſtrum aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit*, vt aſtruit Eccleſiaſtes. Deſipio igitur vehementer, ſi ego fidam noſtri iudicis prǽmonitionem tradam obliuioni,ac vltimam illam vitę horulam,quę ad iudicium animam

Actor.10. Actor.17. Iob 31. Pſalm.142. Hebr.10. Eccleſi.11.

:.2. ducit, non ſæpè in mentem reuocem. *Eſto inquit, fidelis vſq;*
h 24. *ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Eſtote parati, quia qua*
:.22. *neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt. Ecce venio citò, & mer-*
ces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera eius. Sic autem in morte mecum actum iri putabo, ſicut præſenti & iniquo diſpenſatori tunc vſu venit, quando ille à Domino ſuo ad iudicium vocatus, non ſolùm apparere coràm, ſed etiam totius anteactæ diſpenſationis rationem abſolutam reddere debuit. Quod illi grauiter dictum & obiectum fuit, ad me quoque ſpectat: quandoquidem velim nolim, audire cogar à iudice: *Quid hoc audio de te?* multis nempè conſtanter me accuſantibus, quòd concredita mihi talenta perperam erogârim. *Redde rationem villicationis tuæ*, nimirum de commiſſis hucuſque vitiis, de prætermiſsis benefactis, de violatis præceptis, de beneficiis indignè perceptis, de proximi charitate neglecta, de totius vitæ tempore ſic expēſo, parùm vt in Dei gloriam proximique commodum ſupererogâris, ac lu-
c.4. perlucratus fueris. Quod ſi iuſtus vix ſaluabitur, ſi de verbo
h.12. etiam otioſis ratio repoſcetur, ſi ad trutinam diuini iudicii
ef.12. bona & mala anteacta reuocabuntur, *Cuncta enim quæ ſiunt*
adducet Deus in iudicium, iniquus & peccator vbi quæſo parebunt? Quid miſer & reus ego illi reſpondeam iudici potentiſsimo, quem nemo effugere, & ſapientiſsimo, quem nemo latere & fallere, & iuſtiſsimo, quem nullus flectere vn-
on.2. quàm poſsit? Ipſe ſolus eſt, qui in lucernis Hieruſalem ſcru-
r.4. tabitur, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſta-
a.74. bit conſilia cordium, vt ſua promiſſa impleat: *Cùm accepero*
in.17. *tempus, inquit, ego iuſtitias iudicabo. Ego Dominus ſcrutans cor,*
.16. *& probans renes: qui do vnicuiq; ſecundum viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum.* Quocirca nihil ego conſultius fecero, niſi vt magnis debitorum vinculis obſtrictus, cum offenſo Deo in gratiam redeam, eiuſque iudicium præueniam in cōfeſsione, & qui quotidie pecco, meipſum quotidie iudicem ac puniam. *Etenim non fallit Apoſtolica regu-*
r.11. la: *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Men-

hero certè ſemper quod ab *Auguſtino* didici, non ſolùm extremum mundi, ſed etiam huius vitæ meæ diem mihi eſſe formidandum: quoniam qualis in vita iſta quiſque moritur, talis in ſupremo die iudicabitur. Eoque magis illa futuri Iudicis verba ponderabo: *Vigilate, quia neſcitis quando Dominus veniat, ſerò an media nocte, an galli cantu, an mane: nè cùm venerit repente, inueniat vos dormientes. Si non vigilaueris, veniam ad te tanquàm fur, & neſcies qua hora veniam ad te.* Igitur aliis blandus, & mihi ſeuerus ero in his, quæ ad expurgandas conſcientiæ labes pertinent, meque præſenti villico ſiue diſpenſatori conformabo, qui de adminiſtrato procuratoris officio malè ſibi conſcius meritò angitur, & ſollicitè curat, vt quia ſuæ villicationis rationem hero comprobare diffidit, meritam ſiue carceris, ſiue capitis pœnam effugiat, resque ſuas, ſaltem beneficio aliorum adiutus, in tuto ponat. Atque huc ſpectant illa dicta Sapientis: *Ante iudicium para iuſtitiam tibi, & interroga teipſum: & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.*

In epiſtola 80. ad Heſychium.

Marc. 13.

Apoc. 3.

Eccleſ. 18.

Eccleſ. 14.

Filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

IVRE dolebo, me ad ſumma æternáque vocatum, ita humi repere, & minorem habere curam rerum ſpiritualium quàm temporalium, magiſque humana quàm diuina ſæpè ſpectare: vt hinc mundi amatoribus & imprudentior & ſtultior poſſim haud iniuria exiſtimari. Quas enim moleſtiàs quæſo, quæ diſcrimina die ac nocte non ſubiunt milites ſtipendio paruo contenti, & ad vires hoſtium ſuſtinendas continenter accincti? Quantum periculorum deuorant mercatores terra marique peregrinantes, qui famem, ſitim, æſtum, frigus, variaſque calamitates contemnunt, tantum vt bonis cito perituris fruantur, quæ ſicut ſollicitè anxiéque conquirunt, ita non ſine labore conſeruant, & cum dolore vt plurimum deſerunt, ac inuiti prorſus amittunt? Iam verò quantũ

eſt ſtudium mulierculis, mundo vt placeant, & neſcio qui-
bus ſatisfaciant? tot illæ ſumptus in ornando corpore & o-
ſtentãda forma profundũt, in cantãdo, ſaltando, fucando, po
liendo indefatigabiles. Quis demùm vigilias & ſudores &
angores illorum explicet, qui mundum habent pro patria, &
.13. pro roſis amant opes, quas Chriſtus reputat ſpinas, quæque
tantum ſe voluptatibus dedunt? In horum perſona ſcriptum
1.2. eſt: *Venite, fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tãquàm*
in iuuentute celeriter, vino precioſo & vnguentis nos impleamus.
5. An non filius ille prodigus indicat ſatis, in quantas ærumnas
impurè amantes incidant, vt etiam cum porcis communes
ſiliquas deuorare, & verè ſordidi eſſe cogantur? Omitto de
aliis huius ſeculi filiis dicere, qui totam ferè vitam in eo con-
ſumunt, vt inexplebili tum auaritiæ, tum ambitioni ſeruiant,
prauiſque deſideriis faciant ſatis? In hos meritò inuehitur
1.4. Propheta inquiens: *Filij hominum vſq; quo graui corde? vt*
quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Hos æterna
1. etiam Sapientia ſic arguit: *Vſquequo paruuli diligitis infantiã,*
& ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt
ſcientiam? Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtul-
9.; *torum perdet illos. Non eſt qui inuocet iuſtitiam*, inquit Iſaias,
neq; eſt qui iudicet verè: ſed confidunt in nihili, & loquuntur va
nitates. Quod ſi ex verbo Dei iudicandum eſt, *ſapientes illi*
em.4. *ſunt quidem, vt faciant mala: benè autem facere neſcierunt. Di-*
.1. *centes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, quibus & ipſe Deus in-
r.1. terminatur: *Perdam ſapientiam ſapientium: & prudentiam pru-*
em. *dentium reprobabo.* Vnde Paulus quóque tradit: *Nonne ſtul-*
tam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Tunc verò primùm il-
li ſapient, quum ſeram, & æquè inutilem acturi pœnitentiã,
nudi apud inferos ardebunt, & in horrendis pœnis veritatẽ
non ſine perpetuo gemitu cõfitebuntur. Vox enim illorum
5. eſt propria: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, &*
ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.
Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid con-
tulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquàm vmbra.

Ego

Ego autem ſedulò circumſpiciã,nè prudens & ſciens partem habeam cum ſeculi huius filiis præpoſterè ſapientibus, vt qui futuri ſeculi obliuiſcentes,corpus animæ,humana diuinis, & terrena cœleſtibus anteponunt. *Quid autem prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur: anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* vt Chriſtus ipſe teſtatur. Non mundi, ſed Dei filiis me conformabo,qui veram diuinamque ſapientiã, à qua filij lucis dicuntur,à Patre luminũ petunt & expectant, eáque non ſegniter & ocioſè, ſed vigilanter atque conuenienter vtuntur. Norunt enim ſcriptum eſſe: *Omnia Dominus fecit,& piè agentibus dedit ſapientiam.* Et rurſus: *Si inclinaueris aurem tuam,excipies doctrinam,& ſi dilexeris audire, ſapiẽs eris.* Ac iterum: *Facilè ſapientia videtur ab his qui diligũt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Praeoccupat qui ſe concupiſcunt,vt illis ſe prior oſtendat.* Dolebo igitur de mea inſipientia quotidiana,quandoquidem ad cultum Dei optimi maximi,& ad immortalis animæ meæ curationem non decimam partem eorum ſumptuum & laborum impendo,quos mundi amatores ad corpus curandum, ventrem explendum, opes augendas, immò & ſectandas vanitates vltrò ſuſcipiunt ac patienter ſuſtinent,nullum vitæ periculum,nullumq; ſordidum ſeruitium ob vilis lucelli ſpem reformidantes. Ideò hi ſanè noſtri,multorumque fidelium erunt iudices,quoniã in generatione ſua multis modis vincunt ac pudefaciunt lucis filios,ſi quotidianum illorum ſtudium,laborem & ardorem aliaſque operas, quibus nunquàm non ſe miſerè conficiunt & excruciant, ritè perpendamus. Maiorem adhûc pudorem incutiet mihi, quod res ipſa doceat, nos Chriſtianos rationis & fidei lumine inſtructos, non rarò à brutis pecudibus ſuperari, quæ licet ſola duce natura ad agendum regantur, tamen à pleriſque vitiis fidelium abſtinent diligenter. Vera Dei cognitio,purǽque fidei confeſſio nos perſæpè non retrahit, proh dolor, ab ambitione,ingluuie,vinolẽtia,ſcortatione,tyrannide,ſed ipſis beſtiis per ſummam ingratitudinem atque ſtultitiam frequenter efficit deteriores. Vt hinc

Matth.16.
Epheſ.5.
Iacob.1.
Eccleſ.43 & 6.
Sapient.6.

non minus ad Christianos quam ad Iudæos pertineat, quod per Hieremiam ſuis cultoribus exprobrat Deus, eos miluo, turture, hirundine & ciconia eſſe ſtupidiores, quandoquidē iudicium diuinum non agnoſcant, ſed negligant planè. Nec diſſimilis eſt reprehēſio, cùm Chriſtus verbis illis vtitur: *Hypocritæ faciem cæli & terræ noſtis probare: hoc autē tempus quomodo non probatis? Reſpicite volatilia cæli*, quæ nimirùm imminentem tempeſtatem vel procellam & præſentiunt, & ſtudioſè deuitant. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Cùm enim naturam humanam magis magiſque peccando deformemus, noſque ſtultitia & inſipientia ſæpè iumentis conformemus, nihil mirum, quòd à formicis, volucribus & ſerpentibus, veluti magiſtris diſcere, & ad virtutē propius accedere iubeamur. Exemplum de ſerpentibus propoſitum pulchrè Gaudentius hoc modo interpretatur: Prudētes nos eſſe Chriſtus præcipit, non venenatos: ſapientes, non noxios: ſed qui veterem peccati tunicam vt coluber deponentes, in nouum hominem reformemur, caput noſtrum qui eſt Chriſtus, omni diligentia conſeruantes, & pro eo membra omnia perſequutoribus laceranda tradentes, vt fides Dei, quæ caput ſalutis ac vitæ noſtræ eſt, ſana & inuulnerata permaneat.]

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Ex animo ſanè dolebo, permultos hodie magnates, nobiles ac diuites reperiri partim tenaces, partim prodigos, qui de pauperibus alendis ac promouendis rarò cogitent, ſeriamque curam & operam nunquàm ſuſcipiant. Ex multis opulentis vix vnum reperias, qui cum Iob bona conſcientia teſtari queat: *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum: conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Longè facilius comperias in illis quaſi leones rugiētes, & lupos veſpertinos, ſicut & Sophonias loquitur, & de quibus iuſta illa querela Prophetæ texitur: *Principes tui infideles,*

deles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant; & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Auditur interim magis quàm creditur, quod impio Regi Nabuchodonoſor promiſit Daniel: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Quàm ægrè perſuaderi poteſt diuitibus, fidem vt plenam habeant hiſce Chriſti ſententiis? *Date & dabitur vobis. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Voca pauperes, debiles, claudos & cæcos & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Ego verò tantò maiore cōmiſeratione, humanitate ac gratia pauperes ac miſeros omnes proſequar, quantò certius intelligo, illos humana conſolatione & ope frequenter deſtitui: qui tametſi paſſim ſe diuitibus ſpectandos & audiendos præbeant, eoſdem tamen cæcos & ſurdos vt plurimum experiuntur. Hinc durat pergrauis mœror, frequensq; luctus & clamor tot indigentiū, qui poſt longam expectationem & ardentes preces nulla ferè ditiorum miſericordia & liberalitate refocillantur, quin potius indignis ſæpè modis repelluntur. Quid autē in veteri teſtamento mandat Deus? *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* His Chriſti verbum eſt affine, cùm inquit: *Semper pauperes habetis vobiſcum, & cùm volueritis, poteſtis illis benefacere.* Iam verò quàm rarò ſe offerūt Paulus & Barnabas, qui ob refrigeria pauperum laborent in Eccleſiis Gentium, vt in ſabbathis fiant collectæ, quiq; acceptas oblationes per ſeipſos deferant? Demùm exiguus planè illorum eſt numerus, qui Chriſtiana fide & charitate præditi, tanti faciant pauperes, vt illorum gratiam ambiāt ac promerentur, talesq́ue amicos, vt apud Deum præpotentes, maturè ſibi conciliare procurent. Atqui id maximum & præcipuū eſt, quod hac parabola docet & inculcat Chriſtus, nimirùm vt futuram in alio ſeculo remunerationem, & pauperum beneuolentiam, de quibus hîc bene meremur, magna cum fi-

Daniel. 4.

Matth. 7. Luc. 11.

Matth. 19. Luc. 14.

Deut. 15.

Marc 14.

Galat. 2. & vide Hieronymum in epiſt. 150. ad Hebidiam.

ducia expectemus. Quod præceptum Lucinius ille ſeruauit, ad quem hoc modo ſcribit Hieronymus: Abundantia tua multorum inopiam ſuſtentauit,& vt horum diuitiæ in tuam indulgentiam redūdarent, feciſti tibi amicos de iniquo mā-mona, qui te reciperent in æterna tabernacula.] Cur autem de iniquo mammona loquatur Dominus, idem author ſic explicat: Omnes enim diuitiæ ab iniquitate deſcendunt, & niſi alter perdiderit, alter non poterit inuenire. Vnde & illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſsima: Diues aut iniquus, aut iniqui hæres.] Quod ſi ego paupertate impeditus, pecuniam,cibum,potum, veſtes egenis erogare nō poſſum, ſaltem pium miſericordiæ & compaſsionis affectum illis & afflictis proximis libenter impendam. Pulchrū enim,& ſanctis Angelis gratum, hominéque Chriſtiano dignum eſt cū Iob poſſe dicere: *Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Adhęc beatos Angelos, qui animarum noſtrarum portatores dicuntur,& ſanctos in cœlo principes tanto libentius colam,ſępiusqúe inuocabo, quanto magis Catholicæ pietati eſt conſentaneum,illos ipſos agnoſcere amicos, deprecatores & patronos fidos mortalium, qui nos quamùis indignos, interceſsione ſua ſubleuant, ſummoqúe commendant iudici, apud quem illi non minus quàm pauperes mendici, haud dubiè plurimum valent. Vnde cum Ephrem ſancto diacono Baſilij dicere nō dubitabo:Nunc ô beatiſsimi viri,ô glorioſiſsimi Martyres Dei, me miſerum veſtris iuuate precibus, vt in illa hora miſericordiam conſequar,quando manifeſta erunt occulta hominū.] Quicquid autem Sancti precando nobis apud Deum impetrant,pars illius eſt mercedis ampliſsimæ,quam veri Abrahę filij, quia in pauperes benigni, inter quos etiam Zachæus numeratur, certò certius accipient, ſicut illuſtris illa Chriſti declarat promiſsio: *Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Rurſus monet me iſthæc Chriſti ſententia, de bonorum operū pretio cum Catholicis omnibus confiteri, quòd ea non modò

fidem & charitatem noſtrā teſtentur, ſed etiam bonam ſpem & fiduciam æternæ vitæ conſequendæ gignant, & augmentum gratiæ pariant, (ſicut mala quidē opera deſperationem frequenter adducunt) eaque opera pia viuis & mortuis fidelibus vitam promereantur æternam. Etenim qui ſibi amicos faciunt de mammona iniquitatis, ſuasque facultates in pauperes propter Deum erogant, mercedem cœleſtem cū magno fœnore ſibi reportant, & in diuina Sanctorum tabernacula ſibi aditum faciunt, vt promiſſam à Deo mercedem, ſiue, vt Paulus appellat, iuſtitiæ coronam in cœlis repoſitam conſequantur. Eòdem ſpectat præceptum à Paulo etiam traditum: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Meminit & Auguſtinus, Chriſtū hîc loqui de iuſtis fidelibus, qui de mammona iniquitatis, id eſt, de pecunia vel diuitijs alios ſui memores facere promerentur, vt idcircò in æterna recipiantur tabernacula per Sanctorum interceſſionem. Poſtremò demirabor tantam in me & pleriſque alijs Chriſtianis incogitantiam eſſe, vt exiguo in precio habeamus, prorſusque negligamus ea, quæ verbum Dei ſummoperè laudat, ac præmijs æternis digna eſſe manifeſtè teſtatur. Certè vulgus hominum de fruſto panis vel nummulo, aut aquę potu in mendicum vel peregrinum collato viliter & abiectè iudicat, remque nullius ferè momenti ac precij eſſe arbitratur. Ego verò Chriſti iudicium opinioni hominum anteponam, & diuinam illam infallibilemq; cenſuram ſequar, qua Veritas æterna pronunciauit: *Quicunq; potum dedit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Qui ſuſceperit vnum paruulum in nomine meo, me ſuſcipit. Quàmdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quid potuit autem nobis maius Chriſtus edicere? quomodo magis potuit iuſtitiæ ac miſericordię noſtræ operam prouocare, quàm quod præſtari id dixit ſibi, quicquid egenti præſtatur & pauperi? vt Cypriani verbis vtamur. His idem Raphaëlis Angeli verba coniungit: *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis quàm*

2.Tim.4.
Hebr.13.
Lib.21. de ciuitate Dei. cap.27.
Matth.10.
Matth.18. & 25.
In ſerm. de eleemoſyna.
Tob.12.

theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat, peccata & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Vnde rurſus confirmat Cyprianus, ac meritò quidem, eleemoſynam libenter ac largiter eſſe faciendã, & ſine illa preces & ieiunationes noſtras parùm ad impetrandum valere, ac inefficaces eſſe. Et cùm permulta virtutum opera, & pietatis officia in credentibus commendentur, tamẽ
:h.25. nulla Chriſtus tam diſertè notat, & in iudicio ipſo laudabit publicè, ſicut illorum fidelium, qui ſe pauperibus benignos & officioſos exhibent. Hos ad ſuam dexteram vt electas oues collocat, hos vt maximè familiares amicos inuitat, his regnum Patris inde ab æterno præparatum ſemperque poſſidendum aſſignat. Adhæc eleemoſyna non minuit, vt vulgus exiſtimat, ſed auget tribuentium facultates, vt etiam ex
1.11. 28. diuitibus faciat ditiores. Sic enim ſcriptum habemus: *Alij*
). *diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Qui dat pauperi, non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Quod cùm Dauid per experientiam didiciſſet, illo etiam dicto comproba-
m.36. uit: *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Tota die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.* Nec ſatis explicari poteſt, quibus quantiſq; periculis & calamitatibus homines per elee-
u.15. moſynam liberentur, aſſerente ſcriptura: *Per miſericordiam*
iel. 4. *& fidem purgantur peccata*, ſicut & Daniel vt diximus, aſſeruit: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Deficerent & in æternum perirent diuites multi, niſi pauperes hîc ſibi paraſſent amicos de mammona iniquitatis, à quibus in æterna tabernacula recipiuntur, ſicut Chriſtus ipſe palàm pronunciat. Vnde idem alibi quoque teſta-
tth.6. tur: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo. Redemptio enim ani-*
u.13. *mæ viri, diuitiæ ſuæ.* Theſaurum quippe ſuum condit in cœlum, qui Chiſtum paſcit in paupere. Miſereantur pauperum,
m.1. & 4. qui ſibi volunt parcere Chriſtum, vt Leonis Magni verbis
:ollect.

vtamur.

amur. Nullam poterit incurrere perniciem,qui compara-
t eleemoſynis pietatem,ſi Auguſtino credimus. Quid mul
? *B. atus vir, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die
ala liberabit eum Dominus*, Pſalmographo teſte. *Diſperſit,
dit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui parcè
minat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de be
dictionibus & metet. Qui deſpicit pauperem & calumniatur
entem, exprobrat factori eius: qui autem honorat eum, miſere-
r pauperis. Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat ils
m, homo ſanguinis eſt.* Quæ tamen omnia ſic accipienda du-
m, vt meis in pauperes beneficiis, & qualibuscunque iu-
orum ſuffragiis ac meritis moderatè confidam, meamque
ſtitiam & ſalutem illis præcipuè non tribuam & adſcribā.
enim errare non debeo cum fatuis virginibus, quæ cùm
aritatis oleo in ſuis lampadibus eſſent deſtitutæ, ſuam fi-
uciam in virginibus prudentibus, ac earum oleo fruſtrà col
ocârunt, vt idcircò dicerent: *Date nobis de oleo veſtro, quia
mpades noſtræ extinguuntur.* Negat & Auguſtinus, eleemo-
nam homini, qui volens in lethali peccato perſiſtit, eſſe ſa-
tarem, eiusque mundare conſcientiam. Qui autem inquit,
lt eleemoſynam ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere, &
m ſibi primùm dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericor
æ, veriſſimèque dictum eſt: *Miſerere animæ tuæ placēs Deo.
Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam*: & qui odit
nimam ſuam, non eſt miſericors, ſed crudelis.] Hinc Theo-
gi quoque docent, hominem ad remiſſionem peccatorū
ſacramento Pœnitentiæ conſequendam, per eleemoſynā
ſponi ac præparari, actumq; miſericordiæ, quoad pœnam
mporalem, ſatisfacere pro peccatis, quæ poſt remiſſam cul
am plerunque redimenda ſupereſt, ipſamq; eleemoſynam
on ſolùm opus eſſe bonum, ſed & remedium peccatorum
cundùm illa dicta: *Date & dabitur vobis. Dimittite & dimit
tur vobis. Charitas operit multitudinem* (ſiue vniuerſitatem)
eccatorum. Quod igitur de Sanctorum interceſſione dixit
hryſoſtomus, idem ego ad eleemoſynam transferam: Bonū

Pſalm. 40. & 111.

2. Cor. 9.

Prou. 17. & 14.

Eccleſi. 34.

Matth. 25.

In enchirid. ad Laurent. cap. 75. & 76.

Eccleſi. 30.

Pſalm. 10.

Luc. 6.

1. Pet. 4.

Homel. 79. ad popul. Antiochen.

eſt Sanctorum oratione frui, ſed cùm & nos ſumus cooperatores: quod ſi non adfuerit, nihil aliorum prodeſt auxiliũ, verùm cum illo perimus.]

PRECANDVS *mihi Deus pro magnatibus & diuitibus, vt cum timore ſeruiant Deo, ſemperq́ meminerint, ſe bonorum quæ poſſident, non dominos, ſed œconomos & diſpenſatores eſſe, tantòq́ ſeueriorem ab illis rationem iudici Deo reddendam, quantò plura & maiora illis dona collata ſunt. Sic enim Chriſtus quoq́*
.12. *pronunciat:* Omni cui multum datum eſt, multum quære-
tur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

ORABO *etiam diuitibus illum ſpiritum dari, vt omni prodigalitate auaritiaq́ reſecta, de pauperibus & miſeris ex charitate*
.4. *non ficta bene mereantur: quia ſcriptum eſt:* Ex ſubſtantia tua
fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quo-
ef.17. modo potueris, ita eſto miſericors. Mandauit enim Deus v-
nicuique de proximo ſuo.

PRAETEREA *diuinam mihi gratiam concedi petam ad breue tempus hoc pœnitentiæ tum rectè tranſigendum, tum fæliciter conſummandum, vt vocationis meæ rationem ſummo & æquiſſimo iudici Deo comprobare, & Sanctorum interceſſione ad æterna ipſorum tabernacula rectum habere aditum poſſim.*

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

QVANTO lætius Hieroſolymitani Chriſtũ die Palmarum exceperunt, tanto acerbius viciſsim Chriſtus illorum vrbem & regionem, vt quæ maximas peruicaciæ ſuæ pœnas datura eſſet, publicè deplorauit. Ingreſſus autem vrbem, tum repurgauit templum, eiectis inde vendentibus & ementibus, qui ſacrum Dei donum orationi deſtinatum auaritiæ ſtudiis ac negotiis contaminabant: tum quotidianam illic inſtituit concionem, vt verbo Dei ſuos paſceret auditores. Hîc præterea Chriſtus verum ſe Prophetam declarat, quando palam vaticinatur de futura vrbis ac regionis Iudaicæ deſtructione triſtiſsima, quæ poſt quadraginta annos à Romanis ſub Veſpaſiano ac Tito principibus horrẽdum in modum facta eſt, quemadmodum Ioſephus & Hegeſyppus fide digni Hiſtoriographi literis prodiderunt, ipſique Iudæi poſt dirã & immanem cladem acceptam vel inuiti fateri cogũtur. Etenim hucuſque illi toto orbe diſperſi exulant, & ab omnibus ferè gentibus cõtempti, ſine rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ephod, ſine theraphim ter miſerè viuunt, quemadmodum illis Oſee Propheta prædixerat. Oſee 3. Sic nimirùm iuſtiſsimus Deus vt maximam huius perfidæ gentis ingratitudinem, ita & innocentiſsimã dilectiſsimi filij ſui mortem, variasque iniurias electis Apoſtolis primisque Chriſtianis illatas, horribiliter vindicauit. Docemur & nos, malo ſaltem alieno ſapere, & incredulitatis obſtinatæque peruicaciæ fructum infœliciſsimum cognoſcere ſimul & deteſtari. Diſcimus præ-

terea, Deum peccatis hominum ad tempus indulgere, & in expectanda illorum pœnitentia longanimum ac patientem eſſe, ſed qui poſtea ſui contemptum, & patratorũ criminum magnitudinem ſupplicij grauitate compẽſet. Hanc irati Dei ſeueritatem experti ſunt Hieroſolymitani, & cum illis complures aliæ vrbes & prouinciæ malo ſuo comprobârunt, quarum impietatem diuina iuſtitia terribiliter caſtigauit, & in hunc vſque diem caſtigare nõ deſinit. Habemus interim cum ipſis Iudæis afflictis & perditis hoc quoque commune, quod falſæ pacis & externæ proſperitatis ſpecie adblandiente ſubinde fallamur, noſtræque viſitationis tempus velut cæci nõ agnoſcamus, ſed iram nobis diuinam magis magiſq; peccando cumulemus, ſiue vt Paulus loquitur, theſaurizemus.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Luc. XIX.

VIDENS IESVS *ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens, Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndiq;, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et ingreſſus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo & ementes, dicens illis, Scriptum eſt, Quia domus mea domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.*

NOTAE

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Videns IESVS *ciuitatem, fleuit ſuper illam.*

ERVNT mihi cordi lachrymæ Saluatoris, quę conſpicio in ſolenni pompa, & inter medias populorū applaudentium acclamationes vbertim flere, ac acerbe lamentari: qui præterea ſæpè fleuiſſe, nunquàm autem riſiſſe, ſed potius ridentibus maledixiſſe in Euangelio legitur. Ita enim palam pronunciat: *Væ vobis qui ridetis nūc, quia plorabitis & flebitis. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabūtur.* Eſt enim hoc filiorum non Dei, ſed mundi proprium, fortunæ aſperioris obliuiſci, ſucceſſu rerum efferri, omni gaudio & riſu diffluere, ſeque voluptatibus dedere, ac quàm diu poſſunt, propensè genio indulgere: rarò autem de vera piorum lętitia, & futura iniquorum triſtitia cogitare. *Relinquunt iter rectum*, inquit Salomon, *& ambulant per vias tenebroſas: lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Sed vt breuis & momentanea, ſic inanis & falſa iſthæc vanorum hominum eſt lætitia, paulo poſt cum lamentis non finiendis commutanda *Riſus enim dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Hanc vani gaudij & horrendi luctus viciſſitudinem ſi vllus ex mundi filiis, certè pompoſus, inſolēs & delicatus ille diues nobis exprimit, qui recepit bona in vita ſua, & iam ad inferos deductus, væ illud æternum in flammis tartareis ingeminare non ceſſat. Rectè igitur teſtatur ſapientiſſimus rex: *Dixi ego in corde meo, Vadam & affluam delitiis, & fruar bonis: & vidi quòd hoc quoq; eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi. Quid fruſtra deciperis?* Rectè & Apoſtolus Iacobus hortatur: *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate, ris*

Luc. 6. Matt. 5. Prou. 2. Prou. 14. Luc 16. Ecclеſi. 2. Iacob. 4.

ſus veſter in luctum cõuertatur, & gaudium in mœrorem. Chriſtus verò ſuos diſcipulos & electos omnes ſibi ſimiles eſſe cupit, nimirùm vt mundi gaudia & blandimenta, quæ in amplis vrbibus ac nobilium palatiis maximè reperiuntur, pro nihilo ducãt, nè velut incauti piſces, talibus eſcis ad ſuã perniciem capiantur. Tum *P*aulus admonet, vt quia tẽpus breue eſt, & præterit figura huius mundi, quotquot modò gaudent, ſint tanquàm non gaudentes, vtque cum timore ſuam ſalutem nunquàm non operentur. Hoc demum eſt illud obſeruare præceptum: *In die bonorum nè ſis immemor malorum. In omnibus operibus memorare nouiſſima tua. Qui enim ſeminãt in lachrymis, in exultatione metent,* tanto vberiorem vtiq; conſolationẽ percepturi, quanto maius ac longius pane lachrymarum in hac valle lachrymarum cibantur, vt cum *P*ropheta dicere queant: *Potum dedit nobis in lachrymis, & in mẽſura.* Nõ enim huius, ſed futuri eſt ſeculi ſolidum illud gaudium, quod votis piorum ardentibus exoptatur, ſolumque humanos implet animos, Chriſto nempè ſuum præſtante promiſſum. *Quomodo* inquit, *ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* Tunc fidiſſimus ille Sponſus, ſicut Ioannes prędixit, abſterget omnem lachrymam ab oculis electorum: & mors vltra non erit, neq; luctus, neque clamor, néque dolor. *E*t hac quidem ratione mihi & afflictis omnibus Chriſti lachrymæ parient conſolationem & voluptatem; tam ſunt illæ ſalutares & piis efficaces, ſimulque confirmãt illud *A*poſtolicum dictum: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.*

Deinde Chriſti Domini lugentis exemplo diſcam, quantoperè mihi congruat, in hac lachrymarũ valle peccata mea propria non diſſimulare & excuſare, ſed ponderare atq; deflere,

flere, quando Dominus & magiſter meus, licet ab omni næuo & vitio eſſet ſemper immunis, tamen aliena etiam perditorum hominum flagitia tam amarè deplorat, vt integram verborum ſuorum ſententiam efferre nõ poſſet. Nec minus quidem capitalium hoſtium, quàm familiarium amicorum, nec modò præſentis metropolis, ſed & vniuerſæ regionis Iudaicæ in hoc luctu rationem habuit ſingularem. Is ipſe eſt, qui triſtitiam & anguſtiam animi longè acerbiſſimam pertulit, quum in horto inſtantem ſuæ paſſionis calicem deprecaretur, ſudorem etiam ſanguineum fundens in terram, vt morienti non diſſimilis videretur. Iamque in cruce pendens, preces iunxit cum lachrymis, vt has etiam æterno Patri pro nobis offerret. Cæterùm quæ mihi ridendi, & non ſæpè multumque flendi cauſa ſuppetit? ſi rectè cogitem, vti ſanè par eſt, me peregrinum tam procul à cœleſti abeſſe patria, ſine qua ſaluus eſſe non poſſum, méque inter tot hoſtes & hoſtiũ inſidias magno cum periculo aſſiduè degere, nec modò culparum, ſed pœnarum etiam cumulos mihi tanto magis augeri, quanto ſæpius Deum offendo & proximum, quantóq; minus attendo, me acerbæ morti, quæ quotidie præſtolãda eſt, ac tremendo Chriſti iudicio indies fieri propinquiorem. Et adhuc ea mihi manet, proh dolor, animi duritia, vt neque cum [a] Dauide, neque cum [b] Petro, neque cum [c] Magdalena poſt frequẽtes lapſus, ac renouata ſępè vulnera intimè doleã, meamque peccatricem animam defleam, nec eam triſtitiam aſſumam, quæ ſecundùm Deum eſt, & pœnitentiam, vt Paulus inquit, in ſalutem ſtabilem operatur. Sed enim quãto magis vana me ſpe lõgęuitatis lacto, vitamq; correctiorem longius prorogo, tanto meipſum turpius fallo, nõ diſsimilis infœlici diuiti, cui diuturnæ vitæ ſpacia expectãti cœlitus dictũ eſt: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te.* Quanto autem foret conſultius, ſi regem Ezechiam imitandum mihi proponerem, qui breui ſe moriturum intelligens, ad preces & lachrymas, velut certa pœnitentium arma, ſeſe conuertit, & hiſce cum ſummo Deo ita pugnauit, vt longioris vitæ perio-

Matth. 26. Hebræ. 5. a Pſalm. 118. b Matt. 26. c Luc. 7. 2. Cor. 7. Luc. 12. Iſai. 38. 4 Reg. 20. 2. Paral. 31.

dum ac gratiam impetraret. Quocirca ille prioris vitæ pertæſus, hoc inter alia Deo ſanctè promiſit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nec minus apud me valebit præclarum Dauidis exemplum, qui cùm fœdè lapſus eſſet, vt irato Deo reconciliaretur, quod tempus alij libenter quieti corporis, dulcique ſomno tribuunt, id ipſe ad vigilias nocturnas, triſtes lachrymas, & frequentes ex imo pectore profuſos gemitus religiosè cõuertere ſolitus fuit. Hinc illa vox tanti Regis: *Laborauí in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam. Renuit conſolari anima mea: meditatus ſum nocte cum corde meo: & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Quanquàm ego, ſi rem omnem ſeriò inſtituerem, non me ſolùm, ſed etiam alios deflere deberem, præſertim non ignarus, cæcos huius mundi amatores, cùm in ſeipſis plangenda neſciant, in omnem iocum, luſum & riſum effuſos eſſe, & neque præſentem ſuam miſeriam, nec futuram Dei vindicis iram, quæ in peccatores exardeſcit, agnoſcere, & idcircò per latam viam ad inferos, vel ſicut Chriſtus loquitur, ad perditionem, vt lætè, ſic etiam inſanè procurrere. Quarè hi tanto magis mihi ac bonis omnibus deplorandi ſunt, quòd nullũ peccandi faciant finem, ſed velut phrenetici ſolent, in ſeipſos crudeles, ſubinde ſibi plagas augeant, maioremque contra ſe iram Dei continenter prouocent & accerſant, quandoquidem Filium Dei, vt Paulus loquitur, iterum ſibi crucifigunt. Habeo deinde alios imitari, eoſque ardenti charitate flagrantes, qui peccatis proximorum deplorãdis ſyncerè vacârunt, ſuóque nos docuerunt exemplo, lachrymis eluenda eſſe peccata, vt quæ ſcelerum vulneribus aptiſſima ſint medicamenta, & imminenti exitio animas liberent, aut ſummã certè charitatem immerentibus præſtitam proteſtentur. Defleuit propheta Moyſes fornicãtes Iſraëlitas, cùm iaceret ante fores tabernaculi. Defleuit Samuel regem ſuperbũ Saul, ſicut & David ſuum filium Abſolonem, cuius mortem acer-

bo plan-

bo planctu eſt proſequutus. Defleuit Hieremias,& ſæpè quidem, inuincibilem Iudaicæ gentis obſtinationem, ac vrbis Hieroſolymitanæ funeſtiſſimam cladem. Defleuit demum Apoſtolus Paulus, & ex animo ſanè, inimicos crucis Chriſti, & pro illis Corinthiis, qui de cõmiſsis peccatis nullã exegerant pœnitentiam, quòd ea leuiter ponderârent, vitam ſuam vltrò impendere deſiderauit. Ergóne Chriſti & Sanctorum exemplo redarguor, cùm nec mea, nec aliena peccata viuo ſenſu doloris proſequor, neque cum flentibus flere contendo, gaudens potius vbi triſtari, & triſtis vbi gaudere pro Chriſtiani officij ratione debebam? Illud mihi præcipuè curandũ fuerit, vt iſthęc Sapientis monita diligenter obſeruẽ: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Nulla mihi ſit pars cum illis, qui ab Apoſtolo ad mũdi finem venturi prædicuntur, & ἄστοργοι, hoc eſt, ſine affectione vocantur, in quibus etiam naturæ affectus obſoleuerunt, vt humano fidoque in ſuos affectu careant. Ac niſi Iudæis eiuſmodi ferum & barbaricum contigiſſet ingenium, Chriſtus afflictus illis vtique dictum hoc veriſsimè non exprobraſſet: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* Hierem. 9. & 10. Philipp. 4. 2. Cor. 12. Eccleſ. 14. Rom 1. 2. Tim. 3. Pſalm. 68.

Venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabũt te, & coanguſtabunt te vndiq;.

MAGNOPERE ſuſpiciam vrbem Solymam, ſiue Hieruſalem aut Hieroſolymorum, variis enim nominibus appellata eſt, tam ſanè vetuſtam, vt pleriq; cum Ioſepho putent, illam à rege Salem Melchiſedech æquali Abrahæ conditam fuiſſe. De Dauide rege conſtat, quòd eandem ex anguſto oppido ciuitatem ampliſsimam, verèque regiam & imperij ſui caput effecerit. Sequutus eſt Salomon rex, & eandem vrbẽ magnificentiſsimo templo, & Iudæorum quidem ad ſacrificandum proprio domicilio decorauit. Hieremias Propheta Lib. 7. de bello Iudaico, cap 18. Genef. 14. 2. Reg. 5. 3. Reg. 6. 2. Paral. 3. Thren. 1.

gentium

gentium Dominam & prouinciarum principem ex hac vrbe facit: nec dubitat *Plinius* licet ethnicus, illam vrbium Orientis longè clariſsimam appellare. [a] Iſaias & [b] Daniel Prophetæ, ſicut & [c] Matthæus ac [d] Ioannes *E*uangeliſtæ ſanctã hanc vrbem euidenter celebrant, partim quòd illam Deus præ cęteris vrbibus ſui nominis notitia mirabiliter illuſtrârit, ac velut peculiarem ſanctitatis domum & ſedẽ delegerit, partim quòd in illa pleriq; Prophetæ ſancti ad ſuum munus obeundum inſigniter effulſerint, præcipuè autem quòd ſanctorum omnium caput Chriſtus, eandem carnis pręſentiæque ſuæ ſacroſanctis myſteriis condecorârit atque ſanctificârit. Illam igitur adamans, nõ temerè dixit: *Hieruſalem Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos?* Illic ſuum fudit ſanguinem, ſéque poſt mortem rediuiuum ſuis oſtendit, & Spiritus ſui primitias tribuit, ac priuſquàm Euangelicę doctrinæ lux toti orbi inclaruit, ibidem vetus illud impleuit vaticinium: *De Sion exibit rex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Nec vlla eſt vrbs alia in ſacris literis, quæ Chriſtianæ *E*cclesiæ figuram & imaginem, ſed & cœleſtis patriæ typum tam eleganter ac expreſsè reddat, & demũ quæ toties ac præclarius in Scriptura paſsim celebretur. Tantóque magis admirabor, quòd hæc ipſa ciuitas in ſummum velut locum euecta, & maximis Dei muneribus illuſtrata, de priſtina dignitate ac ſanctitate tantũ amiſerit, vt vnà cum ſuis ſiue filiis ſiue incolis omni priore decore atque ſplendore deſtituatur. Proinde cum Hieremia Propheta, qui in huius vrbis excidio deplorando eſt ſedulus, dicam & ego: *Quomodò ſedet ſola ciuitas plena populo? facta eſt quaſi vidua Domina gentium, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo, Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Hinc porrò terribilem diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem mihi meditandam proponam, cùm præſens Euangelium doceat, nõ modò Iudæos, ſed & ipſorum metropolim longè pulcherrimam, ac toto orbe celebratam, immò & regionẽ ipſam lacte

olim

olim & melle fluentem, tam grauiter affligi penituſq; vaſtari per hoſtes feroces & impios, vt ſola eius rei triſtiſſima recordatio non modò commiſerationem, ſed etiam lachrymas Chriſto Domino extorſerit. Fluxerant anni poſt Redēptoris noſtri mortem paulò plures quàm quadraginta, quando Titus Imperator à Veſpaſiano patre & Cæſare miſſus, illud eiuſdem Domini impleuit vaticinium: *Venient* inquit, *dies in te* (vrbi autem Hieruſalem loquitur) *& circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndiquè, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Cùm enim Iudæi ſæpè multumq; ſeditioſi ac rebelles, Romanos grauiter offendiſſent, venit numeroſus exercitus duce Tito miſſus, ſicut Chriſtus illis verbis fuerat vaticinatus: *Cùm videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem: tunc ſcitote quia appropinquat deſolatio eius.* Ac iterum: *Hieruſalem calcabitur à Gentibus.* Et ſanè triplex exercitus hanc vrbem præpotentem valdèq; munitam, fortiſsima obſidione preſsit, triplicíque vallo circumcinxit, vt nulli Iudæorum vel exitus vel ingreſſus pateret, omnesque velut in carcere quodam incluſi, maximas in anguſtias redigerentur. Dictu eſt ferè incredibile, quàm ingēs obſeſſorum hominum turba cum diris cladibus in vrbe fuerit conflictata, cùm paſsim populus crudeli fame, flagrāti peſte, perurgente rerum omnium penuria, & immani ſociorū perfidia extingueretur. Interim Romanus miles vi maxima cepit vrbem, templum occupauit, ſacra diruit, præſidia & propugnacula ſuſtulit, flammis abſumpſit ędificia, ac ſolo demū æquauit omnia. Narrant, vndecies centena millia ferro, fame & peſte illic interiiſſe, & nonaginta ſeptem millia fuiſſe in captiuitatem miſeramque ſeruitutem abducta, & triſtiſsimum exilium ſubiiſſe: ex his triginta denario vno venditos, in orbe toto diſperſos, nullóque in precio habitos eſſe. Vicit igitur hæc Iudæorum inaudita clades reliquas omnes ſuperiores, licet illæ non parùm atroces extiterint, potiſsimùm Nabuchodonoſor & Antiocho regibus in eandem vrbem pro

Exod.3.13.& 33.

Luc.19.

Luc.21.

4.Reg.25. 1 Machab.1. & 23.

libi-

libidine ſua tyrannica deſæuientibus. Ita demum Balaàm ariolꝫ vaticinium fuit impletum: *Venient* inquit, *in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq́ Hebræos.* Nulla vnquã ciuitas & regio tã diras & luctuoſas impietates, peruicaciæque ſuæ pœnas perſoluit: nulla diuturniorem captiuitatem, & miſerabiliorem ſeruitutem pertulit: nullus populus in hodiernum vſque diem tam deſpicabiliter viuit, & vbique gentium abiectior inuenitur. Quam Hieroſolymorum ſubuerſionem Iſaias, Ezechiel, Michæas, præter alios Prophetas, liquidò prædixerunt, eamque triſtiſsimam & calamitoſiſsimã fore Chriſtus non ſolùm hìc, ſed etiam alibi quum ferret crucem, prodidit luculenter. Quapropter ego verè cum Propheta dixerim: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.* Ita demũ plena conſtat fides Chriſti vaticiniis, quibus prędictum legimus, filios regni eiiciẽdos, & vocatos ad nuptias, quia venire contẽnant, Regiſq; legatos indignè tractẽt, ſeuerè plectẽdos ac ciuitatem eorum ſuccendendã eſſe. Ita rurſus è domo Dei exturbantur, qui Mammonæ potius quàm Dei cultui dediti, templum ſanctum profanis ſtudiis violârunt. Ita rurſus Iudæorum domus deſerta relinquitur, & completur myſteriũ, in ficu ſterili, & foliis tantùm cooperta, quam Chriſtus maledixit in via, præfiguratum.

Hinc iam ego colligam ac diſcam, communes publicáſq; calamitates, quę florentibus etiam ciuitatibus ac integris regionibus ingens periculum & certum exitium freque͂ter acceſſunt, non fortuitò vel caſu accidere, ſed propter populi peccata diuinitus infligi, & frequenter augeri. Hoc enim diſertè per Moyſen aſſerit Deus, cũ obedienti populo ſuo multas & amplas benedictiones pollicetur, ob quas reliquis gentibus longè præſtarent: inobedienti autem diras & multiplices maledictiones ad extremam vſque perniciem denunciat atque minatur. Nec aliter ſanè Iudæis ingratis accidit, quemadmodum Dauidica illa verba declarant: *Poſuit flumina in*

deſertum, & exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Tum Salomon perſpicuè docet: *Iuſtitia eleuat gentem: miſeros autem facit populos peccatum.* AEquè luculenter in eandem ſentētiam ſcriptum eſt: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniuſtitias, & iniurias & contumelias, & diuerſos dolos. Exhonorauit Dominus conuentus malorum, & deſtruxit eos vſq; in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vſq; ad fundamentum.* Nec alia quidem de cauſa, niſi ob nefanda flagitia, quæ in conſuetudinem abierant, ſubuertit Dominus Sodomam, Gomorrham, vicinasquè ciuitates, quæ velut perpetuo maledicto obnoxiæ, nullum deinde incolam ac habitatorem ferre potuerunt, ſicut ſemel ac iterum meminit Ieremias. Nobiliſsimæ quidem & præſtantiſsimæ vrbes fuerunt [a] Babylon, [b] Tyrus, [c] Niniuę, ſed quæ ob ſua ſcelera funditus perierunt, ſicut illis Prophetę fuerant interminati. Quarè minus ego mirabor, immò & lugebo magis, tam multas & percelebres quidem vrbes hoc ſeculo reperiri, quas cum Hieroſolymitana verèquè regia vrbe liceat comparare. Etenim inſigniter florent, & copiis fortunisquè abundant omnibus, ni hil vt illis ad victus commoditatem, imperiiquè ſplendorem deeſſe videatur. Adhæc diuini furoris ſuæquè prauitatis magnitudinem vix leuiter ponderant, ac meritas criminū ſuorum pœnas non metuunt, quin potius religionis iuſtitiæquè cura neglecta, duntaxat de tranquillo politiæ ſtatu conſeruando & augendo cogitant, inſanis interim cupiditatibus ac terris flagitiis licenter intentæ. Permittit ergò vindex ſcelerum Deus, eaſdem vrbes, nè dicam ditiones & prouincias, variis modis affligi, vt ſeditionibus, bellis, fame, peſte, incendio, aliisquè publicis calamitatibus grauiſsimè diuexentur, nonnunquàm & crudelitati Turcicæ & abominationi hereticæ ſubiiciantur. Quæ Reſpub. ſi non intercidunt atq; conſumuntur, tamen miſerandum in modum magis ac magis exhauriuntur, & incolumitate priſtina paulatim deſtituūtur.

Prou.14.
Eccleſi.10.
Geneſ.19.
Ierem.49.& 50.
a Ierem.50.
b Ezech.26. & 27.
Iſai.23.
c Nahum.1. & 3.

Quo minus enim illæ ſingularem Dei bonitatem & gratiam benignę viſitationis acceptam agnoſcunt,eò grauiorem irati iudicis vltionem ſentiunt vnà cum Hieroſolymitanis, maioresq; pœnas luunt ingratitudinis ac peruicaciæ, nimirùm vt in illis etiam impleantur terribiles maledictiones,quas iuſtus Deus præceptorum ſuorum tranſgreſſoribus ſeuerè interminatur. *Maledictus* inquit,*eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem ſuper omnia opera tua, vt conterat te. Percutiet te Dominus egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu, & aëre corrupto ac rubigine, & perſequetur donec pereas. Sit cœlum quod ſupra te eſt, aneum: & terra quam calcas, ferrea*, vt reliquas id genus pœnas, quas hoc ſeculum paſſim experitur, ac iuſtus Deus ab inobedientibus exigit,ſilentio prætereamus. Cuiuſmodi flagella vno velut dicto complexus eſt Pſalmographus, ſiue ad perſonam, ſiue ad gentem hanc ſententiam referamus. *Dilexit* inquit, *maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Iſthæc demùm virga eſt ferrea, qua filios Belial & gentem apoſtatricem viſitat Deus, & inſanabilis illa plaga, de qua ipſe per Ezechielem ita pronunciat: *Bibes calicem, & epotabis vſq; ad faces, & fragmenta eius deuorabis. Non parcam, nec placabor: iuxta vias tuas, & iuxta adinuentiones iudicabo te, dicit Dominus.* Quæ omnia hûc mihi ſeruient, vt non ſolam Dei ſummi benignitatem fide apprehendam, ſed parem eius quoque iuſtitiam ſollicitè timeam, ac timens expectem: quia ſicut cum electo electus ille,ita & cum peruerſo peruertendus à Propheta prædicatur. Facit ille quidem miſericordiam in millia his qui ipſum diligunt, eiuſque præcepta cuſtodiunt: ſed & ſe vocat & oſtendit fortem zelotem, qui viſitat iniquitatem patrum in tertia & quartam generationem. Negantes ille ſeſe negat,adeòque innocentes vnà cum ſontibus ſæpenumerò plectit, nè infantibus quidem parcens, quos vti apud Sodomitas, ſic etiam in diluuio vnà cum nefariis parentibus periiſſe, & communi totius patriæ exitio fuiſſeq́ſubiectos, nemo prudens adbitârit.

dubitârit.

dubitârit. Etenim per Ezechielem flagitioſæ vrbi ſic Deus fuerat interminatus: *Ecce ego ad te, & eiciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te iuſtum & impium*: Cæterùm inter alia hæc vrbs verè funeſta me commonefaciet, vt fugiam potius quàm deſiderem vulgo gratam quidem, ſed fallacem & periculoſam in hac vita proſperitatem. Nam & Gregorius Nazianzenus me docuit, calamitatem rebus ſecundis potiorem, magisque expetendam eſſe. Et à Bernardo prudenter moneor, licet multos frangat aduerſitas, tamen multò plures occidi proſperitate. Facilius inueneris ait, qui ſapientiam retinuerunt contraria ſibi fortuna, quàm qui propicia non perdiderunt. Sapiens Dauid, ſapientior Salomon fuit, ſed blandientibus nimis proſperis & ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit.] Quid autem obſecro, niſi proſperitas, quæ nouerca virtutis eſt, falſáque ſecuritas Hieroſolymitanos ac ſocios eorum Iudæos omnes obcæcauit? qui ſuis commodis & lætis ſucceſſibus deliniti, ſuos Prophetas & Apoſtolos, adeòque miſſum ad ſe Meſsiam ipſum agnoſcere non potuerunt, ſed ex fortunatiſsimis Dei filiis infœliciſsimi exules, Deoqúe & hominibus deteſtabiles hoſtes facti ſunt, quin etiam in hũc vſqúe diem toti orbi ſe velut probroſam fabulam exhibent. Steterunt itidem ac floruerunt, ſed & in flore ipſo corruerunt præpotentes olim Monarchię Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, vt Romanum Imperium iam ferè collapſum taceam. Cur verò tanta in Imperiis & Rebuspub. ampliſsimis inclinatio, immò & deuaſtatio facta eſt? quia viſitationis ſuæ tempus à ſummo Deo benignè conceſſum ſtultiſsimè neglexerunt, terrenę quidem paci ac tēporariæ proſperitati ſtudio ſummo vacãtes, de voluntate aũt Dei ſuáque vocatione curam minimam ſuſtinentes. Propterea iratus Deus ita minatur: *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ*. Ac iterum: *Si exaltatus* inquit, *fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus*. Quo minus illos imitandos putabo, qui fortunatos nunc homines laudant atque ſuſpi-

Ezech. 21.

In epiſtola ad Cæſarium fratrem.
Serm. 2. in die Palmarum. & Serm. 2. de cõſideratione.

Amos. 9.
Abdiæ 1.

ciunt, magnatumque gloriç ac potentiæ cupidè gratulantur & applaudunt, quorum ſanè vicem dolere potius oportebat. Etenim ſcriptura pronunciat luculenter: *Omnis potentatus breuis vita. Rex hodie eſt, & cras morietur. Cùm autem morietur homo, hæreditabit ſerpentes & beſtias & vermes. Horrendè & citò apparebit vobis*(iudex nempè Deus iudicibus, principibus & magiſtratibus) *quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubſtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Vnde prudens Auguſtini conſilium ſequar, à quo traditur: Nemo gratuletùr homini, qui proſperatur in via ſua, cuius peccatis deeſt vltor, & adeſt laudator. Maior hîc ira Domini eſt.] Nec dubium, quin mundi proſperitati annexa ſint incommoda, quæ idem repetit Auguſtinus, vera nimirùm aſperitas, falſa iucunditas, certus dolor, incerta voluptas, durus labor, timida quies, res plena miſeriæ, ac ſpes demũ inanis beatitudinis. Idcircò ne iſthæc fucata proſperitas animũ meum illiciat, corrumpat atque ſubuertat, vt ſanè plurimis accidere ſolet, magna mihi virtute opus eſſe ducam, qua cum ipſa ſiue proſperitate ſiue fœlicitate luctèr, quandoquidem nihil ſit infœlicius peccantium fœlicitate. Nam vt Salomon quoqúe confirmat: *Proſperitas ſtultorum perdet illos.* Multa quidē & præclara donauit Deus populo Iſraëlitico, aliiſque gentibus illum prætulit: ſed audi de illo legislatoris Moyſi ſententiam: *Ingraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit: ingraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum: & receſſit à Deo ſaluatori ſuo.* Adeò vera ſunt illa Regum duorum dicta: *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles.* Eóque magis vicem dolebo magnatum ac diuitum, qui non ſine ſalutis ingenti diſcrimine præcellunt alios, tantóque magis Deum plerunque ſibi habent offenſum, quanto pluribus mundi facultatibus & blandimentis abundant,

dant, niſi magno Dei beneficio, ſicut Iob ſancto accidit, in Iob.1.& 2.
officio & metu contineantur. *Beatus enim diues qui inuentus* Eccleſi.31.
eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecu-
nia & theſauris. Quis eſt hic? & laudabimus eum, fecit enim mi-
rabilia in vita ſua, vt Eccleſiaſticus docuit, antequàm Chri-
ſtus diuitibus grauiter interminaretur. His prorſus verẽdum Matth 19.
eſt, nè quanto nunc vnà cum arcibus & oppidis ſuis glorio- Luc 6.
ſius florent, bonisque terrenis ſuauius incubant, tantò cer-
tius momentaneam in hac vita remunerationem à Deo per-
cipiant, tantóq; difficilius amicũ & fauentem illum habeant
iudicem, qui ſuo tempore dicturus eſt: *Quantum glorificauit* Apoc.18.
ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.

POST acceptam Chriſti gratiam, qua Dei filius in baptiſmo factus ſum, magnoperè mihi cauere ſemper debeo, nè cum infœlicibus perditisque Iudæis in lapidem illum impingam, diuinæ ſcilicet viſitationis, ac meipſius ignorantiam. Hæc enim ignorantia, vti bonorum omnium deprædatrix, malorumque omnium fons, Iſraëlitis nihil reliquit integrũ, ſed bonis illos omnibus ſpoliauit. Simul igitur amittunt regiam vrbem, fertilem regionem, auguſtum templum, ſingularem populi Dei libertatem, diuinam legem, ſalutare & ſanctum Euangelium, ac omnem demum gratiam per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos illis abundanter oblatam ac promiſſam. Ob hanc ipſam ignorantiam, qua nihil humanæ ſaluti perniciofius poteſt excogitari, Iſraëlitæ præ Gentibus o-
mnibus a Deo primùm electi, totque prærogatiuis cumula- Rom.9.
ti, & ſicut Chriſtus appellat, filij regni habiti, ex primis nouiſ- Matth.8.
ſimi, & ex capite in caudam tandem fiunt, non minus cor- Deut.28.
pore & fortunis quàm animo & virtute reliquis mortalibus
infœliciores. Vt hinc etiam de illis Propheta Iſaias prædixe-
rit: *Ingraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audie-* Iſai.6.
runt, & oculos ſuos compreſſerunt, nè fortè videant oculis, & au- Actor.28.
ribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.
Eoſdem Paulus hoc modo depingit: *Dominum occiderunt* 1.Theſſ.2.

IESVM ac Prophetas, & nos perſequuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur. Peruênit enim ira Dei ſuper illos vſq; in finem. Quis ergo miretur, quod non modò Chriſtus, ſed Hieremias & Prophetæ omnes hanc perfidam, & Chriſtianis maximè ſemper infeſtam & infenſam gentem, ſummamque eius calamitatem deplorent, nobiſque deplorandam exemplo ſuo doceant? Ego verò diſpiciam ſedulò, vt ex incomparabili verèque lachrimabili Iudæorum caſtigatione, quorum delicto ſalus eſt gẽtibus, vt Paulus inquit, fructum capiam in vocatione mea cautius, & in Dei timore ſolidius ambulandi, quemadmodum idem Paulus quemlibet è gentibus fidelem his verbis commonefecit: *Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem Dei & ſeueritatem: in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioqui & tu excidêris.* Rogabo etiam peculiariter Deum, vt præfractæ ac ceruicoſæ gentis miſertus, velamen de cordibus Iudæorum tot modis depreſſorum auferat, eiſque obcæcatis Euangelicæ veritatis lucem magis ac magis oſtendat, nimirùm vt è ſuis tenebris conuerſi, verum paſtorem IESVM communi nobiſcum ſtudio & amore, quoad eius fieri poteſt, complectantur, ac ſpirituale Hieruſalem augeant. Ob horum ſanè ingentem ruinam & miſeram deſolationem Paulo triſtitia magna, ac continuus dolor fuit, qui & illorum perditionem ſui diſpendio auertere, ac eorundem ſalutem ſuo excidio redimere ex animo deſiderauit, ideoque palam aſſeruit: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Adhæc ſæpè rogabo Deum, ab horribili Iudæorum cæcitate, mentiſque tenebris (grauiſſima vtique plaga) me liberari: quandoquidẽ illi, paucis exceptis, Deum tot ſeculis punientem non agnoſcunt, ſed velut cæci & ſtupidi, obſtinato animo in ſua tum impietate, tum rebellione perſiſtunt, rem Chriſtianam omnem infenſis animis perſequentes. Atq; vtinam in nos quoq; Chriſtianos non competat, quod Ieremias de Iudæis fruſtra pu-

nitis

[...]tis queritur Deo: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Impius* enim *cùm in profundum venerit, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium*, teſte Salomone. Eſt quidē cur in Domino gloriemur, qui viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ, quando per viſcera miſericordiæ ſuæ nos etiam gentiles Oriens viſitauit ex alto, & Euangelicæ gratiæ ſuæ luce noſtras denſiſſimas tenebras profligauit. Verùm mihi ſatis non erit, hanc perbenignam, omniſquè conſolationis plenam Dei viſitationem agnoſcere & prædicare: ſed & alteram acerbam verèquè metuendam in hac vita irati iudicis viſitationē, quę ingratis debetur, ſedulò contemplabor, iuſtóque metu perſequar. Vnde ſi ante vnquàm, nunc maximè quidem præſentis mundi peccata, quæ paſſim à magnis & paruis audaciſſimè perpetrantur, horrendis & publicis, vt videmus, vindicantur calamitatibus. Effunduntur modò in terram ſeptem phialæ iræ diuinæ, bibitur calix plenus vini indignationis, inuerſæ rerū ferè omnium vices apparent, & ſolutus demū Satanas, quanta poteſt vi maxima, domum Dei vbique gentium deformare ac labefactare contendit. Quid verò iſthuc eſt aliud, quàm ſi Deus propheticis illis verbis nos adoriatur? *Viſitabo ſuper vos iuxta fructum ſtudiorum veſtrorum. Viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.* Sequetur porrò & alia viſitatio, cum nulla temporaria quidem afflictione ſeu punitione cōferenda, quando ſupremus omnium iudex Chriſtus veniet Ieruſalem in lucernis ſcrutaturus, & ſuper omnes in fæcibus ſuis defixos viſitaturus (Propheticis enim verbis vtimur) vt orbē totum iudicet in æquitate. Hoc enim eſt quod per Iſaiā prædicebatur: *Viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Ego verò ad hunc vltimum Dei viſitantis & ſeuerè iudicantis aduentum, quem iuſti quóque formidant, tanto accedam paratior, quanto magis quotidie cordi erit mihi Apoſtolica illa ſententia: *Humiliamini ſub po-*

Ierem. 5. Prouer. 18. Luc. 1. Apocal. 15. 16. 17. Apoc. 20. Hierem. 44. Amos. 3. Sophon. 1. Actor. 17. Iſai. 13. 1. Pet. 5.

tenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis. Cur verò me non humiliem ſub potenti manu Dei? quando tam breue peregrinationis meæ curriculum percurrendum ſupereſt, & ego vndiq; tot hoſtibus circumuallor, nec minus peccatis ac peccatorum pœnis quaſi vinculis premor, ac demũ quotidie diem extremæ viſitationis & retributionis debeo expectare. Vt autem Chriſtum propitium mihi iudicẽ breui pòſt ſentiam, & vnà cum electis in miſeratione paterna viſiter, Euangelicam illam amplectar ſententiam à Chriſto ipſo præſcriptam: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.*

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS, *vt Moyſen, Phinees, Samuelem, Ieremiam, aliosq; ſimiles amicos & interceſſores excitet, qui ſe pro domo Eccleſiæ nunc plurimùm afflicta, tanquã murum inuictum velint ac poſſint opponere, & hi præſentes grauiſſimas iræ diuinæ pœnas à nobis auertant, aut certè mitigent. Etenim per Ezechielem Prophetam ſic Deus ipſe teſtatur:* Quæſiui de eis virum qui interponeret ſæpem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, nè diſſiparem eam: & non inueni. *Ac rurſus per Iſaiam affirmat:* Sic faciam propter ſeruos meos, vt non diſſipẽ totum. *Et res ipſa docuit, vrbem Segor propter iuſtum Loth, & Hieruſalem propter Dauid in ſummis etiam periculis cõſeruatam atq; defenſam diu floruiſſe.*

ORABO *inſuper pro Catholicis magiſtratibus & ordinibus aliis, vt acerbum hoc diuinæ ac ſeueræ viſitationis tempus agnoſcant, quod nobis quidem ob atrocem ignem accenſum tantum nõ extrema minatur, vtq; iidem Magiſtratus maiorem dent operam viſitationi ac reformationi ad iram Dei rectè placandam, & ad Clerum populumq; purgandum neceſſariæ.*

PETAM *& mihi gratiam dari, qua cum aliis multis egeo ad fructum animi ex hiſce publicis calamitatibus colligendum, ac*

præſer-

præſertim ad patientiam in præſentibus & imminentibus Dei fla gellis, quibus & probantur electi, ſalutariter exercitandā. Quarè cum Daniele diuinam viſitationem agnoſcens dicam: Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei *Et cum Tobia collachrymans, ob temporis malitiam ita confitebor:* Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt. Non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi ſumus in direptionem.

Daniel 9.

Tob.3.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM hoc continet parabolam, & quidem illuſtrem de Phariſæo & Publicano, de qua teſtatur Tertullianus, hic duos adorantes in templū induci, Phariſæum in ſuperbia, & Publicanum in humilitate: ideòq; alterum reprobatum, alterum iuſtificatum deſcendiſſe, noſq; ita doceri, qua diſciplina ſit orandum, Deum quidem alleuatorem humilium, & deſtructorem ſuperborū eſſe. Quarè ſicut Phariſæus exemplo nos ſuō admonet de vitiis circa orationem fugiendis: ita præſens Publicanus virtutes illas quæ cum oratione coniungendæ ſunt, non obſcurè commonſtrat. Eſt autem oratio piæ humilisque mentis ad Deum conuerſio, fide, ſpe & charitate ſubnixa, ſeu deuota mentis in Deum intentio, tum ad mala deprecanda, tum ad bona conſequenda decenter inſtituta. Iam verò elatio, arrogantia, iactantia, ſupercilium & contemptus proximi non modica ſunt Phariſæi vitia, per quæ fructus legitimæ orationis impediri atq; deleri ſolet plurimùm. Timor verò & reuerentia numinis, ſubmiſsio ſui,

Lib. 4. aduerſ. Marcion.

odium peccati, dolor animi, pudor, confeſsio & pœnitentia, nobiles Publicani dotes ſunt ac virtutes, per quas valdè nobis promouetur oratio, nec minus Deo grata quàm homini ſalutaris redditur. Hoc Euāgelio retunditur peſtilens illorum error, qui ſola fide peccatorem iuſtificare contendunt, cùm Chriſtus Publicanum non tam à fide quàm ab humilitate commendet, eumq́; ob eandem humilitatem iuſtificatum, ac à Deo exaltatum eſſe pronunciet, cùmque iterum alibi peccatoris iuſtificationem, ſeu peccatorum remiſsionem charitati luculenter adſcribat. Remittuntur inquit, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Nec poteſt nō placere Deo cultus oràtis externus, quem Chriſtus in Publicano commendat, cultus inquam, non hypocriticus, quem Phariſæi præſtabant, ſed ex corde contrito, & ſpiritu humiliato ſuſceptus, atque animo ſyncero ſiue priuatim ſiue publicè præſtitus. Nam & præceptum eſt Domini: Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem.] Sic vtique faciebat Propheta inquiens: Confitebor tibi in Eccleſia magna. In medio Eccleſiæ laudabo te. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Illud à Cypriano pulchrè notatum eſt, q̄, nō debemus manus & oculos ad cœlum leuare cū præſumptione & arrogantia, ſed pectus percutere more Publicani, & miſericordiam diuinam implorare, nō autem more Phariſæi propriis noſtris iuſtificationibus cōfidere.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Luc. XVIII.

DIXIT IESVS *ad quoſdam qui ſe confidebant tanquàm iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam, dicens: Duo homines aſcendebant in templum vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Pha-*

riſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia nõ ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbatho: decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Phariſæus ſtans apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum.

ETSI Chriſtus hîc non hiſtoriam, ſed parabolã narrat, tamẽ in illa exemplum Phariſæi ſic expreſſum, mihiq́ue propoſitum credam, vt ex vitiis illius ad virtutes oppoſitas excitari, & piç otationis impedimenta rectius agnoſcere & fugere poſſim. Ac Phariſæorum quidem iuſtitia erat, vt Chryſoſtomi verbis vtar, in oſtentatione operis, & non in rectitudine intentionis: in loquutione, non in opere: in corporis afflictione, non in mandatorum obſeruatione: in minoribus obſeruantiis, relictis grauioribus legis.] Quantóque magis hoc ſubdolum & fucatum genus hominum iuſtitiam ſimulabat, Iudæosq́ue fallebat, & ſeſe omni bus aliis iniquius præferebat, tanto longius ab omni ſanctitate diſtabat, & grauiorem Dei iudicis iram & vindictã promerebatur. Ac præſens quidem Phariſæus in templum publicè oraturus, & laudem hominum venaturus aſcendit, vt

In 5. cap. Matth.

Matt. 23.

qui vnà cum ſuis collegis ad captandam auram & gloriā popularem benefacta ſua referret omnia. Ego contra, vbicunque precabor, ſiue domi ſiue in templo, *P*atrem orabo in abſcondito, & cordis mei cubiculum ingreſſus, oſtium claudā, adorans Patrem in ſpiritu & veritate, quoniam *P*ater tales quærit, qui adorent eum, ſicut Chriſtus teſtatum reliquit. Ille de ſuorum operum meritis præſumens, tumidus ac gloriabundus in Dei domum ſe ingerit, ad precandum audacter prorumpit, & oculos in cœlum alleuat impudenter, tāquàm eſſet inſigniter probus, ſummíque Dei gratia & ſubmiſſione animi non indigeret. Ego cum Deo in precando colloquuturus, me iuſtum nunquàm reputabo, ſed egenum & miſerum, atque vt Abraham aiebat, puluerem & cinerem conſtituam, vt in me compleatur ſententia: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Ille orationem ſuam à gratiarum actione orditur, ſed ſibi potius quàm Deo dans gloriam, quoniam peccatorum ſuorum oblitus, benefacta ſua ſuperbè numerat, & fundamento pietatis deſtitutus, externæ iuſtitiæ, fucatæque ſanctimoniæ ſpecie ſtultè gloriatur. *E*go conſilium ſequar Salomonis, qui monuit: *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua:* atque vt idem affirmat, verè iuſti eſt propriū, in principio ſeipſum accuſare. Igitur laudem omnem de his quæ benè fiunt, illi ſyncerè tribuam, à quo demum omne deſcendit, vt meritò ab illo, tanquam fonte bonorum, nunquàm non miſericordiam petam, ac patienter expectem. Stat enim firma Chriſti ſententia: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Ille ſuam precationem nō modò laude propria, quæ rectè ſordere dicitur, ſed etiam aliorum accuſatione & contemptu defœdat ac vaſtat, nullam vt mercedem ſolidam, ſed pœnam potius arrogantiæ & iactantiæ debitam promereatur. *E*go ſcriptum eſſe meminero: *Inexcuſabilis es, ô homo omnis qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas.* Ac rurſus. *Non te iuſtifices ante Dominum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt. Omnes viæ ho-*

minus patent oculis eius: Spirituum ponderator eſt Dominus. Reſpicit Deus in orationem humilium. Pſal.101.

Quocircà ſi [a] maledicti ſunt qui à diuinis mandatis declinant: ſi [b] prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: ſi non [c] iuſtificatur homo compoſitus Deo, quid præclari ego, præſertim oraturus, de me ſentiam, aut in quibus operibus magis quàm in Chriſto gloriandum mihi putem? qui toties in præcepta & conſilia mei Legiſlatoris impingo, vt me non tã veniа quàm pœna dignum debeam exiſtimare. Quarè cum ſancto Iob in benefactis meis metuam: *beatus enim homo qui ſemper eſt pauidus*, & eiuſdem exemplum ſequens dicam: *Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed iudicem meum deprecabor. Si enim iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, prauum me comprobauit. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Non igitur cõmittam, vt ſiue ieiunare, ſiue precari, ſiue de proximo bene mereri inſtituam, cum faſtuoſo Phariſæo tempus & operã perdam, ſed omnem arrogantiam & elationẽ animi, velut præſentem peſtem, quæ bona cuncta depaſcitur, & initium eſt omnis peccati, ſtudioſè mihi ſupprimendam ac fugiendã arbitrabor. Quid enim cum Chriſto IESV, qui ſe tantoperè humiliauit, & cum Chriſti crucifixi amatore, qui Domini ſui vulneribus gloriatur, cõmune habeat hæc immanis bellua, vitiorumque omnium parẽs ac nutrix ſuperbia? de qua meritò ſcriptum eſt: *Superbiam nunquàm in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Quid ſuperbit terra & cinis? Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia: qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet cum in finem. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Extollentiam oculorum meorũ nè dederis mihi.* Illud autem maximè prouidebo, nè fermentum illud Phariſaicum vel mentem, vel operationem apud me vllam vitiet atque corrumpat, quando magiſter humilitatis tam diſertè pronunciauit: *Cauete a fermento Phariſæorũ quod eſt hypocriſis*, præſertim cùm illa ipſa ſit ſubtile malum,

[Margin notes: a Pſalm.118. b Ierem.17. c Iob.9. — Ibidem. Prou.18. Iob.9. — Eccleſi.10. — Tob.4. — Eccleſi.10. — Iſai 5. Eccleſi.23 — Matt.16.]

ſecre-

ſecretum virus,latens venenum,virtutum fucus,ac tinea ſanctitatis.Vbi de externa craſſáque ſuperbia,quę in Pharaone, Senacherim, aliiſque impiis & blaſphemis Dei hoſtibus apparet,& à quouis prudente prorſus deteſtabilis iudicatur, nihil differemus. Cæterùm vt occulta, ita & valde periculoſa eſt illa cordis ſuperbia, ſeu mentis elatio, quæ iuſtitiæ externæ fuco tegitur, multumque hypocriſis habet admixtum, quæque iuſtis nunquàm non inſidiatur, cùm ſit illa non ſolùm in peccato prima,ſed in conflictu quoq; poſtrema. Notabo igitur quod ſapienter monnit Proſper ille Regienſis, in hunc modum differens: Quantò excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tantò maiores habent cauſas formidinis & tremoris: nè de ipſis probitatis augmentis mens ſibi conſcia, & laudis auida, in ſuperbiæ rapiatur exceſſus, & fiat immunda vanitate,dum ſibi videtur clara virtute. Si ergo omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, Deus nobis diuina ſua virtute donauit: nihil magis fugiendum eſt,quàm appetitus huius concupiſcentiæ, quæ virtutem negat diuini operis amore propriæ dignitatis. Et cùm aliæ cupiditates ea tantùm bona,quibus aduerſantur,imminuant: hæc dum omnia ad ſe trahit,ſimul vniuerſa corrumpit.] Quo magis mihi fuerit adlaborandum,vt quęcunque ago & inſtituo,rectū & ſimplicem puræ intētionis oculum, quem Deus inprimis exigit, habeat prælucentem. Etenim modica etiam ac vilia, ſi mundi ſpectes iudium,tum demum & immortali Deo grata,& homini operanti frugifera fiunt,certáque in cœlo mercede donantur, cùm è ſyncero humiliſque pectore proficiſcuntur. Tunc enim ſuum & meritum & precium obtinent, & opera plena,ſicut Scriptura nominat, coràm Deo cenſentur. Poſtremò vt cum hoc ipſo Phariſæo nihil commune habeam, me ad orandum ita componam, ſicut Sapiens illis verbis præſcripſit: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore, & prepara animam tuam ad tentationem: deprime cor tuum & ſuſtine.*

Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ſuos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum.

OBSERVANDVS eſt mihi propoſitus à Chriſto Publicanus, perinde ac ſi magiſter ſit, à quo mecũ omnes ritè precari diſcant, qui ſe ſuáque vota vnquàm à ſummo Deo cupiunt exaudiri. Hic ſacram adit ædem, certè non otiandi ac cõfabulandi, ſed ſolùm precandi gratia, cùm optimè ſciret, & adhuc ſciant fideles, templum vt orationis domum ſeu oratorium diuino magis quàm humano conſilio inſtitui ac honorari. Vnde Chriſtus vocem illam Propheticam repetiuit, Matt. 21. & ad templum Hieroſolymitanum accommodauit: *Domus* Iſai. 56. *mea domus orationis vocabitur*: nec ferre quidem potuit, vt quiſquam per hoc templum transferret vas, aut in eo quid Marc. 11. Matt. 21. emeret aut venderet. Idem Publicanus in templo ſeſe ſuoſ- Ioann. 2. que ſenſus omnes colligit, & præſentis loci ſanctitate ſic vtitur, vt ex eo maiorem diuini numinis reuerentiam, & ad precandum attentionem in ſe concitet promoueatque. Nec dubium, eâdem ratione Apoſtolos, primoſque Chriſtianos libenter ac frequenter in templo eſſe verſatos, vt Lucas de illis commemorauit. Luc. 24 Actor. 2. & 3 Hic porrò ad orationem accinctus, cogitationes & curas omnes de rebus domeſticis, lucris terrenis ac mundi negotiis excutit, nihilque habet antiquius, prę̨terquã ſoli Deo vacare & ſeruire in ſpiritu & veritate. Quid autem aliud eſt Deum orare, niſi vt homo animam ſuam in conſpectu Dei effundat, ſacra meditetur, clamet ad Dominum, laudet creatorem, exultet in ſalutari ſuo, ſcopet ſpiritũ, & cor imprimis contritum & ſpiritum humiliatum offerat Altiſſimo? quemadmodũ Pſaltes quidem regius loqui conſueuit. Idem planè alienus eſt ab illorum conſuetudine, qui externæ pietatis ſpecie contenti, ſine ſpiritu & attentione cũ Phariſæo precantur, digni ſanè, quibus cordium ſcrutator illud exprobret: *Populus hic me labiis honorat: cor autem eorum* Iſai 29. *longè eſt à me.* Matt. 15. Humilitatem Publicani non obſcurè declarat, quod is verecundo vultu & animo territo atque ſubmiſſo

prӕditus, à longè ſtaret, vt qui ſe indignum duceret cum piis aliis ad ſacrarium vel altare propius accedere. Ingenti autem pudore ſuffunditur propter commiſſa peccata, quibus legẽ diuinam violauerat, & quӕ in mentem haud dubiè reuocata, Domino tacitè confitebatur. Nam veluti reus coràm tribunali irati iudicis conſtitutus, ac male ſibi conſcius, etiam in cœlum ſuſpicere timuit, ac oculos in terram duntaxat deiectos tenuit, ſe totum veluti terrenum ſpectans, qui à beatis cœli incolis arceri, & perpetuis inferni pœnis addici iampridem dignus foret. Perinde ac ſi vnà cum Eſdra in hunc modum precaretur: *Deus meus confundor & erubeſco leuare faciẽ meam ad te, quoniam iniquitates noſtrӕ multiplicatӕ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſq; ad cœlum.* Adhӕc verè pœnitentis prӕbet imaginẽ, quod magno dolore cordis affectus, & ſibi ſuiſque peccatis iratus, proprium pectus vti fontem vitiorum, non léuiter ferit, ac velut reus iure damnandus à ſeipſo ſupplicium exigit, néque in vllum aliũ peccata ſua deriuat, ſed potius illud cum Dauide teſtari vult: *Ego ſum qui peccaui: ego impiè egi. Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Tundere pectus quid eſt, inquit Auguſtinus, niſi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Qui mos tundendi tam receptus olim erat & frequens, vt ad altare prӕſentes omnes tundendo pectori quotidie vacarent, ſicut idem Auguſtinus affirmat. Cyprianus ita loquitur: Publicanus pectus ſuum pulſans, & peccata intus incluſa conteſtans, diuinӕ miſericordiӕ implorabat auxilium.] [a] Fulgẽtius habet ad hunc modum: In conſpectu iudicis miſericordis & iuſti nõ eſt accepta ſuperba iactatio bonorum operum, ſed humilis cõfeſſio peccatorum.] Demùm in illis animi angoribus ac terroribus, quos multitudo & magnitudo criminum graues faciebat, Publicanus non deſpõdet animum, ſed in fide ac ſpe miſericordiӕ diuinӕ reſpirat, ratus eum quem iudicem ſuſtinere nequit, pium ſibi pœnitenti fore propitiatorem. Hinc illa eius oratio: *Deus propicius eſto mihi peccatori*, oratio inquam,

quam, verbis quidem breuis,ſed ſicut doloris & timoris, ſic etiam fiduciæ affectu pulchrè condita, tamq́ue fructuoſa & efficax, prout ſequens Chriſti indicat ſententia,vt orans ipſe peccatorum remiſſionem, gratiæ infuſionem ac donum ingens iuſtificationis obtinuerit. Quod quidem donum excellentis eſt gratiæ, & ſine præcedentibus meritis obtinetur à Deo, atque ad interioris hominis pulchritudinem ſpectat, cunctiſque mundi copiis & theſauris longè anteponendum eſt. Vbi verè cum Auguſtino affirmârim: Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio,& detur totum Deo.] Lib. de bono perſeuerant.

Sed bone Deus,quàm ego procul abſum ab hoc precandi ſtudio? quantoperè frigeo in pari ad gratiam impetrãdam præparatione? quàm leuiter ac negligẽter verſor in templo? quam incompoſitè me gero in precatione quotidiana? vt certè à cultu diuino non redeam iuſtificatus, ſed virtute,guſtu & fructu ſanctæ orationis ac piæ deuotionis meipſum priuem, atque ita terra mea ſit ac maneat ſine aqua, id eſt, arida Pſalm.142. & infructuoſa,immò ſpinas ac tribulos proferens, & idcircò maledicto ꝓxima, vti *Paulus* ratiocinatur. Meritò igitur me Hebr.6. aliosq; mei ſimiles pudefacit hic publicanus, multiſq; modis eos omnes coarguit,quibus animus inter precandum nimium euagatur, variiſq́ue cogitationibus, ac neſcio quibus curis implicatur, vt cùm maximè ſoli Deo & ſacris rebus vacare congruebat,rebus vanis & profanis inhæreamus,vel diuini cultus & æternæ ſalutis rationem modicam ac frigidam habere videamur. Tantum abeſt, vt cum Publicano in nos ipſi deſcendamus,noſtráque vulnera cœleſti medico curanda cõmittamus, & cum offenſo Deo in gratiam redeamus. Quarè mihi commendatum habebo,quod Pſalmographus aſſeruit,& publicanus expertus fuit,nimirùm: *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate,* Pſalm.144. quemadmodum & Moyſes tradidit: *Cùm quæſieris Dominum* Deuter.4. *Deum tuum,inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Diſcam inſuper ab hoc Publicano, in

meis anguſtiis, & quibuslibet calamitatibus ad orationem, tanquàm certum afflictorum aſylum, confugere, quemadmodum rex optimus Ioſaphat & fecit & docuit. *Cùm ignoremus* inquit, *quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Vnde Chriſtus ad mortem properans, futurũ agonem ſuum Patri ſollicitè commēdauit, & diſcipulos ad vēturam ilicò crucem præparans dixit: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Diſcam præterea, inter orandum ſeriò agere & procurare, nunquàm vt deſit DEO gratum & flagrans ſacrificium, cor nempè contritum & humiliatum, quod nunquàm deſpicit Altiſſimus, & ſine quo precium ſuum amittit omnis & precatio & oblatio. Scriptũ eſt namque: *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio: Oblatio iuſti impinguat altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu Altiſſimi. Noli offerre munera praua: non enim ſuſcipiet illa.* Diſcam itidem non aliena, ſed mea ipſius ponderare peccata, eorumq; cauſas non cœleſti conſtellationi, nec humanæ vel diabolicæ vlli tentationi, ſed mihi duntaxat adſcribere & imputare. Peccata inſuper cũ pudore libenter confitebor, nec vlla ex parte diſſimulare aut excuſare contendam. Etenim *qui abſcondit ſcelera ſua*, vt affirmat Salomon, *non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiã conſequetur.* Sciebat & Dauid non niſi confitentibus, ſeque accuſantibus Deum ignoſcere, & idcircò teſtatus eſt: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ceſſat vindicta diuina, ſi confeſſio prꝗcurrat humana, inquit Ambroſius. Demum quandoquidem Publicani huius iuſtificatio præclarum eſt exemplar omnis impij & peccatoris verè à Deo iuſtificandi, conſueſcam in hoc ſummo negotio primas diuinꝗ gratiæ, ſine qua nemo iuſtificatur, ſemper tribuere, nec ſine illa remiſſionem peccatorum ſperare, mihiq; polliceri. Ad quam gratiam homo iuſtificandus ſuam quoque partem debet adferre, ſicut Publicanus attulit, ſeipſum excitans, nec ſola fide contentus, ſed etiam timore, humilitate, confeſſione, pœnitentia & oratio-

ne cor & corpus exercitans, vt oblatam gratiam non in vacuum acciperet, ſed illi voluntariè conſentiret, obedienter adhæreret, ac fideliter cooperaretur. Qui præterea certò nō credit peccata ſibi remiſſa, ſeque vnum ex numero prædeſtinatorum eſſe nō ſtatuit, ſed inter ſpem ac timorem medius, Dauidis ac Niniuitarum æmulatur exemplum, dum ſimul diuinæ gratiæ ſeſe commendat, veræque pœnitentiæ fructus vltro exhibet. Etenim Scriptura euidenter aſſerit: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperāt ſuper miſericordia eius.* Et Apoſtoli Pauli vox eſt: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt.* Ac iterum legimus: *De propiciato peccato noli eſſe ſine metu. Qui ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari. Neſcit homo, vtrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur: ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerit.* Ac eadē prorſus [a] Hieronymi & [b] Auguſtini eſt ſententia, iuſtis de ſua perſeuerantia, prædeſtinatione & ſalute nihil certi conſtare, niſi Deo illis peculiariter hoc reuelante, quod paucis quidem etiam iuſtis obtingit.

Pſalm.50. Ionæ 3. Matth.11. Pſalm.146. 1.Cor.4. Eccleſi.5. Eccleſi.1. Eccleſi.9.

a In epiſt. ad Euſtochi. & in 3. cap. Eccleſiaſt.
b Lib. de bono pſeuerāt. & lib. de corrept. & grati. cap.6.7.& 13

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

PROPRIA Chriſtianorum & ignota ethnicis eſt ea virtus quæ humilitas dicitur, eaque mihi tanto magis amanda atque ſuſpicienda, quòd ſit ſpiritualis ædificij in homine fundamentum, peſſimi vitij ſuperbię profligatrix, omnis iuſtitię cuſtos, religioſæ diſciplinæ mater, & ſalutis humanæ præclara moderatrix. Ad quam ſanè acquirendam multis ego præſidiis egeo, cùm nullus ferè ſit hominum, qui congenitæ ſibi ſuperbiæ labe non inficiatur, & qui cum Dauide non meritò precetur: *Ab homine iniquo & doloſo erue me Domine.* Eſt vtique ſuperbiæ delictum illud maximum, à quo ſicut ab hoſte peſtilenti, ſibi metuens idem Propheta cantauit: *Si mei non*

Pſalm.42. Pſalm.18.

fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. Cæterùm ad virus hoc ſuperbiæ, quod gratiæ numinis diuinæ obicem ponit, exterminandum, & ſimul ad humilitatem meo cordi magis ac magis inſerendum, ſequentibus ego mediis vti conſueſcam, illáque ſæpius in animo renouabo. Inprimis me reputabo ac ſtatuam velut ſuperbi patris Adæ ſuperbum filium, qui naturâ iniquus, arrogans, doloſus, malèque in ſchola humilitatis verſatus ſit: immò qui perpetua egeat ſuppreſsione, minus vt ſibi placeat ac fidat: præſertim cùm occultus ille & importunus hoſtis, & maledictæ ſuperbiæ filia (vanam gloriam vocant) etiam in benefactis obrepat, omniſque virtutis quaſi vermis exiſtat & tinea, quæ Phariſæo quidem benefacta omnia deuorauit. Deinde non appetam, ſed ſuſpecta putabo & fugiam omnia, quæcunque ad iactantiam, oſtentationem, & ſicut appellãt, ſingularitatem excellentiamque propriam faciunt, quæue gratiam, fauorem & laudem hominum mihi conciliare, & criſtas erigere poſſe videbũtur. Quod ſi laudem & exiſtimationem mihi ab aliis deferri videro, eam perinde ac flatum aliquem tranſeuntis venti, & ſicut inſalubris auræ ſibilum auerſabor & exhorrebo, cùm ſim illius magiſtri diſcipulus,
Matt. 8. 9. 17. qui ſua miracula cælari mandauit, & à Iudæis profugit, cùm
Ioann. 6. illum in regem eligere, ſibíque vt politicum principem, præficere vellent. *Regnum meum* inquit, *non eſt de hoc mundo.*
Ioann. 18. Quamobrem ſicut in illis quæ cum laude & exiſtimatione mei coniuncta ſunt, cæcus eſſe conabor, ita in vitiis & miſeriis meis conſiderandis oculatum me præſtabo & perſpicacem, certò perſuaſus, quòd ego mihi relictus, Chriſtique gratia deſtitutus nihil ſim, nihil habeam ac valeam prorſus, ſed ab illo vno bona proficiſcantur omnia, qui veriſsimè dixit:
Ioann. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Prętereà in animum ſerio reuocabo, quæ ſummus Deus iudicia in ſuperbos homines iamprídem exercuerit, & quàm horribilis illius ira deſæuierit in [a] Pharaonem, [b] Nabuchodonoſor, [c] Sennacherib, [d] Antiochum, [e] Herodem, vt alios inflatos & feroces huius mundi

a Exod. 14.
b Daniel. 4.
c Eſai. 36.
d 1. Machab. 6.
e Actor. 12.

pun-

principes & Monarchas ſilentio prætercam, quorum ſanè memoria, vt Propheta loquitur, periit cũ ſonitu, & de quorum ſingulis rectè cum Mathathia pronunciâris: *Gloria eius ſtercus & vermis eſt. Hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia conuerſus eſt in terram ſuam.* Rurſus non mihi ſat erit potentium ac diuitum conſortium deuitare, ſed conabor etiã ſimplicibus, abiectis & pauperibus adhærere, illorumq; gaudere conuictu ac familiaritate. Nec deſugiam vilia deſpectáque miniſteria, præſertim ſi ferat occaſio, vt fratribus, amicis aut ægrotis humaniter deſeruire, meamque promptam operam illis tribuere liceat. Præclarius adhuc fuerit, ſi quæ ad mundi contemptum & carnis mortificationem, vitæque duritiam ſpectant, vltrò aſſumpſero, & in his me ſi non libẽter, at patienter tamen exercuero. Præterea non obliuiſcar grauiorum peccatorum, quæ per omnem vitam patraui, eorum etiam memor, ad quæ vitiorum genera natura ſum propenſior, vt inde pudorem quendam eliciam, & zelum colligam ad me ſubinde ſupprimendum & extenuandum, cùm vituperationem potius merear, quam cuiuſquam commendationem. Poſtremò in oculis feram atque ſuſpiciam illos, qui virtutis huius cultores eximij floruerũt, & per illam Deo ſummo inprimis placuerunt. In his primas tenent humillima Dei mater, quæ poſt acceptam inſignem Angeli cõmendationem, ſe tantùm ancillam Domini profeſſa eſt, & Ioannes ille Zachariæ filius, à Chriſto tantoperè laudatus, qui ſe duntaxat vocem clamantis, & ad corrigiam calceamenta Meſſiæ ſoluendam indignum publicè denunciauit. Accedit & Paulus Apoſtolus, qui cùm abundantius reliquis in vinea Domini laboraſſet, ac vas eſſet electum, ſe primum & maximum inter peccatores omnes conſtituit, vt interim alios ab omni elatione alieniſſimos, & in humilitate perfectiſſimos homines prætermittam. Verùm omnes qui ſuo nos exemplo ad humilitatem prouocare poſſunt, Chriſtus Dominus corona ſanctorum excellit, qui cùm ſummus eſſet, ſe prorſus infimum fecit, atque ad mortem crucis vſque humiliauit, nimirùm

Pſalm. 9. 1. Mach. 2. Luc. 1. Ioann. 1. Matth. 11. 1. Cor. 15. Actor. 9. Epheſ. 3. 1. Tim. 1. Iſai. 53. Philipp 2.

mirum vt abſolutum virtutis huius, non modo doctorem, ſed viuum etiam exemplar, quod omnes fideles omnibus ætatibus imitarentur, in ſeipſo ſtatueret. Illum igitur, tāquam clariſſimum ſpeculum, mihi ob oculos ponam, illum ſerio adſpiciam vt infantem paruulum faſciis inuolutum, & præſepi Bethlehemitico impoſitum, eundemque mea cauſa inter latrones in crucem ſuffixum, totumque ſaucium, & ſicut Iſaias vocat, vitiorū nouiſsimum. Nec modò ſpectabo, ſed & audiam cū reuerenter, prçſertim quum ore ſuo ſacro ita doceat: [a] *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* [b] *Ego in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat.* [c] *Ego laui pedes veſtros Dominus & magiſter.* [d] *Ego ſum vermis & non homo: opprobriū hominum & abiectio plebis.* [e] *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* [f] *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* [g] *Recumbe in nouiſſimo loco.* [h] *Qui ſe humiliauerit, exaltabitur.* [i] *Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei veluti paruulus, non intrabit in illud.* Præclarè igitur à Gregorio Magno dictum eſt: *A*d hoc vnigenitus *D*ei Filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit, ad hoc inuiſibilis non ſolum viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſsionumque tormēta tolerauit, vt ſuperbū non eſſe hominē doceret humilis *D*eus.]

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro Catholicis, vt cum alibi, tum in templis Deum ritè precentur, eo nimirum incenſi ſpiritu, quem per Prophetam Zachariam in Chriſto renatis ita promiſſum à Deo legimus:* Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum. *Etenim in tantis ærumnis & periculis, quibus quotidie premimur & opprimimur, orandi ſedulitate indigemus maximè, nimirum, vt cum Publicano humiles iuſtificemur, Patremq́; oremus in ſpiritu & veritate.* Subditus eſto Domino, & ora eum, *inquit Pſaltes.*

ORABO *inſuper pro tollendis variis ſanctæ & neceſſariæ orationis impedimentis, quæ ſe nobis permulta quotidie offerunt,*

potiſſi-

potiſſimum autem quadrante in nos dicto illo Prophetico, Iniqui- Iſai.59.
tates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & pecca-
ta veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, nè exaudiret. Hęc
eſt autem fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcun- 1.Ioann.5.
què petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos, *Ioan-
ne Apoſtolo teſte.*

*PETAM quoq; gratiam ſanctæ humilitatis, quæ propriæ quidem excellentiæ contemptus eſt, mihi magis magisq; conferri, quoniam ſine illa virtute oratio, eleemoſyna, ieiunium, ſacrificium & externus Dei cultus omnis nec Deo placere, nec homini meritum & ſalutem adferre poſſunt; immò illa vel ſola noſtras ſaluare animas valet. Sicut autem ſuperbia criminum omnium fons, & cun-
ctarum virtutum peſtis eſt atq; perditio: ita bonorum omnium nu-* Eccleſi.10.
*trix & cuſtos humilitas diuinam & humanam gratiam nobis
conciliat. Illa Luciferum principem è cœlo deiecit, & Angelos in* Iſai.14.
Dæmones conuertit: hæc viciſſim è miſeris principes in cœlo Ecle- Apoc.12.
ſiaq; ſublimes, & homines Angelis ſimiles reddit. Superbis e-
nim Deus reſiſtit: humilibus autem dat gratiam, *ſecundùm* Iacob.4.
Apoſtolicam regulam. Et ſicut à Salomone dictum eſt: Superbū 1.Pet.5. Prou.19.
ſequitur ignominia, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.

DOMINICA XII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM hoc refert Chriſti ad Decapolitanos factam profectionem, & inſigne deſcribit miraculum ab eo perpetratum in homine calamitoſo, qui cùm Dia-

boli fraude ſimul ſurdus & mutus eſſet, ab aliis adductus, Dominoque commendatus, mirum in modum restituitur. Etenim ritus varij adhibentur, donec idem æger perfectè curetur, vt aurium & linguæ officio, ſicut antea, liberè perfungatur. Quod miraculum ingenti præſentis turbæ admiratione ſimul ac approbatione fuit exceptum, acclamantibus omnibus Chriſto liberatori: Benè omnia fecit, licet ille interim hoc illuſtre miraculum non propalari, ſed omninò celari diſertè mandaſſet. Vt enim hominis verè benefici proprium eſt, laudem & gratiam alienam pro impenſo beneficio non exigere: ſic grato animo eius qui beneficium accepit, conuenit benefactorem ſuum celebrare, tantoque magis illi referre gratiam, quanto minus illa deſideratur & expectatur. Et præclara quidem iſthæc eſt ſententia Decapolitanorum, quibuſcum & nos in proſperis & aduerſis rebus ſuá Chriſto dare gloriá, ac ipſi ſubinde ex animo dicere habemus: Benè omnia fecit. Id quod nulli ſanè mortalium, vt qui ſine peccato eſſe nõ poſſunt, ſed ſolùm Chriſto agno immaculato, tribui par eſt, quantumuis multi vel clàm obmurmurẽt, vel palàm reclament atq; cõtradicant. Monet hoc Euangelium, quanta ſit nefarij Satanæ inuidia, vis ac tyrannis in genus humanum, cuius præcipuos ille ſenſus, nè ſuum officium ad gloriam Dei ſuamq; ſalutem faciãt, ſedulò impedire conatur. Solum interim Chriſtum tali hoſte fortiorem, & liberandis vſque miſeris mortalibus neceſſarium propugnatorem habemus. In hoc enim apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Marc. VII.

EXiens Ieſus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos, Et adducunt ei ſurdum & mutum: & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Et apprehendens

eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas expuens tetigit linguam eius, & ſuſpiciens in cœlum, it, & ait illi Ephphethah, quod eſt, Adaperire. Et pertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum lin-, & loquebatur rectè. Et præcepit illis nè cui diceret. autem eis præcipiebat, tantò magis prædicabant, & ius admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit: & cit audire, & mutos loqui.

OTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

ns de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galileæ, inter medios fines Decapoleos.

ON oſcitanter notabo, Chriſtum Dominum varia loca & oppida ſępè ad laſsitudinem vſquè peragraſſe, vt qui Matthæo teſte, omnes ciuitates & caſtella circumiuit, & in Synagogis Iudæorū Euangeliū re-ſim prędicauit. Refert & Ioannes, Dominum ex itine-atum, ſupra fontem Iacob ſediſſe (quod frequenter ubiè factum eſt) & aquæ potum petiuiſſe à Samarita-oram diei ſextam, cùm panis illi ad edendum nōdum llatus. Teſtatur & Petrus Apoſtolus, quòd IESVS à eth Spiritu ſancto & virtute vnctus à Deo, pertranſiit ciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo. Per-autem, varia Iudæorum, nonnunquàm & Gentium oràm inuiſens, vt nulli non ſuam offerret gratiam, corpore, ſiue animo æger eſſet. Nec dubitare mihi fas in Chriſtus in ciuſmodi peregrinationibus atquè cir-

Matth. 4.

Ioann. 4.

Actor. 10.

cumcurſitationibus multùm laborârit, & quoniam corpus eius tenerrima quadam conſtitutione conſtabat ſupra communem aliorum conſuetudinem, fame, ſiti, æſtu, frigore ac defatigatione ſubinde afflictus fuit atque diuexatus. Igitur Ieremias Meſſiam peregrinantem in ſpiritu proſpiciens & admirans, in illa verba prorupit: *Quarè quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? quarè futurus es velut vir vagus?* Variis enim modis paſtor ille bonus ſe ſuumquè corpus exercuit, nullis parcens laboribus, ſed ſicut gigas ad currendam viam exultans, vt erraticam ouem in deſerto requireret ac recuperaret. Hinc illa vox Domini ſuos diſcipulos ad collaborandum & vnà peregrinandũ cohortantis: *Eamus* ait, *in proximos vicos & ciuitates, vt ibi prædicem: ad hoc enim veni.* Tum apud Lucam: *Aliis* inquit, *ciuitatibus oportet me euãgelizare regnum Dei: quia ideò miſſus ſum.* Quod Chriſti exemplum ſi vlli alij, certè lectiſſimi Apoſtoli ſtudioſè ſectati ſunt, poſtquàm ab eodem Domino in mandatis acceperunt, non modò Iudæam, ſed & orbem vniuerſum Euangelij prędicandi gratia peragrare, totamquè vitam ſanctè peregrinando conſumere. Quod munus quamlibet laborioſum & arduum tanta illi alacritate & patientia obierunt, vt ſicut Propheta inquit, euntes & flentes mitterent ſemina ſua, vtquè gratis accepta Dei beneficia gratis vbiq; gentium diſpenſarent, & ſine ſumptu vel ſpe lucri Euangelium ponerent atquè ſeminarent. Quàm precioſi autẽ pedes euangelizantium bona? vt Iſaias in ſpiritu exultans præuidit, atq; de illis aſſeruit. Agam inſuper Chriſto gratias ingentes, qui ſuos hoc ſeculo peregrinos & operarios in meſſẽ extrudit, vt velut oues inter lupos, id eſt, in medio infidelium & hæreticorum piè verſentur, Catholicæquè fidei doctrinam ſtudioſè profiteãtur, & magno quidem cum fructu piſcium in Orientali India Euangelicũ rete laxent, licet idcircò illis longiſsima & difficillima itinera ſint terra mariq; conficienda. Quod peregrinantium genus, velut cœleſtes volucres facit Propheta, cùm de illis admirabundus hoc loquitur: *Qui*

ſunt

iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? aulò poſt ſubiicit: *AEdificabunt filij peregrinorum mures , & reges eorum miniſtrabunt tibi.* Per hos ipſos peregri- in orbe, vt vocant, nouo magis ac magis impletur quod eundem Iſaiam prædixit Deus: *Quibus non eſt narratum o, viderunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt.* Cui nec llud diſsimile: *Quæſierunt me qui ante non interrogabant: enerunt qui non quæſierunt me.* Iſai.52. & 65.

Ego verò, cùm aliis nominibus multis, tū propterea Chri n Dominum colam & celebrabo, quòd ſeruilem pere- nantis formam & laborem vltrò ſuſceperit & annis ali- ot pertulerit, vt hinc poſt reſurrectionem peregrini ſpe- n aſſumpſiſſe, & cum duobus diſcipulis ambulaſſe nō te- rè videatur, Vnde illi Chriſtum interrogant: *Tu ſolus pere- nus es in Hieruſalem?* Dolebo autem inprimis, me Chriſti mini longè latèquę diſcurrentis & moleſtè peregrinan- exemplo tam malè reſpondere, nullum vt peregrinatoriç e partem ac laudem mihi poſsim vendicare. Frequenter erim accidit, vt ego hùc illucquę vagando tempus ope- nque perdam, aut præcipuam corporis mei commodita- n, vitæque huius iucunditatem in proficiſcendo cōſecter. enim in fidei authorem & conſummatorem IESVM non ſpicio, qui ſiue iuxta mare Galilææ, ſiue in Iericho, ſiue in eruſalem, aliiſquę in locis ambulet, nihil aliud niſi Patris norem, Euāgelij propagationem, & ſalutem mortalium ectat ac promouet, omnemquę laborem & dolorem cum iduis peregrinationibus coniunctum, non minus ardēter bit, quàm fortiter ac indefeſsè perfert. Cur igitur me non deat in his, quæ ad cultum Dei, & proximi commodum ectant, ſegniter ac molliter agere, omnemquę vel mole- am vel iniuriam, ſi quam ferre neceſſe eſt, faſtidioſè defu- ere ac recuſare? An enim Chriſti verbum non eſt: *Memento- ſermonis mei quem ego dixi vobis, Non eſt ſeruus maior Domi- ſuo?* Et Apoſtolica docet ſentētia: *Qui dicit ſe in Chriſto ma re, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Hoc eſt, ſicut Luc.24. Matth.4. Luc.19. Matt.21. Ioann.15. 1.Ioann.2

Paulus diſertè poſtulat, non quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum & quæ IESV Chriſti. Vbi ego de illis etiam cogitabo, qui contra Chriſti & Apoſtolorum exemplum, vt in vanitate dies ſuos tranſigant, vel prorſus otioſi viuunt, vel ad mundi ſpectacula licenter procurrunt, aut ſola curioſitate ducti, ſine fructu longa conficiunt itinera, illoſq; ſectantur, de quibus Propheta teſtatur: *In circuitu impij ambulant.* Nec enim ſecum expendunt, quod præclarè monet Eccleſiaſtes: *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ & tempore, quod velut vmbra præterit? Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem* (hoc eſt ad cœleſtem patriã) *pergere.* Sunt & alij religionis ergò peregrinantes, quoniam ſacra inuiſunt loca, vel honorãt templa diuinis illuſtrata miraculis, aut venerandis quibuſdam Diuorum reliquiis cohoneſtata. Eſt enim & ſanctitas & prærogatiua quædam locorum, ſicut Deus promiſſis & operibus comprobat, certáq; tot ætatum experientia teſtatur, & [a] Auguſtinus non vno in loco confirmat. Quod peregrinandi inſtitutum à ſanctis Patribus, præſertim [b] Hieronymo & [c] Chryſoſtomo, ſtabilitũ, perpetuáque Catholicorum conſuetudine corroboratum, ſolis autem hæreticis inuiſum, ego laude dignum arbitrabor, & ſi opus fuerit, aduerſus Eunomianos & Vigilantianos propugnabo. Scimus quidem Catholici, Dei eſſentia & natura locum omnem impleri, tamque latè eius patere prouidentiam, vt nuſquàm non adſit, ſemper audiat & opituletur, cùm à fidelibus inuocatur. Igitur Deum in medio mari Moyſes exorauit, Iob in ſterquilinio, Ezechias in lectulo illum ad miſericordiam prouocauit. Et cuiusuis fidelis eſt proprium ſemper cum Propheta Deo dicere: *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcẽdero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades.* Nihil autem hoc impedit, quo minus idem Deus quibuſdam in locis & templis præſto ſit peculiariter, illicq; efficacius operetur, ac maiorem virtutem & gra-

tiam

tiam præſentibus elargiatur. Vnde Iacob Patriarcha cum viſionem in ſomno ſibi oblatam conſideraſſet, ac futura illic myſteria cognouiſſet, in verba illa prorupit: *Verè Dominus eſt in loco iſto. Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli.* Honorauit Deus templum Hieroſolymitanum, vt etiam Chriſtus comprobat, ex Iſaia citans illa verba: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus*; qui & alibi affirmat, Deum in templo illo habitare. Iubet præterea Paulus Corinthiis, peculiarem vt templi rationem habeant, præſertim ſacram ſumpturi Euchariſtiam. Demum res ipſa poſtulat, & piorum receptus vſus confirmat, Dei cultum & adorationem in quibuſdam locis tanto magis exerceri, quanto manifeſtior Dei potentia, prouidentia & bonitas illic elucet atque percipitur. Vnde Chryſoſtomus palam aſſerit, ſibi in votis fuiſſe, vt ſacras principum Apoſtolorum reliquias coràm inuiſeret Romæ. Nec obſcurum eſt, Baſilium, Epiphanium, alioſque probatiſſimos Epiſcopos dediſſe operam, vt ad ſanctum Domini ſepulchrum in Palæſtinam peregrinarentur. Cæterùm quo petulantius hoc ſacrum peregrinandi inſtitutum complures arrodunt atque inſectantur, eo magis mihi commendatum habebo illum Eccleſiæ canonem, qui apud Auguſtinum extat, magnóque venerandæ antiquitatis conſenſu his verbis definitus eſt: Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra, ſynceriſſimè honoranda, & baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta, diuino cultui mancipata, affectu piiſſimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur.]

Geneſ. 28.
Matt. 21. Marc. 11. Luc 19.
Matth 23.
1. Cor. 11. & 14.
Homel. 2. & 31. in epiſt. ad Rom.
In lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus. cap. 73.

Et adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

SI non licet mihi prædicandi Euangelij cauſa circumire, quod ſanè munus non niſi legittimè vocatis ac miſſis Eccle-

ſiæ miniſtris conuenit: *quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* licet tamen omnibus ac expedit, pulchra ſequi veſtigia Decapolitanorum in eo præclarè laborantium, vt plenitudinem Legis, quæ fraterna eſt charitas, re ipſa compleant. *Qui enim diligit proximum, legem impleuit*, ſi Apoſtolo credimus. Cùm enim illi animaduerterent, ſurdum ac mutum quendam, eundemque dæmoniacum, hoc eſt, planè calamitoſum & abominabilem hominem, in vicinia degere, qui nec ſibi, nec aliis viui eſſet, nec à quoquam curari poſſe videretur, ſi dam ſuam operam illi offerunt, quin etiam veluti domeſtico & conſanguineo, vt curetur gratis ac libenter impendunt. Eum igitur cœleſti medico coràm adducere, & ſicut probabile eſt, officiosè Domino commendare promptiſſimè ſtudent. Tanta enim illorum fides extitit, vt Chriſtum medicis omnibus præſtantiorem, & in præſenti morbo vtiliorem fore putarent, qui ſicut alios immedicabiles ægros ſæpè iuuiſſet, ita hunc etiam ſuæ manus contactu ſanare facilè poſſet. Nec minor in illis charitas quã fides eluxit, quòd nulla mercede pellecti, ad commiſerandum & oppitulandum ſponte accurrerent, ſuumque inſtitutum tantiſper vrgerent, donec miſerum à Chriſto in auribus & lingua reſtitutum experirentur. Tam egregia illis voluntas erat, tam indefeſſum apparebat ſtudium de homine prorſus afflicto, qui fortaſſe ob morbi vim nec credere, nec precari poterat, benè merẽdi, ac pro illo fidenter etiam intercedendi. Quarè ſicut Chriſtus alibi fidem paralyticum offerẽtium reſpexit, vt eorum votis haud grauatim annueret, & ægrotum omni paralyſi liberaret: ita hoc etiam loco Decapolitanos tanti habuit, vt eos pro ſuo ægroto fide certantes, & ſyncerè comprecantes libenter exaudiret.

Quocircà ſi mihi ac aliis probè conſultum cupiam, hos ipſos Decapolitanos ita mihi proponam, vt ab illis veluti magiſtris monear ac diſcam, ſanctæ fidei virtutem & efficaciam magno in precio habere, mihíque familiarem reddere. Hac enim Chriſtus inprimis delectatur, hac ſe pulſari & vinci gau-

det,

det, hanc ipſam in multis prædicat, quemadmodum in Hemorrhoiſſa, cæcis & aliis, quos Euangelicæ gratiæ participes fecit. *Vade* inquit, *& ſicut credidiſti, fiat tibi: fides tua te ſaluum fecit.* Et ad mulierem: *Fides tua te ſaluam fecit. Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Admonent inſuper Decapolitani, non meam propriam ſolùm, ſed & aliorũ pro me intercedentium fidem Deo gratam, & mihi frugiferã eſſe, vt propter illam ego multa effugere mala, & bona conſequi poſſim. Etenim fides oratioque Decapolitanorum eã vim habuit, vt Chriſti miſericordiam fidamque operam impetraret, nec minus oblato ſurdo perfectam redderet incolumitatem. Vidit itidem Chriſtus fidem, & exaudiuit orationem Centurionis, vt ſeruus eius paralyſi grauiſſima diuexatus, mortique proximus, è veſtigio reſtitueretur. Nec diſpar fuit ſucceſſus in matre Cananæa, cuius fides & precatio ad profligandum immanem dæmonem valuit, ac afflictæ ipſius filiæ ſanitatem reddidit, Chriſto ipſo teſtante: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Propterea nè fidem Orthodoxam errore contaminem, Sectariis nouis nunquàm aſſentiar, qui ſua neſcio qua, fide fiduciaque contenti, aliorum fidem & precationes leuiter æſtimant, ſeque ipſos, etiam Sanctorum pro viuis in cœlo precantium ſuffragiis & interceſſione ſtultiſſimè fraudant. Id vero nihil eſt aliud, niſi multorum in Scriptura probatis exemplis reclamare, & diuinum illum ordinem peruertere, quo ſancitum eſt, vt eiuſdẽ corporis membra ſe mutuò iuuent, & alij per alios donis tũ ſpiritualibus, tum corporalibus augeantur. Igitur & infantibus tribuitur, vt non ſua, ſed aliena Eccleſiæ fide in ſacro Baptiſmo mundentur. Etenim paruuli ad percipiendam gratiam, vt Auguſtinus loquitur, offeruntur ab vniuerſa ſocietate ſanctorum atque fidelium, & ita per matrem Eccleſiam ad communicationem ſancti Spiritus adiuuantur. Idem Auguſtinus è Scriptura probat, Moyſi vt fideliſsimi apud Deum famuli merita non ſolùm toti populo Iſraëlitico, ne contereretur, profuiſſe, ſed etiam nos docuiſſe, peccatores Sãctorum meritis

Matth.7. Luc.18. Matth 9. Marc.11.

Matth.8.

Matth.15.

Epiſt.23.ad Bonifacium.

Super Exodũ quæſt.149.

ritis vt a Deo diligantur, poſſe releuari. Quamobrem nõ temerè Iacobus Apoſtolus præcepit: *Orate pro inuicem vt ſaluemini: multùm enim valet deprecatio iuſti aſſidua*: nimirùm ſicut [a] Moyſis, [b] Iob, [c] Samuelis & [d] Eliæ precantium, & aliis gratiam impetrantium exempla luculenter oſtendunt. Hinc & memorias & feſta Sanctorum in Eccleſia celebramus, vt & eorum meritis conſociemur, atque orationibus adiuuemur, ſicut idem tradidit Auguſtinus. Adhæc docent nos Decapolitani, res præclaras à Chriſto geſtas, eiuſque miracula cum admiratione ſpectare, ſimulque illorum authorem publicè celebrare, cum certa nimirùm fide atque perſuaſione, quòd ipſe bonus præ cæteris omnibus, benè ac ſapienter faciat omnia, quantumuis nos, qui ſacris in rebus facilè hallucinamur, cõſilia & rationem operum illius minimè aſſequamur. Habeo enim ſemper illi confiteri quod ſcriptum eſt: *Cùm ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis*: verèque dixit Pſalmographus: *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Eſt vtique Chriſtus bonorum omnium fons & ſummum bonum, à quo nihil niſi bonum prouenire & expectari accipique poteſt, quomodocunque tandem nobiſcum agatur. Manet ille ſemper beneficus, meritoque celebrandus, vt qui mala etiam noſtra in bonum norit vertere, & ſicut pro immenſa bonitate ſua electos ad gloriam euehit, ſic pro ſua inſcrutabili iuſtitia peruerſos ad gehennã reſeruat. Rectè igitur ante hos Decapolitanos protulit Eccleſiaſticus: *Opera Domini vniuerſa bona valdè.* Id quod à primo ſcriptore Moyſe videtur acceptum, qui cùm primum mundi opificium enarraſſet, rem omnem ita cõcluſit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona.* Idemque poſtea cùm ſolenne canticum Iſraëlitis edere vellet, hæc etiam verba inſeruit: *Dei perfecta ſunt opera.* Sed ô Chriſte benigniſsime, ſemperque beneficentiſsime, in quę nos tempora reſeruaſti? quibus blaſphemas & execrandas impiorum hæreticorum voces in te petulanter effuſas audire cogimur, velut qui par uulorum ignorantiæ iam olim ſubiacueris, indoctus fueris

ac i-

acidiota, author proditionis Iudæ omniſque pecc[a]ti, obrutus aliquando deſperatione, & æternę maledictionis horrore perculſus. Verùm has & plures id genus alias horrendas potius quàm repetendas inſectationes ego ſurdis auribus mœrens prætereibo, & certò cum Decapolitanis profitebor, benè illum feciſſe omnia, in quem nè peccati quidem aut vitij ſuſpicio poſsit cadere, quiquúe gratia & veritate plenus vſquúe perſiſtit, vt mihi cum Propheta teſtari liceat ac deceat: *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.* Deniquúe cum iiſdem Decapolitanis probè curabo, vt fraternæ charitatis & miſericordiæ operibus exercendis vacem, quacunquúe id occaſione fieri poterit, vtquúe miſeris & pauperibus adiuuandis corde, lingua & manibus inſeruiam, neque in hoc ſtudio vel mundi iudicio, vel perſonæ vilitate, vel laboris faſtidio me ſinam impediri. Sic enim ſacris literis edocemur: [a] *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſq. veſtrùm proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.* [b] *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare nè ceſſes. Nouit iuſtus cauſam pauperum.* [c] *Charitas fraternitatis maneat in vobis. Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.* Habeo interim, cur in tanta hominum ac temporum peruerſitate ingemiſcam, valdequúe doleam, partim quòd tam multi ſe vndiquúe offerant ſurdi & muti, hoc eſt, qui auribus, lingua, membris & ſenſibus omnibus fœdè abutantur, partim quòd pauci prodeant Decapolitani, homines nimirùm in viua fide, ardenti precatione, & officioſa charitate ſeduli, & qui patiantur ſuper contritione Ioſeph, dequúe ſalute aliena ſolicitè cogitent. Non enim, proh dolor, ſuum apud nos pondus habet Apoſtolica ſententia: *Alter alterius onera portate: & ſic implebitis legem Chriſti. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Omnia veſtra in charitate fiant.*

Ioann. 1. Pſalm. 33. a Rom. 15. b Prou. 24. 25. c Hebr. 13. & 10. Amos 6. Galat 6. 1. Cor. 16.

Et ap-

Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguã eius.

OBSERVATIONE dignum exiſtimabo, quantoperè Chriſtus Dominus in vno ægroto curando laboret, quamq; varia pertentet media, vt vix alibi vnquàm laborioſius cum ærumnoſo egiſſe, ſeque in patrando miraculo magis exercuiſſe videatur. Nõ quòd ipſius imbecillitas, aut curãdi morbi magnitudo hanc tantam ſedulitatem, longamque curationem poſtularet, quandoquidem vt ſæpè aliàs, vno etiam verbo, immò nutu ſolo hunc ſurdum reſtituere poterat ille, qui per ſe omnipotens erat, & aliis poteſtatem dedit lãguorem & morbum omnem perfectè curandi, ipſoſque dæmones profligandi. Cæterùm noſtræ imbecillitati conſulẽdum erat, vt ab æterna doceremur Sapientia, nihil non tentare, nulliſque ſumptibus ac laboribus parcere ad leuandã proximi neceſsitatem, & ad charitatis teſtimonium quibuſuis miſeris exhibendum, qui noſtro iuuari ſtudio & officio poſſunt. Hîc enim locum habet digna Ioanne præceptio: *Filioli mei, non diligamus verbo neq; lingua, ſed opere & veritate.* Deinde Chriſtus hoc lento progreſſu in curando ſurdo nobis ſubindicat, maiorem curam & opem iuuandis illis tribui oportere, qui grauius ac diutius laborant, neque tam humano quàm diuino præſidio ſæpè reſtitui poſſunt. Non enim eſt omnium reſipiſcere à Diaboli laqueis, à quo permulti captiui tenentur, ſi Paulo credimus, ad ipſius voluntatẽ, tam grauiter ac dirè vinculis illius aſtricti, vt humanæ vel arti vel medicationi nullus relictus eſſe locus videatur. Ac ſimili de cauſa cùm Lazarus mortuus ad vitam excitãdus erat, prius quidẽ Dominus fremere, & ſeipſum turbare ac plorare voluit, quin etiam ſublata ad Patrem voce clamare & orare apud ſepulchrum non intermiſit. Vnde alibi quóque mirantes Apoſtoli, cur in curando dæmoniaco quodam nihil proficerent, non aliud à Chriſto reſponſum tulerunt: *Hoc genus non eiicitur niſi per orationem & ieiunium.* Præterea licet alij aliter

hos

hos adhibitos a Chriſto ritus explicent, ac de illis varia aneri poſsint, tamen certò conſtituam, nihil hic fruſtra temerèq; factum eſſe, ſed quæcunque fecit Dominus, benè fieri & facta eſſe, vnà cum Decapolitanis apertè fatebor. Deinde non dubitabo, per hos ritus externos, qui acceſſerunt miraculo, quædam ſpiritualia deſignari, quæ ad primam vel ſecundam peccatoris iuſtificationem concurrere ſoleant. *Omnia enim propter electos*, omniſque Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio, qui certè nos docet, cum huius mundi principe ſollicitius quàm cum alio inimico vllo luctari, & paulatim Chriſto duce hoc efficere quod præcipit Apoſtolus: *Nolite locum dare diabolo: Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.*. 2. Cor. 4. Epheſ. 4 & 6.

Peculiariter autem hîc nobis adumbrari putabo, quod hoc quidem tempore notatu dignum eſt, cæremonias Eccleſiaſticas, quæ ad cultum Dei externum, & reuerentiam Sacramentorum adhibentur, & Catholicæ fidei ſunt proteſtationes, non ita leuiter vlli habendas & contemnendas, ſicut nunc noui Sectarij arbitrantur, & vulgo malè ſano perſuadent; ſed eas potiùs commendandas & obſeruãdas eſſe. Cur enim pudeat aut tædeat Eccleſiam; quæ columna & firmamentum eſt veritatis, id facere, quod ſuum caput & ſpõſum Chriſtum iam ante feciſſe cernit? Is licet nullis rebus externis & cæremoniis indigeret, tamen in illis verſari, eaſque crebrò vſurpare noſtra cauſa neutiquàm dubitauit. Moſaicæ quidem legis erat ille Dominus, ſed inde à puero legis quoque cæremonialis, vt vocamus, amator & cuſtos, quemadmodum eius probat circumciſio; oblatio in templo, feſtorum celebratio, exhibitus honos ſacerdotibus in Moyſi cathedra ſedẽtibus, agni Paſchalis immolatio, vt alia id genus prætermittam. Ad hæc cæremonias quaſdam ſingulares aſſumpſit, vtpote cùm panibus & piſcibus benedixit; circa cibum gratias egit, & hymnum recitauit. Idem oraturus petit ſolitudinem, flectit genua, in faciẽ procidit, in oratione pernoctat; nõnunquàm oculos in cœlum ſubleuat, cùm orare 1. Tim. 3. Matt. 12. Luc. 7. & 17. Matt. 23 & 26. Ioann. 10. Matt. 14. Ioann. 6. Luc. 6. Matt. 26. Luc. 22. & 18.

vult, & prolixè precatur, ſed & Publicanum illum à ſeruatis quibuſdam in templo cæremoniis laudat. Iam verò ſi præſens Euangelium excutiatur, quàm operosè adhibet cæremonias, priuſquàm ſurdi & muti auribus ac linguæ medeatur? Illum apprehendit, ſeiungit & abducit ſolum à turba, in auriculas eius immittit digitos, expuit in terram, linguam eiuſdem attingit; in cœlum ſuſpicit, gemitum ſingularē admiſcet, verbum illud *E*phphethah pronuntiat, quod vel ſolum ſufficere poterat ad ægri curationem. Adhæc cæcum natum curaturus, in terram expuit, & è ſputo lutum facit, eóq; oblinit cæci oculos, iubens vt ad natatoriam Siloë abeat, ac ſeipſum lauet: poſt quæ omnia primùm ille ſanatur. An non eſt cæremonia, quòd rediuiuus die Paſchatis in Apoſtolos flauit, vt ſic afflati acciperent Spiritum ſanctum? Nec in cœlum adſcendit, niſi ſublatis in cœlum manibus benediceret omnibus qui pręſentes in monte aderant, ipſosque Angelos in albis veſtibus apparentes illis exhibet. Omitto cæremonias circa ſacram *E*uchariſtiam multiplices in cœna vltima obſeruatas, cùm panem & vinum accipit & benedicit, aliáq; plura quàm ſcripta ſunt, ac veteres notârunt, coram diſcipulis adhibet religiosè. Apoſtoli quidem multos curârunt ægros, ſed & olei vnctione addita, teſte Marco, ſicut & Iacobus presbyteris *E*ccleſiæ ægrotos vngendos eſſe præſcripſit. *C*urant rurſus Apoſtoli non modò baptizandis, ſed & confirmandis & ordinandis ſuas imponere manus: ſacrificant præterea ſimulque ieiunant, ſuas preces priuatim & publicè in templo fundunt, Deum laudantes & benedicentes: immò & certa orandi tempora *P*etrus & Ioannes obſeruant. *D*e *A*poſtolo Paulo ſatis conſtat, quod non minimam curam habuerit cæremoniarum, præſertim vt in Corinthiorum *E*ccleſia ritè ac decenter ſeruarentur, vtque viri aperto, & mulieres velato capite in templo precarentur, & ſacram ſynaxin piè perciperent. Quid niſi Apoſtolicus eſt canon, contra omnes contentioſos & ſeditioſos Eccleſiæ & rituum contemptores editus? *Omnia honeſtè* inquit, *& ſecundum*

dum ordinem fiant in vobis. Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei. Vult enim fideles non pro ſuo quemq; arbitratu, nec indecorè & inordinatè, ſed ſecundùm traditionẽ Apoſtolicam, & cũ publica ædificatione in tẽplo verſari, pacemque habere cum præpoſitis Eccleſiæ: alioquin eos qui ſecus agunt, corripiẽdos ac deuitandos eſſe decernit. Neque verò quiſquam, niſi valdè impudens, negare poteſt, inde ab orbe condito fideles in omni lege ſummum Deum coluiſſe, nec ſolùm fide, ſpe & charitate, ſed externis etiam ritibus cultum diuinæ naturæ debitum reuerenter exhibuiſſe, & plura quidem quàm iniuncta eſſent, in hoc ipſo cultu adhibuiſſe, quemadmodũ [a] Melchiſedech, [b] Iacob, [c] Dauid ac [d] Salomon apertè commonſtrant. Reſpexit Deus ad iuſtum Abel, & ad munera eius cum cæremoniis planè coniuncta, gratasque ſimul habuit magni Patriarchæ Abrahæ cæremonias, licet nulla lege præſcriptas, vt idcircò Iſaac filium eius ita compellaret: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias leges'q; ſeruauerit.* Et Ionas Propheta fuit adeò religioſus, vt intra ceti viſcera concluſus, ad obſeruandos in templo Hieroſolymitano ritus inde ex profundo mari adſpiraret, & ex animo ſic diceret: *Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, vt veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunq; voui, reddam pro ſalute Domino.* Conſtat præterea, complures cæremonias, quas Græca & Latina Eccleſia, præſertim circa vſum Sacramentorum nouæ legis obſeruat, inde à tempore Apoſtolorum, veluti per manus traditas, ad nos vſque peruenisse, ſicut Canones Apoſtolorum, decreta Conciliorũ, ſcriptaque Tertulliani, Origenis, Cypriani, ac Baſilij Magni clariſſimè probant. Loquimur autem non de particularibus & priuatis ritibus piè ſuſceptis, qui liberas habent obſeruationes, & in quibus alius alium iudicare à Paulo vetatur. Nos hoc loco agimus de communibus, vniuerſalibus & perpe-

1.Theſſ. 5. & 2.Theſſ. 3.

a Geneſ. 14. b Geneſ. 28. c 2.Reg. 6. d 3.Reg 8. Geneſ. 4.

Geneſ. 26.

Ionæ 2.

Rom. 14.

tuis, Eccleſiæquè iudicio & vſu probatis cæremoniis, præſertim quæ in Sacramentorum adminiſtratione & ſolenni cultu Dei tot ſeculis retinentur. Etenim de his ritibus mouere litem ac diſputare, num faciendi & obſeruandi ſint, inſolentiſſima inſania eſt, vt Auguſtini more loquamur. Nugentur
2. ergò & calumnientur Sectarij, qui nouos ritus, non dicam quales & quàm frigidos, in ſuas ſynagogas inducere, & ſubinde mutare non erubeſcunt, nimirùm tanto veteris Eccleſiæ odio incenſi, vt ſicut in Sacramentis, ſic etiam in cæremoniis nihil cum Catholicis commune habere velle videantur. Ego id verè Catholicum & Orthodoxum eſſe ducam, vt ſicut in aliis præceptis & inſtitutis, ita etiam in cæremoniis non me deſertorem, ſed filium & ciuem Eccleſiæ conſtantē præbeam, tantoquè magis eas in precio ſeruem, quanto certior & grauior illis comparata eſt autoritas ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, colendisquè Patribus, in quibus fas eſt loquentem audire Spiritum ſanctum. Hunc ducem & rectorem Ec-
6 cleſiæ à Chriſto ipſo promiſſum atquè miſſum audio, cùm ſacras amplector cæremonias, & in his animum & corpus exerceo, meæquè fidei teſtimonium palàm edo, vt ſimul ſuū æterno numini cultum exoluam, & me fratribus ſyncerè Catholicum, & matri Eccleſiæ obſequentem oſtendam. Ita demùm ab hæreticis me ſeparo, apud quos confuſa, profanata & polluta ſunt omnia, cùm reuerentiam & obedientiam Eccleſiaſticis nō minus quàm ciuilibus magiſtratibus debitam negant, & idcircò vtriquè poteſtati reſiſtentes, Dei ordinationi reſiſtunt, certamquè ſibi damnationem acquirunt ex Pauli ſententia. Accedit magiſtra rerum experientia, nosque multis modis admonet, ex mutatione & abrogatione cæremoniarum, quas iampridem veneranda probauit antiquitas, graues & pernicioſos exiſtere motus in Repub. illarum verò conſeruationem & vſum legitimum ad publicam pacem & populi diſciplinam, decoramquè cultus diuini promotionem valere plurimùm. Maior Eccleſiæ pars ex infirmis & paruulis Chriſti vtique conſtat, qui ſuo lacte & pæda

gogia

gogia quadam indigent vehementer, vt ex viſibilibus rebus & ſignis externis, ad ſublimiora fidei myſteria paulatim manuducantur, & in pietatis exercitiis ſuo captui congruentibus rectius foueantur. Proinde quiſquis hos receptos ſacroſque ritus, & probata ſymbola Chriſtianæ pietatis in Eccleſia ſpernit, non hominem, ſed Deum in Eccleſia docentē ſpernit, nec intelligit, quanta ſit vtilitas, immò & neceſſitas ordinis, pacis ac diſciplinæ, quantum præterea inter decora Sion & confuſam Babylonem interſit, & quàm rectè demū ſcriptum ſit illud: *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio.* 1. Theſſ. 4. Eccleſi. 36.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro his Catholicis, qui religionis ergò peregrinantur, ac pro fide decertant, vt in piis peregrinationibus & certaminibus cum fructu fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, obedientiæq; verſentur, cùm & Auguſtinus quibuſdam ſacras huiuſmodi peregrinationes iniunxerit obeundas..* Epiſt. 137.

ORABO *etiam, vt non modò plebæi, ſed inſuper diuites & alij qui poſſunt, charitatem ac miſericordiam erga pauperes & afflictos libenter exerceant, & quoſcunq; poſſunt, ſecum ad Chriſtum paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum adducant, iuxta illud:* Afferte Domino filios arietum. 1. Pet. 2. Pſalm. 28.

DIVINAM *quoq; gratiam implorabo, vt Catholici caremonias Eccleſiaſticas in precio habeant, & in illis religiosè verſentur, quoniam illæ ad externum ſummi Dei cultum, communemq; populi vtilitatem, & ſacrorum reuerentiam non parùm momenti adferunt. Nec minus precabor pro peccatoribus ferè deploratis, & in Satanæ poteſtate conſtitutis, vt præpotenti gratia Domini, & Sanctorum interceſſione iuſtificentur atq; ſaluentur.*

IHS

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

PRIMA Euangelij pars Apoſtolorum, verèque credentium ſortem fœlicem prædicat, maximè ſi illi cum veteris legis fidelibus in donis Spiritus & virtutum præſidiis conferantur. In altera parte oſtentat ſe arrogans Legisperitus, qui de vera perpetuaque vita conſequenda, & de proximo diligendo quærit, & haſtenus quidē à Chriſto laudatur, quòd præceptum de charitate Dei & proximi ad benè beatèque viuendum inprimis neceſſariū, verbis ipſis legis adſtruat, quodque de proximo cognoſcendo tandem pronunciet ſapienter. Quanquàm apud Matthæum legimus, Chriſtum ad eundem ferè modum quē hic legisperitus obſeruat, de mandato magno in lege tradito reſpondiſſe. Sequitur & alia pars Euangelij de Samaritano, cuius exemplo demōſtratur, proximi loco nobis habendum ac diligendum eſſe omnem hominem, qui noſtra indiget opera, & cui miſericordiæ fraternæ officium poteſt exhiberi, ſiue Iudæus ille ſit, ſiue gentilis, amicus aut inimicus, notus aut peregrinus. Veteres hanc de Samaritano parabolām, aut vt aliis placet, hiſtoriam ſic explicant, vt peruetuſtum theologum Origenem ferè ſequantur, cuius verba paucis rem totam explicantia, libet ſubiicere. Deſcendit inquit, Adam ex Ieruſalem, hoc eſt, ex paradiſo in Iericho, ſiue in hunc mundum. Per ſacerdotem porrò & Leuitam intelliguntur ſacrificia antiqua & lex: per Samaritanum Chriſtus, per latrones dæ-

mones,

mones, per ſtabulum ſeu diuerſorium Eccleſia. Samaritanus autem Chriſtus atque optimus cuſtos, qui non dormitat neque dormit, potentior fuit lege atque Prophetis: nam vino & oleo, hoc eſt, ſanctiſsimis Sacramētis nobis medicinam fecit.] Tractat igitur Euangelium quæſtionem Legisperiti duplicem, priorem de neceſſariis ad conſequendam ſalutem operibus, inter quæ charitatis diuinæ actus excellunt, alteram de proximo & cognoſcendo & diligendo. Vbi Chriſtus parabolam de Samaritano ita proponit, vt inde conuincat, proximum reuera cenſeri amariq; oportere mortalem omnem, qui vt diximus, noſtra iuuari opera, noſtroque beneficio ſubleuari poteſt, maximè cùm corporali vel ſpirituali laborat neceſſitate. Alioquin qui miſerum in graui periculo perire ſinit, verè proximum ignorat, ſeque ipſum hominem eſſe obliuiſcitur, legis etiam naturalis quæ cordibus omniū inſcripta eſt, nefarius violator: Vnde Propheta ſatis non habuit hoc mandare: Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum], ſed hoc inſuper addendum putauit: Carnem tuam nè deſpexeris:] nimirùm vt carnem proximi noſtram ac propriam faciamus, ſimul & amanter foueamus. Nemo enim vnquàm carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fouet eam, Apoſtolo teſte.

Pſal. 120.
Iſai. 58.
Epheſ. 5.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ X.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerūt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens:*

Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſsidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Dixitq; illi: Rectè reſpondiſti: hoc fac & viues. Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum, Et quis eſt meus proximus? Suſcipiens autem Ieſus dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Accidit autem vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo præteriuit. Similiter & Leuita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt. Et appropinquans alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait, Curam illius habe: & quodcunq; ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus, Vade, & tu fac ſimiliter.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

MI-

MIRABOR ſimulque prædicabo ingentem Dei ſapientiam & miſericordiam, cui viſum eſt Christi Mediatoris & Redemptoris noſtri cognitionem ſaſemque mortalibus neceſſariam inde ab initio mundi electis impartiri, & ſub lege Moyſi magis magisque per Prophetas augere, vt qui de futura in nobis gratia, ſicut Petrus inquit, prophetauerunt, prænuntiante in illis Spiritu ſancto eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. 1.Pet.1. Venit tandem tot ſecu'is deſideratus Meſſias, ſeque Apoſtolis electis, & quaſi primis fratribus multò magis & clarius quã aliis præcedentibus piis, cognoſcendum præbuit. Hinc illi vnà cum Ioanne ſuo iure dicere potuerunt: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenũ gratiæ & veritatis.* Ioan.1. Quãtum verò hi Apoſtoli in ſchola Chriſti profecerint, ſatis magiſter eorum verbis ſub mortẽ ſuam ad Patrẽ dictis inſinuat: *Nunc inquit, cognouerũt, quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt; quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti.* Ioann.17. Quarè Paulus etiam Apoſtolos ante Prophetas locat, 1.Cor.12. Epheſ.4. & Petrus eoſdem magnitudinis Chriſti ſpeculatores appellat, 2.Pet.1. vt ego illis meritò de inſigni fœlicitate gratuler, multóq; amplius tribuam, quàm regina Saba iam olim delectis tribuit miniſtris regis inclyti Salomonis, quandoquidem corà hoc præſtanti & incomparabili rege aſſiſterent, ac quotidie ſapientiam eius admirandam audirent. 3.Reg.10. Matth.12. Et ecce plus quàm Salomon hic Meſſias noſter, de quo Ieremias prædixit: *Regnabit rex, & ſapiens erit,* Hierem.23. in quo theſauri etiam omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconduntur, Coloſſ.2. & in quo diuinitatis omnis plenitudo corporaliter inhabitat, Apoſtolo teſte. *Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ*, vt Baruch loquitur, Baruch.3. qui & iure ſuo id ſibi ſoli vendicat: *Ego ſapientia: ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio.* Eccleſi.24. Gratulabor inſuper Chriſtianis omnibus tanta cumulatis gratia, quantum indicat princeps Apoſtolorum, cùm vocat eos genus electum, regale ſacerdotiũ, 1.Petri 2. gentem ſanctam, populum acquiſitionis, quorum ſit pro-

prium virtutes eius annuntiare, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum, lumen videlicet Euangelicæ gratiæ, & cum illa ipſa dotes maximas offert atque largitur credẽtibus. Vnde Chriſti Domini ſequar exemplum, qui exultans in Spiritu ſancto, ſingulares Patri egit gratias ob ſuos paruulos diuinitus ita illuminatos, vt ſublimia fidei noſtræ myſteria, quæ mundi ſapientibus, immò & Iſraëlitis manent abſcondita, facilè cognoſcant, ac ingenuè profiteantur. His diſſimiles non ſunt, quos Chriſtus in vniuerſum prædicat, Thomam ſic alloquens: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Et ne hoc dicto abutantur, qui fide Chriſti tantoperè gloriari ſolent, ſeque ſolos ferè fideles haberi volunt, Petrus nos admonet ſapienter, quales fideles verè beatos, nimirùm in charitate fundatos, agnoſcere debeamus. *Cùm Chriſtum* inquit, *non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes fidei veſtræ ſalutẽ animarum.* Eos verò fideles, quibus virtutes & earum opera præſtò non ſunt, idem Petrus in Chriſti cognitione vacuos & infrugiferos, adeóque cæcos appellat, quibus melius fuerit viam iuſtitiæ non cognoſcere, quos & canibus ad vomitum ſuum redeuntibus aptè confert.

Hinc ego ſumam occaſionem beatiſſimæ Trinitati gratias reuerenter agendi non meo tantùm, ſed & fidelium omnium nomine, qui hactenus fuerunt, & nunc ſunt, eruntque in poſterum Chriſtianæ lucis & gratiæ participes, in qua ipſi ſtant, & iuſtificantur & ſaluantur, non in vacuum quidem DEI gratiam recipientes, ſed ſimul Dei coadiutores, ſuamque vocationem & electionem per bona opera certam facientes, vt Apoſtolicis verbis vtamur. Benedictus ille qui venit in nomine Domini, & in Spiritu ſancto nos viſitauit Oriens ex alto, vt ſedentes in tenebris & vmbra mortis illuminentur, eorumque pedes in viam pacis dirigantur. Præterea meipſum explorabo, an hac tanta vocatione, quæ nos Chriſti hæredes & cohæredes facit, dignè

ambu-

[illegible]ulem, vt in me quoque compleatur quod Paulus qui-[illegible]dam electis dixit: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate.* Sed ô impuri & infœlices oculi mei, ſi non ſecùs quàm noui Sectarij, Chriſtum contẽplentur, ô infortunatę mihi aures, ſi Chriſti doctrinam cũ illis pręposterè audiant & amplectantur. Vident iſti Chriſtum & audiunt, ſimulq́ue de illius cognitione & verbo, ſicuti Gnoſtici, magnoperè gloriantur. Quem verò CHRISTVM ſibi proponunt & nunciant? nempè noſtris maioribus & priorum ætatum Orthodoxis incognitum, qui ſola fide iuſtificat ac beat peccatores, qui pro Euangelica libertate carnis licentiam ſuis permittit, qui velut adulter, veterem ſponſam Eccleſiam iampridem deſerit, aut certè ab adultera illa diuertit, qui vix vnum aut alterum Sacramẽtum ſanctificat, & à ſuis exigit, qui externũ ſacerdotium & ſacrificium deteſtatur, qui germanum ſacræ Scripturæ ſenſum antiquis Patribus derogatum, ſolis ſectarum hodie vigentium magiſtris tribuit, qui Pontifices, Epiſcopos, ac alios Eccleſiæ Catholicæ miniſtros ordinarios ad Antichriſti ſatellitium relegat, ac demum totum Chriſtianiſmum Eccleſiæ Romanæ conſentientem non alio loco, quàm pro Babylonica ciuitate ſiue confuſione proclamat ac damnat, eamq́ue ſuperſtitionum ac idolomaniæ ream facit. Væ auribus meis, ſi nouis iſtiuſmodi doctoribus, & ſacrorum profanatoribus aſſentiar, qui licet inter ſe maximè diſſentiant, & iampridem damnata reſtaurent dogmata, tamen ſua ſenſa & placita pro puro puto Dei verbo & renato Chriſti Euangelio orbi impudenter venditant, ac imperitis audacter inſtillant, cùm interim ſicut Petrus fore prædixit, magiſtri ſint mendaces, & viam veritatis blaſphement, ſectasq́ue perditionis introducant. Vbi me & Orthodoxos omnes doctor illegentium conſolabitur, quando ita cõmonefacit: *Vos non ita Chriſtũ didiciſtis. Si quis vobis euangeliζauerit præter id quod accepiſtis* (ſiue ſcriptũ nempè, ſiue ſine ſcripto traditũ) *anathema ſit.* Quod aũt ad ſeductos attinet, habẽt illi quam ſecũ expendant

Ephes. 5.

2. Pet 2.

Ephes. 4.
Galat. 1.

pendant

pendant Prophetę ſententiam: *Popule meus* inquit, *qui te b[illegible]tum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum d[illegible]* Et nè miremur turmatim irruere, & Eccleſię obſtrepere Pſeudoprophetas, de his ipſe præmonuit Chriſtus electos, & aduerſariorum voces proprias eſſe dixit: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic*, in quorum gratiam mutare fidem, & alienos audire paſtores, ac de vera Eccleſia exire minimè debeamus.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum, ſicut teipſum.

NON ſat erat præſenti Legisperito, qui Chriſtum te[illegible]turus acceſſerat, & nec mihi quidem ſufficiet, Deum in vera Eccleſia cognoſcere, cuius inuiſibilia, ſicut Paulus inquit, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles omnes, qui Deum & diuinitatem eius vel negãt vel ignorant, debitóue cultu defraudant. Idem Legisperitus in more habebat Dei verbum magni facere, de illo libenter meditari ac loqui, illud fide complecti; illisqúe omnibus nõ contentus, opus eſſe cenſebat, ex verbo ipſo cognitam Dei voluntatem facto complere, & per illius obedientiam ad ſalutem æternam contendere. Ad eundem ſanè modum mihi faciendum exiſtimabo, nè ſim alioquin perinde ac ſeruus cognoſcens, minimèqúe faciens Domini ſui voluntatem, qui vt egregiè vapulet, magis quàm æqualis ex ignorantia peccans, promeretur. Veræ & ſolidæ virtutis laus in praxi & actione conſiſtit, &, ſi Apoſtolo credimus, non auditores, ſed factores legis iuſtificantur. Ac ſemper eò contendere ſatagam, vt quæ ad benè beateqúe viuendum ſpectant, apud me præponderent, magisqúe curentur, quàm quæ ad ſolam veri cognitionem fidemqúe & confeſſionem faciunt. Quarè cũ hoc Legisperito fidenter dicam: *Magiſter, quid faciendo vitam*

tam æternam poſſidebo? ſicut Paulus exemplo me docuit ſuo, cùm ad corripientem de cœlo Chriſtum diceret; *Domine, quid me vis facere?* Scriptum eſt enim, *Altiora te nè quæſieris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Iam verò inter alia Dei præcepta primum & maximum eſt, eritque ſemper illud de Dei proximique charitate ſeruanda, nec vllum homini congruentius & vtilius, magisque in orbe neceſſarium poteſt excogitari: ideóque ſi ſapio, in illo ipſo accuratè verſabor. Nam & Chriſtus ipſe cũ à Legisperito interrogaretur, *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege,* ſicut Matthæus oſtendit, his verbis illi reſpõdit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet & Prophetæ.* Quamobrem hoc præceptum, omniumque præceptorum caput mihi commendatum habebo, non ob legisperitum de illo diſſerentem, ſed propter Chriſtum reſponſum illius approbantem, ſuisq; verbis eadem repetentem, & in illis omnem ſummam ſiue compendium Legis ac Prophetarum collocantem. Vnde & illa Hieronymi vox eſt: Quæ alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum niſi charitas? ſine qua aliæ virtutes non reputantur eſſe virtutes, & ex qua naſcuntur vniuerſa quæ bona ſunt. Siquidem & in Lege & in Euangelio iſta obtinet principatum.] Tum idem ex Apoſtolo colligit, omne mãdatum in charitate compleri & recapitulari, fidemque per charitatem operatam valere plurimùm. Sed & Auguſtinus perſpicuè docet, ſine charitate nihil prodeſſe homini quodcunq; habuerit, & hanc ſi ſolam habuerit, ſufficere, ſolamque illã diſcernere inter filios Dei & filios diaboli. Omnia igitur præcepta diuina referuntur ad charitatem, de qua dixit Apoſtolus: *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Cuius charitatis regula nunquàm abolenda, maximèque ſemper obſeruanda, ita diuinitus in Lege conſtituitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex to-*

Actor.9.
Eccleſi.3.
Matth.22.
In cap.5.ad Galat.
Ibidem.
Rom.13.
Galat 5.
In enchirid. cap 121. & Tract 5 in Euang. Ioan.
1.Tim.1.
Deuter.6.

ta anima tua, & ex tota fortitudine tua, nimirùm vt qui credit, omnes cogitationes ſuas, omnem intellectum & facultatem, omnia deſideria & opera ſua in illum authorem conferat, à quo habet ea ipſa quæ conferat, adeò vt nulla vitæ eius pars vacare debeat, quæ ſummo æternóque bono ſyncerè & integrè amando non tribuatur, ſicut hoc præceptum *A*uguſtinus explanat.]

Vbi meipſum inprimis coarguam, quod aliis curis & negotiis frequenter intentus, à perfecto Dei proximiq; amore me nimium diuelli, & facilè abſtrahi patiar, neque hûc intellectum & affectum, cùm omni ratione deberem, excitem, atque idcircò in hoc ſancto præceptoque amore ingratus langueam, frigeam aut torpeſcam. Etenim à creaturis aliis non auerto, & ad *D*ominum Opt. Max. non conuerto mentem, vt cum Propheta intimè dicere queam: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Tum ſurdis auribus prætereo ſuauē & amicabilem illam Domini inuitationem: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum*, charitatis videlicet, *vt locuples fias.* Dolebo inſuper de frequēti cordis mei duritie, quandoquidem cùm credam, legam, audiam & ſciam tam multa & præclara tot ſeculis prædicari de hac prænobili, & nunquā ſatis laudata virtute charitatis: tamen ad illam nō magis adſpiro, ſed potius in illa colenda & exercenda ſæpè ſum tā negligens, vt quid ipſe potiſſimum amem, vel dubitē, vel ignorem. Certè vt de ſolo Apoſtolo Paulo dicam, qui in hac virtute commendanda totus eſt, eandem fidei, ſpei, eleemoſynæ, ſcientiæ & aliis eximiis virtutibus, doniſque & fructibus Spiritus anteponit. *Si enim charitatem non habuero, nihil* inquit, *mihi prodeſt, nihil ſum. Si quis non amat Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum, ſit anathema. Qui amat Patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Finis præcepti charitas. Nemini quicquam debeatis: niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo legis eſt dilectio.* Eandem vinculum

culum perfectionis & legem Chriſti nuncupat,quemadmodum legem Crucifixi Antonius Magnus,& Clemens Alexādrinus præceptum appellat, quod etiam ſine literis diſcitur, & decretum item ſpirituale ſcriptum in cordibus hominū. Quam charitatem nos etiam ſummo iure vitam & animam Fidei,(hæc enim ſine charitate mortua eſt)& totius Scripturæ ſummam ac ſcopum, nec non Chriſtianorum iuſtitiam poſſumus appellare. Cur igitur inſipiens ego,auream charitatem,virtutum reginam,bonorumque omnium parentem atque cuſtodem non deamo, & ſtudioſè complector? Cur illa quicquàm antiquius duco,& ardentius quæro atq; conſector? Quid me tandem infœlicius,hac ſi nuptiali veſte orbatus, in regno Chriſti appaream, atque ſic nudus vel ſordidus, inſtar illius incompti conuiuæ audire cogar, *Amice quomodo hûc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Quanto autē mecum rectius ageretur,illum ſi audirem ſuauem nunc monitorem, & ſeuerum poſtea iudicem, à quo dictum eſt: *Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua,nè nudus ambulet* (ſine charitate) *& videant turpitudinem eius.* Breuiter, *qui non diligit, manet in morte*, ſi Ioanni Apoſtolo credimus.

Coloſſ. 3. Galat. 6. Iacob. 2. 1. Cor. 13. Matth. 22. Apoc. 16. 1. Ioann. 3.

Quàm verò indignum facinus eſſe putabo, tam multos amore mundi velut ebrios ac dementatos, tantum non inſanire,paucos autem Dei amore flagrantes ſapere,& ad benè beatèque viuendum charitate duce contendere? Eſt ſanè vt dixit Eccleſiaſtes,ſtultorum infinitus numerus, eorum ſcilicet, qui nec Deum nec proximum, ſed ſeipſos duntaxat diligunt, & homines plus quàm Deum diligunt, atque ita diligendo ſeſe perdunt, quia non Creatori, ſed creaturis per amorem inhærent, ſæpè vanis etiam rebus & noxiis contra Deum & charitatem omnem incumbentes. Hi quoniā exoſam habent diſciplinam, & nec timorem, nec amorem Domini ſuſcipiunt, comedent fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur,prout illis ſummus Deus iuſtiſſimè interminatur. Peritè à Proſpero dictum eſt: Ordinem dilectionis illi

Eccleſ. 1. Prou. 1 Lib. 1. de vita contēplatiua.

peruer-

peruertũt,nec modũ diligẽdi cuſtodiũt:, qui aut mundũ qui cõtemnẽdus eſt,diligũt:aut corpora ſua minus diligẽda plus diligũt, aut proximos ſuos,non ſicut ſeipſos, aut Deum plus quàm ſeipſos fortè non diligunt.] Sed enim ô me miſerum, qui tam parũ curæ ac operæ amori diuino largior,& à mundi amatoribus res perituras ingenti ſtudio & conſtãti ardore conſectantibus toties vincor. Multóque magis iure mecũ expoſtulent, ac me coram iudice Chriſto accuſent veteres Orthodoxi, in quibus diuinus ille amor tam vehemẽs & efficax olim fuit, vt nec venenata mundi blandimenta, nec ſæua impiorum tormenta illos à Chriſti amore tãtillum auellere ac ſeparare poſſent. Nam cum Paulo dicere poterant, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſtò Ieſu Domino noſtro.* Et cùm inter hos Dei amatores extarent teneri pueri,nobileſq; puellæ, à ſuis etiam parentibus ad mundi ſtudium, carniſque voluptates ſollicitatæ, tamen aquę multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina illam obruere,vt Scripturæ verbis vtamur. Etſi verò naturæ humanæ non fert imbecillitas, vt hoc eximiæ dilectionis genus, quod à beatis in cœlò præſtatur, expleamus, & curis omnibus vacui,diuinæ contemplationi perpetuò vacemus;eſt tamen quædam viæ,vt vocant, perfectio conceſſa mortalibus, quæ ad Deum in hac vita diligendum fidelibus ſufficere,& à piis exhiberi queat ac debeat. Hũc ſanè ſpectat, ſi auctori meo Opt.Max. congruentem latriam tribuam, illum ipſum rebus omnibus quæ amari poſſunt, anteponam, meque à mortali crimine purum conſeruem, vitam prius amiſſurus,quàm vt illũ qui ſolus vita eſt animæ,volens offendam, ſi demum quotidie cupiditatibus aliquid detraham,& ſimul charitatis ignem aſſiduæ pietatis officiis in me fouere
io cõtendam. Vnde cum Iuſtino Martyre ingenuè profitebor
93. Quid eſt tota legis iuſtitia? Diligere Deum plus quàm ſeipſum,& proximum vt ſeipſum: quod quidem non eſt impoſ-

ſibile

ſibile hominibus volentibus.] Monet etiam Baſilius, Deum tam bonum & æquum eſſe, vt charitatis præceptum fidelibus non fuerit iniuncturus, niſi ſimul & vim perficiendi dediſſet. Eſt enim prꝙſtò Spiritus ille qui fidelium infirmitatem adiuuat, quique iugum Domini leue & ſuaue reddit, præſertim verò amantibus. Nec eſt quiſquam Orthodoxus, qui ſi rectè credat atque confidat, Chriſtique gratiam diligenter imploret, cum Paulo dicere non queat: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Tantum abeſt vt ego Sectariis vnquàm aſſentiar, qui laborem, immò meram impoſſibilitatem Deum diligendi, in hoc præcepto pro ſuo fingunt arbitrio; quaſi nullus etiam ſi velit, Deum ex toto corde pro ſuo modulo diligere poſſit, quemadmodum ſanè [a] *D*auid, [b] Ezechias, [c] Petrus & [d] Paulus Deum dilexiſſe verbis propriis non obſcurè ſignificàrunt. Nec fallere nos poteſt diuinum oraculũ: *Ego* inquit, *diligentes me diligo*: quia & Chriſtus ipſe teſtatur: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt*, vt Ioannes aſſerit.

Rom. 8. Matth. 11. Philipp. 4. a Pſalm. 118. b Iſai. 38. c Ioann. 21. d Rom. 8. Prou. 8. Ioann. 14. 1. Ioann. 5.

Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones.

Illuſtris hæc eſt parabola, vel, ſicut quidam putant, vera hiſtoria, proponens hominem à latronibus dirè vulneratum, ac ſimul à Samaritano quodam, qui illum in via fortè ſpectauerat, tractatum humaniſſimè, & per illum paulatim reſtitutum. Vbi prætermiſsis aliis, quæ ad verum Samaritanũ Chriſtum hominis perditi Redemptorem applicari myſticè poſſunt, ego eiuſdem parabolæ ſcopum, Chriſtique mentem præcipuè intuebor, vt inde nimirùm addiſcam ritè cognoſcere & amare proximum. Nec enim ſolùm in hoc Legiſperito, ſed in aliis quoque Iudæis communis, nec ſanè leuis hꝙrebat error, grauiſsimo præcepto de proximo diligendo tũc ſatisfieri, quũ ipſi tantùm ſuꝙ gentis & religionis homines a-

more mutuo proſequerentur. Contrà vero Chriſtus per hãc docet parabolam, quemlibet hominem proximi loco habẽdum & diligendum eſſe, cuiuſcunque ſit ille regionis, ordinis, vel conditionis, de quo non ſecus quàm Samaritanus fecit, per omnem occaſionem benè mereri valeamus. *E*ſt hic ſermo de Samaritano, qui patria, religione, moribus non ſolùm alienigena, ſed etiam exoſus, & tantùm non hæreticus tunc Iudæis reputabatur, qui tamen ſe viciſſim illis, cùm poſtularet neceſſitas, fidiſſimum & amiciſſimum declarauit. Cùm enim aliquando ille ad ſua negotia curanda in Palæſtinam proficiſceretur, & Iudæum tam malè miſerèque tractatum, & relictum à latronibus offendiſſet, vt is planè ſaucius & ab omnibus neglectus ac ferè deploratus iacêret, ex animo compaſſus eſt ærumnoſo, hominemque fœdum & deſpicabilem, immò & ſuę gentis ac religionis hoſtem, quibuſcunque potuit beneficiis cumulare dignatus eſt. Siquidem manus in illum ſuas extendit, grauia vulnera obligauit, oleũ & vinum adhibuit, equo ſuo illum velut graue pondus impoſitum, in hoſpitium ſiue diuerſorium vſque perduxit, vbi eundem tum reficiendum, tum reſtituendum ſuis curauit impenſis atque adminiſtris.

Hinc ego facilè animaduertam, præceptum de proximo diligendo longè aliter mihi accipiendum & obſeruandum eſſe, quàm Iudæorum, immò & Chriſtianorum vulgus arbitratur, qui propter patriam, cognationem, lucrum, familiaritatem, merita & munera proximum ferè ſpectant ac diligũt, veramque amicitiam carnis iudicio metiuntur. Vnde illud etiam à *P*oëta ethnico dictum extat: Vulgus amicitias vtilitate probat. Sed longè aliter de proximo ſentire docet Chriſtus, nè ſcilicet publicanis ac ethnicis nos conformemus: ſicut hæc illius verba declarant: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt. Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.* Quocirca illam proximi charitatem comparare & exercere contendam, quæ in Dei

amore animique ſynceritate fundata, mortales omnes com-
plectitur, quæque non ſolùm ad notos & amicos, ſed etiam
ad peregrinos, immerentes & inimicos ſeſe porrigit. Non e-
nim obſcurum eſt verbum Domini: *Diligite inimicos veſtros,* Matth. 5.
benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus &
calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt, qui
Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos
& iniuſtos. En ergò tibi noſtrum Samaritanum, qui cùm fœ-
dè ac grauiter in fide hallucinaretur, impièque de religione
ſentiret, tamen ſola commiſeratione permotus, ad ſaucium
fractumque Iudæum refocillandum atque curandum etiam
non rogatus accurrit, & quem Sacerdos ac Leuita prorſus
negligunt, perquàm humaniter tractat, neque illi vt alienige-
næ, ſed velut ciui aut fratri, immò & filio per ſe & ſuos inſer-
uit, ſeque illi totum gratis impendit, nulla præmij ſpe vel ex-
pectatione prouocatus. Quod ergò miſericordiæ & charita-
tis officium à me vnquàm eſt prætermittendum, ſi de Chri-
ſtianis benèmereri queam? qui non modò natura duce, ſed
etiam religionis ergô mihi ſocius & frater eſt, ſed & mem-
brum manet eiuſdem myſtici corporis ſub vno capite Chri-
ſto mihi coniunctum, & arctiſſimo ſanctæ ſocietatis vinculo
conglutinatum. Ergóne vel ſurdus vel amẽs meritò videar,
ſi acclamanti pauperi, in quo Chriſtus ipſe clamat, miſericor-
diæ meæ viſcera durus præcludam? Eſt Apoſtolica certè ſen-
tentia: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fra-* 1.Ioan.3.
trem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo
charitas Dei manet in eo? Niſi ſim ſurdus & charitatis expers,
quomodo diuinas illas voces non audio? *Iudicate egeno &* Pſalm.81.
pupillo: humilem & pauperem iuſtificate: eripite pauperem & e-
genum de manu peccatoris liberate. Beatus vir qui intelligit ſu- Pſalm.40.
per egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Iu-
dicium verò ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Iacob.2.
Dolebo igitur, me non ſolùm ab hoc Samaritano; ſed etiam
à compluribus ethnicis in diligendo tuendóque proximo
ſuperari, qui cùm legem ſcriptam non habeant, tamen dile- Roma.2.

ctionem, quæ omnium animis inſculpta eſt, frequenter obſeruant, ſatisque nôrunt naturæ ac rationi illud eſſe conſentaneum: *Prout vultis vt vobis faciant homines, & vos facite illis ſimiliter.* Meminero etiam ſanctorũ hominum, vt [a] Abrahæ, [b] Loth, [c] Ioſeph, [d] Moyſis, [e] Iob, [f] Pauli & [g] Barnabæ, qui multa in alios beneficia humaniſſimè contulerunt, ſeque vt proximos, munificos & liberales vel immerentibus, nõnunquàm & inimicis ex animo præſtiterunt. Adhęc ita me comparabo, vt ſicut in Samaritano factum eſt, in me quoquè viuidæ charitati cuncta ſeruiant, oculi, aures, lingua, manus, pedes, facultates, inprimis verò vt cor ipſum ſit beneuolentia & miſericordia cum aliis, ac præſertim afflictis, ſyncerè coniunctum. Nulli enim ego vnquàm durus & inhumanus exiſtam, cui mea prodeſſe opera queat, quandoquidem inter omnia præcepta Euangelica nullum Chriſtus magis inculcauit, nullum ſuis æquę obſeruandum iniunxit præterquàm illud: *Hoc mando vobis vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Ac velut huius ſæpè repetiti præcepti rationem nobis redderet, *In hoc* inquit, *cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem.*

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro fide Chriſti in Catholicis purè conſeruanda, & aduerſus Eccleſiæ hoſtes fortiter vindicanda. Etenim ad hanc noſtram ætatem omnis impietatis feracem pertinet illud Pauli vaticinium*: Diſcedent à fide, attendentes ſpiritibus erroris: *ſicut & illud:* Erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt. *Non eſt alia iuſtitia hominis in hac vita, inquit Auguſtinus, niſi ex fide viuere, quæ per dilectionem operatur.*]

ORABO *etiam pro cunctis mortalibus Dei proximiq; charitate deſtitutis, atq; idcircò in lethali peccato ac ira Dei degentibus, certoq; in æternum perituris, niſi per charitatem reuiuiſcant, & ex morte peccati ad vitam gratiæ in Chriſto hic reſuſcitentur.* Qui enim non diligit, manet in morte. Qui odit fratrem, ho-

micida

micida eſt. Charitas operit multitudinem peccatorum. *Dilige, inquit Auguſtinus, & fac quicquid voles.* Prou.10. De verb. Domini.

RVRSVS petam gratiam ægrotis, abiectis, vinctis, peregrinis, exulantibus & afflictis vbiq; gentium, vt multos inueniant Samaritanos, Martinos, Nicolaos, Paulinos, Gallicanos, quorum nempè fideli opera & præſenti benignitate in ſuis ærumnis & calamitatibus magis magisq; refocillentur atq; ſubleuentur. Et quia nihil mihi charitate dulcius, nihil precioſius & optabilius eſſe debet, frequenter cum Auguſtino precabor: Tuum eſt Domine hoc donum, cuius eſt omne bonum. Iubes te diligi: da quod iubes, & iube quod vis: amo te Deus meus, magisq; ſemper amare cupio. O ignis qui ſemper ardes, & nunquàm extingueris: ô amor qui ſemper ferues, & nunquàm tepeſcis, accende me. Accendar inquam, totus à te, vt totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. diligam te Domine, quoniam tu prior dilexiſti me.] In ſoliloquiis cap.18.& 19.

DOMINICA XIIII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

CHRISTVS Hieroſolymam proficiſcens, & à decem viris lepra infectis rogatus, ſuam illis potentiam ac gratiam admirandam declarat, reddita omnibus ſanitate. Nec aliud ab illis exigit, niſi vt ſe iudicandos exhibeant ſacerdotibus, quemadmodum decreto legis veteris erat conſtitutum, & eo tempore vſitatum. Ex illis vnus, non Iudęus ſicut cæteri, ſed patria & gente Samaritanus, & idcircò alienigena, laudem obtinet ſingularem, tum ra- Leuit.14.

tione viuæ fidei humilisque fiduciæ, qua præſtabat ſociis, tum propter inſigne officiũ gratitudinis, quod Chriſto liberatori ſuo cum publica diuini nominis laudatione perſoluit. Cæterùm Auguſtinus, Gregorius, aliiq́; plures veterum Patrum præſentem hiſtoriam ſic tractant, vt per hoſce leproſos intelligi velint hæreticos, qui inter omnes ſpiritualiter ægrotos maximè ſunt incurabiles, & diuina Chriſti virtute, magnaq́ue præpoſitorum Eccleſiæ cura indigent vehementer, ſi abominabili & contagioſa lepra prorſus liberandi ſint, & Deo ſimul & Eccleſiæ reſtituendi. Etenim hæreticorum reſipiſcentia & doctrina per Eccleſiæ præpoſitos ſiue ſacerdotes inprimis probanda eſt, vt certius cõſtet, an ſuos errores ex animo deteſtentur, ſeque totos matris & magiſtræ Eccleſiæ iudicio ſubiiciant atque permittant. Fruſtra enim ſibi blandiuntur, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habẽtes obrepunt, cùm Eccleſia quæ Catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neque diuiſa, ſed ſit vtiq́ue connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata, vt Cypriani verbis vtamur.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ XVII.

DVM *iret Ieſus in Ieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. & cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decẽ viri leproſi, qui ſteterunt à longè: & leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri. quos vt vidit, dixit, Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt dum irent, mundati ſunt. Unus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt: regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem*

ante

*des eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Re-
ns autem Ieſus dixit: Nónne decem mundati ſunt? &
vbi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret & daret glo-
Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi, Surge, vade: quia
a te ſaluum fecit.*

OTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

*currerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à lon-
gè: & leuauerunt vocem dicentes, IESV præce-
ptor miſerere noſtri.*

VSPICIAM & celebrabo preſens Chriſti miracu-
lum, idquè longè præſtantius, quàm quod Moyſes Num.12.
erga ſuam ſororem Mariam, & Eliſæus Propheta 4.Reg.5.
erga Naaman Syrum in graui morbo lepræ curan-
æſtiterunt: Nam Chriſtus decem leproſos tantùm ire
vt ſe oſtenderent ſacerdotibus, in itinere purgauit ſine
& ſine verbo, tacita poteſtate, & ſola voluntate, ſicut lo
r Tertullianus. Mirabor inſuper, hos ipſos leproſos, an- Lib.4.aduerſus Marcion.
m à Chriſto mundarentur, (ab alio enim nullo curari
àm potuiſſent) tam multa cum laude geſsiſſe. Etenim
contenti ſuum fœdum & immedicabilem morbum a-
cere, propter quem immundi ab omnibus habebãtur,
que ab amicorum ciuiumqúe conuictu & familiaritate
ùs arcebantur, & ſeparati ab aliis habitare debebant, ſo
quidem Chriſtum communi voluntate medicum ſibi
unt, quærunt, implorant, magnáque ſibi de illo non te-
pollicentur. Vna omnium erat confeſsio & precatio,
iſpar verecundia, ſubmiſsio & reuerentia, cùm ſtantes à

longè, miſerè vociferantur, nec modò IESVM ſine ſaluato-
rem inuocant, ſed etiam præceptorem illum profitentur, cu-
ius dicto ad vnum omnes parati ſint parêre. Iam verò ad ſa-
cerdotes iuſſi cōcedere, ſuam obedientiam ſtatim reipſa de-
clarant, nimirùm ſimplici humilique fide prędıti, quando ad
ſacerdotes illos ire non grauantur, quorum præcedens con-
tra ſe iudicium nouerant, & à quibus nullam lepræ ſuæ de-
pulſionem poterant expectare. Hunc fructum illi decem le-
proſi ex ægritudine ſua colligunt & oſtendunt, vt meritò de
illis cum Dauide dicere liceat: *Poſtquàm multiplicatæ ſunt in-*
firmitates eorum, poſtea accelerauerunt, quodque apud Iſaiam
legimus: *Domine in anguſtia requiſierunt te*. In eadem claſſe fœ-
liciter afflictorum fuit, qui de ſeipſo teſtatur Domino: *Caſti-*
gaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Ac Iudæi
quidem his leproſis non fuêre diſſimiles, quòd præſentem
fructum frequenter ex afflictione ceperint, quemadmodum
liber Iudicum abundè commonſtrat, & Pſalmographus illis
verbis ſæpè repetitis comprobat: *Clamauerunt ad Dominum*
cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Vir-
ga enim *atq; correctio tribuit ſapientiam*, teſte Salomone.
Ego verò, vti par eſt, Chriſto Domino agā gratias, in hoc
quidem cœlitus miſſo, vt leproſorum & immundorum, qui
ſeipſos grauiſsima peccati lepra purgare, & ab aliis vllis pur-
gari nō poſſunt, ſit medicus prępotēs ac incomparabilis. *Ve-*
nit is quærere & ſaluum facere quod perierat: de quo ſcriptum
eſt: *Miſit* (Deus Pater) *verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit*
eos de interitionibus eorum. Quocirca natiuæ lepræ meæ con-
ſcius, quoniam ab *A*dam, veluti leproſo parente leproſus ac
immundus conceptus ſum atque natus, ad hunc omnis mi-
ſericordiæ fontem confugiam, veramque ab illo purgationē
in hac vita mihi ſemper neceſſariam ex animo petam. Vnde
5. cum Propheta pręcari habeo: *Ego dixi, Domine miſerere mei:*
ſana animam meam, quia peccaui tibi. Miſerere mei Domine,
quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniā conturbata ſunt
oſſa mea. Auguſtinus ita dixit: Sana me Domine, & ſanabor:
ſaluum

me fac,& ſaluus ero:tu qui infirma ſanas,& ſanata con-
:tu qui ſolo nutu tuo reſtauras diruta & collapſa.] Hāc
lepram nullus curare medicus, non lex vetus,non phi
nia profligare poteſt, ſed in illo fœdiſsimo morbo, ſi
na ſpectem prçſidia,mihi perpetuò pereundum eſt,ni-
eſtis medicus Chriſtus manum adferat auxiliatricem,
gationem faciat peccatorum. Is verò quantumuis cle- Hebræ.1.
& potens exiſtat medicus,& Agnus Dei qui tollit pec- Ioann.1.
nundi, non tamen omnes leproſos expurgat atque ſa-
d eos, qui iuxta horum leproſorum exemplum ſeſe in
ſis ſubmiſsè gerunt,ſuos morbos agnoſcunt, fidem in
am præſentem erigunt,diuinam miſericordiam implo
ec ſolùm ſuo Saluatori confidunt,ſed illi etiam vt ſuo
is Præceptori obtēperare conātur, qui demū propter
ipſum ſuam obedientiam ordinariis Eccleſiæ miniſtris
am exhibent Norunt enim quod Paulus affirmat: *Quæ* Rom.13.
Deo,ordinata ſunt, & Chriſtum in ſuis legatis loquentē Luc.10.
ēter audiri oportere,ex Euangelio didicerunt. Norunt
rea, eundem Chriſtum ſibi obedientibus factum eſſe Hebr.5.
m ſalutis æternę,qui gratiæ ſuę beneficium non omni-
ed conuerſis & humiliter accedentibus impertiat. Sic
ipſe teſtatur: *Aemulare & pœnitentiam age. Ecce ſto ad* Apoc.3.
n & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi
am,intrabo ad illum,& cœnabo cum illo,& ipſe mecum. Ve-
d me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam Matth.11.
Tollite iugum meum ſuper vos. Præterea meminero, eun-
Chriſtum non modò beneficiorum, quibus quotidie
,ſed & afflictionum,quibus vnà cum electis probor atq;
or,authorem atque moderatorem eſſe. *Ego* inquit.*quos* Apoc.3.
arguo & caſtigo. Quā ob rē patienti ſimul & lubenti ani-
eram, ſi quando paterna Dei percutientis virga viſiter,
eipſum morbumque meum rectius agnoſcam & corri-
,vt ad percutientem ipſum perfectius redeam,vtque me
m illius voluntati ac diſciplinæ in vtráque fortuna per-
am. Eſt enim prorſus ita ſicut Propheta docuit: *Si reuer-* Iſai.30.

tamini & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra. Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis. Cum illis verò peſſimè agi putabo, quos inflicta pœna nihilo meliores facit, ſed potius ęquè obſtinatos & in peccatis obduratos relinquit, quandoquidem vnà cum Pharaone tyranno incorrigibili ſeſe ad Dei timorē & pœnitentiam emolliri neutiquam ſinunt. Ita enim ſeſe gerunt, ſicut Hieremias queritur dicens: *Percuſſiſti eos & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.* Dolebo interim, in hoc genere criminoſos nobis apparere plurimos, qui cum ſuperioribus leproſis meritò conferantur, quandoquidem decem præcepta Decalogi apertè violent, & lepram ſpiritualem iampridem ſibi contractam, aliis etiam oſtendāt & affricent pernicioſè, quum non paucos exemplo conuictúque ſuo contaminent atque perdant. Hanc lepræ peſtiferæ ſaniem contrahunt ſacrilegi, raptores, vſurarij, adulteri, fornicatores, ebrioſi manifeſti, aliíq; plures carnis operibus, vt Paulus appellat, obnoxij, quos idem Apoſtolus nobis vitandos, ac velut lepra peſſima vitiatos fugiendos eſſe, ſatis illis verbis prodidit: *Ne commiſceamini fornicariis. Si is qui frater nominatur inter vos eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum eiuſmodi nec cibum ſumite. Auferte malum ex vobis ipſis. Neſcitis quia modicū fermentum totam maſſam corrumpit?* Peculiariter autem hîc mihi deploranda ſors eſt hæreticorum, qui horribili & contagioſo, ſemperq; fugiendo morbo infamis lepræ laborāt, & hoc quidem ęuo vt præcipuę peſtes religionis, perniciē orbi creant maximam. De his Auguſtinus in hunc modum ſcribit: Leproſi non abſurdè intelligi poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abſcondunt imperitiam ſuam, ſed pro ſumma peritia proferunt in lucem, & iactantia ſermonis oſtentant. Nulla porrò falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat. Vera ergò falſi inordinatè permiſcent in vna diſputa

tione

tione vel narratione hominis, tanquàm in vnius corporis colore apparentia ſignificant lepram, tanquàm veris falſisque colorum locis humana corpora variantem atque maculantem.] Hęreticos autem illos eſſe cenſebo, quod certè nomen piis ſemper fuit & erit exoſum, qui nempè Catholicam fidē iam antè perceptam ita deſerunt ſiue corrumpūt, vt nouam in fide opinionem amplectantur, & in errore ſuſcepto pertinaces reſiſtunt Eccleſiæ, quę Paulo teſte, domus Dei viui eſt, ſimulque columna & firmamentum veritatis. De quibus hęreticis (peſtilentiſsimis Eccleſiæ aduerſariis) Paulus dixit ſignificanter: *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita.* Vt autem rectius illi & agnoſcantur, & agniti deuitentur, etiam veteri lege ſancitum fuit, leproſos nō quorumlibet, ſed ſacerdotum iudicio ſubiacere: penes hos enim manere ius lepræ tum inſpiciendæ, tum dignoſcendæ, ſicut in Leuitico legimus. Quo minus nos mirari conuenit, quòd Chriſtus non alios ægrotos, ſed duntaxat leproſos, qui hæreticorum figuram ſuſtinēt, iudicandos mittat ac permittat ſacerdotibus, quemadmodum & Auguſtinus annotauit. Omittimus veteris Eccleſiæ canones, quibus definitum eſt, crimen hæreſis merè Eccleſiaſticum eſſe, de quo nullus niſi iudex Eccleſiaſticus debeat pronūciare, ſicut in Eccleſia perpetuò fuit obſeruatum. Plura de hæreticis alibi diximus, nec decet nos modò longius agere.

1.Tim.3. Tit.3. Leuitic.13. Ibidem. Lib. 2. Quæſtioni. Euangelic. cap. 40.

Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.

NIHIL ſanè dubitabo, legis veteris ſacerdotium, noſtri à Chriſto inſtituti ſacerdotij velut typum extitiſſe: *omnia enim Iudæis in figura contingebant.* Eodemque modo cenſebo, corporalis lepræ mundationem, de qua Moſaici ſacerdotes olim, vti diximus, iudicare debebāt, præſignificaſſe & adumbraſſe, quam Chriſtiani expurgationem & peccatorum remiſsionem per Chriſtum accepturi eſſent iudicio & miniſterio ſacerdotum Euangelicorum. Quod myſterium vt Chriſtus innuat ac quaſi præludat, hoc loco decem leproſos, &

1.Cor.10. Exod.14.

alibi vnum lepra plenum curare non vult, niſi monitos vt ad ſacerdotes illi ſe conferant. *Ite* inquit, *oſtendite vos ſacerdotibus*, ac rurſus vni eorum iniungit: *Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes.* Ingẽtes igitur Sacerdotum principi Chriſto gratias agam, qui ſacerdotum ordinem in veteri & noua lege inſtituit, magniſque priuilegiis ad ſingularem Eccleſiæ vtilitatem cohoneſtauit. *Omnis enim Pontifex* (idem verò de ſacerdotibus eſt iudiciũ) *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, Apoſtolo teſte. Vbi peculiariter illam Chriſti gratiam prædicabo & amabo, qua factum eſt, vt ſacerdotibus Euangelicis propria eximiáque poteſtas conſtaret, quæ in veteri lege nunquàm fuit, ad remiſsionem peccatorum tradita. Vt hinc etiam Chryſoſtomus dixerit: Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat. At verò noſtris ſacerdotibus non corporis leprã, verùm animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.] Nec obſcura ſunt verba Domini, quibus poſt factam inſufflationem diſcipulis perſpicuè dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, retenta ſunt.* Et æquè luculenter apud Matthæum Apoſtolis loquitur: *Amen, amen dico vobis, quæcunq́. alligaueritis ſuper terram, erunt & alligata in cælo: & quæcunq́. ſolueritis ſuper terram, erunt & ſoluta in cælo.* Rectè igitur ſcripſit Ambroſius, quod Chriſtus cõceſsit Apoſtolis, id ab his ad ſacerdotes eſſe translatum, vt peccata dimittant.] Deinde cum piis omnibus gratulabor Eccleſię Chriſtianæ, cui Chriſtus tam ſapienter quàm clementer vſque conſeruauit delectos è ſacerdotibus verbi ſui præcones, ouium ſuarum paſtores, animarum medicos & iudices, Sacramentorum diſpenſatores, & primarios quidem Dei miniſtros, legatos atque vicarios, quibus commiſſum eſt miniſterium reconciliationis, vti Paulus appellat, nimirùm vt quosuis peccatorum vinculis conſtrictos Chriſti loco abſoluant, & cum Deo ſimul & Eccleſia reconci-

concilient, clauesq́ue habeant tam efficaces. Eo magis ego ſacerdotum ordinem tam vtiliter quàm neceſſariò inſtitutũ honorabo, quos & Chriſtus ipſe tanti fecit, vt ad illos miſerit leproſos, vtq́ue per illos ipſos diuina munera quotidie offerat atque diſpenſet ſummo cum fructu fidelium. Quis enim non magni faciat iſthæc Chriſti de ſacerdotibus teſtimonia? *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Vnde Paulus etiam non ſuo tantùm, ſed & ſacerdotum nomine teſtari non dubitat: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Ad hos ipſos ſacerdotes Euangelicos refert Clemens illam ſententiam: *Diis tuis non maledices.* Sicut & illam: *Dij eſtis, & filij Altiſsimi omnes.* Vocat eoſdem Patres ſpirituales, quos non minus quàm alios ſecundùm carnẽ parentes honore & charitate pſequi debeamus.

Ioann.20.
Luc.10.
2.Cor.5.
Lib.2.de Apostolicis cõſtitut.cap.33.
Exod.22.
Pſalm.81.

Dolebo igitur infœlicem illorum ſortem, qui diuinum hunc ordinem ſtudioſè perturbant, & excellentem poteſtatem ſacerdotibus communicatam, Eccleſięq́ue neceſſariam impiè contemnunt, & vbi poſſunt abrogant, vulgóque magis ac magis indies contemptibilem reddunt. Proinde cum Chryſoſtomo liberè confitebor: Qui ſacerdotes deſpiciunt contemnuntq́ue, multò ſceleratiores ac maiori ſupplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan vnà cũ ſuis omnibus.] Qui præterea orbi teſtatũ faciunt, ſe longè teterrimo lepræ morbo corruptos, & ab omnibus maximè vitandos eſſe, quãdiu ſacerdotum iudicium ſeditioſè ſubterfugiunt, ac debitum illis obedientiæ reuerentiæq́ue munus non offerunt, ſed per ſummam iniuriam ſubtrahũt atq́ue tollunt. Etenim niſi his ipſis, tanquàm Chriſti Vicariis & Eccleſiæ præpoſitis, ſeſe ſubiiciant, curandosq́ue permittant, peſtilentis lepræ ſuę ſordibus nequeunt liberari, ſed peccatorum vinculis adſtricti, Satanæq́ue traditi manent, à luce veræ fidei, & ſalutari Spiritus gratia ſemper alieni. Benedicam autem Dominum, & ſanctum eius nomen celebrabo, qui contra huiuſmodi le-

Lib.3.de ſacerdotio.
Num.16.

proſos,& grauiſsimas Eccleſiæ peſtes(hæreticos loquor) fir-mas & inuictas domus ſuæ columnas, à quibus Catholici nunquàm diuellantur,conſtituit, qui præterea certos paſtores,doctores,iudices ac cenſores ętatibus Eccleſiæ omnibus ſuppeditat ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, ſicut à Paulo traditur.Horum eſt populo Chriſtiano,in his quæ ad Deum ſunt, præeſſe, maximè ad iudicandum & diſcernendum inter lepram & lepram, inter veram falſamque doctrinam Religionis: illudque perficere,vt ſanæ oues Chriſti à ſcabioſis & infectis dignoſcantur, & illæ quidem in ouili Dominico conſeruentur,& ſyncero paſcantur pabulo; hæ autem ouili ſuo, à quo aberrârunt, reſtituantur, aut ſi ad ſuos redire paſtores nolint, velut incurabiles & noxiæ pecudes paſtorali baculo abigantur & excludantur. Nam in veteri quoq; lege hoc dabat remedium Deus,vt ſi qua de fide quæſtio vel controuerſia incidiſſet,(quod inter multos diſputantes fieri crebrò neceſſe eſt) ſacerdotes Leuitici generis conſulerentur, ac alij omnes illorum ſtarent iudicio, qui tanquàm ordinarij doctores & iudices,cathedram tenerent Moyſi,& ex eadem cathedra de religione, rebusque ſpiritalibus pronunciarent. Horum authoritatem non reiecit,ſed confirmauit Chriſtus, tantique fecit, vt ſuis diſcipulis apertè mandârit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergò quæcunq; dixerint vobis,ſeruate & facite.* Quanto magis autem id fieri neceſſe eſt in Eccleſia Chriſtiana,innumeros populos & gentes omnes comprehendente, & quæ conſtantem fidei confeſſionem, & in doctrina cōſenſionem ſine ſpiritualibus magiſtratibus tueri minimè poſſet? Hos magiſtratus Paulus Epiſcopos à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam inſtitutos, Iuſtinus Præpoſitos,Tertullianus Seniores,Græci vt Ignatius & Dionyſius,Presbyteros, Latini Sacerdotes vocant penes quos primaria quidem poteſtas ſemper fuit, reos qui ſeipſos accuſarent,abſoluendi, quin & rebelles & contumaces,grauiusq; peccantes excommunicandi. Hinc & illa ver-

at Tertulliani, qui Apoſtolicorum temporum fuit vi-
c veteris *E*ccleſię cenſura & diſciplina: Indicatur ma-
n pondere, vt apud certos de Dei conſpectu, ſum-
ae iudicij futuri præiudicium eſt, ſi quis ita delique-
communicatione orationis & conuentus, & omnis
ommercij relegetur.] *P*robat igitur *A*uguſtinus, Apo
n Eccleſia præcepiſſe quæ fierent, & corripuiſſe pec-
ſi illa non fierent, & præterea correptionem, quæ hæ-
aliiſque criminosè peccantibus neceſſariò adhibe-
ic *E*piſcopis & ſacerdotibus etiam dyſcolis conueni-
idem & *P*ropheta Moyſes, & Apoſtolus *P*aulus eiuſ-
i virga, ſeu corripiendi & coërcendi poteſtate ſeuerè
, quando ille inobedientes Iſraëlitas gladio vindica-
hic blaſphemos tradidit Satanæ in interitum carnis,
e ardenti zelo dixit: *Vtinam & abſcindantur qui vos*
ant. Tum ab eodem Auguſtino rectè traditur: Pa-
neceſſitas habet, nè per plures ſerpant dira contagia,
e ab ouibus ſanis morbidam.] Id quod ſignificantius
odo expreſſit Hieronymus: Vnius pecudis ſcabies to-
minaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim vt appa-
xtinguenda eſt, & fermentum à maſſæ vicinia ſemo-
n, ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à cau
m repellendum, nè tota domus, maſſa, corpus & pe-
deat, corrumpatur, putreſcat, intereant. *A*rius in Ale-
a vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, to-
bem eius flamma depopulata eſt.]

In Apolog. aduerſus gentes.

Lib. de correptione & gratia. cap. 3. & lib. de fide & operib. cap. 2

Num. 25. 1. Tim. 1. 1. Cor. 5. Galat 5.

Lib. de correptione & gratia. cap. 15.

In 5. cap ad Galatas.

n eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.

LDE charus mihi debet eſſe hic Samarites (ſic enim
liano appellatur) qui ſuos ſocios leproſos longo poſt
ruallo reliquit, & ſingularem Chriſti laudem meruit,
vtique commendabilior, quòd non Iſraëlita, ſed alie-
, immò & Samaritanus, hoc eſt, inter impios natus, e-

ducatus

ducatus ac inſtitutus, tam præclarè ſe geſſerit: Cùm enim animaduerteret, ſe in itinere ad ſacerdotes inſtituto conualuiſſe, vt à morbo tam fœdo & noxio immunis eſſet, non aliorum ſociorum ſpectat exemplum, qui beneficio perceptę ſanitatis contenti, de ſuis mox rebus curare, & Chriſti liberatoris obliuiſci cœperunt, vt lepræ curatio illos nihilo meliores, ſed potius ad liberius peccandum iam ſecuriores feciſſe videretur. Hic ſolus regreditur, iuſtum dignumque ratus, vt antequàm aliam vitæ rationem inſtituat, autori ſanitatis coràm agat gratias, nè illi videretur ingratus, qui ſolus ipſum & alios nouem collegas immerentes tanto munere cumulaſſet. Venit igitur ad Chriſtum properans, & ſublata voce in laudes apertas prorumpit, magnæque conceptæ lætitiæ & animi pergrati teſtimonium palàm edidit. Quo pacto autem? iniuſſus vltrò ſe proſternit, & ad Chriſti pedes prouolutus, in faciem concidit, ſuam in Chriſtum fidem, deuotionē reuerentiamque declarans, & procul dubio ſe totum illi offerens ac dedicans haud ſine fide, ſpe, charitate & humilitate ſingulari. Præclarum ſanè ac rarum exemplum, quo hic Samarites tum ſodales vt turpiter ingratos, tū Iſraëlitas alios, vtpote valdè irreligioſos tacitè coarguit, quādoquidem illi præſentem ſuum Meſsiam ex tot conſpectis miraculis & acceptis beneficiis non agnoſcerent, ac ſacrum eius prædicatū Euangelium ſtudiosè non complecterentur. Quarè ſubindicat vir æquè prudēs ac pius, quàm verè & iuſtè illi Prophetica, immò diuina ſententia corripiantur: *Filios* inquit, *enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Habeo & ego timendi cauſam, nè me Samarites hic coram Deo pudefaciat & accuſet, quandoquidem innumeris Chriſti Redemptoris muneribus, quæ iampridem percepi, malè reſpondeo, & pro iis gratitudinis & obſeruantiæ ſpecimen re ipſa non accuratè declaro. Vnum erat ſanitatis acceptæ, nec diu quidem duraturæ beneficium, cuius nomine tam multa ille ardenter ac

ſtudio-

ſtudioſè tentat ac efficit, vt hinc mirari omnes potuerint, & Chriſtus ipſe miratus eſſe videatur. Quāto autem nos debemus amplius huic ipſi communi Redemptori, cuius præcipua beneficia tunc latebant, nunc autem exhibita, totíque mundo patefacta, in templis etiam decantantur, & ſummam perpetuamque laudationem ab omnibus & ſingulis fidelibus poſtulant. Ille inſons pro ſontibus nobis mortem ſubiit atrociſſimam, vt lethaliter vulnerati, eius liuore ſanaremur. 1.Pet.2. Iſai.53.
Ille de morte, inferis, Sathana potenter triumphauit, ac nobis etiam de tantis hoſtibus triumphādi gratiam promeruit. Ille viam nobis in cœlum occluſam aperuit, & Sacramenta, vt animarum viuida pharmaca, ægris contulit, nec vnquàm deſinit Eccleſiam ſuam per Spiritum ſanctum gubernare, & ſingulis Eccleſiæ membris tantum donorum communicare, quantum ſi velint, ad benè beatèque viuendum cuiq; ſatis eſt. *Aſcendens* enim *in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus*, Apoſtolo teſte. Epheſ.4. De quibus donis clamans ipſe Dominus aiebat: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioann.7. Etenim ſicut per Zachariam Deus promiſerat: *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem* (hoc eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ filiis) *in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Zachar.13. Quid ergò mirū ab Apoſtolo præcipi, vt ſe fideles Deo Chriſtóq; gratos præbeant, quando ita ſcribit: *Gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo Patri.* Epheſ.3. Ac alibi rurſus hoc exigit: *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri IESV Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Coloſſ.3. Agamus ergo gratias, inquit rectè Bernardus, factori noſtro, benefactori noſtro, remuneratori noſtro, aut potius ſpei noſtræ. Ipſe enim retributor, ipſe retributio noſtra, nec aliud quàm ipſum expectamus ab ipſo. Serm 14. ſup Pſal. Qui habitat. & Sermon 51. ſuper Cantic. Tū iterum: Diſce in referendo gratiam non eſſe tardus aut ſegnis: diſce ad ſingula dona gratias agere. Iubemur enim colligere fragmēta, nè pereant, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci. Ioann. 6. Nunquid perit quod donatur ingrato? Ingratitudo

inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo eſt ventus vrens ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluēta gratię.)

Sed proh pudor, qualis mea fides, humilitas, reuerentia, oblatio, gratitudo, ſi cum hoc vno Samaritano, qui breui tempore tam multa didicit ac fecit, me ritè componam? Etenim neque corpore, nec animo, priuatim aut publicè me tã fidum & gratum Chriſti ſeruum cultoremque præbeo. Vtinam ſaltem feſtis diebus, & dum auguſto ſacrificio laudis ſiue Euchariſtico adeſſe debeo, hunc præclarum Samaritanũ ducem ſequar, ſimulque cum Propheta feruenti ſpiritu dicam: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota mea reddam coram omni populo eius.* Diſcam interim ab hoc Samarite, in proſperis perinde ac in aduerſis rebus Chriſtum honorare conſtanter, neq; tantummodò illum ſaluatorem agnoſcere, ſed etiam vti præceptorem audire, eiusque iuſſis obtemperare: quando cœleſtis Pater de illo vniuerſis mandauit: *Hunc audite.* Nec mihi ſat erit eiuſdem potentiæ & miſericordiæ fidere, parem enim fiduciam in decem illis leproſis luxiſſe cernimus, ſed & fidem cum gratitudine coniunctam, & piis operibus commendatam, vt gratiſsimum Chriſto munus, iuxta deſpecti Samaritani exemplum alacriter offeram & impendam. Adhæc ſicut Deo, vt bonorum omniũ autori, & Chriſto mundi Redemptori, ſic itidem Spiritui ſancto noſtro ſanctificatori, gratias agere non intermittam. Eſt & ille Samaritanus, qui me alibi docet miſericordiam proximo exhibendam: ſicut hic me nunc admonet, vt pro vno etiam beneficio accepto gratum declarem animum, neque ſolùm occultam, ſed & manifeſtam meæ tum fidei tum pietatis ſignificationem vltrò præſtem. Etenim *frigidis* ac timidis Nicodemitis, qui nè mundum offendant, clanculari tantùm Chriſti diſcipuli & cultores eſſe gaudent, me non aggregabo. *Dilexerunt* enim, vt Ioannes inquit, *gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*: ideòque humano pudore impediti,

pediti, crebro vel Chriſtum, vel Chriſtianos ritus publicè p-ſiteri verentur. Sed hi reipſa comperient tandem, quàm verè Chriſtus aſſeruerit: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Notabo inſuper mirum & metuendum Chriſti iudicium, qui ex leproſis decem, licet credentibus ac precantibus, vnum duntaxat ſibi gratum & laude dignum oſtendit. Ita etiam cùm videret multos munera ſua in templi gazophilacium certatim offerre, viduam pauperculam, quæ duo æra minuta dederat, vnicè commendat, eo ipſo ſubindicans, quod alibi ſæpè prodidit: *Multi vocati, pauci verò electi. Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi:* quoniam & filij regni, ad quos nouem leproſi vtiquè pertinebāt, eiiciuntur: & vnus ex lapidibus, nempè Samaritanus, in filium Abrahæ ſuſcipitur, Chriſtíque preconio publico decoratur. Vnde cum principe Apoſtolorū iure dixerimus: *Non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timent eum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Ac iterum: *Si iuſtus* inquit, *vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Verè dixit Hieronymus: Nunquàm tuta eſt humana fragilitas, & quanto virtutibus creſcimus, tanto magis timere debemus, nè de ſublimibus corruamus. Nō cœpiſſe, ſed perfeciſſe virtutis eſt. Cœpiſſe multorum eſt, ad culmen perueniſſe paucorum.]

Luc. 9. — Luc. 21. — Matt. 20. & 22. — Matt. 8. & 3. — Actor. 10. — 1. Pet. 4. — In 2. cap. Ioël & in 10. cap. Matt. & epiſtola 28. ad Lucinium.

PRECANDVS eſt mihi Deus pro miſeris leproſis, aliiſq; incurabili, contagioſa vel diuturna ægritudine conflictantibus, vt ſuam illi crucem acerbam ferant patienter, ſimulq; conſolationem diuinam præſenti fide animati, deſiderent & expectent, qui prætereà ſe totos cœleſti medico, ac totius hominis Saluatori Chriſto, tum æquo tum lubenti animo permittant.

PRECABOR & pro Catholicis omnibus, vt propter Chriſtum ſacerdotes Euangelicos, tanquàm ſpirituales parentes, & ſacerdotalem ordinem ſingulari honore & reuerentia proſequantur,

tur, neq; ob illorum vitia vnitatem diuidant, vel cathedræ ſanctitatem relinquant: hoc enim eſt, fidem in acceptione perſonarum habere, ſicut Iacobus prohibet.

ORABO *etiam pro conualeſcentibus ac ſanitati reſtitutis, nè idem illis quod cuidam paralytico, accidat, cui poſt curationem ingrato, dixit Chriſtus in templo* : Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, nè deterius aliquid tibi contingat. *Illud enim inprimis orandum & curandum eſt, vt ægri ſanitati reſtituti, inſtar Samaritani huius ac Ezechiæ Regis liberatori Deo ſe gratos & fidos declarent, ac fœdiſſimam ingratitudinis labem omninò deuitent, ideoq; accepto ſanitatis beneficio ad Dei gloriam, & animarum ſuarum ſalutem conuenienter vtantur.*

Et quia nulla eſt lepra nocentior magisq; abominabilis quàm hæreticorum, quæ ſemel admiſſa, integras domos, ciuitates & regiones deuaſtat, ipſumq; aërem vitiat, Chriſtum clementiſſimum inuocabo, vt hac peſtifera lepra paſſim infecti, ſuum peſtilentiſſimum morbum agnoſcant, ſeq; iudicandos & curandos exhibeant ſacerdotibus, vti ſpiritualibus medicis, per quos Deo & Eccleſiæ tandem reconcilientur. Immundi enim ab ingreſſu ſanctuarij excluduntur: & ſicut Auguſtinus oſtendit, hæreticus propter hoc ſolum, quod hæreticus eſt, regnum Dei non poſſidebit.

DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELIVM ſublimem philoſophiam, & Chriſtianorum propriam, mundique huius filiis alienā, Chri-

ſto au-

ſto autem doctore dignam inſtitutionem continet, in quam tamen non ſolùm Iudæi ac Ethnici, ſed Chriſtiani etiam grauiter ac frequenter impingunt. Auocantur hîc homines à ſtudio diuitiarum, ne illas ſupra modum exquirere, poſsidere & amare ſatagant: quin & omne auaritiæ vitium & rerum terrenarum cupiditas prohibetur, & quaſi funditus tollitur. Deinde improbatur vulgaris illa ſolicitudo in procurandis & conſectandis rebus, quæ ad neceſſarium hominis vſum, ſicut ad victum & veſtitũ, quotidie adhibetur. Præterea requiritur viua eximiaque fides erga certam æterni Patris noſtri prouidentiam exercenda: is quippe ad omnes & ſingulos mortales conſeruandos & corporaliter nutriendos continenter itẽdit. Adferuntur inſuper variæ rationes aduerſus rerum temporalium, quę tantoperè à mortalibus expetuntur ac deſiderantur ſolicitudinem: quæ nimirùm ſit per ſe vana, inutilis, ſuperuacanea & noxia hominibus Chriſtianis, qui Deum authorem ſuum, rerumque omnium certiſsimum moderatorem agnoſcunt atque profitentur. Exigit demùm hoc Euangelium, vt fideles neglectis terrenis, ad regnum Dei, eiuſque iuſtitiam comparandam inprimis ſeſe conuertant: nec enim ratione alia, præterquam per iuſtitiam, quæ in fide & obedientia Chriſtiana præſtanda conſiſtit, regnum Dei & fœlicitatem nobis obtingere. Rerum autem temporalium, quæ ad ventris & corporis curam faciunt ſolicitudo, ſicut diuino cultui, ad quem curandum homo eſt conditus, ita etiam cœleſti regno veræque iuſtitiæ comparandę, à qua hominis ſalus pendet, permagnum adfert impedimentum, ſæpèque fideles in fœdam ſeruitutem cõiicit. Scitè igitur Chryſoſtomus ratiocinatur: Quære tantùm futura: ſic etiam optimè præſentia conſequeris. Noli quærere quæ videntur, & ea abſque ambiguitate percipies.] Ac notatu ſanè digna eſt ſententia, quod regnum Dei & iuſtitiam eius quærentibus, cætera quæ ad corporis vitam bonaque temporalia nobis neceſſariò conferunt, non defutura, ſed vltrò adiicienda Chriſtus polliceatur. Pietas enim ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ,

Homel. 13. in Matth.

ſicut Paulus altruit. Neque tamen ita Chriſtus eſt intelligendus, vt omnem vitæ ſollicitudinem fidelibus adimat vel interdicat, quando & ipſe ſuum habuit diſpenſatorem; ſed loquitur de anxia illa, præpoſtera, intempeſtiua, ſuperuacanea & vulgari hominum ſollicitudine, ob quam rerum ſacrarum æternæque ſalutis curam negligunt, ac prorſus abiiciunt. Expectatio enim ſollicitorum peribit. Eſt alia ſollicitudo laudabilis, minimèque prætermittenda, quæ magiſtratibus, parentibus, & aliorum domeſticam curam gerentibus congruit, nimirùm vt ſicut Paulus loquitur, ſolicitudine non pigri inueniantur: Etenim ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.] Nec temerè nobis volucres vti magiſtræ proponuntur, à quibus vtique diſcimus laborare, vt victum neceſſarium nobis comparemus, ſed ſine ſollicitudine, quam eædem volucres Creatori ſuo relinquunt, & contentæ in diem viuere, ſuum in laborando officium abſque peccati labe alacriter ac fideliter exequuntur. Homo enim, vti ſcriptũ eſt, naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. VI.

DIXIT IESVS *diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Ideò dico vobis: nè ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neq; corpori veſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum? Reſpicite*

volati-

*ia cæli, quoniam non ſerunt neq; metunt, neq; congre-
horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne
gis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrûm cogitans po-
icere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Et de veſti-
quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo cre-
non laborant neq; nent. Dico autem vobis, quoniam
lomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex
Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in cliba-
nittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos minimæ fi-
Nolite ergò ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus
uid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gen-
quirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus in-
. Quærite ergò primùm regnum Dei & iuſtitiam e-
hæc omnia adiicientur vobis.*

IOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.

MEIPSVM reprehendam, qui cor in multa & diuer ſa diſtractum, tam rarò & ægrè colligo, vt ad me redeam, ſummumque Deum legitimè colam: nec ſa- oſeruo, quibus affectionum ventis & turbinibus ſubin- giter, & ad operãdum impellar, vt idcircò cum aliis mei ibus à Chriſto iure audiam: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*: vt- de me itidem dici poſsit: *Stultus ſicut luna mutatur*. Quæ tis inſtabilitas atque diſtractio ex eo fonte manat, quod verum æternumque bonum ardenti amore non com- Luc. 9. Eccleſ. 27.

plectar, & vnicum vitæ meæ ſcopum Chriſtum mihi propoſitum non habeam. Etenim qui verè amat, præter vnum amare non poteſt, ſicut Ethnici etiam philoſophi tradiderũt. Nouit hoc etiam humanæ naturæ calliditſſimus explorator, & coniuratus fidelium hoſtis Satan, ideòque indefeſsè procurat, vt à vero & ſalutari nos amore, quo cũ Deo ipſo perſanctè coniungimur, abſtrahat, & pro illo alium peregrinum & adulterinum amorem noſtris inſerat animis, multas idcircò curas & ſolicitudines earum rerum iniiciens ac fouẽs, ad quas nos propenſiores eſſe facilè animaduertit. *Vbi autem eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* ex Chriſti ſentẽtia, quandoquidem vbi amoris noſtri theſaurus exiſtit, ibi tota cordis noſtri cogitatio eſſe conſueuit. Placeant ergò ſibi, quantum velint, filij ſeculi huius, veluti prudentes & catti, quòd nôrint, vt ipſi putant, Deo & Satanę, ac perinde ſpiritui & carni, amori cœleſti & terreno ſimul inſeruire & ſatisfacere. Ego huic tentationi Satanæ, qua falluntur ac perduntur plurimi, pro virili reſiſtam, & Chriſti dictum vt firmam amplectar regulam: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*, præſertim cùm inter ſe diſcordes heri à ſuis miniſtris contraria ſtudia vel officia exigunt. Proinde cùm ſciam, me ad Dei ſeruitutem & amorem natum ac renatum eſſe, & hominis animum, re nulla, niſi ſummo bono exſaturari, vnumque neceſſarium eſſe, non patiar me à ſtudio diuini amoris rerumque cœleſtium ad res terrenas vanasque curas, & cùm ad alia vitia, tum ad fœdam auaritiam pertrahi. Scio enim Pauli ſentẽtiam: *Quæ conuentio Chriſti ad Belial? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate?* Et à Tertulliano dictum eſt: Non conuenit ſacramento diuino & humano, ſigno Chriſti & ſigno diaboli, caſtris lucis, & caſtris tenebrarum] Ego verò ſacrum fœdus cũ Chriſto iampridem iniui, cùm baptizandus maledicto Satanæ prorſus renunciaui, meque diuino miniſterio ita conſecraui, vt inuiolabilem & perpetuam Deo meo ſeruitutem debeã. Qui antea ſeruus eram peccati, & filius diaboli, ſeruus iuſtitiæ & Chriſti principis factus ſum, in hoc quidem ab illo redemptus,

demptus, vt mundo, carni, Satanæ & peccatis omnibus mortuus, iuſtitiæ viuam. Vnde fidenter cum Propheta dicam: *O Domine quia ego ſeruus tuus ſum, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea.* Vtinam verò me Chriſti ſeruum eſſe tam iuſtè prædicem, quàm verè Paulus inde ſæpius gloriatur, ſeruum inquam, ob creationem, fidem, obedientiam, & propter alia eximia Dei munera, quæ fideli ſeruo Chriſti congruunt. Et caro quidem largitur ſuis ſeruitoribus momentaneam voluptatem, mundus tranſitoriam ſublimitatem, diabolus perpetuam captiuitatem, Deus autem interminabilem fœlicitatem, vt Bernardi verbis vtamur. Cæterùm truculentus & implacabilis ille hoſtis, qui renatis in Chriſto maximè inſidiatur, ad pecuniæ amorem & opum ſtudium eos vſque ſollicitat, cùm optimè ſciat veram eſſe ſententiam: *Pecuniæ obediunt omnia*, & cupiditatem iniquitatis omnis eſſe radicem, amoremque diuitiarum inſatiabilem, & morbum in plurimis mortalibus immedicabilem, ac virtutes omnes eneruantem. Eapropter tanto ſtudioſius huic hoſti blando & fallaci reſiſtam, vt Māmonæ non ſeruiam & acquieſcam, cui ſanè ſeruiunt, qui tēporalia bona in hoc mundo immodicè appetunt, & cupidè conſectantur, deque illis die ac nocte cogitant, ſibi ac aliis moleſti, ſuperbiæ dediti, in acquirendo anxij, in poſſidendo timidi, in amittendo indignabundi. Quid verò filiis Dei turpius & nocentius eſſe poteſt, præterquàm quòd res caducas, breuique perituras, immò & malorum omnium irritamenta tantoperè diligant, ſeq; ipſos ex liberis faciant pecuniæ mancipia, vt peſſimè ſeruitutis ac tyrannidis iugo ſubiiciantur, illo interim neglecto, cui ante omnia ſe totos multis nominibus debēt, cuius etiam cultui gloriæque cuncta poſtponenda ſunt? Ego verò auaritiæ peccatum, quod vulgo alioquin excuſabile, leue & familiare videri ſolet, tanto grauius, peſtilentius ac deteſtabilius reputabo, quantò illud ſacris in literis ſæpius vehementiusq; damnatur. Sic enim in illis legimus: *Nihil iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalē habet.*

Pſalm. 115.
Rom. 1.
1 Cor. 1.
Galat. 1.
Serm. 3. de Epiphania.
Eccleſ. 10.
1. Tim. 6.
Ibidem.

Paulus hanc auaritiam, ſiue vt Græcè ſcripſit, φιλαργυρίαν, malorum omnium radicem, & idolorum cultum ſiue ſeruitutem appellat, quoniam illa ex fidelibus etiam idololatras, & ex Apoſtolo proditorem nefarium facit. Quoties verò Chriſtus Phariſæorum perſtringit auaritiam? ſic Luca teſtante: *Audiebant omnia hæc Phariſæi, qui erant auari: & deridebant illũ:* nec multo poſt ſubiicitur hiſtoria de diuite epulone, quę magnam vim habet ad caſtigandos auaros, vtpote Lazari, id eſt, pauperum aduerſarios capitales. Chryſoſtomus ex Euangelicis verbis ritè colligit, omnia bona mundi triplici interitu corrũpi, quòd aut ex ſeipſis veteraſcant, aut luxu dominorũ ſuorum abſumantur, aut ab extraneis dolo, violentia vel calumnia diripiantur. Quid verò Chriſti paupertas in Euangelio ſæpè repetita? an non illa potens eſt pharmacum ad auaritiæ morbum profligandum? Pauperem ille matrem elegit, pauperem nutritium habuit, neque ſolùm in vita, ſed etiam in ortu ipſo & exitu mirum in modum fuit egenus, nec alios quàm pauperes aſſumpſit diſcipulos, ac pauperibus potiſſimùm euangelizauit. Iam ſiue vitam, ſiue doctrinam eius *Eu*angelicam ſpectes, an non ad mundi opumque cõtemptum cuncta ſic referuntur, vt teterrimum auaritiæ crimen & clarius agnoſcatur, & firmius diſſuadeatur, funditusque tollatur? [a] *Videte* inquit, *& cauete ab omni auaritia.* [b] *Nolite theſaurizare vobis theſauros ſuper terram.* [c] *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam.* [d] *Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt? Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Et cùm Dominus impedimenta proponit, ob quæ auditores Euangelij deſideratũ eius fructum nõ referunt, agro ſpinoſo illos confert, qui poſt bonum ſemen exceptum, à ſolicitudinibus & diuitiis ſuffocantur, & fructum æternæ ſalutis extinguunt. Nec ſatis eſt *A*poſtolo, crimen hoc, vti diximus, perſtringere atque damnare, ſed etiam quod eſt auditu terrificum, dicere non veretur: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ*

mer-

nt homines in interitum & perditionem. Radix enim om- nalorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauefide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem ô homo ec fuge. Quo minus ego mirabor, primos Chriſtianos ni auaritiæ & ſpecie lucri tam alienos fuiſſe, vt cũ pau- s Apoſtolis ſpontaneam delegerint paupertatem ex- dam, ſuisque facultatibus, licet amplis, renunciârint, & na quæ legitimè poſſidebant vendiderint, eorumque ad pedes attulerint Apoſtolorum. Nec quiſquam eo- uæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant il- nia communia, ſicut Lucas euidenter exponit. Hi vni- ſuis rebus poſſeſsionibusque diſtractis (Leonis Magni vtor) per deuotiſsimam paupertatem bonis ditaban- ernis, & ex Apoſtolica prædicatione gaudebant nihil e de mundo, & omnia poſsidere cum Chriſto.] Actor.2.& 4. Serm.de feſto omnium Sanctorum. 2.Cor.6.,

eò dico vobis, nè ſolliciti ſitis animæ veſtræ, neq; corpori veſtro quid induamini.

S T V M in me dolorem excitabit quod intelligam, pau n aures arrectas ad rectè percipiendum, quod Spiritus s ad ſtultos mũdi amatores per Prophetam exclamat: *ominis vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, eritis mendacium?* Vani ſunt profectò & neutiquã veri tes, qui ad ſumma æternáque bona deſtinati, compa- s & augendis terrenis inhiant opibus, quas ærugo & ti- emolitur, fures effodiunt, raptores diripiunt, nec mi- qua & ignis abſumunt, quas præterea nullus ex hac vita oteſt auferre, ſed hîc quiuis relinquere cogitur. Neq; n breuis & incerta, ſed etiam cum ingenti animæ peri- coniuncta bonorum iſtorum eſt poſſeſsio. Sic enim le- s: *Multos perdidit aurum & argentum: Inſatiabilis ocu- oidi. Qui aurum diligit, non iuſtificabitur.* Hinc grauis & idanda extat illa Chriſti interminatio: *Væ vobis diuitiſ ui habetis conſolationem veſtram. Quàm difficile qui pecu-* Pſalm.4. Matth.6. Eccleſ.8.14. & 31. Luc.6. Marc.10.

nias

nias habent, in regnum Dei introibunt? Quam difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire? Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Tum haud ſuauiter Iacobus Apoſtolus pronunciat: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes ſuper miſeriis veſtris quæ aduenient vobis.* Eſt enim opum iſtarum fructus tam incertus, & exitus adeò infœlix, vt Propheta diſertè teſtetur: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum ſuarũ in manibus ſuis.* Ac rurſus: *Relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.* Poſtremò quid ob-
2. ſecro ſunt diuitiæ, niſi vt è Scriptura diſcimus, Mammona iniquitatis, bona fallacia, fures humani cordis, laquei diaboli, meræque ſpinæ Verbum Dei ſuffocantes, & conſcientias fidelium dilacerantes? Verè dixit Gregorius: Si ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum tranquillumque eſſe nullatenus poteſt: quia aut non habita concupiſcit vt habeat, aut adepta metuit nè amittat: & dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa: hûc illûcque quaſi quibuſdã fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate verſatur.

Quapropter obſequẽtem ego me Chriſto diſcipulũ præbiturus, præclarum illius verbum & exemplum tanti faciam, vt & apertum & occultum auaritiæ crimen fugiam ac deteſter. Hoc enim Ethnici quoque ſcriptores reprehendunt, ac morbum vocant, qui permanet in venis, & inhæret in viſceribus, nec inueteratus euelli poteſt. quo vitio nihil ſit tetrius, præſertim in his qui gubernant Rempub. & per illud mortales ad maleficium impelli maximè, cõfitentur. Deinde à vulgari hominum ſollicitudine, quæ habendi cupiditate non tã ducitur quàm rapitur, mihi valdè cauebo, neque ſinam, vt ſub honeſtatis prætextu luxum nutriam, & in victu ac veſtitu appetam admittamque ſuperuacanea, nè dum neceſſitatis ſpeciem ſimulo, & voluptatem reipſa conſector, meipſum miſerè fallam. Meminerò ſanè, cur Chriſtus ipſe, vt intra terminos frugalitatis nos contineret, petere iuſſerit nõ aurum

& ar-

& argentum, non amplos prouentus, non agrorum & domorum abundantiam, non exquiſitam ciborum ac veſtium, carniumqúe & piſcium copiam, ſed panem quotidianum, id eſt, victus neceſſaria, quæ in diem ſufficiant ad corporeæ vitæ ſuſtentationē. Ita enim nobis ademit & radicitus quaſi præſcidit immodicam & anxiam, quæ incredulos, Deoqúe diffidentes filios mundi perpetuò vexat, habēdi ſollicitudinem, ac inſanam cupiditatem. His enim qui panem non ad neceſsitatem, ſed ad luxuriam vel auaritiam petunt, Deus grauiter ſic interminatur: *Væ qui coniungitis domum ad domū, & agrum agro copulatis vſq; ad terminum loci: nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Ac iterum apud Micheam ſic loquitur: *Ego cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis. Tu comedes, & non ſaturaberis: tu ſeminabis & non metes: & tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & muſtum, & non bibes vinū.* Et rurſus per Amos Prophetam. *Percuſſi* inquit, *vos in vento vrente, & in ærugine multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum olíueta veſtra, & vineta veſtra comedit æruca: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.* Proinde cùm euidens Chriſti promiſsio me inani ſolicitudine liberet, cur illi ipſi non confidam, quem vitæ meæ authorem, tutorem, cuſtodem ac vindicem habeo vt opulentiſsimum, ita & fideliſsimum, cuius nutu diſtribuuntur, aluntur & conſeruantur omnia, & qui ſolus efficere vult, vt & cibus corpori proſit, & corpus animæ ſeruiat? In huius prouidentia, quæ falli nō poteſt, ſecurè acquieſcam: huius me ſapientia conſolabor, quæ à fine vſqúe ad finem fortiter attingit & diſponit omnia ſuauiter: ex huius pēdebo liberalitate, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, & cunctis ſiue rationalibus, ſiue brutis animantibus eſcam vltrò tribuit in tempore opportuno. Is eſt qui omnia in menſura, numero & pōdere diſponit, cui & cura eſt de omnibus. *Nónne* inquit, *duo paſſeres aſſe veneunt: & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem & capilli omnes numerati ſunt. Nolite ergò timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Si neq; quod

Iſai. 5.
Mich. 6.
Amos 4.
Sap. 8.
Pſalm 103. & 144.
Sap. 11. & 12.
Matth. 10.
Luc. 12.

minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſollicitı eſtis? Noli timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.

Illos autē inprimis deplorabo, qui immodico & inexplebili habendi appetitu impediti, nè dicam obcæcati, ob rei familiaris anguſtiam, & prę timore paupertatis nocte ac die ſeſe diſcruciant, nōnunquam etiam ad laqueum procurrunt, vel certè tam anxiè ſoliciti ſunt de craſtino, vt ab iniuria, fraude, furto, vſura, malisquè artibus ſe non abſtineant, ſed clam palamquè proximum defraudare audeant. Igitur vt Mammonæ obſequantur, neq́ue Deum verentur, neq́ue conſciētiam, neq́ue honorem & famam reſpiciunt, quin leges etiam

1.Theſſ 4. publicas violant, & Apoſtolicæ ſententiæ obliuiſcuntur, qua ſcriptum eſt: *Ne quis ſupergrediatur, neq́ circumueniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.*

1 Cor 6. *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* Immò & *regnum a gente in*

Eccleſ.10. *gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias & contumelias, & diuerſos dolos,* vt Sapiens affirmat. Peiores adhûc, magisq́ue mihi deplorandi ſunt, quorum ingens eſt vbiq; copia, ventris viniq; & voluptatis amatores magis quàm Chriſti diſcipuli, quandoquidem Deum nos ac noſtra curare nō credunt, nullam aliam vitam meliorem expectant, non pœnas æternas metuunt, nec diuina in cœlo præmia deſiderāt, aut certè de conditione hominum poſt mortem futura dubitant vehementer. Interim abſq́ue timore peccant, delicijs

2.Pet.2. ac diuitiis incubant, nec aliter quàm ſicut ſues, volutabro cœni, ita terrenis ac ſordidis rebus negotiisq́ue nobiles immergūt animos, & quidem ſe demùm Epicuræos ac Atheos eſſe, non profeſſione diſciplinæ, at moribus tamen vitæq́ue nequitia plus ſatis oſtendunt. Spreta enim Dei ſeruitute, cui

Hier.17. ſe totos debebant, terrena duntaxat ſapiunt, carnemq́ue ponunt brachium ſuum, & non in Deo Deiq́ue prouidentia,

1.Tim.6. ſed in incerto diuitiarum, vt Paulus inquit, ſpem ſuam collocant, illis Iudæis non diſſimiles, quibus iratus Deus ita cō

Iſai.31. minatur: *Væ qui deſcendunt in AEgyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multæ*

ſunt,

ſunt, & ſuper equitibus quia praualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſraël, & Dominum non requiſierunt. In horum etiam perſona dixit Malachias Propheta: *Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius?* Malach.3.
Quid autem contra hos Hieremias? *Maledictus* inquit, *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Neque ſolùm iſti à Dei Eccleſiæque Hierem.17.
præceptis declinant, quos Propheta idcircò maledictos appellat, ſed etiam frequenter abſque timore mala perpetrant, Pſalm.118.
tam impudentes, vt ſuorum etiam ſcelerum iniquitatem ſibi audeant polliceri. *Sunt enim impij,* vt Eccleſiaſtes affirmat, Eccleſ.8.
qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant: ex quibus quidem vnus dicere non veretur: *Peccaui, & quid mihi accidit triſte?* Eccleſ.5.
Sed ô me ſtultum ac infœlicem, ſi vētrem, importunum ſanè & inſaturabilem exactorem, audiam, & ſuauiſſimum æterni Dei verbum non audiam, quod alioqui me omni ſolicitudine liberat, ſolidumque & iuge cordis gaudium pollicetur in Spiritu ſancto. *Iacta* inquit, *curam tuam ſuper Dominum, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe te enutriet.* Pſalm.54. & 36.
Cū quibus nota illa Petri ſententia congruit: *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura de vobis.* 1.Pet.5.
Tantundem Doctor gentium à fidelibus exigit: *Volo* inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe. Sint mores ſine auaritia: contenti præſentibus. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* 1.Cor.7. Hebr.13. 1.Tim.6.
Quapropter ego firma in Deum Deique prouidentiam fide ſubnixus, cōmunes & mordaces diuitum curas, & quotidianas auarorum ſolicitudines miſſas faciam, & cum Propheta fidenter dicam: *Non eſt inopia timentibus Deum: Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Dominus paſcit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Pſalm.33. Pſalm 23. Pſalm.117.
Quod ſi cum Paulo de fame & ſiti, de pauper- 1.Cor.4.

tate & penuria gloriari non poſſim, eò ſaltem adſpirabo, vt cum eodem Apoſtolo me in omni victus & veſtitus parcitate atque tenuitate conſoler, cordéque non ficto pronuntiem: *Hæc patior, ſed non confundor. Scio cui credidi. Scio & humiliari, ſcio & abundare, ſatiari & eſurire, penuriam pati & abundare. Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

im. 1. lipp. 4.

Quærite ergò primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

NOTABO mirabilem, profuſam & perpetuam ſummi Dei liberalitatem, qui ſuis fidelibus primùm ſpiritualia & cœleſtia, quæ nomine regni Dei continentur, ac verè hominem beant: deinde temporalia quoque bona promittit ac præſtat, ſiquidem eorum ſaluti, vt in vita cōſeruentur, expediat. Eius rei nobis exemplum Apoſtoli præbent, non diuites illi quidem, ſed vt tolerabilem vtcunque, & facilè paupertatem experirentur, ac de neceſſario victu queri minimè poſſent. Quarè Chriſtus in poſtrema cœna illos alloquēs dixit: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et confeſſi ſunt ſtatim omnes, nihil vnquàm ſibi defuiſſe. Rurſus hîc bonitatem Dei ex eo colligam, & perpendam, quòd externa hæc bona piis etiam non petentibus vltrò ſuppetant, nonnunquàm & affluant, ſicut ſanctis Patriarchis Abrahæ, Iſaac, Iacob, ac deinde Iob, Dauid, Ezechieli, aliiſque multis in hoc mundo valdè florentibus contigit, quia ſpiritualibus & temporalibus opibus hîc ſimul cumulabantur. Certè Iob, vt reliquos prætercam, tantis opibus abundauit, vt eius poſſeſſio fuerit, ſicut Scriptura loquitur, ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quóque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis. Nec dubium, quin diuitiarum donum, non à fortuna, quam velut Deam impiè colunt ethnici, proficiſcatur, ſed à ſummo Deo bonorum omnium authore, iuſtis ſimul & iniquis tribuatur. *Benedictio* enim *Domini*, vt Salomon teſtatur,

c. 22.

ob. 1.

Prou. 10.

diuit-

diuites facit. Tum æternæ Sapientiæ propria vox eſt: *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia.* Verùm dolebo paſſim in eo peccari à plurimis, quòd ordinē à Chriſto præſcriptum prorſus inuertant, & ſecūdaria primariis bonis exæquent, immò & anteponant. Promittit Chriſtus temporalia velut adminicula his, qui Dei regnum & iuſtitiam eius, vt præcipua munera, primùm expetunt & inquirunt. Nunc ita libet viuere, vt bona hominum pars terram & terrena bona inprimis quærat, & meliora interim prorſus negligat repudietq́ue. Vnde iuſto Dei iudicio fieri porrò cernimus, vt iidem bona caduca quàmlibet chara & exquiſita, vel minimè aſſequantur, vel frequentes in illis calamitates, cœlique aut terræ iniurias experiantur, & magnos illorum ſumptus, labores ac ſudores nulla Dei benedictio conſequatur. Ita demùm illi reipſa comperiunt, quàm verè ſcriptum ſit: *Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed quid incrementū dat Deus. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Nam & Iudæi ſuo nos docent exemplo, pecuniæ amorem ac ſtudium illis obfuiſſe potius quàm profuiſſe, & idcircò cùm ſpiritualia bona negligerent, temporalia etiam præſidia illis fuiſſe ſubſtracta, vt in anima, corpore & bonis verè miſeri ac maledicti eſſe cogerentur. Vt hinc Salomon dixiſſe videatur: *Eſt quaſi diues cùm nihil habeat: & eſt quaſi pauper quum in multis diuitiis ſit. A*c iterum: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Eóq; magis cauebo, temporalia æternis, & mundana ſpiritualibus præponere vel æquare, nè in hoc ſanctum Chriſti præceptum impingam, quemadmodum Iudæorum principes in ſanguinario concilio ſuo turpiter impegerunt. Etenim vt hi primo loco curarēt quæ ad externam ipſorum vtilitatem pacemq́ue publicam ſpectabant, illo ſe prætextu defendebant: *Venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem*, ſi nempè Chriſtum eiusque doctrinam amplectamur. Vt enim cum Auguſtino loquar, temporalia illi perdere timuerunt, & æternam vitam non cogitauerunt, & ſic vtrum-

Prouer. 8.

1. Cor. 3.

Pſalm. 126.

Prou. 13. & 11.

Ioann. 11.

Tractat. 49. in Ioann.

quę amiſerunt.] *Quid autem prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ſicut

Matt 16. Chriſtus ipſe teſtatur. Præterea hîc mihi admirandum putabo, è multis tam paucos exiſtere Chriſtianos, qui verè bona & ſpiritualia iuxta Chriſti mentem quærant & diligant: cum interim huius mundi bona, quæ ſine vllo præcepto, immò contra Dei verbum tanto ardore ab omnibus ferè appetuntur & amantur, tam ſint breuia, vt floribus mox marceſcentibus iure conferantur, tamque fragilia, vt inſtar vitrij poculi facilè frangantur, ſemperque nos fugiant, ipſa etiam vmbra corporis, & fumo & vento fugaciora. Contra verò ſpiritualia bona, quæ Chriſtus primùm quæri & apprehendi poſtulat, per ſe ſunt ſolida, durabilia, præſtantia, eaq; ſe ſponte nobis offerunt, nec fugiunt, ac beatam demùm adferunt immortalitatem, nullis animi ſenſibus ab vllo comprehendendã.

Pſalm. 39. Rectè igitur a Propheta decantatur: *Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates & inſanias*

Sap. 13. *falſas.* Nec minus verè dixit Sapieẽ: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, nõ potuerunt intelligere eum, qui eſt, neq; operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex.* Adhæc docet me Chriſtus hac ipſa ſententia, non ſatis eſſe, ſi ad regnum Dei adſpirem (quis enim ſapiens ex ægroto ſanus, & ex miſero beatus eſſe, & cũ beatis in cœlo gaudere, æternáque cum temporariis cõmutare non cupiat?) ſed cum hoc meo deſiderio ſtudium & cultum iuſtitiæ coniungere moneor iubeorque. *Quærite* inquit, *primùm regnum Dei & iuſtitiam eius.* Vbi nomine iuſtitiæ, ſtudia conatus & actus Euangelicæ iuſtitiæ, omniumque

a Geneſ. 6. b Luc. 1. c Matt. 1. d Luc. 2. virtutum comprehendi putabo, à quibus [a] Noe, [b] Zacharias, [c] Ioſeph, [d] Simeon iuſti fuerunt homines, & in Scriptura iuſtitiæ titulum promeruerunt. Etenim iuſtitia nõ ſingularis aliqua, ſed vniuerſa virtus hîc intelligenda eſt, quemadmodum & virum iuſtum vocamus eum, ſicut Chry-

In Pſalm. 4. ſoſtomus notat, qui omnem in ſe virtutem continet: eaque

Matth. 3. ratione Chriſtus Ioanni reſpondit: *Sic decet nos implere omnẽ*

iuſti-

iuſtitiam. Vnde Cyprianus etiam hoc perſpicuè dixit: Iuſtitia opus eſt, vt promereri quis poſsit Deum iudicem: præceptis eius & monitis obtemperandum eſt, vt accipiant merita noſtra mercedem.] Quam Christianam iuſtitiam ego præſtare non poſſum, niſi ſyncero mentis oculo prælucente: quum fruſtra precetur, ieiunet, & miſericordiam exerceat, quiſquis impuro intentionis oculo impeditus, ad humanam potius, quam ad Dei gloriam ſua refert benefacta. Quarè Chriſtus prudenter vtrunque docuit, tum vt rectè agendo nobis theſauros in cœlo recondamus, tum vt opera bona non ad fauorem & gratiam hominum, ſed ad cœleſtis Patris gloriam ſyncerè inſtituamus. Vt enim ſcriptum eſt, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq. ad perfectam diem. Via impiorum tenebroſa: neſciunt vbi corruant.* Vbi ego non ſine pudore ac mœrore cogitabo, me in triſti hoc exilio peregrinantem, & ab hoſtibus vndiqué circundatum, à promiſſo Dei regno, vltimo nempè fine hominis, tam procul abeſſe, & tanto quidem longius, quanto minus veram perfectamque iuſtitiam attingo exerceoqúe. Tota verò iuſtitiæ ratio eſt, ſi Auguſtino credimus, vt declinētur mala & fiant bona, quia non ſufficit, ſi à malis abſtineamus, ſed oportet etiam bonorum accedere actiones, Chryſoſtomo teſte. Atque vt maximè nulla veterum peccatorum conſcientia me premeret, putabo tamen bonam vitę meæ partem, velut inane ſomnium, iam euanuiſſe, quoniam toties in Chriſtiana iuſtitia colenda ceſſaui, & velut arborem ſine fructibus in Eccleſiæ horto, & palmitem infrugiferum verę viti Chriſto præbui. Illud vnum ſupereſſe ducam, vt in omnibus quæ poſthac cogitabo, loquar & inſtituam, inprimis Dei honorem & regnum ex animo ſpectem & quæram: deinde vt ſolicitè coner, quam Chriſtus cordis, oris & operis iuſtitiam docuit, eam orando petere, feruenter amare, & indeſeſsè colere, ſemperque in illa pro ratione vocationis meæ facere progreſſum, ac vnà cum Paulo meipſum extendere ad anteriora. Non enim temerè ſcriptum eſt: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſa-*

Lib. de vnitate Eccleſiæ.
Matt. 6. & 5.
Prou. 4.
In lib. ſentēt Proſperi.
Pſal. 33 & 36.
In pſalm. 4.
Matth. 7.
Ioann. 15.
Philipp. 3.
Matt. 5.

turabuntur. Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Benedictiones Dauid Legislator, ibunt de virtute in virtutem. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, vel, ſicut alij legunt, *iuſtitiam faciat: & ſanctus ſanctificetur adhuc. Niſi iuſtitia veſtra abundauerit plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Etſi verò quamdiu in hoc fragili corporis tabernaculo militamus, non eſt, nec eſſe poteſt homini tanta iuſtitia, quanta iuſto ſanctóq; ſemper Angelo competit, qui omni ex parte puram, firmam ac perfectā iuſtitiam retinet, in Dei gratia & gloria confirmatus: tamen noſtrum eſt, pro vitæ huius imbecillitate humilem rectamq; iuſtitiam Deo præſtare, illudqúe implere præceptum: *Sacrificate ſacrificium iuſtitia, & ſperate in Domino.* Ac humilē quidem iuſtitiam præſto, meipſum accuſans, & pro inutili DEI ſeruo reputans, ſicut Chriſtus docuit, licet præcepta omnia obſeruârim. Rectam verò iuſtitiā exhibeo, cùm in meo mortali corpore non regnat peccatum, & prauis concupiſcentiis non obedio, ita iuxta Chriſti ſpiritum ambulans, vt interior homo mihi de die in diem renouetur, quemadmodum Apoſtolus tradidit. Quæ ſpiritualis renouatio licet multarū virtutum requirat exercitia, & laborē in vinea Domini perpetuam exigat, peculiariter tamen pendet, vt Bernardus loquitur, ex rectitudine intentionis, puritate affectionis, & recordatione bonæ operationis, per quā homo benè ſibi conſcius, in amorem ſpiritus magis ac magis conualeſcit. Atqúe huc ſpectat Auguſtini ſententia, qui docet, quam iuſtitiam in hac vita iuſti obtinent, veram eſſe iuſtitiam, ſed minorem illa, quæ futuræ vitæ competit, & in Angelos cadit. Sed planè minor iſta iuſtitia, vt eiuſdem verbis vtar, facit meritum: maior illa facit præmium: vnde qui iſtam non ſequitur, illam nō aſſequetur.] Poſtremò, vt ego maiorem ex hoc præclaro Euangelio fructum capiam, fidele Chryſoſtomi conſilium libenter amplectar, aliisque commendabo. Illius verba ſic habent: Animus qui pecuniarum cupiditate non facilè ab his abſtinet, quæ Deum ad iram prouocant: vtpote qui alterius

ſeruus

ſeruus ſit Domini, omnia ipſi contra diuinas leges præcipientis. Sobrij igitur ſitis aliquando, & excitemini: & cui noſtrũ debeamus ſeruitium, intelligamus, eiusque duntaxat regnũ deſideremus, præterita defleamus tempora, quibus Mammonæ ſeruiuimus, cuius graui & intolerabili iugo abiecto, Chriſti iugum & leue & facile ſubeamus.] Nec multò poſt adiicit: Plurimi ex his qui apud inferos cruciantur, eò quòd pecuniis ſeruierunt, earumque cupiditate, indigentibus nihil erogârunt, pœnas luunt. Quod nè nobis accidat, diſpergamus, demus pauperibus, & nos his huius vitæ curis, ſollicitudinibus, & eo, quòd illic nobis impendet ſupplicio, animum liberemus, & pro terrenis pecuniis iuſtitiam cœlo recondamus. Perpetuos colligamus theſauros, qui vnà in cœlum nobiſcum euadere & proſilire, & nobis periclitantibus præſtò adeſſe & iudicem conciliare poſſint, quem ſi nobis propitium, vt optamus, & in hac vita & in die illa habuerimus, fidenter his bonis fruemur, quæ in cœlis diligentibus ſe præparauit.] Ita Chryſoſtomus.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro huius ſeculi filiis, nè ex illis tam multi ſerui ſint & maneant diuitiarum, auaritiæ nempè ſpiritu tantoperè occupati, vt ſolùm terrena curare, & ſpiritualia prorſus negligere, magisq́ Mammonæ & ventri, quàm Deo & pietati ſeruire, ac ſuam curare animam videantur. Illorum enim præceptorum obliuiſcuntur:* Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Videte & cauete ab omni auaritia. Pſalm. 61. Luc. 12.

DIVINAM *inſuper gratiam implorabo, per quam fiducia in me augeatur ad petenda & accipienda bona, quæ ad corpus vſumq́ vitæ neceſſarios pertinent: nihil vt ambigam de certa* DEI *erga me prouidentia, & paterna benignitate. Tantoq́ confidentius ab illo ſpiritualia inprimis, quæ tribus Dominicæ orationis partibus primis continentur, ac deinde panem quotidianum, id eſt, ad vitam hanc tuendam ſpectantia, quotidie petam, & de manu Domini cum fide expectabo.*

ORABO etiam, vt Eccleſiæ primitiuæ ſpiritus in multis reuiuiſcat, qui Apoſtolicis veſtigiis inhærentes, & retia ſua relinquentes, temporaria bona cum ſpiritualibus ſanctè commutent, quiq; regnum Dei, ac eius iuſtitiam purè in omnibus quærant, neceſſario quidem victu contenti, immò & cum Abraham Patriarcha parati, ſi ita ſit opus, ac DEVS *velit, ad bona temporaria vel relinquenda, vel contemnenda. Nam & Moyſes* magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro AEgyptiorum improperium Chriſti. Adſpiciebat enim in remunerationem, *Apoſtolo teſte.*

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

NAIM Galilææ ciuitas, ſed humilis & obſcura, nec procul à Capharnaum diſſita, præclaro Chriſti miraculo, prout hoc Euangelium docet, illuſtratur. Miraculi occaſionem præbet defunctus adoleſcens, & viduę matris vnicus filius ad ſepulchrum elatus, cùm eandem ciuitatem Dominus primùm ingrederetur. Vidit enim triſtem caſum, lugentem defuncti matrem, & funebrē quoque pompam procedentem, quòd multi ciuiū funus hoc & matrem lamentantem triſtes proſequerentur. Quarè pius Dominus continere ſe non potuit, quin matrem afflictam ſuis verbis conſolaretur, eique reipſa opitularetur. Itaque cùm loculum attigiſſet, in quo mortuus iacebat, adoleſcentem perinde vt viuum alloquitur, & velut dormientem illum a ſomno excitans, defunctum & vitæ

& ma-

& matri incolumem reſtituit. Huius miraculi magnitudo duplicem hominum turbam quæ aderat, valdè commouit, & timore ſimul ac ſtupore compleuit, omnibus non ſolùm inſignem Chriſti potentiam agnoſcentibus, ſed etiam Deum publicè glorificantibus, Chriſtumque vti Prophetam eximium celebrantibus. Tam præclarè ille meritus fuit de matre vidua, de filio eius mortuo, de Naimitis, aliiſque præſentibus, immò & de nobis omnibus, quibus hoc excellens miraculum meritò ſufficiat ad reddendam Chriſto gloriam, quòd præ aliis Adæ filiis vitæ mortiſque habeat imperium, ſeque ipſum potenter Deum eſſe declaret, cui ſoli proprium ſit vitam homini dare, & amiſſam reſtituere: vel, ſicuti Paulus inquit, viuificare mortuos, & ea quæ non ſunt, vocare tanquàm ea quæ ſunt. Rom. 4. Ego ait, occidam, & ego viuere faciam. Deut. 32. Quæ incomparabilis Chriſti virtus etiamnum operatur in his, qui ſeipſos per malitiam occidunt, vel in peccatis mortui iacent, nihilque Deo gratum & ſibi ſalutiferum efficere poſſunt. Stipendium enim peccati mors eſt. Roman. 5. Reſuſcitantur autem à Chriſto, cùm pro illis, vt gratiæ vitam recipiant, intercedit fida mater Eccleſia, piique illos precibus & lachrymis proſequuntur, maximè verò ſacerdotibus vice Chriſti cooperantibus, vt mortui à peccatorũ vinculis abſoluti, cum Lazaro defunɛ̃to reſurgant, & viua filiorum opera exerceant, Deo & matri obtéperantes. Ioan. 11.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ VII.

IBAT IESVS *in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaſſet portæ ciuitatis, ecce defunɛ̃us efferebatur, filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum*

illa. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit & tetigit loculum, (ibi autem qui portabant ſteterunt) & ait, Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere.

BREVE hoc Euangelium non pauca ſuggerit, quæ me ac pios omnes ad Chriſti laudem gloriamq́; celebrandam meritò extitent, maximè ſi Redemptorem illum ritè amamus & colimus. Eſt ille ſuauis miſeræ viduæ conſolator, eſt potens de mortui adoleſcentis reſuſcitator, eſt Propheta magnus olim à Moyſe ꝓmiſſus, & a Deo miſſus ad plebem ſuam viſitandam: eſt incomparabilis vitæ ac mortis Dominus, quem cuncti cum Naimitis toto terrarum orbe iure ſuſpiciant, reuereantur atq́ue collaudent publicè. Tanto iuſtius ego hunc meum Meſſiam in verbo & opere præpotentem agnoſcam, atq́ue illum vt montem ſublimem in vertice montium ſitum extollens, cum Iſ[illegible]ia dicam: *Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemi[illegible]s eius.* Ad illum ipſum ego quod Moyſes dixit, referam: *Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus meus, & exaltabo eum.* Quàm eximius ille conſolator exiſtit, quem ex itinere veniētem ingens

gens hominum turba comitatur, & Naimitæ nec rogatum, nec deſideratum excipiunt, ſibique tam propitium experiuntur? Sola ille miſericordia commotus accedit, ſeque ad lamentantem cõuertit viduam, quæ marito orbata, nè filium quidem vnicum & ſenectutis ſuæ baculum, totiusque familiæ columen, viuum poterat retinere, ſed extinctum, iamque recens elatum acerbè lugere cogebatur, multis haud dubiè complorantibus, ob mortem illam immaturam, & propter honeſtæ matronæ funeſtum acerbumque caſum. Sed multò magis dolet IESVS, plenus ſemper gratia & miſericordia, qui matrem mœſtiſſimam cõpellat, & ab amaris lachrymis iubet abſtinere. Ioann.1. Nec diſſimilis compaſſionis affectus eluxit in Domino, quum ob amicum Lazarum recens defunctum, in Bethaniam proficiſceretur, ſic inquiens: *Eamus in Iudæam iterum. Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitem eum.* Ioann.11. Diligebat enim Martham & Magdalenam, easque ſorores conſolari volebat mitiſſimus Dominus, ſicut & fratrem earum Lazarum tam charum habuit; vt eum quatriduanum à mortuis non ſine clamore & lachrymis reſuſcitârit. Talem enim decebat eſſe Meſſiam, qui iuxta Iſaiæ vaticinium, mederetur contritis corde, & prædicaret captiuis indulgentiam, omnesque lugentes conſolaretur. Iſai.61. Luc.4. Quarè cordis mei duritiem deplorabo, quòd non vnius viduæ tantùm, nec vnius defuncti iuuenis, ſed plurimorum etiam tum corpore tum animo laborantium indigentiam, angores, cruciatus, ipſumque interitum non intimè perſentiam, neq; patiar ſuper contritione Ioſeph. Amos 6. Eſt triſtitia ſancta & ſalutaris, per quam & Apoſtolus ſecundùm Deum aliorum nomine triſtabatur, inimicos quoque crucis Chriſti deplorans, 2.Cor.7. eaque ſolicitudinem, æmulationem ac vindictam in credentibus operatur. Philipp.3. Quæ triſtitia tantam in Iob vim habuit, vt bona conſcientia diceret: *Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Iob.30. Verum hac de re alibi plura expoſuimus. Poſthac ergò miſericordiæ viſcera induam, vt Paulus monuit, & mihi quoque à Sapiente dictum Coloſſ.3.

illud eſſe putabo: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Melius eſt enim ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurus ſit.* Fœlices illi demũ, quos ad dextrã collocatus extremus ille iudex perbenignè reſpiciet, atque ita conſolabitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Infirmus enim fui: & viſitaſtis me, in carcere eram: & veniſtis ad me.* His Tobias venit annumerandus, erga mortuos quidem adeò pius, vt illorum cauſa lugeret, aliosque ad luctum excitaret, ſed & defunctorum corpora ſingulari ſtudio ſepelire ſoleret, eóque nomine ab Angelo Raphaële commendaretur.

Peculiariter autem hic me locus admonet, Chriſtianas viduas honorare, & quacunque ratione poſſim, eaſdem multis ærumnis obnoxias, conſilio & præſidio ſubleuare. Quod enim à Paulo dictum eſt, *Viduas honora quæ veræ viduæ ſunt,* tantundem valet, ac ſi dicas, Commiſerere, & neceſſaria illis ſuppedita, quoniam honorandi verbum iuxta morem Hebræorum ſubſidij tenet ſignificationem. Habẽt profectò viduæ Chriſtianæ vt infeſtum ſibi mundum, ita Deum Patrem fidum patronum & vindicem præpotentem, qui ſuam erga illas beneuolentiam & tutelam multis Scripturæ locis comprobat. Habent itidem non ſolùm Prophetas, ſicut Eliam & & Eliſæum, ſed etiam Apoſtolos valde fauentes, earumq; cauſam promouentes. Et quæ fuit occaſio ſeptem primos diaconos inſtituendi, niſi vt illi ſe Chriſtianæ viduæ cuſtodes nutritiosque præſtarent, nè alioquin hæ in quotidiano miniſterio negligerentur? de quibus inſuper alẽdis & in officio continendis Paulus Timotheo non pauca ſtudioſè præſcribit. Apoſtolus & ille Chriſti fuit, qui diſertè ſcripſit: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Vnde Pſaltes hoc peculiariter Deo Deique bonitati tribuit: *Viduam eius benedicens benedicam.* Adhæc non leuem anſam præbet mihi Euangeliũ, piorum illorum morem cõfirmandi, qui ſuam dent operam

human-

humandis corporibus mortuorum fidelium: quiqúe honeſtam bonorum ſepulturam ſua ornare præſentia & charitate non intermittunt. Nam inter iſtos ſeipſum quoqúe ſtatuit Chriſtus, neqúe ſolùm hoc loco, ſed etiam alibi apud ſepulchrum amici Lazari minimè ociatur, cùm & lugentes alios conſolatur, vt diximus, & lachrymas fundit, voceqúe ſublata Deum precatur publicè. Quamobrem non luctum ac fletum ob defunctos hîc prohibet Chriſtus, vt quidam ſomniant, qui cùm alibi turbam circa puellæ cadauer lamentātem eiicit, fletum ethnicum vt indecentem improbat, ſicut & Paulus dicto illo reprehendit: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem nō habent*. Præclarè ſcripſit Chryſoſtomus: Circa defunctos nè temerè lugeamus, neqúe de viuentibus ſtultè lætemur. Sed quid? lugeamus peccatores non tantùm defunctos, verùm & viuentes.] Etenim à Luca quoqúe laudantur viri religioſi, qui de mortui Stephani Martyris funus curauerint, & magnum planctum illius cauſa inſtituerint. Tum Scriptura ipſa pronunciat: *Fili, in mortem produc lachrymas*, ſicut nempè Abraham propter demortuam vxorem Saram, & filij Iacob ob parentem ſuum defunctum nō fictè ploraſſe ſcribuntur, quoniam celebrantes exequias, planctu magno atqúe vehementi ſeptem dies impleuerunt, vt ethnicis etiam eſſent admirationi. Iam verò quod ad funebrem pompam ſeruandā, & ad mortuorum exequias Chriſtianè celebrandas attinet, nunquàm ego in his vel contemnam, vel relinquam receptā piorum conſuetudinē, quam & Auguſtinus ante annos mille his verbis non obſcurè commendauit: Non contemnenda & abiicienda ſunt corpora defunctorum, maximèqúe iuſtorum atque fidelium, quibus tanquàm organis & vaſis ad bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus. Vnde & antiquorum iuſtorum funera (de ſanctis Patriarchis potiſsimùm intelligit) officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, & ſepulchra prouiſa, ipſiqúe dum viuerent, de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus, filiis mandauerunt. Pro-

Ioann.11.

Matth.9.

1.Theſſ.4

Homel. 69. ad popul. Antioch.

Actor.8.

Eccleſ.38.

Geneſ.23 & 50.

Lib.1.de ciuitate Dei. cap.13.

minimum eſt poteſtis,quid de cæteris ſolliciti eſtis? Nolite timere puſillus grex,quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.

Illos autē inprimis deplorabo, qui immodico & inexplebili habendi appetitu impediti,nè dicam obcæcati,ob rei familiaris anguſtiam,& prę timore paupertatis nocte ac die ſeſe diſcruciant, nōnunquam etiam ad laqueum procurrunt, vel certè tam anxiè ſoliciti ſunt de craſtino,vt ab iniuria,fraude, furto,vſura,malisqúe artibus ſe non abſtineant,ſed clam palamqúe proximum defraudare audeant. Igitur vt Mammonæ obſequantur,neqúe Deum verentur,neqúe conſciētiam,neqúe honorem & famam reſpiciunt,quin leges etiam publicas violant,& Apoſtolicæ ſententiæ obliuiſcuntur,qua ſcriptum eſt: *Nequis ſupergrediatur,neq́; circumueniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus. Iniqui regnum Dei non poſſidebunt.* Immò & *regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias & contumelias, & diuerſos dolos,* vt Sapiens affirmat. Peiores adhûc,magisqúe mihi deplorandi ſunt, quorum ingens eſt vbiqúe copia,ventris viniq; & voluptatis amatores magis quàm Chriſti diſcipuli, quandoquidem *D*eum nos ac noſtra curare nō credunt,nullam aliam vitam meliorem expectant, non pœnas æternas metuunt, nec diuina in cœlo præmia deſiderāt, aut certè de conditione hominum poſt mortem futura dubitant vehementer. Interim abſqúe timore peccant,delicijs ac diuitijs incubant, nec aliter quàm ſicut ſues, volutabro cœni, ita terrenis ac ſordidis rebus negotiisqúe nobiles immergūt animos,& quidem ſe demùm Epicuræos ac Atheos eſſe, non profeſſione diſciplinæ, at moribus tamen vitæqúe nequitia plus ſatis oſtendunt. Spreta enim Dei ſeruitute, cui ſe totos debebant,terrena duntaxat ſapiunt,carnemqúe ponunt brachium ſuum, & non in Deo Deiqúe prouidentia, ſed in incerto diuitiarum, vt *P*aulus inquit, ſpem ſuam collocant,illis Iudæis non diſſimiles,quibus iratus Deus ita cōminatur: *Væ qui deſcendunt in AEgyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multæ*

ſunt,

ſunt, & ſuper equitibus quia praualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſraël, & Dominum non requiſierunt. In horum etiam perſona dixit Malachias Propheta: *Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus precepta eius?* Malach.3.
Quid autem contra hos Hieremias? *Maledictus* inquit, *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Neque ſolùm iſti à Dei Eccleſiæque præceptis declinant, quos Propheta idcircò maledictos appellat, ſed etiam frequenter abſquè timore mala perpetrant, tam impudentes, vt ſuorum etiam ſcelerum iniquitatem ſibi audeant polliceri. *Sunt enim impij,* vt Eccleſiaſtes affirmat, *qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant*: ex quibus quidem vnus dicere non veretur: *Peccaui, & quid mihi accidit triſte?* Sed ô me ſtultum ac infœlicem, ſi vẽtrem, importunum ſanè & inſaturabilem exactorem, audiam, & ſuauiſſimum æterni Dei verbum non audiam, quod alioqui me omni ſolicitudine liberat, ſolidumque & iuge cordis gaudium pollicetur in Spiritu ſancto. *Iacta* inquit, *curam tuam ſuper Dominum, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe te enutriet.* Cũ quibus nota illa Petri ſententia congruit: *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura de vobis.* Tantundem Doctor gentium à fidelibus exigit: *Volo* inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe. Sint mores ſine auaritia: contenti præſentibus. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Quapropter ego firma in Deum Deiquè prouidentiam fide ſubnixus, cõmunes & mordaces diuitum curas, & quotidianas auarorum ſolicitudines miſſas faciam, & cum Propheta fidenter dicam: *Non eſt inopia timentibus Deum: Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Dominus paſcit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Quod ſi cum Paulo de fame & ſiti, de pauper-

Hierem.17. Pſalm.118. Eccleſi 8. Eccleſi.5. Pſalm.54. & 36. 1.Pet.5. 1.Cor.7. Hebr.13. 1.Tim.6. Pſalm.33. Pſalm 23. Pſalm.117. 1.Cor.4.

tate

tate & penuria gloriari non poſſum, eò ſaltem adſpirabo, vt cum eodem Apoſtolo me in omni victus & veſtitus parcitate atque tenuitate conſoler, cordéque non ficto pronuntiem: *Hæc patior, ſed non confundor. Scio cui credidi. Scio & humiliari, ſcio & abundare, ſatiari & eſurire, penuriam pati & abundare. Omnia poſſum in eo qui me confortat.*

Quærite ergò primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

NOTABO mirabilem, profuſam & perpetuam ſummi Dei liberalitatem, qui ſuis fidelibus primùm ſpiritualia & cœleſtia, quæ nomine regni Dei continentur, ac verè hominem beant: deinde temporalia quoque bona promittit ac præſtat, ſiquidem eorum ſaluti, vt in vita cõſeruentur, expediat. Eius rei nobis exemplum Apoſtoli præbent, non diuites illi quidem, ſed vt tolerabilem vtcunque, & facilè paupertatem experirentur, ac de neceſſario victu queri minimè poſſent. Quarè Chriſtus in poſtrema cœna illos alloquẽs dixit: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et confeſſi ſunt ſtatim omnes, nihil vnquàm ſibi defuiſſe. Rurſus hîc bonitatem Dei ex eo colligam, & perpendam, quòd externa hæc bona piis etiam non petentibus vltrò ſuppetant, nonnunquàm & affluant, ſicut ſanctis Patriarchis Abrahæ, Iſaac, Iacob, ac deinde Iob, Dauid, Ezechieli, aliiſque multis in hoc mundo valdè florentibus contigit, quia ſpiritualibus & temporalibus opibus hîc ſimul cumulabantur. Certè Iob, vt reliquos prætercam, tantis opibus abundauit, vt eius poſſeſſio fuerit, ſicut Scriptura loquitur, ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quóque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis. Nec dubium, quin diuitiarum donum, non à fortuna, quam velut Deam impiè colunt ethnici, proficiſcatur, ſed à ſummo Deo bonorum omnium authore, iuſtis ſimul & iniquis tribuatur. *Benedictio* enim *Domini*, vt Salomon teſtatur,

facit. Tum æternæ Sapientiæ propria vox eſt: *Mecum* Prouer.8.
itiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia. Verùm dolebo
in eo peccari à plurimis, quòd ordinē à Chriſto præ-
m prorſus inuertant, & ſecūdaria primariis bonis ex-
t, immò & anteponant. Promittit Chriſtus tempora-
t adminicula his, qui Dei regnum & iuſtitiam eius, vt
ua munera, primùm expetunt & inquirunt. Nunc ita
iuere, vt bona hominum pars terram & terrena bona
nis quærat, & meliora interim prorſus negligat repu-
e. Vnde iuſto Dei iudicio fieri porrò cernimus, vt ii-
ona caduca quàmlibet chara & exquiſita, vel minimè
antur, vel frequentes in illis calamitates, cœlíque aut
niurias experiantur, & magnos illorum ſumptus, la-
ac ſudores nulla Dei benedictio conſequatur. Ita de-
lli reipſa comperiunt, quàm verè ſcriptum ſit: *Neq; qui* 1.Cor.3.
t eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed quid incrementū dat Deus.
ominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui Pſalm.126.
nt eam. Nam & Iudæi ſuo nos docent exemplo, pecu-
norem ac ſtudium illis obfuiſſe potius quàm profuiſ-
dcircò cùm ſpiritualia bona negligerent, temporalia
præſidia illis fuiſſe ſubſtracta, vt in anima, corpore &
verè miſeri ac maledicti eſſe cogerentur. Vt hinc Sa-
n dixiſſe videatur: *Eſt quaſi diues cùm nihil habeat: & eſt* Prou.13. & 11.
*pauper quum in multis diuitiis ſit. A*c iterum: *Alij diui-*
ropria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in
e ſunt. Eóq; magis cauebo, temporalia æternis, & mun
ſpiritualibus præponere vel æquare, nè in hoc ſanctum
ti præceptum impingam, quemadmodum Iudæorum
pes in ſanguinario concilio ſuo turpiter impegerunt.
m vt hi primo loco curarēt quæ ad externam ipſorum
tem pacemque publicam ſpectabant, illo ſe prætextu
debant: *Venient Romani, & tollent noſtrum locum & gen* Ioann.11.
ſi nempè Chriſtum eiúſque doctrinam amplectamur.
im cum Auguſtino loquar, temporalia illi perdere ti- Tractat.49. in Ioann.
unt, & æternam vitam non cogitauerunt, & ſic vtrum-

quæ amiſerunt.] *Quid autem prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ſicut Chriſtus ipſe teſtatur. Præterea hîc mihi admirandum putabo, è multis tam paucos exiſtere Chriſtianos, qui verè bona & ſpiritualia iuxta Chriſti mentem quærant & diligant: cùm interim huius mundi bona, quæ ſine vllo præcepto, immò contra *D*ei verbum tanto ardore ab omnibus ferè appetuntur & amantur, tam ſint breuia, vt floribus mox marceſcentibus iure conferantur, tamque fragilia, vt inſtar vitrij poculi facilè frangantur, ſemperque nos fugiant, ipſa etiam vmbra corporis, & fumo & vento fugaciora. Contra verò ſpiritualia bona, quæ Chriſtus primùm quæri & apprehendi poſtulat, per ſe ſunt ſolida, durabilia, præſtantia, eaq; ſe ſponte nobis offerunt, nec fugiunt, ac beatam demùm adferunt immortalitatem, nullis animi ſenſibus ab vllo comprehendendā. Rectè igitur à Propheta decantatur: *Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Nec minus verè dixit Sapieſ: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, nō potuerunt intelligere eum, qui eſt, neq; operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex.* Adhæc docet me Chriſtus hac ipſa ſententia, non ſatis eſſe, ſi ad regnum Dei adſpirem (quis enim ſapiens ex ægroto ſanus, & ex miſero beatus eſſe, & cū beatis in cœlo gaudere, æternáque cum temporariis cōmutare non cupiat?) ſed cum hoc meo deſiderio ſtudium & cultum iuſtitiæ coniungere moneor iubeorque. *Quærite* inquit, *primùm regnum Dei & iuſtitiam eius.* Vbi nomine iuſtitiæ, ſtudia conatus & actus Euangelicæ iuſtitiæ, omniumque virtutum comprehendi putabo, à quibus [a] Noe, [b] Zacharias, [c] Ioſeph, [d] Simeon iuſti fuerunt homines, & in Scriptura iuſtitiæ titulum promeruerunt. *E*tenim iuſtitia nō ſingularis aliqua, ſed vniuerſa virtus hîc intelligenda eſt, quemadmodmodum & virum iuſtum vocamus eum, ſicut Chryſoſtomus notat, qui omnem in ſe virtutem continet: eaque ratione Chriſtus Ioanni reſpondit: *Sic decet nos implere omnē*

iuſtitiam. Vnde Cyprianus etiam hoc perſpicuè dixit: Iuſtitia opus eſt, vt promereri quis poſsit Deum iudicem: præceptis eius & monitis obtemperandum eſt, vt accipiant merita noſtra mercedem.] Quam Chriſtianam iuſtitiam ego præſtare non poſſum, niſi ſyncero mentis oculo prælucente: quum fruſtra precetur, ieiunet, & miſericordiam exerceat, quiſquis impuro intentionis oculo impeditus, ad humanam potius, quam ad Dei gloriam ſua refert benefacta. Quarè Chriſtus prudenter vtrunque docuit, tum vt rectè agendo nobis theſauros in cœlo recondamus, tum vt opera bona non ad fauorem & gratiam hominum, ſed ad cœleſtis Patris gloriam ſyncerè inſtituamus. Vt enim ſcriptum eſt, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq; ad perfectam diem. Via impiorum tenebroſa: neſciunt vbi corruant.* Vbi ego non ſine pudore ac mœrore cogitabo, me in triſti hoc exilio peregrinantem, & ab hoſtibus vndiquè circundatum, à promiſſo Dei regno, vltimo nempè fine hominis, tam procul abeſſe, & tanto quidem longius, quanto minus veram perfectamque iuſtitiam attingo exerceoquè. Tota verò iuſtitiæ ratio eſt, ſi Auguſtino credimus, vt declinẽtur mala & fiant bona, quia non ſufficit, ſi à malis abſtineamus, ſed oportet etiam bonorum accedere actiones, Chryſoſtomo teſte. *A*tque vt maximè nulla veterum peccatorum conſcientia me premeret, putabo tamen bonam vitę meæ partem, velut inane ſomnium, iam euanuiſſe, quoniam toties in Chriſtiana iuſtitia colenda ceſſaui, & velut arborem ſine fructibus in Eccleſiæ horto, & palmitem infrugiferum verę viti Chriſto præbui. Illud vnum ſupereſſe ducam, vt in omnibus quæ poſthac cogitabo, loquar & inſtituam, inprimis Dei honorem & regnum ex animo ſpectem & quæram: deinde vt ſolicitè coner, quam Chriſtus cordis, oris & operis iuſtitiam docuit, eam orando petere, feruenter amare, & indefeſsè colere, ſemperque in illa pro ratione vocationis meæ facere progreſſum, ac vnà cum Paulo meipſum extendere ad anteriora. Non enim temerè ſcriptum eſt: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabun-*

Lib. de vnitate Eccleſiæ.

Matt. 6. & 5.

Prou. 4.

In lib. ſentẽt. Proſperi.
Pſal 33 & 36.
In pſalm. 4.

Matth. 7.
Ioann. 15.

Philipp. 3.
Matt. 5.

turbabuntur. Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Benedictiones dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, vel, ſicut alii legunt, *iuſtitiam faciat: & ſanctus ſanctificetur adhuc. Niſi iuſtitia veſtra abundauerit plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Etſi verò quamdiu in hoc fragili corporis tabernaculo militamus, non eſt, nec eſſe poteſt homini tanta iuſtitia, quanta iuſto ſanctóq; ſemper Angelo competit, qui omni ex parte puram, firmam ac perfectã iuſtitiam retinet, in Dei gratia & gloria confirmatus: tamen noſtrum eſt, pro vitæ huius imbecillitate humilem rectamq; iuſtitiam Deo præſtare, illudque implere præceptum: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Ac humilẽ quidem iuſtitiam præſto, meipſum accuſans, & pro inutili DEI ſeruo reputans, ſicut Chriſtus docuit, licet præcepta omnia obſeruârim. Rectam verò iuſtitiã exhibeo, cùm in meo mortali corpore non regnat peccatum, & prauis concupiſcentiis non obedio, ita iuxta Chriſti ſpiritum ambulans, vt interior homo mihi de die in diem renouetur, quemadmodum Apoſtolus tradidit. Quæ ſpiritualis renouatio licet multarũ virtutum requirat exercitia, & laborẽ in vinea Domini perpetuam exigat, peculiariter tamen pendet, vt Bernardus loquitur, ex rectitudine intentionis, puritate affectionis, & recordatione bonæ operationis, per quã homo benè ſibi conſcius, in amorem ſpiritus magis ac magis conualeſcit. Atque huc ſpectat Auguſtini ſententia, qui docet, quam iuſtitiam in hac vita iuſti obtinent, veram eſſe iuſtitiam, ſed minorem illa, quæ futuræ vitæ competit, & in Angelos cadit. Sed planè minor iſta iuſtitia, vt eiuſdem verbis vtar, facit meritum: maior illa facit præmium: vnde qui iſtam non ſequitur, illam nõ aſſequetur.] Poſtremò, vt ego maiorem ex hoc præclaro Euangelio fructum capiam, fidele Chryſoſtomi conſilium libenter amplectar, aliisque commendabo. Illius verba ſic habent: Animus qui pecuniarum cupiditate non facilè ab his abſtinet, quæ Deum ad iram prouocant: vtpote qui alterius

ſeruus

ſeruus ſit Domini, omnia ipſi contra diuinas leges præcipien tis. Sobrij igitur ſitis aliquando, & excitemini: & cui noſtrũ debeamus ſeruitium, intelligamus, eiusque duntaxat regnũ deſideremus, præterita defleamus tempora, quibus Mammonæ ſeruiuimus, cuius graui & intolerabili iugo abiecto, Chriſti iugum & leue & facile ſubeamus.] Nec multò poſt adiicit: Plurimi ex his qui apud inferos cruciantur, eò quòd pecuniis ſeruierunt, earumq́ue cupiditate, indigentibus nihil erogârunt, pœnas luunt. Quod nè nobis accidat, diſpergamus, demus pauperibus, & nos huius vitæ curis, ſolicitudinibus, & eo, quòd illic nobis impendet ſupplicio, animum liberemus, & pro terrenis pecuniis iuſtitiam cœlo recondamus. Perpetuos colligamus theſauros, qui vnà in cœlum nobiſcum euadere & proſilire, & nobis periclitantibus præſtò adeſſe & iudicem conciliare poſſint, quem ſi nobis propitium, vt optamus, & in hac vita & in die illa habuerimus, fidenter his bonis fruemur, quæ in cœlis diligentibus ſe præparauit.] Ita Chryſoſtomus.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro huius ſeculi filiis, nè ex illis tam multi ſerui ſint & maneant diuitiarum, auaritiæ nempè ſpiritu tantoperè occupati, vt ſolùm terrena curare, & ſpiritualia prorſus negligere, magisq́; Mammonæ & ventri, quam Deo & pietati ſeruire, ac ſuam curare animam videantur. Illorum enim præceptorum obliuiſcuntur*: Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Videte & cauete ab omni auaritia. Pſalm. 61. Luc. 12.

DIVINAM *inſuper gratiam implorabo, per quam fiducia in me augeatur ad petenda & accipienda bona, quæ ad corpus vſusq́; vitæ neceſſarios pertinent: nihil vt ambigam de certa* DEI *erga me prouidentia, & paterna benignitate. Tantoq́; confidentius ab illo ſpiritualia inprimis, quæ tribus Dominicæ orationis partibus primis continentur, ac deinde panem quotidianum, id eſt, ad vitam hanc tuendam ſpectantia, quotidie petam, & de manu Domini cum fide expectabo.*

ORABO etiam, vt Eccleſiæ primitiuæ ſpiritus in multis reuiuiſcat, qui Apoſtolicis veſtigiis inhærentes, & retia ſua relinquentes, temporaria bona cum ſpiritualibus ſanctè commutent, quique regnum Dei, ac eius iuſtitiam purè in omnibus quærant, neceſſario quidem victu contenti, immò & cum Abraham Patriarcha parati, ſi ita ſit opus, ac DEVS *velit, ad bona temporaria vel relinquenda, vel contemnenda. Nam & Moyſes* magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro AEgyptiorum improperium Chriſti. Adſpiciebat enim in remunerationem, *Apoſtolo teſte.*

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

NAIM Galilææ ciuitas, ſed humilis & obſcura, nec procul à Capharnaum diſsita, præclaro Chriſti miraculo, prout hoc Euangelium docet, illuſtratur. Miraculi occaſionem præbet defunctus adoleſcens, & viduę matris vnicus filius ad ſepulchrum elatus, cùm eandem ciuitatem Dominus primùm ingrederetur. Vidit enim triſtem caſum, lugentem defuncti matrem, & funebre quoque pompam procedentem, quòd multi ciuiũ funus hoc & matrem lamentantem triſtes proſequerentur. Quarè pius Dominus continere ſe non potuit, quin matrem afflictam ſuis verbis conſolaretur, eique reipſa opitularetur. Itaque cùm loculum attigiſſet, in quo mortuus iacebat, adoleſcentem perinde vt viuum alloquitur, & velut dormientem illum a ſomno excitans, defunctum & vitę

&

& matri incolumem reſtituit. Huius miraculi magnitudo duplicem hominum turbam quæ aderat, valdè commouit, & timore ſimul ac ſtupore compleuit, omnibus non ſolùm inſignem Chriſti potentiam agnoſcentibus, ſed etiam Deum publicè glorificantibus, Chriſtumque vti Prophetam eximium celebrantibus. Tam præclarè ille meritus fuit de matre vidua, de filio eius mortuo, de Naimitis, aliisque præſentibus, immò & de nobis omnibus, quibus hoc excellens miraculum meritò ſufficiat ad reddendam Chriſto gloriam, quòd pręaliis Adæ filiis vitæ mortisque habeat imperium, ſeque ipſum potenter Deum eſſe declaret, cui ſoli proprium ſit vitam homini dare, & amiſſam reſtituere: vel, ſicuti Paulus inquit, viuificare mortuos, & ea quæ non ſunt, vocare tanquàm ea quæ ſunt. Ego ait, occidam, & ego viuere faciam. Quæ incomparabilis Chriſti virtus etiamnum operatur in his, qui ſeipſos per malitiam occidunt, vel in peccatis mortui iacent, nihilque Deo gratum & ſibi ſalutiferum efficere poſſunt. Stipendium enim peccati mors eſt. Reſuſcitantur autem à Chriſto, cùm pro illis, vt gratiæ vitam recipiant, intercedit fida mater Eccleſia, piique illos precibus & lachrymis proſequuntur, maximè verò ſacerdotibus vice Chriſti cooperantibus, vt mortui à peccatorũ vinculis abſoluti, cum Lazaro defuncto reſurgant, & viua filiorum opera exerceant, Deo & matri obtẽperantes.

Rom.4.

Deut.32.

Roman.5.

Ioan.11.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ VII.

IBAT IESVS *in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaſſet portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum*

illa. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit & tetigit loculum, (ibi autem qui portabant ſteterunt) & ait, Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere.

BREVE hoc Euangelium non pauca ſuggerit, quæ me ac pios omnes ad Chriſti laudem gloriamq; celebrandam meritò extitent, maximè ſi Redemptorem illum ritè amamus & colimus. Eſt ille ſuauis miſeræ [illegible]duæ conſolator, eſt potens de mortui adoleſcentis reſuſcitator, eſt Propheta magnus olim à Moyſe ꝓmiſſus, & a Deo miſſus ad plebem ſuam viſitandam: eſt incomparabilis [illegible] ac mortis Dominus, quem cuncti cum Naimitis toto terrarum orbe iure ſuſpiciant, reuereantur atque collaudent publicè. Tanto iuſtius ego hunc meum Meſſiam in verbo & opere præpotentem agnoſcam, atque illum vt montem ſ[illegible]mem in vertice montium ſitum extollens, cum Iſaia [illegible] *Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad d[illegible] Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus [illegible] eius.* Ad illum ipſum ego quod Moyſes dixit, refe[illegible] *Deus meus, & glorificabo eum: Deus meus, & exa[illegible]m.* Qu[illegible] eximi[illegible] ille con[illegible]olator exiſtit, quem ex[illegible]re venie[illegible]

gens

gens hominum turba comitatur, & Naimitæ nec rogatum, nec deſideratum excipiunt, ſibique tam propitium experiuntur? Sola ille miſericordia commotus accedit, ſeque ad lamentantem cõuertit viduam, quæ marito orbata, nè filium quidem vnicum & ſenectutis ſuæ baculum, totiusque familiæ columen, viuum poterat retinere, ſed extinctum, iamque recens elatum acerbè lugere cogebatur, multis haud dubiè complorantibus, ob mortem illam immaturam, & propter honeſtæ matronæ funeſtum acerbumque caſum. Sed multo magis dolet IESVS, plenus ſemper gratia & miſericordia, qui matrem mœſtiſſimam cõpellat, & ab amaris lachrymis iubet abſtinere. Nec diſſimilis compaſſionis affectus eluxit in Domino, quum ob amicum Lazarum recens defunctum in Bethaniam proficiſceretur, ſic inquiens: *Eamus in Iudæam iterum. Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitem eum.* Diligebat enim Martham & Magdalenam, eiuſque ſorores conſolari volebat mitiſſimus Dominus, ſicut & fratrem earum Lazarum tam charum habuit; vt cum quatriduanum à mortuis non ſine clamore & lachrymis reſuſcitârit. Talem enim decebat eſſe Meſſiam, qui iuxta Iſaiæ vaticinium, mederetur contritis corde, & prædicaret captiuis indulgentiam, omneſque lugentes conſolaretur. Quarè cordis mei duritiem deplorabo, quòd non vnius viduæ tantùm, nec vnius defuncti iuuenis, ſed plurimorum etiam tum corpore tum animo laborantium indigentiam, angores, cruciatus, ipſumque interitum non intimè perſentiam, neq; patiar ſuper contritione Ioſeph. Eſt triſtitia ſancta & ſalutaris, per quam & Apoſtolus ſecundùm Deum aliorum nomine triſtabatur, inimicos quoque crucis Chriſti deplorans, eaque ſolicitudinem, æmulationem ac vindictam in credentibus operatur. Quæ triſtitia tantam in Iob vim habuit, vt bona conſcientia diceret: *Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Verùm hac de re alibi plura expoſuimus. Poſthac ergò miſericordiæ viſcera induam, vt Paulus monuit, & mihi quoque à Sapiente dictum

Ioann. 1.
Ioann. 11.
Iſai. 61.
Luc. 4.
Amos 6.
2. Cor. 7.
Philipp. 3.
Iob. 30.
Coloſſ. 3.

humandis corporibus mortuorum fidelium: quiqúe honeſtam bonorum ſepulturam ſua ornare præſentia & charitate non intermittunt. Nam inter iſtos ſeipſum quoqúe ſtatuit Chriſtus, neqúe ſolùm hoc loco, ſed etiam alibi apud ſepulchrum amici Lazari minimè ociatur, cùm & lugentes alios conſolatur, vt diximus, & lachrymas fundit, voceqúe ſublata Deum precatur publicè. Quamobrem non luctum ac fletum ob defunctos hic prohibet Chriſtus, vt quidam ſomniant, qui cùm alibi turbam circa puellæ cadauer lamentātem eiicit, fletum ethnicum vt indecentem improbat, ſicut & Paulus dicto illo reprehendit: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem nõ habent.* Præclarè ſcripſit Chryſoſtomus: Circa defunctos nè temerè lugeamus, neqúe de viuentibus ſtultè lætemur. Sed quid? lugeamus peccatores non tantum defunctos, verùm & viuentes.] *E*tenim a Luca quoqúe laudantur viri religioſi, qui de morte ii Stephani Martyris funus curauerint, & magnum planctum illius cauſa inſtituerint. Tum Scriptura ipſa pronunciat: *Fili, in mortem produc lachrymas*, ſicut nempè *A*braham propter demortuam vxorem Saram, & filij Iacob ob parentem ſuum defunctum nõ fictè ploraſſe ſcribuntur, quoniam celebrantes exequias, planctu magno atqúe vehementi ſeptem dies impleuerunt, vt ethnicis etiam eſſent admirationi. Iam verò quod ad funebrem pompam ſeruandã, & ad mortuorum exequias Chriſtianè celebrandas attinet, nunquàm ego in his vel contemnam, vel relinquam receptã piorum conſuetudinẽ, quam & Auguſtinus ante annos mille his verbis non obſcurè commendauit: Non contemnenda & abiicienda ſunt corpora defunctorum, maximèqúe iuſtorum atqúe fidelium, quibus tanquàm organis & vaſis ad bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus. Vnde & antiquorum iuſtorum funera (de ſanctis Patriarchis potiſsimùm intelligit) officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, & ſepulchra prouiſa, ipſiqúe dum viuerent, de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus, filiis mandauerunt. Pro-

Ioann.11.

Matth.9.

1.Theſſ.4

Homel. 69. ad popul. Antioch.

Actor.8.

Eccleſ.38.

Geneſ.23 & 50.

Lib.1.de ciuitate Dei. cap.13.

ponit & illud exemplum: Tobias ſepeliēdo mortuos Deum promeruiſſe, Angelo teſte commendatur.] Cum verò ſint varia pietatis Catholicæ officia, quæ defunctis fidelibus exhiberi cum laude poſſunt, ego Petrum Apoſtolum ſequar, qui ſicut diſcipulus eius Clemens memoriæ prodidit, ita illi temporis Chriſtianos inſtituit, vt operam darent infirmis viſitandis, mortuis ſepeliendis, & horum exequiis ſedulo peragendis, vtque pro illis Deum orarēt, & eleemoſynas erogarent. Nec dubitauit Chryſoſtomus, quo pacto nos erga fideles defunctos affecti eſſe debeamus, his verbis publice concionari: Defleamus iſtos mortuos, iuuemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilij, modici quidem, attamen iuuemus eos. Quomodo? qua ratione? Precantes [illegible] & alios, vt pro illis orent, pauperibusque indeſinenter [illegible] eleemoſynas dent.] Idemque Chryſoſtomus, quem [illegible] tur & Damaſcenus, nō ſemel meminit, ab Apoſtolis eſſe [illegible] citum, vt in celebratione venerandorum myſteriorum [illegible] tur memoria defunctorum. De matre Auguſtini vere ſancta Monica conſtat, quòd moritura ſui, memoriam ad ſacrum altare fieri deſiderârit, & eodem Auguſtino cum aliis multis comprecante, impetrârit.

Adoleſcens tibi dico ſurge.

HIC ego vitæ principi, mortisque victori Chriſto, ſed & vniuerſo mortalium generi, vti par eſt, valde gratulabor. Cum enim per primum Adæ peccatum omnes poſteri, naturâ iræ filij naſcerentur, æternæque morti manerent obnoxij, & ab ea nullus eos liberare poſſet, venit Agnus Dei & Redemptor mundi Chriſtus, & nè dubitaremus, ipſum vitæ necisque Dominum præpotentem eſſe, etiam quum mortali eſſet corpore, mortales multos mirabiliter ad vitam reuocauit. Exēplo ſit hic viduæ noſtræ filius in Naim defunctus, [illegible] ad portam elatus, quemadmodum & extra [illegible] ſynagogi filia duodecennis, vt Lazarum poſt mortem [illegible] tro [illegible] prætermittam. [illegible] longe admirabilius, [illegible] Chri-

ſtis à Iudæis occiſus, ſeipſum è ſepulchro ad vitam immortalem excitauit, ſicut illis verbis fore prædixerat: *Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo iterum ſumēdi eam.* Ioann.10.
Hac enim ratione noſtræ conſuluit imbecillitati, vt facilius crederemus, & ardentius deſideraremus futuram demùm mortuorum omnium reſurrectionem, quæ ex ipſius penderet imperio, ſicut ipſe illa oratione prodidit: *Mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Idqúe Paulus ita confirmat: *Quoniamquidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* O ſtupendam Chriſti gloriam, qui ſolus mortis & vitæ habet imperium: ſolus mortuos & viuos alloquitur, atqúe vt dormientes ad vitam immortalem verbo vno exuſcitat, ſuóque iure teſtari poteſt: *Ego ſum reſurrectio & vita.* Interea verò priuſquàm ad reſurrectionem vltimam veniatur, Chriſtus, vtpote ſalutis humanæ ſemper cupidiſſimus, circa mortuos alios reſuſcitandos verſatur, eos nempè, qui in corpore quidem viuunt, ſæpè & mundo florere videntur, ſed ob lethale peccatum Deo ſunt mortui, & charitatis expertes, vitam ſpiritus amiſerunt. [a] *Homo enim per malitiam occidit animam ſuam.* [b] *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* [c] *Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Ad hunc modum mortui erant, planèqúe perditi Matthæus & Zachæus, infames vtiqúe publicani, ſed qui per verbum & gratiam Chriſti reuixerunt, easqúe vires, quæ Deo viuentibus congruunt, recuperârunt, vt deinde & ipſi per Chriſtum alios mortuos reſuſcitare poſſent. Quæ vita & reſurrectio ſpiritualis, ſi à ſolo Chriſto penderet, nullumqúe conatum peccatoris requireret, certè Chriſtus ipſe non teſtaretur: *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Nec Apoſtolus præciperet in peccatis mortuo: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus.*

Ioan.5. 1.Cor.15. Ioann.11. a Sap.16. b Ezech.18. c Iacob.1. Matth.9. Luc.19. Ioann.11. Luc.5. Epheſ.5.

Ego verò eiuſmodi defunctos, qui per culpæ mortem perierunt, de quibus & illud pronunciatum eſt: *Dimitte mor-* Matth.8.

tuos

tuos ſepelire mortuos ſuos, mihi maximè commendatos habebo, ſæpèque deplorabo, quandoquidem nullo verę vitæ deſiderio tanguntur, Chriſtiquè gratiam, à quo ſuſcitentur ac reſtituantur, nō ambiunt, ſed velut exanimes homines, oculos habent & non vident, & aures habent, nec audiunt, ac mirùm in his quæ ad vitam ſpiritualem ſpectant, ſtupidi prorſus ac inſenſibiles, vt reipſa dicere videantur illud Propheticum: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Quos mortuos ego nulli rectius & vtilius quàm Chriſto commendauero, qui per Prophetam Oſeam promiſit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Nam vt Paulus etiam aſſerit, *pro omnibus eſt Chriſtus mortuus; vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Deinde prouidebo non ſegniter, vt Chriſtus mihi ſit vita, veritas & via, in me nempè viuificans ac reſtituens, quicquid in anima mea perditū ac mortuum deprehenderit. Verus quippe Meſſias ab hoc munere agnoſcitur, quod ipſe per Prophetam Ezechielem ita depinxit: *Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo.* Et ſi verò carnis curam nō faciam in deſideriis, quemadmodum prohibuit Paulus, tamen eo maiorem rationem habebo corporis, licet in puluerem & cinerem redigendi, quoniam Chriſtus illud ipſum ad extremum diem reſuſcitabit, quemadmodum & electorum omnium corpora non ſolum immortalitate veſtiet: ſed & ſole reddet clariora, & ſuo pulcherrimo corpori, eiuſque inexplicabili claritati, vt alibi dictum eſt, planè conformabit. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Si enim credimus, quòd IESVS mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt, per IESVM adducet cum eo*, [illegible] dum doctor gētium ratiocinatur. Q[illegible] eſt, vt cum eodem Paulo ſæpè cogitem, [illegible] *N[illegible]ſt a conuerſatio in cælis eſt: vnde etiam Saluatorem [illegible] Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, [illegible]*

m[illegible]

militatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundùm operationem, qua etiam poſſit ſubiicere ſibi omnia. Vbi me admonet preſens adoleſcens à Chriſto in Naim reſuſcitatus, vt ſingularem de morte mea memoriam reficiem, ac de illa non ita leuiter frigidèque cogitem, vt illa me imparatum opprimat. Erat ille vnigenitus, nec minus matri ſuæ charus quàm neceſſarius, corpore vegetus, ætate florens, qui lõgæuitatem ſperaret, nec matri tantùm, ſed & amicis & patriæ bonã præſtiturus operam videretur. Sed præter omnem expectationẽ accidit, vt mors vitam illius abrumperet, ipſeque cum afflictiſſimo Iob teſtari poſſet: *Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſq; vlla ſpe.* Pro quo dictum eſt ab Ezechia: *Præciſa eſt velut à texẽte vita mea: dum adhuc ordirer, ſucciditme.* Nec poteſt quicquam de mortalibus, cuiuſcunque demùm ſint ætatis, ordinis vel conditionis, affirmari verius, præterquàm quod ſcriptum eſt: *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur.* Apoſtolus ita dixit: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Quid autem inſulſius magisque miſerandum, quàm Chriſtianos homines, qui ſe mortales agnoſcunt, nulla diræ funeſtęque mortis memoria commoueri, & longa etiam viuendi ſpatia ſibi polliceri, nihilque propoſiti adoleſcentis in florenti ætate defuncti exẽplo, adeóq; innumerabilium animo & corpore quotidie pereuntium turba ad benè beatèq; viuendum ac moriendum impelli? Præclarè ſcripſit Hieronymus: Platonis ſententia eſt, omnem ſapiẽtium vitam meditationem eſſe mortis. Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri ſumus: & quod velimus nolimus, abeſſe longius non poteſt. Quotidie morimur, quotidie commutamur; & tamen æternos nos eſſe credimus? Quocircà non regi tantùm Ezechiæ, ſed mihi quóque a Propheta dictum eſſe illud exiſtimabo: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Sapiens ita docet: *Memor eſto, quo-*

Iob.7.

Iſai.38.

1.Reg.14.

Eccleſi.14. & 40.

Hebr.9.

In epitaphio Nepotiani.

Iſai.38.

Eccleſi.14.

niam

niam non eſt apud inferos inuenire cibum. Nihil autem eo ſignificantius quod à Chriſto pronunciatur: *Eſtote parati, quia qua neſcitis hora, filius hominis venturus eſt.*

Propheta magnus ſurrexit in nobis, & Deus viſitauit plebem ſuam.

Ex mirandis Chriſti operibus, quæ, teſte Ioanne, non omnia in Euangelio perſcribi potuerunt, illum mihi fructum optabo contingere, quem Naimitæ ex vno reſuſcitati adoleſcentis miraculo perceperunt. Nã reliquis Iudæis fuêre prudentiores, qui videntes ſui Meſſiæ opera ab alio nullo patrata, oderunt illum inſensè, ac eius Euangelio malignè reſtiterunt, vt idcircò à Chriſto iure audiant: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ac iterum: *Nunc & viderunt & oderunt & me, & Patrem meum.* Hi verò in Galilæa morantes, dum defunctum adoleſcentem reuixiſſe cernunt, Meſſiam ſuum agnoſcunt & reuerentur, ſuam de illo fidẽ publice profitentur, diuinam Chriſti potentiam, & promiſſi Meſſiæ præſentiam celebrant, vno velut ore in lætam gratiarum actionem erumpunt, ac demùm vnius miraculi maieſtate cõmoti, cauſam præbent & aliis de Chriſto præclarè ſentiendi. Etenim prodigij huius fama celebris eò progreſſa eſt, vt finitimam regionem & vniuerſam regionem peruaſerit, ſicut indicat Euangeliſta. Quocirca illi non ocioſi ſunt ſpectatores miraculi, ſed viſitationis ſuæ tempus, quo nihil optabilius videri poterat, ſibi pergratum eſſe non modò ſermone, ſed & reipſa declarant. *E*t mihi ſanè hûc eſt enitendum, vt ſatis non habeam præclara diuináque Chriſti facinora legere, audire & commemorare, quæ Iudæi vel inuiti cum Caipha Pontifice ſuo fateri coguntur, ſed obſeruabo etiam, & fide complectar alia ſigna & miracula, quę idem Dominus [illegible] factus patrauit, & quotidie, ſi aduertam animum, in Eccleſia ſua patrare non deſiſtit. Vt enim è multis pauca recenſeam, [illegible] gens miraculum non eſt, quod ſublatus in cœlos Chriſtus

nobis continenter adeſt, cum corpore & ſanguine ſuo præſens in ſacroſancta Euchariſtia, vbi & diuinos planèque ſtupendos effectus tum ſacerdotibus, tum aliis dignè communicantibus exhibet, ſuam nempè omnipotentiam, ſapientiã, bonitatem, nonnunquàm & contra improbos iuſtitiam manifeſtans, ac illud ſuum promiſſum comprobans: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq. ad conſummationem ſeculi?* Miraculi loco cenſeri debet, Chriſtum per ſacerdotum ſuorum inuocationem & benedictionem tam multa conferre fidelibus, ac in multis creaturis potenter operari, & virtutem conferre ſupernaturalem ad ſanorum & ægrotorum incolumitatem, nonnunquam etiam ad dæmonum eiectionem: præſertim cùm creaturæ per verbum & orationem, ſicut Apoſtolus loquitur, ſanctificantur. Quod enim Cyprianus dixit de ſui ſeculi energumenis, id in aliis etiam ætatibus Eccleſia experitur, nimirùm quando dæmones adiurantur, torqueri eos ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis, de obſeſſis corporibus eiici, qui & eiulantes & gementes venturum iudicium confiteantur. Miraculum eſt, è Saulo perſequutore, è Cypriano mago, ex Auguſtino Manichæo tã præclara Spiritus ſancti organa, & illuſtres Eccleſiæ doctores exiſtere, ac toto terrarum orbe velut lumina quædam reſplendere. Miraculum eſt, Eccleſiam Catholicam nunquàm non grauiter impugnatam, ex perſecutionibus effici firmiorem, ſuiſque ſemper hoſtibus, quàmlibet verſutis & immanibus, inuictã præualere. Miraculum eſt, æuo noſtro paucos Domini operarios in orbem nouum extrudi, quorum fideli opera ad Catholicam religionem propagandam tanta gentium fiat acceſſio, vt ingẽs animarum ſtrages, quam noui ſectarij in Europam horribiliter non ita pridem inuexerunt, ampliſſima illa infidelium conuerſione quodammodo compenſari, ac etiam ſuperari videatur. Prætermitto infinita miracula ſiue ſigna, portenta & prodigia, quæ Chriſtus per ſanctos amicos in cœlo regnantes, & per venerandas eorum reliquias tot operatus eſt ſeculis, & licet noui non credant Ariani, variis in

Matth.28.

1.Tim.4.

Contra Demetrianum

locis ad multorum ſalutem & vtilitatem adhûc operatur. Id demum, ſi quod res eſt ingenuè fatebimur, Deus viſitat plebem ſuam, & Chriſtus ipſe Eccleſiæ ſuæ, velut deſolatæ viduæ, tutorem atque conſolatorem exhibet efficacem, nec minus ex ore infantium laudem ſibi perficit propter inimicos. Nihil dubium, quin hoc mundo durante illud verbum, ſicut idem Chriſtus promiſit, magis magisque compleatur: *Amen amen dico vobis*, inquit, *qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Cuius rei cauſam hanc reddidit: *Pater meus vſq; modò operatur, & ego operor.* Quapropter quotquot Catholicæ Eccleſiæ ciues in his fœdis tempeſtatibus perſiſtimus, ingenti cum fiducia nobis gratulari debemus, & cum Paulo ingenuè confiteri: *IESVS Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula.* Eandem Chriſti virtutem Cyprianus agnoſcit, vbi præclara, ſuoque ſeculo geſta narrat miracula, quæ circa baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramenta mirabiliter contigerunt. Sed & Auguſtinus hanc gloriam Chriſto tribuit, non ſemel recenſens, quibus miraculis Deus reliquias D. Stephani, Laurentij, Prothaſij & Geruaſij martyrum honorauerit. *E*a quippe olim publicè corā populo recitabantur, quòd valerent ad Chriſti fidem & carnis reſurrectionem commendandam, & ſimul Eccleſiam ædificarent, vt idem Auguſtinus affirmat. Quibus adiungit & illud: Quod faciebat in terris *C*orporis Chriſti præſentia, hoc facit ad fidelem inuocationem nominis Chriſti victorioſæ Crucis inſignita memoria, nimirùm vt per hoc ſignum crucis maleficia deſtruantur, & dæmonum machinamenta ad nihilum redigantur. Quocirca illos velut cæcos & *P*hariſæorum diſcipulos exiſtimabo, qui has gloriæ Chriſti manifeſtationes aut cæci non vident, aut inuidi calumniantur & ſcandalum inde potius referunt quàm ædificationem: aut certè ocioſi vaníque duntaxat ſunt huiuſmodi miraculorum ſpectatores atq; teſtes, nullam vt inde laudem & gloriam Chriſto tribuant. Illi verò ſapiunt, qui ſe Chriſto gratos eſſe vna cum Naimitis oſtendunt, vt ex huiuſmodi præclaris operi-

bus

bus maiorem veræ fidei lucem & admirationem & lætitiam colligant. Hinc certè in me Orthodoxa fides fideíq; creſcet confeſſio, cum qua fidelem animi gratitudinē ſtudioſè coniungam, vt diuinus timor & amor, nouáque erga Chriſtum deuotio in meo pectore magis magisque conualeſcat ac ferueat. Etenim ad nos quóque ſpectat, quod Ioannes de Chriſti Apoſtolis commemorat: *Manifeſtauit Dominus gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Abſit enim, vt hanc tantam coruſcantis veritatis lucem nobis obſcurari, ac potius per illos eripi ſinamus, qui poſtquàm ab Eccleſia Catholica ſeipſos ſegregârunt, eiuſmodi Chriſti benedictionibus ac diuinæ virtutis teſtimoniis planè deſtituuntur, atq; vt maximè deſiderent ac tentent, tamen nouam ſuam fidem & doctrinam nullis ornare & confirmare miraculis poſſunt. *Habenti autem dabitur, & abundabit,* ſi nimirùm ſe Chriſto eiusque operibus atque miraculis verè gratum oſtenderit. Ioann.2. Matt.25.

PRECANDVS *eſt mihi* DEVS, *vt Chriſtum in pietatis officiis ſciam æmulari, præſertim ad perſonas afflictas verbo & opere conſolandas, vtq; officioſam charitatem non ſolùm ad viuos, ſed etiam ad mortuos fideles extendam.*

ORABO *inſuper, vt humanæ fragilitatis ac futuræ meæ mortis memor, cogitem ſæpè de his, quæ ad benè moriendum faciunt, iuxta illud:* In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis. Eccleſ.7.

ADHAEC *à Domino petam ſalutarem vſum & fructum miraculorum, quæ & olim facta ſunt, & ſæpè fiunt in Eccleſia, vt per illa Dei gloriam agnoſcam, & cum pius multis celebrem, meq; in vera fide confirmem, ſiue Chriſtus per ſe, ſiue per Sacramenta, ſiue per Sanctos & miniſtros ſuos mirabilia operetur.* Omnia enim quæcunqúe Dominus voluit, fecit in cœlo & in terra. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Pſalm.113. Pſalm.144.

DOMINICA XVII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

MANDVCANTE CHRISTO apud Phariſæ[illegible], ac molis æmulis ipſum in menſa obſeruátibus, hydropicus quidam ſe illi curandum offert, & manu apprehenſus curatur in Sabbatho. Vbi Legisperiti & Phariſæi (inuidum & calumnioſum hominum genus) non vno quidem nomine redarguuntur: primùm quòd rationem Sabbathi celebrandi non intelligerent, ſicut præceprum decalogi poſtulabat: deinde quòd in Sabbatho maiorē ſuorum iumentorum, quàm proximorum curam gererēt, & miſericordiam exercerenr, auaritia nimirùm impediti: poſtremò quòd primos in conuiuiis accubitus ſibi deligerent ac vſurparent, ſeque prorſus ambitioſos non obſcurè monſtrarent. Sequitur ergò Euangelica Chriſti monitio, non ſolùm de vitanda omni nota odioſæ elationis & ſtultę ambitionis, verùm etiam de peculiari ſtudio exprimendæ humiliratis, per quam ad veram laudem gloriamque comparandam perueniatur. Præterea nè Chriſtus ἀσύμβολος videatur, ſuum hoſpitem Phariſæum, à quo fuerat inuitatus, humaniter inſtruit, eumque ad hoſpitalitatem egenis miſeriſque præſtandam hortatur, ſingulari etiam adiuncta & promiſſa mercede, quam Deus in ſuo iudicio pro beneficentia in pauperes coll[illegible], ſit repenſurus. Hæc ſumma eſt præſenris Euangelij, quod à multis vitiis, vt profanatione feſtorum, ſuperba elatione, immiſericordiaque nos reuocat, nec [illegible] contra-

rias virtutes, honeſtosque mores ad benè beateque viuendum commendat & inculcat fidelibus.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Lucæ XIV.

CVM *intraret* IESVS *in domum cuiuſdã principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum. Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illũ. Et reſpondens Ieſus dixit ad Legisperitos & Phariſæos, dicẽs: Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt, ipſe verò apprehenſum ſanauit eum: ac dimiſit. Et reſpondens ad illos dixit: Cuius veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet: & non continuò extrahet illum die ſabbathi? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolã, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicẽs ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcũbas primo loco, nè fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo: & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore, nouiſsimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade recumbe in nouiſsimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Dicebat autem ei, qui ſe inuitauerat. Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; vicinos diuites: nè fortè te & ipſi reinuitent,*

& fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione iuſtorum.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum, Sabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.

PHARISAEI paſſim ab Euangeliſtis ita depinguntur, nullo vt vitio turpius, quàm liuore & inuidia laboraſſe, & grauius in Chriſtum Dominum deliquiſſe videantur. Hunc ſæpè quidem ad colloquiũ expetunt, & ad menſam inuitant, variisque de rebus interrogant, nonnunquàm & laudibus vehunt; ſed inuidiæ ſtimulis incitati, iſthæc agunt & tentant omnia, nimirùm vt habeant quod in Chriſti dictis & factis, adeóq; in tormentis mordeāt & calumnientur. Naturam quippè ſerpentum æmulantur, qui cibo etiam innoxio veſcētes, illum omnem in venenum planè conuertunt, ſicut & aranei, nè parùm noceant, ex bonis floribus præſens toxicum colligunt, nec diſsimiles quidē ſcarabæis, qui non ſine voluptate paſcuntur in ſtercore. Eſt enim inuidia, ſicut notauit & Baſilius, dolor de proximi proſperitatate, ac rerum ſucceſſu conceptus, ita vt inuidus animus mœſtitia atque triſtitia nunquàm careat, ac ſibi ipſi quidem vt authori, noceat maximè. Ex hac infœlici matre naſcuntur improbæ filiæ, quas Gregorius Magnus recenſet, odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, & affli-

afflictio in proſperis: eáque vitia in his ipſis Phariſæis dominari docent omnes Euangeliſtæ. Mihi verò hoc immane crimen tanto magis cauendum & execrandum eſt, quòd inter alia maximè diabolicum eſſe videatur, ac hominem prorſus in immanem dęmonem inuidia vſque flagrantem quodammodo conuertere, illique perſimilem facere ſoleat. Notum eſt autem ingenium antiqui inuidique ſerpentis, de quo ſcriptum legimus: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.* Ex hiſce fuit Cain inuidia & odio iuſti Abel ſic obcæcatus, vt ſe primum effecerit fratricidam. Eodem crimine Saul rex incitatus, innocentem Dauid ferre non potuit, ſed aperto Marte diu & hoſtiliter perſequutus eſt. Atrocior adhuc Iudæorum fuit inuidia, inter quos primas tenuêre Phariſęi, dum in Opt. Maximique Meſſiæ mortem acerbam crudeliter conſpirantes, in illas impias prorupêre voces: *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris.* Diſcam interim ego, hanc diram inuidiæ peſtem profligare, męque ab illa prorſus immunem ſeruare, ita vt cum æternæ Sapientiæ ſtudioſo teſter ex animo: *Sapientiã ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati. Neq́ cum inuidia tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.* Deinde vt inuidiæ ſpiritus me non afficiat & corrumpat, ingentem habebo curam fraternæ charitatis erga bonos & improbos exercendæ, vt ex ardenti quodam zelo partim alienæ fœlicitati gratuler, partim proximorum commodis perinde ac meis indoleſcam. *Charitas enim non æmulatur, non agit perperam, non cogitat malum, congaudet autem veritati,* vt reliqua prætereã, quæ ab Apoſtolo adducuntur. Quid multis? Chriſtum Dominum, qui factus eſt mihi via, veritas & vita, hîc æmulabor, nihil vt mouear quorumuis inuidia & obtrectatione, quin etiam mihi illud vſurpare poſſim: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Habet Chri-

Margin: Geneſ.3. — Sap.2. — Geneſ.3. — 1.Reg.23.& deinceps. — Sap.2. — Sap.7.& 6. — 1.Cor.13. — Ioann.14. — Pſalm.119.

ſtus etiam in menſa ſuos Momos, à quibus obſeruetur in di-ctis & factis omnibus: nec tamen deſinit de hiſce calumnia-toribus & ſycophantis in docendo benè mereri. Nam & *cùm malediceretur, non maledicebat, & cùm pateretur, non commi-nabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*, ſicut Petrus affir-mat. *Atq;* ita demùm Apoſtolicã illam obſeruabo doctrinã: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Si benefacientes pa-tiẽter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deũ: in hoc enim vocati eſtis.*

Deinde hoc loco Phariſæi me admonent, vt animaduertã, quanta intellectus obſcuritas, & iudicij prauitas ex tabeſcen-te, & res per ſe bonas deprauãte inuidia proueniat: tanta cer-tè, vt in meridiana etiam luce hallucinari & errare faciat ſa-pientes. Rabbini quidem & magiſtri in Iſraël primarij Phari-ſæi habebantur, & haberi volebant ab omnibus, ſed ſicut Chriſtus euincit, circa tertium præceptũ de Sabbatho, quo-modo & circa quartum de honore parẽtum illi non leuiter cæcutiebant, tam hebetes etiam ac pueriles, vt quis illorum proximus, quis Meſſias eſſet ignorarent, cæci profectò & du-ces cæcorum, in quos illud quadraret elogium: *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Dolebo autem, æui noſtri ſecta-rios tam multa cum hiſce *P*hariſæis habere communia, vt eorum ingenium & imaginẽ nobis omninò referre videan-tur. *E*tenim in ſacris verbis, quæ legunt vel audiunt de fide, Euchariſtia, clauibus Eccleſiæ & traditionibus, aliiſque re-bus magni momenti pronuntiari, facilè offenduntur, tum ve-teris *E*ccleſiæ inuidia odióque inflammati, Patrum dicta, fa-cta & inſtituta non rarò malignè deprauant, vel more ſuo ca-lumniantur, ac demùm in Catholicis nihil non mordent & carpunt, quod ipſorum modò palato malè ſapit, aut concep-tis ipſorum erroribus aduerſatur. Nos verò illis cum Chri-ſto dicemus: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona lo-qui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Ma-lus homo de bono theſauro profert mala. Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc percipies, vt educas feſtucam de ocu-lo fratris tui.* Paulinum dictũ planè in illos competit: *Teſtimo-*

nium

nium perhibeo de illis, quod æmulationem Dei habent, ſed nō ſecundum ſcientiam. Volunt eſſe legis doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Nec temerè factū putabo, quòd Chriſtum obſernent Phariſæi eo loco, vbi facilè peccatur, verusque temperantiæ modus, qui frenare debet appetitum, ægrè ſeruari ſolet, nimirùm inter epulas, & in conuiuio ſplendidiore. Etenim, vt verbis vtar Ambroſianis, paſcitur libido conuiuiis, nutritur delitiis, vino accenditur, ebrietate inflammatur.] Nihil verò dubium, quin Chriſtus cùm ad Phariſæos inuitatus accederet, vt honeſtiſſimè, ita & prudentiſſimè modeſtiſſimèque ſemper in menſa ſe geſſerit, ac omnis tēperantię formam & exemplum aliis prębuerit, licet, ſicut hoc demōſtrat Euangelium, in paſcendis ac docendis proximis præcipuè occupatus. Quanquàm vt ille maximè inter edendum circumſpectus ac irreprehenſibilis eſſet, tamen effugere nōn potuit morſus obtrectatorum, ſed ab illis audire debuit, vt alibi legimus: *Ecce homo vorax, & potator vini: publicanorum & peccatorum amicus.* Tum Apoſtolis illud obiiciunt Phariſæi: *Quarè cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter?* Quæ omnia non leuem mihi anſam præbent, vt quæ ad honeſtam piamqúe manducandi & bibendi diſciplinam attinent, Chriſti exemplo diligēter obſeruem, & alimenta quidem tanquàm medicamēta ſumam, illicque ſenſus meos accuratius in officio contineam, vbi lautius viuitur, & gulæ ac luxui magis quàm neceſſitati & frugalitati plerunquè ſeruitur. Hîc enim in mentem reuocare par eſt, quod Scriptura præcipit: *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnē eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſq; ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.* Ac rurſus: *Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur, vt non cùm manducas multùm, odio habearis.* Certè Chryſoſtomus Epiſcopus, & Paula Romana vidua, vt plures admirandæ ſanctitatis homines præteream, non temerè à conuiuiis abſtinuerunt, nè importuno exactori ventri plu-

1. Tim. 1.

Lib. 1. de pœnitēt. cap. 14

Matt. 11.

Matth. 9.

Eccleſi. 37.

Eccleſi. 31.

Vide vtriuſq; vitam.

ſculum indulgerent, quodque cognoſcerent paucis obtingere gratiam, quę ad perfectam victus moderationem & abſtinentiam præſtandam deſideratur. Rarò ſanè aliquem Iob comperias, qui ſibi ſuisque conſulens, verè dicat: *Verebar omnia opera mea. Antequàm comedam ſuſpiro. Non comedi buccellam meam ſolus, & comedit pupillus ex eo.* Hic ipſe ad altare ſacrificabat pro liberis ſanctificandis, quando illi ſua conuiuia celebrabant. *Nè fortè* inquit, *peccauerint filij mei.* Et pio Rege digna vox eſt: *Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quod ſi ad honeſtum ire conuiuium, & ſiue amicis, ſiue ignotis aſsidere cogar, (nam & Abraham, Tobias & filij Iob honeſta conuiuia ſuis amicis inſtruxerunt) imbecillitatis meæ conſcius, oratione me præmuniam, & vanas ſenſuum illecebras illic ſe ingerentes coërcebo, meque cautiſsimè geram. Scriptum eſt enim: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, & curam carnis in deſideriis facere prohibet Paulus: quin & Chriſtus ipſe præcipit, nè corda noſtra in crapula & ebrietate grauentur, volens nimirùm ſuos perpetuæ ſobrietati & frugalitati operam dare. Quarè nè inter edendum mei ſenſus nimiùm diffluant, & ego ſacrę temperantiæ metas excedam, Chriſtum ipſum in menſa ſedentem, & cum ipſis diſcipulis coràm agentem mihi ob oculos ponam, vt hoc monitus exemplo, honeſtam morum diſciplinam, nec minus loquendi quàm tacendi moderationem conuenientem obſeruem. Pium enim & religioſum eſt, vt cùm paſcor in corpore, ex charitate non ficta aſsidentes etiam alios ſecundùm ſpiritum ſubinde paſcere non erubeſcam. Vnde quemadmodum Chriſtus hoc loco, ſic alibi quoque, vt in conuiuio ſiue domo Simonis, Matthæi & Zachęi, non dubitauit concionari, quia non epulis, ſed ſpiritualibus lucris erat continenter intentus, ac omnem de præſentibus benemerendi occaſionem ſine fructu non ſinebat elabi, quicquid tandē præſentes Momi ac æmuli calumniarentur. Igitur & alibi cum à diſcipulis ad manducandum inuitaretur: *Meus cibus eſt*, inquit, *vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus*

eius.

eius. Adcò in menſa quoque locus eſt, ſi volumus, non modò nos, ſed etiam alios reficiendi pane ſpirituali: immò & euangelizandi pièq́ue piſcandi, aut ſacris de rebus philoſophandi. Non enim temere docuit princeps Apoſtolorum: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Et doctor gentium præcipit: *In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt: tempus redimentes. Sermo veſter ſemper in gratia, ſale ſit conditus.* 1.Pet.4. Coloſſ.4.

Si licet Sabbatho curare?

ERIT mihi valdè cordi præceptũ Decalogi tertium, plenũ ſanè moderationis & humanitatis, in quo ſummus Deus à quolibet fideli hoc exigit: *Memento vt diem ſabbathi ſanctifices*, vel ſicut alibi loquitur: *Obſerua diem ſabbathi, vt ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Ac iterum per Ezechielem: *Sabbatha mea ſanctificate, vt ſint ſignum inter me & vos: vt ſciatur quia ego ſum Dominus Deus veſter.* Vbi inprimis craſſum ego Phariſæorum, & communem Iudæorum errorem, quem etiam ethnici ſugillârunt, reiiciam & fugiam: quia inerti ocio delectati, Sabbathum celebrandum ad externam hominis quietem, & ad omnem à labore ceſſationem adſtringebãt, eamq́ue tantoperè vrgebant, vt quod præcipuum erat in hoc præcepto, pudendum in modum negligerent ac ignorarent. Etenim externo cultu contenti, miſſam faciebant veram & propriam Sabbathi ſanctificationem, & ſynceram animi cum autore ſuo coniunctionem, neque curabãt cultum Dei interiorem, cui externa illa quies ac remiſſio corporis inſeruire debebat, nimirùm vt totus homo diuino cultui & religioſis actibus cõmodius fœliciusq́; vacaret, atque ita ſpiritualem Sabbathiſmum hîc inciperet, quem cum electis omnibus conſummaret in futuro ſeculo, cùm electi omnes ad vnum citra impedimentum Deo ſuo perfectiſſimo modo & ſine fine vllo fruentur. *Relinquitur enim populo Dei*, ſicut Paulus dixit, *ſabbathiſmus*, qui tum demùm celebrabitur, cùm iuſti non minus corpore, quàm mẽte integrè ſibi reſtituti, lætitia, pace & quiete perpetua donabuntur

Exod.20.& 31. Deuter.5. Ezech.20. Hebr.4.

buntur,ſicut Iſaias & Ioannis Apocalypſis apertè promittunt. Ego verò etiam atque etiam dolebo, tam præclarum ac homini neceſſarium præceptum, à plurimis Chriſtianis ſi antehac vnquàm,nunc maximè quidem violari,nec ſine ſcandalo publico fœdè pollui, adeò vt maledicto Satanæ potius, quàm benedicto Deo diuinóque cultui tam ſacro tempore paſſim à fidelibus inſeruiatur. Quàm pauci, proh pudor ac dolor, puris,caſtis & religioſis operibus ſeriò vacãt, vt ſuum illuſtrent Sabbatum, ſi turbam illorum ingentem ſpectes, qui ſtudio ventris & voluptati carnis, omníque luxui, pompæ & laſciuiæ operam nauant, ac idcircò internum Dei cultum æquè ac externum in poſtremis ducunt, ac cæcis velut oculis prætereunt? Vnde ad Iudæos, adeòque ad nos etiam Chriſtianos grauis illa Dei offenſi ſpectat interminatio: *Sabbata mea violauerunt vehementer: dixi ergò vt effunderem furorem meum ſuper eos*, vt omittam interim frequentes id genus querimonias,& decretas à Deo pœnas in ſabbathorum profanatores. Neqúe minus ego meipſum reprehẽdam, qui feſtos dies ab Eccleſia ſanctè inſtitutos agnoſco quidem & celebro, Iudaica enim Sabbata velut vmbræ ac typus quidem euanuerunt,ſed quos longè magis in precio haberem, ac diligentiore cultu religionis ſanctificare debueram. Abeſt enim ſanctum illud otium, quo adiuta mens mundi carniſq; curam omnem excutiat,ac ſe totus homo ad veræ fidei opera ſtudiumqúe religionis tranquillè ac ſtudioſè conuertat. Ac tale quiddam in verbis illis Propheticis indicatur: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Dominus. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Quod ſi meipſum explorem accuratius,facilè comperiam,præcedentium dierum labes,conſcientiæqúe ſordes multas eſſe contractas, quas feſto die cumprimis in cumulum colligere, neqúe minus abſtergere atq; diluere conuenit, noua vt animi puritas aliquo pœnitentiæ ſtudio comparetur. Ita rectius & ſabbatum & meipſum ſanctificabo,quantóque diligentius mea deplorauero vitia, tanto accedam propius ad Paulinam illam ſententiam obſer-

uandam:

uandam: *Mundemus nos ab omni inquinamento canis & ſpiritus.* Hîc præterea locum habet illa cum Deo & proximo antè offenſo reconciliatio facienda, qualem præſcribit Euangelium, & quæ dies quidē ſeſtos exornat pulcherrimè, Chriſtianumquè pectus valdè commendat. Sed & verbum DEI tunc publicè proponi audiã, ita vt iuſtitiæ fames ac ſitis præcedant, & ſingularis accedat attentio, illamque ſementem iacti boni ſeminis fructus ſalutaris conſequatur. Sedenim quàm ægrè à mundo ad Deum, à carne ad ſpiritum, à viſibilibus ad cœleſtia & æterna me trãsfero? Aduolantes aues cū Abraham nō abigo, & ſpinas noxias quæ ſe intermiſcēt, non euello, vt in agro meo fruges bonę ſine impedimētis creſcāt atque matureſcant. Rurſus areſcit facilè triticum, ſi neceſſaria pluuia deſtituatur, quam ego cœlitus & ſuſpiriis & precibus impetrare ceſſo. Deeſt inſuper Deo valdè grata, mihiquè congrua gratiarum actio, quæ & memorem & gratū requirit animum erga fontem bonorum omnium, ita vt & generalia & ſingularia Creatoris collata beneficia in mētem à me ſedulò reuocentur: horum ſanè memoria & oblatio feſtis potiſſimùm diebus repetenda eſt. Pudet ſanè, me ad ſacram Liturgiam frequenter prętò eſſe cum eo torpore ac frigore, vt nequè meiipſius, nequè Chriſti Domini ac Redemptoris, nequè tremendi illius ſacrificij, quod myſticè & incruentè ad altare per ſacerdotē offertur, ſatis videar meminiſſe. Hæc aliáque plura id genus, quæ ad Catholicam pietatem feſto die exercendam ſpectant, ſubinde tam oſcitanter à me fiunt, proh dolor, vt de hoc obſeruato præcepto & ſanctificato Sabbatho ritè nequeam gloriari, ſed potius triſtari debeam. Proinde diuinam implorans gratiam, nouum mihi ardensq; ſtudium indicam, vt maior apud me fructus appareat Sabbathi celebrati, quemadmodum præceptum diuinum & Eccleſiæ inſtitutum meritò exigunt. Sed bone Deus, quis cultus, quę pietas in celebrandis feſtis olim apud veteres extitit? quando ſicut & Baſilius Magnus indicauit, Chriſtianus populus de nocte ſurgebat, ad precationis domum concurrebat,

2.Cor.7.
Matt.5.
Genel.15.
Matt.13.
Luc. 8.
Epiſt.63.

in orando peruigilabat, Pſalmos ac hymnos in templo decantabat, pias effundebat lachrymas, aliisq́ue pietatis internæ teſtimoniis & operibus alacriter inſiſtebat. Ad dies feſtos planè ſpectant ea, quæ Tertullianus Baſilio vetuſtior, de ritibus fidelium ſuo tempore in Eccleſia vſitatis ita ſcribit: Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro moræ finis. Cogimur ad diuinarum literarum commemorationē, fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina.] Nunc verò, ſi verum fatebimur, profani magis quàm ſacri conuētus noſtras defœdant ferias, in quibus Deum offendimus magis, quàm placare & honorare ſtudemus, ideòq́ue nihil eſt ſanè mirum, irati numinis vocem haud minus in nos quàm in Iudæos hypocritas competere. *Odiui* inquit, *& proieci feſtiuitates veſtras: & non capiam odorem cœtuum veſtrorum.* Habent igitur pij omnes, cur mecū, immò & vnà cum Hieremia ſeriò lamententur, ſæpèq́ue tecputent illud ſecum: *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem.* Atq́ue huc demùm ſpectant, quæ in huius operis veſtibulo ſunt annotata, ſi quis plura legere cupit de feſtorum dierum ſanctificatione atq́ue profanatione.

Cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco.

QVO magis egemus omnes virtute humilitatis, in qua progreſſum facere ſemper poſſumus & debemus, eo frequētius & diligentius de ea Chriſtus in Euangelio differit, cùm
23 & probè ſciret, Adæ filios naturâ ſuperbos ac elatos, vix vnquā ſatis deprimi, & ad virtutis huius cultum ac ſtudium reuocari poſſe. Præterea intelligebat, humilitatem inter virtutes alias coram Deo & in negotio iuſtificationis homini prodeſſe plurimùm, quemadmodum in parabola illa de humili publicano

blicano

bliçano dicta non obſcurè mõſtrauit. Oſtendit inſuper hoc loco, virtutis eiuſdem vſum ac fructum tam latè longeq; patere, vt in rebus etiam priuatis & publicis, in domeſticis & forenſibus ſuum habeat locum, nec minus ad amicos conciliandos & conſeruandos, quàm ad hoſtes placandos perſæpè conferat. Quod autem de humilitate & modeſtia in menſa vel conuiuio ſeruanda hîc adfertur, bellè cum eo cõuenit, quod antè docuerat Salomon ita ſcribens: *Nè glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum nè ſteteris. Melius eſt enim vt dicatur tibi, Aſcende hûc: quàm vt humilieris coram principe.* Ego verò inprimis mihi cauebo à ficta ſalaque humilitate, quæ partim in Phariſæis ieiunia ſua per pallorem vultus oſtentantibus, partim in pleriſque mendicis voce & geſtu humilitatem quandam ſimulantibus frequenter apparet. Tum perſpicuè dixit Eccleſiaſtes: *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* Eóque magis neceſſarium Hieronymi præceptum amplectar, quo traditur: Fictam humilitatem fugiens illam ſectare, quæ vera eſt, quam Chriſtus docuit, in qua non ſit ſuperbia incluſa. Multi enim huius virtutis vmbram, veritatem pauci ſequuntur.] Ac rurſus: Humilitatem ſequere, non quæ oſtenditur atque ſimulatur geſtu corporis, aut fracta voce verborum, ſed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem: aliud eſt rerum vmbram ſequi, aliud veritatem. Multo deformior eſt illa ſuperbia, quę ſub quibuſdã humilitatis ſignis latet.] Veram porrò humilitatem in eo ſtatuam, vt quis ex intima cognitione ſibiipſi vileſcat ex animo, ac licet reuera ſit magnus, ſicut Ioannes magnus coram Domino fuit, tamen de ſe ipſe nihil magni ſentiat aut loquatur, ſed potius omnium ſeſe vltimum ac indigniſſimum arbitretur, quique per ſolam ſummi Dei miſericordiam iuſtus & ſaluus eſſe confidat. Nunquàm enim ſe audet perfectè humilis attollere, ſed ſe ſemper ſtudet deprimere, ſciens à Domino id eſſe præceptum: *Vade & recumbe in nouiſſimo loco: Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit,* Apoſtolo teſte:

Prou.25. Matth.6. Eccleſ.9. In epiſt. ad Celanciam. Luc.1. Luc.14.

lo teſte: qui alibi quóque docet: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Quo magis mihi curandum putabo, vt philautiam omnem exuam, & intimam animi ſummiſſionem induam, per quam ex illis ſim paruulis, qui cœleſti reuelatione Patris illuſtrantur, & propter quos Chriſtus exultat in Spiritu ſancto. Erigāt alij, quantum velint, criſtas & cornua, vt aliquid eſſe appareant, & ſicut humillima Virgo cantauit, mente cordis ſui ſuperbiant. Ego cum Dauid Propheta in domo Dei abiectus eſſe gaudebo, & inter illos recenſeri cupiam, qui mundo deſpecti, & Deo dilecti ſunt, vtpote pauperes ſpiritu, quorum eſt regnū cœlorum, toto licet mundo contradicente. De his ipſis cōmune prauorum & ſuperborum tandem iudicium reſonabit: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam*, vt reliqua prætermittam. Sed quale ſummi *Dei* iudicium de puſillo hominum grege, quibus regnum dare complacuit Patri? *Ad quem reſpiciam*, inquit, *niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Cui dicto non eſt abſimile, quod Chriſtus ſuos ab ambitione reuocās, & ad ſingularem humilitatem informans pronunciauit: *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Egregiè dixit Hieronymus. Nihil habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius. Hæc eſt enim præcipua conſeruatrix, & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium: nihilqúe eſt quod nos ita & hominibus gratos & *D*eo faciat, quàm ſi vitę merito magni, humilitate infimi ſimus. Propter quod Scriptura dicit: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*]

Mirabor interim quî fiat, vt excelſus & qui in cœlis habitat præpotens Deus, humilia in cœlo & in terra reſpiciat, eligat, amplectatur, ſemperque ſuperbis reſiſtat; mundus autē vſque plenus maneat ſuperbię filiis, ſiue Moabitis, quos Prophetę quidem Iſaias & Hieremias propter nimiam arrogan-
8. tiam ac mentis elationem grauiter increpant, atque d[illegible]

Sed

ꝺ me incogitantem, cui tot viæ ad comparandam humi-
m ſuppetunt, quot miſeriæ & calamitates ſubinde pre-
t, meque ad ſubmiſsè viuendum veluti calcaribus & ſti-
s quibuſdam incitant. Quanquam nè ita quidem addi-
vt ictus ſapiam, meque pro *A*dæ filio vanitati ſubiecto, Roman.8.
itisque ærumnis obnoxio reputem ac vilipendam. Nec
aduerto, Deum tot minis terrefacere, totque flagellis
em corripere, vt me & peccantes alios humiliet, ac hu-
atos ad ſe redire, verèque humiles eſſe compellat. Humi
em vera eſt, qua homo de ſe parua æſtimat, & alterius
ſine inuidia & liuore cõmendat. Ad quam tē mirificè
fert humiliatio, vt veteres appellant, pons nimirū ad hu-
tatē recta ducēs, ſicut ad pacem patientia, & ad ſcientiam
o viam ſternit. Quocircà prudenter à viro ſancto dictum
i virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humi-
onis. Fode in te fundamentum humilitatis, & peruenies
aſtigium charitatis. Tātum ſanè crux & afflictio vati pro-
Regio, vt palàm de ſeipſo fateretur Domino: *Bonum mi-* Pſalm 118.
uia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Pro aliis au-
qui afflicti non reſipiſcunt, vt cum impio rege Achab 3.Reg.21.
am Deo ſeſe humilient, idem ita precatur: *Imple facies eo-* Pſalm.82.
ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Ac iterum: *In* Pſalm.31.
mo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant
e. Ego verò nõ iniuria lugebo, me hactenus in ſchola ſan-
humilitatis tam parùm profeciſſe, & ſummi optimique Philipp.2.
giſtri indignum eſſe diſcipulum, qui adeò ſe exinaniuit, vt
minus factis quàm verbis doceret illud: *Diſcite à me quia* Matth.11.
is ſum, & humilis corde. Ecce de cœlo venit, qui ſeruo in
a occurrere non deſpicit, vt à Gregorio Magno dictum Homel.27.
& tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra ſu
s.] At verò ſi me ſeruum inutilem profiteri habeo, quàm-
cuncta Dei præcepta compleuerim, quemamodum ex Luc.17.
angelio conſtat: quanto magis me ſeruum inutilem, im-
& nequam, nec gratia, ſed gehennæ pœna dignum arbi-
bor, qui agnitis Dei mei præceptis non ſine ſuperbia reſi-

Ttt ſto,

ſto, meque totum ſub potenti manu Patris non humilio, vt cum filio prodigo ex animo pœnitens dicam: *Pater peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Scribunt quidem Theologi, vt Caſſianus, Bernardus, Anſelmus, de diſtinctis gradibus Euangelicæ humilitatis, quos veluti ſcalam Iacob aſcendere oporteat, ſi cum humilibus in cœlo exaltari deſideremus. Sed meritò me pudeat atq; pœniteat, quod ab huiuſmodi gradibus tam longo diſtem interuallo, vt nec vllum quidem gradum attingam, ad quem Regius propheta peruenerat, cùm de ſeipſo bona conſcientia teſtaretur: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neq́ elati ſunt oculi mei. Neq́ ambulaui in magnis, neq́ in mirabilibus ſuper me.* Egóne humilis mihi videar, qui vanis etiam, nônunquàm & falſis aliorum laudibus delector, qui humanum fauorem & applauſum aucupor, qui ſæpè mihi nimiùm placeo & applaudo, qui ab aliis me reprehendi ægrè fero, & demùm ob leuem acceptam vel iniuriam, vel contumeliam in iram & concitatiores affectus impatienter erumpo? Verùm ſatis eſt de hac Euangelica, Chriſtíque propria, nec vnquàm pro dignitate laudata virtute monuiſſe, quæ ſignum electorum euidentiſſimum Gregorio dicitur, & iam antè circa Dominicam vndecimam illuſtrata eſt. De virtutis huius neceſſitate atque præſtantia hoc vnum addam, quod Auguſtinus egregiè tradidit: Niſi humilitas omnia, quæcunque benefacimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia. Vitia quippe cætera in peccatis, ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt, nè illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur.]

PRECANDVS *eſt mihi Deus, vt vetus fermentum Phariſæorum, quod multis Catholicis eſt familiare tollatur, nimirùm ambitio, ſuperbia, inuidia, odium, pauperumq́ negl ctus. Præterea*

ut maior uſus temperantiæ ac modeſtiæ in noſtris conuiuiis ulis ſine luxu paßim vigeat. Notum eſt enim Petri Apoſtoli eptum: Sobrij eſtote & vigilate, *quodq́; Chriſtus ipſe man- t*: Attendite vobis, nè fortè grauentur corda veſtra in cra & ebrietate. 1.Pet.5. Luc.21.

RABO *etiam pro ſpeciali gratia conſtantis humilitatis, & ſtianæ modeſtiæ obtinendæ, quam ego non ſolùm erga maio- ſed æquales etiam ac inferiores animo ſyncero præſtem, nulli ne facilè anteponam, quin potius alios omnes me digniores limem. Ita quippe Paulus fideles hortatur*: Nihil per con- tionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſu- iores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli ſiderantes, ſed quæ aliorum. Philipp.2.

PETAM *inſuper, vt ad Eccleſiæ reformationem veniatur, ſertim circa dierum feſtorum celebrationem, vt qui magna diuini honoris iniuria, nec ſine graui animarum iactura & uſione bonorum in oppidis & pagis violantur, ſæpèq́; in turpi faſtu, luxu, vanitate, & diaboli obſequio longè magis quàm Dei viui cultu & Chriſtiana honeſtate publicè conſumuntur. bbatha enim, proh dolor & pudor, non ex Dei præcepto Eccleſ q́; inſtituto ſanctificantur, ſed turpiter ac impiè paßim profa- ntur, iramq́; nobis diuinam augent vehementer.*

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

DVABVS quæſtionibus totum hoc Euangelium ab- ſoluitur: prior Legisperiti eſt propoſita Chriſto de

magno præcipuoque mandato veteris legis: altera Chri ſtum habet interrogantem de Meſsia, ſitne ille Da[illegible] filius quum & Dominus eius in Scriptura voce[illegible] priorem quæſtionem expeditè reſpondetur, prim[illegible] ximumque legis diuinæ mandatum, ſimulque [illegible] dem & Prophetarum omnium ſummam, Dei [illegible] charitate comprehendi. Cæterùm ad poſterior[illegible] à Domino cæci & cæcorum duces Phari[illegible], re[illegible] aliquid, ſed vt ancipites hæreant ex ignora[illegible] aſſequuntur, Meſsiam ipſum ſecundùm diuina[illegible]a Dauidis Dominum, & ſecundùm naturam hum[illegible]m aſ ſumptam Dauidis filium à Vate regio appella[illegible] qui Dauidis & Prophetarum omnium Dominus [illegible]exi ſtit, idem ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, & ob tem- porariam natiuitatem filius hominis fieri, verumq; Meſ- ſiæ officium in terris obire dignatus eſt, licet à ſua gente non cognoſceretur. Diligẽdus autem eſt Deus, ſicut hoc exigit Euangelium, in ſe & propter ſe, & ſuper omnia: proximus verò in Deo, & propter Deum. Nec [illegible]pre- ceptum aliud his duobus maius, ſublimius, fr[illegible], magisq; neceſſarium excogitari. Adeò autem Deu[illegible] ſumma ipſius eſt bonitas, proximum à nobis vult [illegible], vt ſeipſum non æſtimet amari, niſi & proxim[illegible] d[illegible], ſicut Ioannes dilectus illo dicto indicat: S[illegible] quoniam diligo Deum, & fratrem ſuu[illegible], [illegible] eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum [illegible] quem non videt, quomodo poteſt d[illegible]re? [illegible] datum habemus à Deo: vt qui dili[illegible] [illegible] fratrem ſuum.] Duo igitur hoc do[illegible] ad benè beatèque viuendum cunctis [illegible] debent neceſſaria, & quæ non modò c[illegible] nant, ſed perfic[illegible]unt etiam homines [illegible] ſione: nimirùm fides & charitas. De [illegible] Mar tyr pulchrè dixit: Principium qui[illegible] verò eius dilectio: Ambæ verò ſimul iunctæ [illegible] facta, hominem Dei perficiunt.] Nec diſſentit Cy[illegible] Alexan drinus, cùm ſcribit: Volũ[illegible]ia eſt noſtra cu[illegible]llo con- glutinatio & charitate ac fi[illegible] perficitur. Et fides quidem

in a

in animo noſtro conſiſtit, veram Dei cognitionem effi-ciens: Charitas verò mandatum eius ſeruare facit. Qui e-nim me diligit, inquit, is mandata mea ſeruabit. Qui er-gò per fidem Chriſto ſolummodò coniunguntur, ſola illi confeſsione inhærentes, nec charitatis vimine ſe colli-gantes, palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi; nam fi-des abſque operibus mortua quædam res eſt.] His acce-dit planè Chryſoſtomus, inquiens: Neque fide ſolùm o-pus eſt, ſed etiam charitate. Nam plurimi nunc vſq; ſunt, qui Chriſtum Deum quidem eſſe credunt, ſed ipſum ta-men non diligunt, neque charitatis iura cuſtodiunt.]

Ioan.14.& 15

Iacob.2.

In epiſt.1.ad Timoth.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. XXII.

INterrogauit Ieſum vnus legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mãdatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos IESVS, *dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergò Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum: quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neq; auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?

LIBERET me Deus à faſtuoſo, ſubdolo & ſupercilioſo hoc genere ſapientum, in quibus olim Legiſperiti & Phariſæi apud Iudæos & iuſtiſſimi & doctiſſimi habebantur, digni ſanè de quibus vna cum Paulo pronũtiemus: *Dicentes ſe eſſe ſapientes*, id eſt, Doctores & Rabbinos, *ſtulti facti ſunt.* Depingit hos etiam Ieremias, inquiens: *Sapientes ſunt vt faciant mala, benè autem facere neſcierunt.* Et horum quidem magiſtrorum tanta erat arrogantia, vt in Deo & cognitione diuinæ legis ſtultè gloriarentur, ſeque duces cæcorum & aliorum in tenebris verſantium lumen eſſe confiderent, in ſuis quidem oculis ſapientes, ſed reuera tam inſipientes, vt finem legis & ſolem ipſum iuſtitiæ Chriſtum, qui inter ipſos ſtabat medius, ignorarent. Habebant ſcientiam, vti Paulus vocat, inflantem, & in mirabilibus ſuper ſe ambulabant, curioſa potius & inutilia quàm ſalutaria perſcrutantes, ſemper quidem diſcentes, & nunquàm ad ſcientiam veritatis peruenientes. Ex horum numero præſens Legiſperitus vltrò ſe ingerit, qui cùm ſpiritu carnis eſſet inflatus, Chriſtum nouum velut magiſtrum adit & conſulit, non vt eius fiat diſcipulus, aut quòd Euangelicæ philoſophiæ ſtudio & amore teneatur, ſed vt more ſuorum æqualiũ Meſſiæ paret inſidias, anſamq; reperiat calumniandi. Etenim haud minimus illorũ erat, de quibus dixerat Salomõ: *Pedes illorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem. Fruſtra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.* Idem verò Legiſperitus, qui præcepta legis minima non obſeruabat, de maximis interrogare contendit, præſertim cum à vera fide alienus

us eſſet,nec ſuum quidem Meſsiam agnoſcens. Igitur ex
us hominis morbo mihi cōficiam pharmacum, eò cum
nis intentus, vt ſacra interrogaturus vel percepturus, ſi
am & cœleſtem amem ſapientiam,omnis iuſtitiæ docto-
,omniſque ſapientiæ fontem Chriſtum quæram, agno-
n atque colam. Vnde cum Apoſtolis corā illo teſtabor:
nc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi vt quis te inter- Ioann.16.
et: in hoc credimus quia à Deo exiſti. Illum ipſum ante om-
conſulam & audiam,ſicut me docuerit in verbo ſcripto,
n ſuis legatis atque vicariis,hoc eſt,in Eccleſiæ Catholicę
toribus atque doctoribus,à Spiritu ſancto inſtitutis. *Et e-* Actor.20.
n per hos ipſos verbum ſuum ſcriptum interpretatur, &
iritus ſui ſenſa reuelat,& quæ vel credenda vel agenda ſu-
ndaque ſunt,ea omnium ætatum ouibus patefacit. Vt ve-
fidem illorum ac doctrinam libentius amplectamur, fir-
usque conſeruemus, hanc promiſſionem adiunxit: *Qui* Luc.10.
audit,me audit: qui vos ſpernit,me ſpernit: qui autem me ſper-
ſpernit eum qui miſit me. Eâdem ratione Deus Prophetam
cechielem affatur: *Domus Iſraël nolunt audire te, quia no-* Ezech.3.
t audire me. Omnis quippe domus Iſraël attrita fronte eſt, &
ro corde. Nec minus ad Chriſtianos quàm ad Moſaïcos ſa-
rdotes pertinet, quod apud Malachiam diuinum affirmat
aculum: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem re-* Malach.2.
irent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Iam
rò nè præpoſterè diſcam, meque ipſum in ratione diſcen
impediam,magni referre putabo, vt relicto ſtudio vanita-
,ſolida & ſalutaria ſcire contendam, meque candidum &
ncerum diſcipulum veritatis præbeam, qui nempè cupiat
rfectus eſſe homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus;
hunc enim finem diuinam referre Scripturam Apoſtolus 2.Tim.3.
ocet. Cæterùm immoderata & noxia ſciendi diſcendique
apiditas, quæ diuino timore non refrenatur, hoc æuo plu-
mis imponit,eoſque non ſolùm arrogantes,ſciolos & con
entioſos, verùm etiam pertinaces hæreticos facit, dum illi
uis præfidunt ingeniis,& in ſacris æquè ac profanis rebus ſi-

bi quod libet licere poſtulant, nec ſapiunt ad ſobrietatem in Eccleſiæ domo, ſi errare nolumus, ſemper incorrupte ſeruandam. Atque hûc ſpectat quod à Sapiente dictum eſt: *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid ſibi conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut vmbra præterit?* Mihi ſanè, omniq́ue veritatis ſtudioſo cumprimis cauendum eſt, nè in Propheticam illam maledictionem incidamus: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*: ideóque præceptum Salomonis mihi ſemper commendatum habebo. *Nè innitaris* inquit, *prudentiæ tuæ: nè ſis ſapiens apud temetipſum.* Nec parùm profuerit, ſi ego ad Dei cultum accedēs, ita me comparem, vt reiecto Phariſæorum ſupercilio, ſicut Chriſti paruulum decet, ſanctam induam ſimplicitatem, & in ſacris me geram religioſè, quemadmodum illa monet ſententia: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum.*

Præcipua verò mihi cura erit diſcendi atq́ue intelligendi, immò & obſeruandi præcepta diuina, de quibus Legiſperitus interrogat, vt voluntas mea nullibi ſit & exerceatur magis, præterquàm in lege Domini, in qua die noctéque meditari, beati hominis eſſe officium Pſaltes regius docet. Cæterùm quod ad præcepta Decalogi attinet, his ego permultùm tribuam, eaque legibus omnibus anteponam, nihil dubitās, me & Chriſtianos omnes ad obſeruāda illa nō minus quàm Iudæos adſtringi, nec ſine illis quenquam Deo placere, ac ſalutem æternam conſequi poſſe. Habent illa non hominum, ſed Deum authorem, cui nullus eſt ſimilis in legiſlatoribus, qui & digito ſuo ea ipſa duabus tabulis inſculpta, & diſtinctè perſcripta, Moyſi Prophetę primùm in monte, & populo ſuo deinde vniuerſo ſanctè tradidit, vt decem eiuſmodi verba, ſicutidem Moyſes nuncupauit, à cunctis corde, ore & opere obſeruentur. Ac prioris quidem tabulæ præcepta de DEO, poſterioris autem reliqua ſeptem de proximo luculēter ad-

monent,

ment, omniaqúe ſic diſpoſita ſunt, vt vno charitatis præ-
o, quod totius legis plenitudo eſt, comprehendantur.
ɔcircà pro ingenti munere deputabo, diuinæque boni-
gratias agam ob præcepta Decalogi nobis etiam Chri-
is ſic tradita, vt eorum obſeruatio in hoc noui teſtamẽti
pore ex amore proficiſcatur, & in illis fidelibus, qui ſe- Roman.8.
dùm ſpiritum ambulant, perficiatur. *Lex enim per Moyſen* Ioann.1.
eſt, vt Ioannes inquit, *gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ*
eſt, cùm nempè per eiuſdem Chriſti ſpiritum charitas
ſa eſt in cordibus noſtris, vt legis iuſtificatio in nobis im Rom.6.&8.
tur. Nam veriſſimè dixit Auguſtinus: Lex data eſt vt gra- Lib. de grati-
quæreretur: gratia data eſt vt lex impleretur. Habemus e- Chriſti.cap.
legislatorem non Moyſen, ſed Chriſtum, qui benedi- 19.&20.
nem dat, ſuamque legem inſcribit cordibus, & per Spiri- Pſalm.83.
ſuum facit renatis præcepta ſua non ſolùm ad obſeruan Ierem.31.
poſſibilia, ſed & facilia ſuauiaque, & ſarcinam præce- Ezech.36.
rum amantibus leuem imponit, vt qui ſerui eramus cu- Matth.11.
tatis, liberati ſerui efficiamur charitatis. Quarè cum Au- Auguſtin.tra-
ino iterum dicam: Quid ſunt iſtiuſmodi leges Dei ab ip- ctat.41.in Io-
eo ſcriptę in cordibus fidelium, niſi ipſa præſentia Spiri- ann. Et lib.d
ſancti, qui eſt digitus Dei, & quo pręſente diffunditur cha ſpiritu & lit-
s in cordibus noſtris?] Optabo igitur eam charitatem & ra.cap.21.
iam Spiritus mihi conferri, vt quia Chriſtum ſeriò dicen
audio: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, cum ado- Marc.10.
ente quodam, quem Chriſtus amauit, reſpõdere poſſim: Matth.19.
omnia obſeruaui à iuuentute mea. Adſpirabo inſuper ad il-
am imitationem, qui cum Ioannis Baptiſtæ parentibus in Luc.1.
nibus mandatis Domini ſine querela vixerunt, iuſti & o-
lientes ante Deum, & ſicut Propheta inquit, immaculati
ia, & in lege Domini ambulantes, totóque corde illum Pſalm.118.
uirentes. Nec minus dolebo, me à veræ charitatis obe-
ntiæque laude procul abeſſe, & idcirco non experiri fru-
s Decalogi ſuauiſſimos, quos Vates regius ſæpè commen
, ac his etiam verbis exprimit: *Lex Domini immaculata, con* Pſalm.18. &
tens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans 118.

*paruulis. Iuſtitiæ Domini recta, lætificantes corda, præceptum Do-
mini lucidum, illuminans oculos.* Et paulo poſt: *Deſiderabilia
ſuper aurum & lapidem precioſum multùm, & dulciora ſuper
mel & fauum. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis il-
lis retributio multa.* Inprimis autem ſummo Deo gratias re-
gentes agam, qui ſuam ſanctam voluntatem Decalogi præ-
ceptis explicauit, certamque ſalutis viam ad legem naturę in
mentibus hominum renouandam atque illuſtrandam oſten-
dit, & populum ſuum tanto theſauro, tantaque prærogatiua
cohoneſtauit. *Non enim taliter fecit omni nationi, & iudicia
ſua non manifeſtauit eis*, ſicut idem Pſaltes non temerè canit.
Quarè Moyſes etiam Iſraëlitico populo gratulans aiebat:
*Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audien-
tes vniuerſi præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelli-
gens, gens magna.* Interim verò mihi ab illis metuam male-
18 dictionibus & pœnis à Deo ſæpè repetitis, in quas pręcepto-
rum horum tranſgreſſores incurrunt, vt iuſtitiam & ſalutem
omnem amittant, & ab electis ſegregati, in ira & maledictio-
ne Dei maneant, perpetuò quidem infœlices, niſi reſipi-
ſcentes in viam obedientiæ reuertantur. *Maledicti enim qui
declinant à mandatis tuis.* Quod ſi omnis pręuaricatio & ino-
bedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, ſicut Pau-
lus ratiocinatur: quomodo nos effugiemus, ſi tantam negle-
xerimus ſalutem, voluntariè ſcilicet peccādo poſt acceptam
notitiam veritatis? *Melius enim erat non cognoſcere viam
iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis
traditum eſt ſancto mandato*, ſi Petro Apoſtolo fidem habe-
mus. Adhæc ingenti cum fiducia & alacritate amplectar in-
effabilem Dei bonitatem, quæ credentibus offertur atque
donatur, vt in hac tanta vitæ imbecillitate factores legis &
præceptorum Decalogi cuſtodes, verèque iuſti eſſe poſſint.
Quocirca de illis Ioānes affirmat: *Videte, qualem charitatem
dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Ac iterum:
Nos ſcimus inquit, *quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam,
quoniam diligimus fratres. Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt: ſicut &*

ill

ſtus eſt. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Nec dubitat
ſtinus aſſerere: Charitas eſt, qua vna verè iuſtus eſt, qui-
ue iuſtus eſt: charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: cha | Lib. de natura & gra. cap. 38. 42. & 70.
prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iu
eſt; charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.]

iliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.

VM ego tam multa & præclara de charitate Dei, ſicut
ılla virtute alia, legam & audiam, iure admirabor, me ad
preciosſam & ineſtimabilē margaritam aſſequēdam nō | Matth. 13.
s affici, & ſtudioſius cooperari, quando Euangelicus
tiator eſſe debeo, qui venditis omnibus eandem mar-
am ſibi comparat & aſſeruat, vt Chriſtus ipſe monſtra-
Nec alij verè diuites & coram Deo fœlices iudicādi ſunt,
n qui ab Apoſtolo in charitate radicati & fundati appel- | Epheſ. 3.
ır, quique ſecundùm Euangelicam parabolam ſunt ho-
s veſte nuptiali decorati, & virgines oleo ſpirituali in | Matt. 22. & 25.
ucentibus lampadibus conuenienter inſtructæ. Tantó-
magis mihi habeo diſplicere, qui hanc veſtem nuptialē,
oc virgineum oleū non circumfero, nec accenſum hunc
m in me ſentio, de quo Chriſtus aiebat: *Ignem veni mit-* | Luc. 12.
in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Hunc ignem
e multæ tribulationum in Sanctis obruere & ſuperare
potuerunt, vt idcircò ſcriptum legamus: *Aqua multa nō* | Cantic. 8.
runt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. Sunt
iſtinguant inter tria in hoc præcepto coniuncta de dili-
lo Deo ex toto corde, in tota anima, & in tota mente: vt
alij duo Euangeliſtæ Marcus & Lucas, aliter atque ali- | Marc. 12. Luc. 10.
oc ipſum præceptum recenſent. Deum ex toto corde
ue diligit, quiſquis fidem & diuina citra errorem perci-
ſuumque intellectum in Dei obſequium captiuat ad aſ-
iendum omnibus, quæ credenda preſcribit Eccleſia: qui

præ-

præterea de dilecto Deo lubenti animo ſæpè meditatur. Ex tota porrò anima diligit, cuius voluntas omnis abſque contradictione cum Deo Deique voluntate manet coniuncta, atque in omnibus illi parêre conatur. Demùm ex tota mente diligit, cuius cogitatio & memoria in his, quæ ad honoré diuinumque cultum ſpectant, maximè conſumitur. Perfectè illi Deum diligunt, qui vitam ipſam pro ſalute proximorum impendunt, multóque magis ſi propter veræ fidei confeſſionem ſuum fundāt ſanguinem, vt verè Chriſti teſtes ſiue Martyres efficiantur. Nam & Chriſtus ipſe in hunc modum loquitur: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Summa verò & nucleus præcepti huius in eo verſatur, vt ex omnibus quæ diligi poſſunt, ſummis illa diuini æternique numinis dilectio in me ſuperet alias omnes dilectiones, vtque author & conſeruator ipſe hominum, qui res cunctas infinitis partibus excedit, ſolus ametur ſuper omnia. Proinde nulla res cordi meo ſic inhærere debet, ſicuti vt ſuus æterno Deo amor & cultus à me & aliis tribuatur. Quam ob rem deſpiciantur opes, deſerantur parentes, repudientur amici, eruantur oculi, præſcindantur pedes, perferantur ſupplicia, vita iſthæc profundatur. Nihil denique vel non agendum, vel non ſuſtinendum poſſibile quod ab homine agi ac ſuſtineri poſſit, dummodò mihi Deum ſeruem propitium, & ſanctè illius voluntati legique pareram nunquam violaturus præſcriptum omnibus Canonem qui eſt certè ſacroſanctus: *Dominum* DEVM *tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Vel ſicut à Moyſe ſcriptum eſt: *Dominum Deum tuum timebis, & ei ſerues: ipſi adhærebis, iurabiſq; in nomine illius. Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus. Ama Dominum Deum tuum & obſerua præcepta eius.* Eôdem ſpectat illa Chriſti ſententia: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Proſper Aquitanicus de hoc præcepto, ſi quis alius, ſcripſit luculenter: Quid eſt diligere Deum, niſi illi capiendi animo concipere fruendæ viſionis eius affectum, peccati odium

Ioan. 15.

Matt. 4.

Deut. 10. & 11

Matth. 10.

Lib. 3. de vita contemplatiua. cap. 15.

mund-

mundi faſtidium, diligere etiam proximum, quem ipſe in ſe cenſuit diligendum, in ipſo amore ſeruare legitimum modum, ne peruertere dilectionis ordinem conſtitutum. Ordinem dilectionis illi peruertũt inquit, nec modum diligendi cuſtodiunt, qui aut mundum qui contemnendus eſt, diligunt, aut corpora ſua minus diligenda plus diligũt, aut proximos nō ſicut ſeipſos, aut Deum plus quàm ſeipſos fortè nō diligunt. Et poſtea: Illi perfectè Deum diligunt, qui volēdo quod vult *Deus*, & nolendo quod non vult, nec vllis peccatis quibus offenditur acquieſcunt: & ſemper ſe ad virtutes, quas ipſe dignatur donare, diligendas & habendas extendũt. Hi ſunt qui omnia bona quæ implere potuerint, ab illo ſe adiutos vt poſsint, veraciter credunt: quicquid mali commiſerint, vitio ſuæ voluntatis adſcribunt: quicquid boni non potuerint implere, ab illo vt poſsint, iugiter petunt: cùm potuerint illi gratias agunt.]

Quę cum ita ſint, dolenter ſanè cogitabo, hoc iuſtum, ſanctum, ſalutare, neceſſarium, primum præcipuumque mandatum, quo nullum aliud auguſtius eſt atque prȩſtantius, nō mihi ſæpius in memoriam reuocari, nec in imo hærere pectore, vt cum Propheta regio dicere queam: *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. In toto corde exquiſiui te: ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meã. Ecce qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Dolebo itidem, quòd non ex toto corde, & ſæpè nec dimidio quidem ſummum illud bonum diligam, quodq́; non integram, ſed diuiſam & mutilatam mentem cum Deo partiar, vtpote mundo magis quam Deo & carni non minus quàm ſpiritui deditus, ſimulque diuini timoris & amoris expers. Obliuiſcor enim Apoſtolicæ ſententiæ; *Amicitia huius mundi inimica eſt Dei. Quicunq; voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Rurſus dolebo, exiguam aut nullam operam à me

Pſalm. 118. 72. & 83.

Iacob. 4.

Matt. 6.

poni in beneficiis diuiniis recolendis, vt cœleſtis amoris flã-
ma in corde meo magis ac magis ardeat, & ego cũ Prophe-
Pſalm.38. ta verè dicere poſſim: *Concaluit cor meum intra me, & in me-
ditatione mea exardeſcet ignis.* Cùm enim ſubinde cor meum
in amore ſancto tepeſcat & frigeat, ad calefaciendum illud
ligna non ſubiicio, vt ignis charitatis ardeat iuxta Domini
Leuit.6. præceptum: *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacer-
dos ſubiiciens ligna manè per ſingulos dies.* Ac iterum: *Ignis eſt
iſte perpetuus, qui nunquàm deficiet in altari:* Adhæc dolebo,
me tot ac tantis à ſummo Deo perceptis beneficiis ingratũ
exiſtere, vt inde ab æterno dilectus, gratisque vocatus ac iu-
ſtificatus illum non redamem, qui mihi ſolus teſtari poteſt:
Hierem.31. *In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miſerans.* Nec eſt
alius præter Deum ſolum, de cuius æterno, gratuito, perfe-
cto, efficaci, fideli & abundanti amore gloriari rectius queã,
1. Ioann.4. vt hinc Ioannes dixerit: *Ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum
propiciatorem pro peccatis noſtris.* Et iterum: *Nos ergò diligamus
Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Præterea dolebo, veræ
huius dilectionis indicia in me pauca elucere, quibus aliqua
ex parte certior eſſe poſſim, hunc ingentẽ theſaurũ in cordis
mei agro recondi, vel ſicut Paulus loquitur, apud me in vaſe
2. Cor.4. manere fictili. Vbi enim peccati odiũ ac deteſtatio? cùm ſcri-
Pſal. 96. & 10. ptum legamus: *Qui diligitis Dominum, odite malum, Omnis
qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Vbi obedientia fi-
lio congrua erga optimum maximumqúe Patrem? Non e-
Ioann.14. nim fruſtra dixit Veritas: *Si quis diligit me, ſermonem meum
ſeruabit, & Pater meus diliget eum. Qui habet mandata mea &
ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Vbi demùm quotidianæ crucis
patiens perpeſsio, firmaqúe conſolatio? vt ego in mediis et-
iam tribulationum aquis natans, cum Propheta decantem:
Pſalm.26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?* vtqúe fi-
Rom.8. denter cum Apoſtolo dicam: *Quis nos ſeparabit à charitate
Chriſti? Nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ
Galat.6. eſt in Chriſto IESV Domino noſtro. Mihi abſit gloriari, niſi in
cruce Domini noſtri IESV Chriſti.*

Dili-

Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

o hoc ingens præceptum, quod æquè diuinis ac huma-
gibus comprobatur, & in ſyncera proximi dilectione
ı eſt, duo alia præcepta ſpectant, illique protſus inclu-
ur, quæ mihi quidem ſæpè ac multum in tota vita per-
enda ſunt. Alterum eſt: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vi-* Tob.4.
tu aliquando alteri facias. Alterum: *Omnia quæcunq; vul-*
faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex Matth.7.
ophetæ, ſicut Chriſtus ipſe teſtatur. Nec ſatis quidem eſt
e proximum, niſi illum perinde ac teipſum ames, im-
erò quemadmodum nos ipſe Chriſtus amauit, vt fratrē
lectiſſimum imitemur. Sic enim ab eo ſumus edocti:
ſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Ioann.15.
it autem ille nos, vt nemo alius, ardenter ac vehemen-
t qui boni paſtoris inſtar, animam ſuam poſuit pro oui- Ioann.10.
uis. Dilexit ſyncerè in finem vſque, & ſalutariter. *Venit e-* Luc.19.
ilius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Venit
iniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemp- Matth.20.
em pro multis: qui & dilexit nos, & lauit nos à peccatis nos- Apoc.1.
ſanguine ſuo. Quid ergò mirum, nos qui de Chriſto fra
redemptore gloriamur, ad ſimilia præſtandę charitatis
ia prouocari, & prouocatos in illis perpetuò exercitari
tere? Paſſus eſt enim ille pro nobis, relinquens exem-
, vt ſequamur eius veſtigia. *In hoc cognouimus charitatem* 1.Petri 2.
inquit Ioannes, *quoniam ille animam ſuam pro nobis po-* 1.Ioan.3.
& nos debemus pro fratribus animas ponere. Nec ſatis ex-
ri poteſt, quantoperè contendant Apoſtoli omnes, vt
proximi charitatem commendent ac inculcent fideli-
adeò vt poſt Chriſtum Dominum nihil magis exigere
æcipere videantur. Hinc princeps Apoſtolorum excla-
: *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem conti-* 1.Pet.4.
n habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.
oannes quem diligebat IESVS, affirmat: *Si quis dixerit* 1.Ioann.4.
niam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui

enim

*enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non vi-
det, quomodo poteſt diligere?* Ac totum deinde locum ita con-
cludit: Hoc mādatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum,
diligat & fratrem ſuum. Nullus autem ex Apoſtolis charitatē
.5. vrget magis, quàm Doctor Gētium, qui illā ipſam [a] primum
:.6. fructum Spiritus, [b] Chriſti legem, [c] finem præcepti, [d] vincu-
.1. lum perfectionis, & [e] plenitudinem legis appellat. *Si quod eſt*
ff.3. lum
.13. *mandatum* ait, *in hoc verbo inſtauratur,* (id eſt, ſummatim con-
tinetur;) *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi
malum non operatur: Plenitudo legis eſt dilectio. Omnis lex in
vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*
Nec mirum ſanè, charitatem hanc, vt nullum præceptum a-
liud, paſſim nobis proponi ſerióque mandari, quandoquidē
ſicut Rex in imagine ſua vel honoratur vel contemnitur, ita
Deus in homine vel diligitur vel odio habetur. Nec poteſt
hominem odiſſe qui Deum amat, ſicut viciſsim Deum ama-
re non poteſt, qui hominem odio proſequitur.

Hîc ego varias cauſas, quæ me ad proximum diligendum
excitent ac impellant, vndique conquiram, ac diligenter ex-
pendam. Atque vt ex multis paucas attingam, in cōfeſſo eſt,
mortales in hoc mundo conditos & condendos, naturâ ger-
manos eſſe fratres, ex vno patre *A*dam, & matre Eua ſecundū
carnē ita procreatos, vt vniuerſi fraternæ neceſsitudinis vin-
culo inter ſe coniungantur, ac ſe mutuò amare maximè de-
:.13. beāt. Hinc *A*braham Patriarcha, vt rixam inter ſuos & Loth
nepotis paſtores ob greges ouium ſubortam componeret,
in hunc modum nepotem monuit: *Nè, quæſo ſit iurgium in-
ter me te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſu-
mus.* Deinde fideles omnes fratres dicuntur & ſunt ex dono
ac iure diuinæ adoptionis, maximè poſtquàm homo factus
.2. eſt vnigenitus Dei filius, qui nos quoque fratres vocare non
20. dedignatur. [a] *Omnes* inquit, *vos fratres eſtis, vnus eſt enim Pater*
.21. *veſter qui in cœlis eſt:* Ob hanc fraternam coniunctionem at-
t.23. que charitatē, qua inter ſe Christiani omnes arctiſsimè con-
iunguntur, vnum patrem in cœlis Deum, vnamque in terris

matrem

matrem Eccleſiam retinemus,& vnà cum Paulo ſanctè gloriari ac dicere poſſumus: *Vnum corpus,& vnus Spiritus,vnus Dominus,vna fides,vnum baptiſma,vnus* DEVS *& Pater omnium.* Quomodo igitur non agnoſcam & ſyncerè complectar proximum, qui mihi cùm carne,tum ſpiritu frater eſt,& ſanctiſsimo quidem fœdere in Chriſto Chriſtiquе corpore manet vſquе colligatus? Idem Chriſtus amauit immerentes & Satanæ filios,ſuiquе Patris inimicos, quos non niſi gehenna dignos inuenit.Eóque magis mihi cordi eſſe debet,quod Apoſtolus fidelibus præcepit omnibus: *Ambulate in dilectione,ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum oblationem & hoſtiam* DEO *in odorem ſuauitatis.* Amauit idem Chriſtus Iudæos perfidos, Iudam proditorem, Phariſæos perſequutores,aliosquе hoſtes crudeles & ſanguinarios,pro quibus & ipſe ſuum ſanguinem ex immenſo amore profudit. Cur igitur quod ille fecit, & poſt illum plurimi ſectati ſunt, à me alienum putem, vt non ſolùm amicos,ſed etiam inimicos amanter amplectar, & charitate officioſa vſquе proſequar? Nec obſcurum illius præceptum eſt: *Diligite inimicos veſtros,benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Meritò igitur meipſum redarguã, quod præcipua nota, ex qua Chriſtus ſuos diſcipulos agnoſci voluit,in me non luceat magis, cùm is planiſsimè dixerit: *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Quo magis mihi fuerit aduigilandùm, vt conſcientiam meam ſæpè conſulam & inquiram, proficiamúe magis quàm deficiam in ſancta proximi charitate, quæ niſi frequentibus deſideriis, ardentibus precibus, fidis officiis, fraternæquе miſericordiæ operibus aſsiduis alatur atquе confirmetur, otioſa & inutilis eſſe poteſt, Deo autem grata & mihi ſalutaris eſſe non poteſt. Cæterùm ex omnibus ardentis charitatis cultoribus, qui plurimi maximiquе claruerunt, quemadmodum [a] Moyſes, [b] Dauid, [c] Stephanus, vnum mihi Paulum deligam, tanta quidem in proximos charitate flagrantem, vt apertè pronunciet: *Cùm liber eſſem ex*

Epheſ.4.
Epheſ.5.
Matt.5.
Ioann.13.
a Exod.32.
b 1.Cor.1[?]
c Actor 7.
1.Cor.9.

omnibus, omnium me ſeruum me feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquàm Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem, & iis qui ſine lege erant, tãquàm ſine lege eſſem, (cùm ſine lege DEI *non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem.* Ac rurſus ad eoſdem Corinthios: *Ego libentiſſimè impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar.* Philippenſes autem hoc modo compellat: *Teſtis mihi eſt* DEVS, *quomodò cupiam omnes vos in viſceribus* IESV *Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* Eapropter mihi & Chriſtianis omnibus valdè lugendum eſt, quòd Chriſti vaticinium indies magis ac magis impleatur, quo ille prædixit fore, vt charitas fideliũ refrigeſcat, eiusq́ue loco abundet iniquitas. Sunt enim homines, quemadmodum & Paulus palàm præmonuit, ſeipſos amantes, & voluptatum amatores magis quàm DEI, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes. Optimum igitur & omni acceptione dignum fuerit, ſi eiuſdem doctoris gentium conſilium, nè dicam præceptum verè Apoſtolicum amplectamur. *Induite* ait, *ſicut electi* DEI, *ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam. ſicut & Dominus donauit vobis: ita & vos. Super omnia autem hac charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

PRECANDVS *mihi* DEVS *eſt, vt animum ad ſacra norim ritè componere, & idcircò vanitatem & curioſitatem omnem præſcindam, animum verò ſyncerum & candidum exhibeam, præſertim ad præcepta decalogi, quæ tanti ſunt momenti, & cognoſcenda & obſeruanda.* Si enim vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, *inquit Dominus.*

ORABO *itidem vt charitatis ignem intus flagrantem, &*

præ-

prauas cupiditates omnes exurentem magis magisq́; conſequar: nihil autem genuino & puro Dei proximiq́; amori præponam: Scimus enim, quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum. *Et præclarè dixit Auguſtinus: Interroget ſe quiſq; quid amet, & inueniet vnde ſit ciuis. Verbi gratia, amet aliquis mundum, & ea quæ ſunt in mundo, carnem, pecuniam, honores; ciuis eſt Babyloniæ: nihil ei cum iuſtitia commune. Amet aliquis Deum: ciuis eſt Ieruſalem, bonus eſt, iuſtus eſt, neq́; dubitare debet, quin redditurus ei ſit Deus in illo die coronam iuſtitiæ.*]

Rom 8.
In Pſalm. 64.

PETAM *rurſus pro Principibus & Magiſtratibus Chriſtianis, vt caſto Dei proximiq́; amori in Repub. gubernanda poſthabeant omnia, & idcircò fugiant eas cupiditates, quæ tanquàm publicæ pacis ac neceſſariæ concordiæ ſunt peſtes exitiales. Sed & vniuerſis, qui lethaliter peccant, optabo, vt extincta in ipſis charitas reuiuiſcat, quòd ſine illa nemo ſaluetur, & cum eadem nemo pereat, illaq́; ſola diſcernat inter filios Dei & diaboli. Et à Ioanne quidem Apoſtolo grauiſſimè dictum eſt:* Qui non diligit, manet in morte. Qui non diligit, non nouit DEVM. DEVS charitas eſt, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.

Ioan. 3. & 4.

IHS

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

CHRISTVS in Capharnaum celebri oppido Galilææ, vbi ſæpius verſabatur, docet populum, & inter

alia miracula multa illic patrata, paralyticũ ſanat in conſpectu magnæ multitudinis. Sanat autem non ſine ordine, quum primùm quidem fidem quatuor baiulorum, ægrum in lecto deportantium reſpiciat: eundem porrò benè ſperare iubeat, eique peccata velut totius morbi radicem remittat ac auferat: demum corpus eius languidum perfectæ reſtituat incolumitati. Quod inſigne miraculũ, vti probos ad glorificandum Deum excitauit, ſic inuidis Phariſæis anſam præbuit calumniandi, ſimulq; blaſphemandi ob peccatorum veniam huic ægroto promiſſam ac denuntiatam. Sed iniqua horum accuſatio ſatis retunditur, docente Chriſto, ad eandem diuinam poteſtatem pertinere, morbum grauem dicto tollere, & peccata condonare, vt idem æger ſimul corpore & anima ſanitati ſubitò reſtituatur. Ac res ipſa probauit ſtatim, Chriſtum vera dixiſſe, quando iuſſus hic paralyticus receptis viribus è veſtigio ſurrexit, lectumque cui antea erat affixus, alacriter domum reportauit. Quod miraculum ſpectãtibus ingentem admirationem, nec minorem diuinæ virtutis collaudationem adduxit. Cæterùm inter alia doctrinæ capita hîc notanda ſunt & illa, quantum aliena credentium fides & interceſsio valeat, quomodo animi corporiſque morbi differant, & animi quidem peſtes ſępè corporibus etiam incõmodent, nullum verò medicũ quàm Chriſtum ad ſanandos ægrotos, aptiorem reperiri, penes hunc vnum eſſe poteſtatem plenam & integram, mortales in anima & corpore intus foriſque curandi, vt quod per primum Adam nobis amiſſum eſt, in hoc ſecundo abundè reſtituatur, iuxta dictum illud Apoſtolicum: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia: vt ſicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum.

EIVSDEM DOMINICAE

Euangelium. Matth. IX.

A SCENDENS IESVS *in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi pec*
ua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic
emat. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorũ, dixit, Vt
ogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius, di-
Dimittuntur tibi peccata: an dicere, Surge & ambula.
tem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatẽ in terra
tendi peccata, (tunc ait paralytico) Surge, tolle lectum
, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in do-
ſuam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorifica-
t Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

OTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

t ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto: Et videns Ieſus fidem illorum dixit paralytico.

MAGO huius paralytici me aliosque Adæ filios omnes admonet, vt humanæ ſortis, quæ calamitatũ & ærumnarum plena eſt, ſeriò quidẽ recordemur, ſicut Iob ille tot modis afflictus, his etiã verbis ex-
it: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur* Iob.14.
is miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit
vmbra, & nunquàm in eodem ſtatu permanet. Nec deſunt
s vnquàm homines ægroti & calamitoſi, qui tam gra-

uiter ac periculosè laborent, vt nec à ſeipſis, nec ab al[illegible] libet humana induſtria vel arte præditis, iuuari ac reſtitu[illegible] poſſint. Vt hîc etiam verè dixerimus, quod Chriſtus in alium licet ſenſum protulit: *Semper pauperes habebitis vobiſcum.* Deſunt autem paſſim ægrotorum curatores, fidique ſocij & administri, quales hos paralytici noſtri gerulos vel baiulos [illegible]ſe indicant Euangeliſtæ. Quare hic non poterat ſibi ſumere, quod Ioannes de alio ſcripſit paralytico ſic Chriſtum alloquente: *Domine hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Ac mirum ſanè, hunc annos triginta octo expectaſſe, priuſquàm vnum reperiret amicum, à quo in piſcinam deportaretur. Fœlicius cum hoc paralytico noſtro agitur, qui non vnum, ſed quatuor amicos & baiulos ſui curam habentes inuênit. Ab his lecto incumbens deportatur, & per tegulas effractas de tecto ſubmittitur funibus, Chriſtóque Domino in ædibus ſedente repræſentatur: Vnde palam eſt, in illis egregiam & viuidam luxiſſe fidem, quòd de Chriſti poteſtate & clementia in hoc ægroto ſanando minimè dubitarent, certamqúe ſibi ſpem futuri miraculi pollicerentur. Quæ fides illorum tãto fit illuſtrior, quanto inſigniorem charitatem adiungunt, quum fraternæ compaſſionis affectu commoti, decumbenti miſero vltrò ſuccurrunt, nullis quidem parcẽtes laboribus, donec ſui voti compotes fiant, & hic ipſorum ſanetur ægrotus. Vbi meipſum commonefaciam de vera fide fideiqúe confeſſione, ſine qua impoſſibile ſit placere Deo, & quæ mihi omnibusque adultis ad iuſtitiã & ſalutem tam eſt neceſſaria, vt Paulus teſtetur: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Neqúe verò in hac fide, & fidei confeſſione ſola cõquieſcam, vel cum Eunomianis inaniter gloriabor, cùm ſcriptum ſit: *Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Qui exiſtimat ſe ſtare, videat nè cadat.* Cum [a] Iacobo & [b] Auguſtino conſtanter adſtruam, fidẽ ſine operibus mortuam, & ſine dilectione inanem eſſe. Cum dilectione fides Chriſtiani: ſine dilectione fides dæmonis. Adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem dicit Apo-

ulus, fides quæ per dilectionem operatur.] Adhæc um ſit atque fruſtraneum, ex aliena duntaxat fide in pendere, *Iuſtus enim ex fide ſua viuit*, quando ex eius o virtutum actus exercet; putabo tamen, cum vero bili pietatis affectu congruere, quod meæ indignitaius, alios velut in fide & virtute perfectiores æſtimē, os me ſummo Deo commendem. Nam hoc Paulus fecit, non fide ſolùm, ſed & charitate maxima prędique non fide ſua ſola contentus, vt fideles alios co- preces in ſuis epiſtolis frequenter imploret. Nec di- poteſt, quantoperè fides aliena, vti vocant, ad varia a, immò miracula impetranda conferat, quantumq; um valeat, quum abſentes vel ignorantes, morboúe , per fidem & orationem bonorum ingentem ſæpè gratiam adipiſcantur. Eius rei teſtes habemus non ſo s, quorum fidem reſpexit Chriſtus, cùm ei ſanādum t paralyticum, ſed & regulum illum, cuius fide filius ti mortis periculo, & Cananæam, cuius fide filia à di- ate dæmonis, & Centurionem, cuius fide famulus exitiali febre per Chriſtum liberabatur. Atque hinc & alios in fide Catholica confirmabo, certóque ſta- cut & alibi diximus, bonorum hominum, ac præſer- us Eccleſiæ fidem prodeſſe plurimùm infantibus, cū ntur, quemadmodum Auguſtinus clariſsimè docet, erea ſimplicibus, cùm per miniſtros Eccleſię benedi- Nec enim temerè de huiuſmodi miniſtris Chriſtus *In quamcunq. domum intraueritis, primùm dicite: Pax nui; & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax* Cum Paulus de ſacerdotibus omnibus hoc prædicat, ro hominibus cōſtituti, in iis quæ ſunt ad Deum, of- dona & ſacrificia pro peccatis. Iacobus verò de preſ- Eccleſiæ infirmum vngentibus ac precantibus pro- : *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Do- & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Demùm Auguſtinus affirmat, omnia quæcunque in Eccleſia ſanctificātur,

Galat.5. Abac.2. Rom.15. Epheſ.6. 2.Theſſ.3. Hebr.13. Matth.9. Ioann.4. Matth.15.& 18. Epiſt. 23. ad Bonifa. de bapti. paruulorum. Luc.10. Hebr.5. Iacob.5. Serm. 181. de tempor. & tracta.118. in Io.

ſigno Dominicæ Crucis cum inuocatione Chriſti nominis conſecrari, & Sacramenta omnia per ſacerdotes in virtute Crucis perfici.] Quapropter viuida & efficax eſt tum fides, tũ precatio aliena, vt quæ & ſanis & ægrotis, bonis malisque, permultùm confert, præſertim accedente fide multorum piè comprecantium, quæ non poteſt ſummo Deo non eſſe grata, & eis pro quibus oratur, valdè ſalutaris. Nota eſt enim certa Chriſti promiſſio: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt: Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quocirca in morbo & quauis afflictione meipſum conſolabor, multùmque fidam precationi, quæ non à me tantùm, ſed etiam ab aliis, quos me probiores eſſe cenſebo, ad Deum funditur. Siquidem & Scriptura diuina luculenter adſtruit: *Multùm valet deprecatio iuſti aſſidua*, idque multis confirmat exemplis propoſitis, nimirùm [a] Abrahæ, [b] Moyſi, [c] Iob, [d] Samuelis, [e] Eliæ, qui cùm iuſti eſſent, gratiam à Deo multiplicem & eximiam aliis etiam immerentibus precantes obtinuerunt. Eòque libentius me publicis fidelium precibus, quibus & Deus ipſe, & Angeli eius mirificè delectantur, adiungam, neque ſolùm bonos in terris, ſed & Sanctos in cœlis, vtpote ſecuros de ſe, & ſolicitos de nobis, vt Auguſtinus loquitur, fidos mihi comprecatores eſſe gaudebo, nihil omninò addubitãs, diuinam bonitatem per illos ipſos gratos amicos, fratresque noſtros, vt res ipſa declarat, bona elargiri plurima, ſuæque gratiæ diuitias permultis communicare. *Quæſiui* inquit, *de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, nè diſſiparem eam, & non inueni.* Quod ſi ſancti dum hic viuerent, miſerti peccatoribus, pro illis orârunt, nunc tanto amplius, quanto verius agnoſcunt miſerias noſtras, orant pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem eorum non immutauit, ſed augmentauit, quemadmodum ſcitè [a] Bernardus, & ante illum [b] Hieronymus, ratiocinatur.

Iam verò vt ad paralytici noſtri baiulos redeam, diſcam ab

illis

on modò fidem in Deum ſiue in mea,ſiue in aliena ca-
ate præſentem exercere, ſed fidelem quoque charitatē
o proximo declarare. Scriptum eſt enim: *Filioli mei,nō* 1.Ioan 3.
mus verbo neq; lingua,ſed opere & veritate. Miſſam igi-
tiam omnem excuſationem & tergiuerſationem, quā
udelis, vel auarus & inhumanus ſuggerit animus, ſæ-
e in opulentis atque magnatibus ſeſe prodit, quum illi
andis & ſubleuādis miſeris tam ſe duros & tardos præ-
quàm diues epulo ab omni humanitate erga Lazarum Luc.16.
ienus. Verùm qui ſecundùm Deum diues eſt, præclarā
audem accipit: *Iucundus homo qui miſeretur, & commo:* Pſalm.111.
Germana certè charitas ingenioſa res eſt, & varias benè
ndi vias ac artes inuenit, vt etiam velit ac ſciat obiectas
ultates perrumpere, aut certè imminuere, quoniam a-
nihil eſt difficile. Arduum ac importunum videbatur,
ticum cunctis membrorum compagibus diſſolutum,
o affixum,in domum hominibus oppletam inferre, &
oc onere ad Chriſtum ab auditoribus vndiq; circum-
um penetrare, eique concionanti ægrotum ingerere.
tas verò,vt eſt ſolers ac induſtria, ſuggeſſit ac perſuaſit
s, tectum aſcendere, tegulas effringere, tectum denu-
funibus lectum alligare, atque ſic illum de alto demit-
t miſer ante Chriſtum ſiſteretur. Nouum hoc & inſue-
adeoque cum aliquo periculo coniunctum erat ſpecta-
n, quo Chriſtus tamen vel in media interpellatus con-
,non offendebatur, ſed ob fidem offerentium recrea-
. Hęc enim,& alia id genus impedimenta ſiue ab homi-
ie à dæmone profecta,victrix malorum & bonorum o-
im parens charitas facilè ſuperat:quia *fortis vt mors dile&* Cantic.8.
nodò illa ſyncera,& ſicut Paulus inquit,ſine ſimulatio- Rom.12.
atque conſtans. Quapropter meipſum, vt in charitate
na torpentem & algentem incuſabo, quandoquidem
quid tandem de Chriſto credam, cum horum baiulorū
mpigraque ſedulitate, & iugi contentione nihil cōmu-
abeam, qui de miſeris benemerendi occaſionem non

capto, & oblatam facilè negligo, aut prorſus auerſor. Tantum abeſt,vt cum Paulo affirmare poſſim: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Non quæro quod mihi vtile eſt, ſed quod multis. Conſideremus ergò* ait, *inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.* Hæc autem operoſa ſimul & officioſa charitas, quæ periclitanti proximo non ſecus quàm languido noſtri corporis membro debetur, partim igni conferri poteſt,qui nunquàm eſt ſanè ocioſus,& nihil nō ſibi ſubigit: partim imaginem gerit ſolertis matronæ, quam Salomon depingens pulchrè inter alia dixit: *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum: facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum: manum ſuam aperuit inopi, & panem otioſa non comedit.*

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

HIC multa ſeſe offerunt in Chriſto Domino iure ſuſpicienda atque prædicanda, vt qui non minus exemplo quàm verbo ſe magiſtrum & viam nobis præbuit ad immortalitatem. *Exemplum* inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Magna certè illius eſt potentia, qui paralyſim,morbum vtique grauiſſimum,& membrorum omnium compagines moleſtiſſimè diſſoluentem, vno verbo tam facilè abigit ac profligat, vt ex miſerrimo ſtatim ſaniſſimum,& cuiuis labori aptiſſimum hominem reddat. Quod igitur Iob patiens & vlceroſus in ſuis dicebat ærũnis,ad hunc cœleſtem medicum ſpectat: *Ipſe vulnerat & medetur: percutit & manus eius ſanabit.* Sicut & Tobias confeſſus eſt: *Tu Domine flagellas & ſaluas; tu ducis ad inferos & reducis.* Curabo igitur enixè, vt nec animi,neque corporis frangar ægritudine, ſed quantumuis affligar ac diſcrucier, medicam Chriſti manum ſuſtineam patienter, meque præpotenti illius virtute conſoler atque ſuſtentem, qui ſuos non deſerit, & cum tentatione ipſa prouentum tribuit, vt acerba & [illegible] in bonum illis mirabiliter cedant. Iam verò quāta Chriſti eſt & bonitas & patientia,qui baiulorū importunitate,qu[illegible]do ſuum

paraly

paralyticum non ſine vi quadā obtrudunt concionanti,non offenditur, & perinde noſtra in precando contentione & aſſidua inſtātia,quam & ipſe poſtulat,mirificè delectatur? Magna rurſus eiuſdem Domini apparet benignitas, qui ſqualli-dum & mœrentem ægrotum,tamque vilem, deſpectum, ærumnoſum, & propter anteacta ſcelera confractum, nullaq; vel exigua fide præditum, in ſuum conſpectum admittit ac reſpicit, eundem blandè & alacriter excipit, quin etiā ſuum filium ſuauiter vocat,& fideliter curat:ſola vtiquè miſericordia,& paterna quadam charitate commotus.Ergonè pauperem & miſerum ego vllum aſpernar? meoque beneficio indignum putem? quum Scriptura diſertè moneat: *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Adhæc non vulgaris eſt Chriſti liberalitas,plus promittentis ac largientis, quàm peteret ipſe languidus, vel eius amici & baiuli expectarent: horum enim deſiderium, cura & expectatio duntaxat circa incolumitatem corporis verſabatur. Chriſtus autem, qui ſpem & vota fidelium ſua munificentia ſæpè vincit, hoc efficit, vt qui incurabilis acceſſerat, non modò ſanus, ſed etiam peccatorum onere leuatus & iuſtus abſcedat, vtquè idem nullius frugis homo & ſibi, & aliis robuſto corpore inſeruire,ac omnem populum ad Dei laudem excitare poſſet. Ea res meam augebit fiduciam, nihil vt dubitem, integram animi & corporis mei curam Chriſto permittere, quoniam is venit in homine ſaluare quod perierat. Nouit præterea,quibus bonis in corpore & animo ſinguli egeamus,curamquè noſtri ad minimum vſquè capillum perpetuam gerit,illud interim tempus expectans, quo animi corporiſque gloriam incomparabilem & ęternam ſuis electis tribuat,eoſque ſibi in cœleſti regno conformet. *Qui enim vicerit* inquit, *dabo ei ſedere mecum in throno meo. Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus,*inquit ille dilectus. Poſtremò magnæ prudentiæ ſpecimen exhibet, quod Chriſtus in hoc ęgroto curando peculiarem pulchrumquè ſeruat ordinem,

Matt.7. Luc.11. Ioann.16.

Tob.4.

Luc.19.

Luc. 12.

Apoc.3. Luc.12. 1.Ioann.3.

dinem,

dinem, vt primùm illius animam curet, cùm peccatorum tol lit vincula, quibus ille miſer tenebatur adſtrictus, & deinde corpus eius ab omni languore & dolore vindicat, ſana & robuſta in illo faciens, quæ prius fracta & luxata offenderat. Eſt enim hoc illius proprium dicere: *Ecce noua facio omnia.* Quapropter ſi veram & integram ſalutem expetam, vt eſt ſane proprium ſapientis, ſummoperè conſulam primùm & præcipue animo meo, qui ſolus immortalis eſt, & deinde corruptibili huic corpori ritè conſtituendo. Quid enim ſpecioſum vegetumquè corpus, quod impurum ac turpem tegit animum? quid inquam, niſi fucata pellex, ornatumquè cadauer, aut ſepulchrum dealbatum, ſed interiori ſpurcitia plenum exiſtit? Vt hinc rectè Chriſtus dixerit: *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

Apocal.21. Matt.23 & 16

Præterea Chriſti factum me & ſapientes omnes admonet, ex commiſsis antea criminibus non modò Deum offendi, & peccantis premi conſcientiam, quæ multos grauiter angit, ac tantùm non ad deſperationem adducit, ſed & cum alia funeſta, tum morbos corporeos plerumq; gigni mortalibus: ſicut Ozias rex & Giezi Eliſæi comes lepra percuſsi ſunt, vt ille ſacrilegij, hic auaritiæ ſuæ iuſtas lueret pœnas. Ita enim Deus inobedienti populo per Moyſen fuerat interminatus: *Augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeuerantes: infirmitates peſſimas & perpetuas.* Quā ſummi Dei æquitatem etiam impij ſentiunt, & vel inuiti nōnunquàm aperta confeſsione teſtantur: præſertim [a] AEgyptij cum ſuo Pharaone, [b] Philiſtęi, [c] Nabuchodonoſor, [d] Antiochus, [e] Iulianus, aliiquè complures Dei hoſtes, qui multis damnis & ærumnis edocti, ſuam iuſto Deo Deique iuſtitiæ gloriam reddiderunt. Vbi notabo inſuper, eiuſmodi morbos, peſtes & calamitates, aliaſquè id genus ærumnas iræ diuinæ flagella eſſe, quibus hominum priuata & publica ſcelera vindicantur, eaquè non poſſe depelli rectius, certiusq; mitigari, præterquàm fide in Chriſtum ac pœnitentia. Vtrunq; Paulus Iudæis & gentibus vt offenſo Deo recōcilientur, prædicari

2.Paral.26. 4.Reg.5. Deut.28. a Exod.9. b 1.Reg.5. c Daniel.3. & 14. d 1.Macha. 6. e In Eccleſiaſtica hiſtoria Actor.20.

dicati oportere comprobat. Vidit ergò Deus non modò fidem, ſed & pœnitentiam & opera Niniuitarum, quod poſt Ionæ conciones auditas auerſi forent de via ſua mala, & miſertus illorum, maledictionem ſuam in benedictionem perbenignè conuertit. Nec eſt obſcurum exemplũ alterius paralytici, quem corpore quidem reſtitutum, ſed in peccata priſtina relabentẽm Chriſtus hoc verbo percuſſit: *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.* Corripit & Paulus Corinthios, quòd irreligioſi homines venerando Euchariſtiæ ſacramento abuterentur, & pœnas illis diuinitus per morbos inflictas his verbis deſignat: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Dolebo igitur, plurimos Chriſtianæ doctrinæ tam imperitos, ſuæque ſalutis adeò immemores eſſe, vt longè magis de corpore vermium cibo, quàm de animo capaci beatitudinis ſoliciti eſſe pergant, vtque non animi, ſed corporis vitiis curandis expectant medicamenta. Igitur ſiue valeant, ſiue decumbant, rarò & frigidè adhibent ea peccatorum remedia, quæ Sacramenta dicuntur, à Chriſto quidem ad ſanandos fidelium animos, vt efficaciſsima pharmaca, nobis inſtituta & propoſita in Eccleſia. Nec enim intelligunt, aut certò ſibi perſuaderi non ſinunt, quanti ad veram animi ſanitatem conſequendam referat, vt frequenti Sacramentorum vſu communiti, ad piè viuendum fœliciterq; moriendum adſpirent, vtq; in hoc tam breuis vitæ curriculo ſeſe fulciant, ac rectè inſtruant ad beatam immortalitatem. Qui cùm in Deo placãdo & ſalute ſua procuranda tam ſint ignaui ac deſides, nihil ſanè mirũ quod vnà cum præfractis illis pereant, de quibus Chriſtus aiebat: *In peccatis veſtris moriemini: Mors autem peccatorum peſſima.* Cęterùm vt idem periculum non experiar, quod infœlicibus regibus Ochoziæ & Ieroboam accidit, qui in ſua & aliena ſanitate recuperanda inaniter laborârunt, inprimis eò contendam, vt meus animus authori ſuo, vitę nimirùm & necis principi, reconcilietur, & ea in reconciliatione vſque perſiſtat, ſine qua Chriſti gratia & pax toties à Paulo fidelibus expetita,

Ionæ 3.
Ioann. 5.
1 Cor. 11.
Ioann. 8.
Pſalm. 33.
4. Reg. 1.
3. Reg. 14.

nulli conſtare homini poteſt. AEgrotus autem eos mihi aphoriſmos proponam, quos Sapiens hoc modo præſcripſit:
Eccleſ.38.17. & 18. *Fili, in tua infirmitate nè deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te: Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Ante mortem confitere: à mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Dominum, & gloriaberis in miſerationibus illius. Ante languorem humilia te, & in tēpore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam.*

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

HABEO ſanè quæ ſpectem & obſeruem in hoc paralytico, qui tam prudenter inſtituit omnia, vt nobis aut magiſter, aut medicus eſſe queat ſpiritualis. Primùm non tam eſt impudens, vt ſolus irrumpat in ædes, vbi Chriſtus concionatur, & quamuis langueat vehementer, tamē cœleſtem medicum per ſe nō audet accedere, ſed amicos alios adhibet, à quibus deportetur, & ante Chriſtum ſiſtatur, eiqúe cum fide commendetur. Ita & mihi faciendum putabo, vt in animo & corpore reſtituendus, ac ſingularis gratiæ cupidus, nulli me prę ponam, ſed meam ipſe indignitatem agnoſcam, bonosque & efficaces deligam interceſſores, quorum fidem & pietatē magis quàm merita mea reſpiciens Chriſtus, mei facilius miſereatur, meisque votis clementius annuat. Hæc enim Chriſtiana modeſtia & ſubmiſsio, ſiue humilitas eſt, quam Euangelium ſæpè proponit, nobisque in Cēturione commendat,
Luc.7. Matth.8. qui ſe Chriſti ingreſſu indignum æſtimans, ſeniores Iudæos ſubſtituit & ſubmiſit, vt famulo ſuo grauiter laboranti præſentem Chriſti gratiam impetraret. Tum in Ezechiele ſcri-
Ezech.22. ptum legimus, Deum è multis virum ſibi amicum quærere, qui ſe velut ſepem, pro reis ac cœleſtem iram meritis interponat, eorumque curam ac patrocinium ſuſcipiat, vt nè illi puniantur. Deinde nulla hîc fit mētio, quòd paralyticus impatientia & indignatione victus, de infortunio ſuo queratur ac eiulet, ſicut pleriſque hoc morbo laborantibus & ægrotis

moroſis accidere ſolet, vt ſuam crucem ęgrè ac repugnanter ferant, nec ſolùm aſsiſtentibus aliis permoleſti, ſed in Deum etiam ipſum aliquando blaſphemi eſſe audeant. Igitur quacunqúe ratione animus & corpus mihi diſcrucietur, Iob patientiſsimi viri meminero, qui vel in ſummis doloris aculeis nunquàm ſuis peccauit labiis, ſed viſitantis Dei manũ agnoſcens, gratias illi egit peculiares. Sic enim mihi faciundũ putabo, vt cùm paterna velut virga corripior, ſanctæ patientiæ ſcutum arripiam, animiqúe fortitudinem & æquabilitatem præ me ferre non intermittam. Quarè cum eodem Iob ſubinde verba illa, quæ pietatis & ſapientiæ plena ſunt, repetam: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Adhæc paralyticus noſter ſibi & incolumitati reſtitutus, non ociatur neqúe nugatur, ſed iuſſus è veſtigio ſurgit, & grabâtum ſuum in humeros tollit, vt Chriſto ſuam declaret obedie͂tiam: & lætus Deo gratias agit, multosq; ad laudes Deo celebrandas excitat ac permouet. Idem ſanè officium mihi & cuiuis conuenit, cùm à periculis & morbis liberamur, nouoq; Dei munere ad corporis vel animæ commodum cumulamur. Tum quippe, ſicut Paulus hortatur, Dei gratiam in vacuum non recipere, ſed accepti beneficij gratam retinere memoriam par eſt, maximè verò, vt Chriſti dicto, qui nos ad meliora vſqúe vocat, & fructum adferre plurimum iubet, libe͂ter pareamus, nosqúe in labore ipſo ſtrenuos, fidosque Dei miniſtros in omnibus exhibeamus. Verùm vtut agatur cum hoc mortali & terreno corpore, de quo ſcriptum eſt: *Cùm morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes:* ingens profectò ſolatium capiam, ſicut & hic paralyticus proculdubio cepit ex eo, quod Chriſtus pronunciat: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* AEquè lætum & omni acceptione dignum fuit Euangelium, quod mulier illa peccatrix, quæ ſummo mœrore affecta, & lachrymis oppleta, in triclinio ad Domini pedes de remiſsione peccatorum audiuit. Quid autem eo fœlicius homine, cui talis tantúsq; theſaurus nullis mundi bonis ęquan-

Iob. 1. & 2.

Ibidem.

1. Cor. 6.

Ioann. 15.

Eccleſi. 10.

Luc. 7.

dus

dus offertur, quando is ex iniuſto iuſtus, & ex Diaboli ſeruo
Dei filius, Chriſti hæres, & Spiritus ſancti templum euadit?
Ego verò hocipſum verbum, quo Chriſtus paralyticum &
Magdalenam in ſuam recepit gratiam, toties meis inſonare
auribus credam, quoties Catholicus presbyter eiuſdē Chri-
4. ſti Eccleſiæquè miniſter, ac myſteriorum Dei diſpenſator,
me pœnitentem & confitentem abſoluit. Sic & Paulus Apo
ſtolus, vt ſe Chriſti vicarium oſtenderet, incœſtuoſo Corin-
5. thio peccata donauit, clarèquè pronunciauit, Deum nos re-
conciliaſſe ſibi per Chriſtum, qui nobis etiam dederit mini-
ſterium reconciliationis; talesquè legatos inſtituerit, qui pro
Chriſto legatione fungantur, & in eius nomine peccata re-
mittant pœnitentibus. Tantóque magis ego Capharnaitas
imitabor, qui ſupercilium Phariſæorum, Chriſti gloriæ, & in
remittendis peccatis excellenti poteſtati obtrectantium, pla
nè contemnunt, ac præſens miraculum vera fide cōplectun-
tur, magnóque conſenſu glorificant Deum, qui poteſtatem
talem hominibus contuliſſet. Eiuſmodi enim poteſtas, quæ
prioribus ſeculis negata fuit, ad Euangelij myſteria pertinet,
& ſatis prædicari non poteſt, per ſolum autem Mediatorem
Chriſtum orbi parta contingit, eſtquè cunctis iuſtificandis,
ac in vera iuſtitia conſeruandis ſemper neceſſaria. Etenim
z.9. Chriſtus eſt æternus ille Pontifex, qui nos emundat ab omni
nn.1. peccato, quiquè ſuis Apoſtolis, & aliis ordinatis ad ſacerdo-
1.20. tale officium miniſtris per Eccleſiæ claues tantum poteſtatis
impertiit ac reliquit, vt quorum peccata illi in terris remitte-
rent, eadem verè ſint remiſſa: & quæcunquè illi ſuper ter-
ram vel ſoluerint, vel ligârint, ea itidem in cœlo ſoluta & li-
gata eſſe cenſeantur, quemadmodum certiſſima Chriſti ver-
.16.&18 ba, quæ non poſſunt eludi, manifeſtè conuincunt. Soli Chri-
ſto quidem debebatur honos, quem pluribus tribuunt Ca-
p. 9. pharnaitæ: quandoquidem poteſtas dimittēdi peccata, ſicut
th. & Hilarius indicat, per Verbum ipſum hominibus data eſt.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro ægrotis grauiter laboran-*

tibus, ac diuturno morbo detentis. Quibus illi etiam annumerandi ſunt, qui carne & ſpiritu maximè ſunt calamitoſi, quòd corporalibus ac ſpiritualibus præſidiis ac remediis deſtituantur, ſimulq́ præſenti bonorum ope, & Catholico Sacramentorum vſu periculoſè admodum carere debeant.

ORABO *itidem pro amicis & aliis peſtifera lue infectis, vel in mortis periculo verſantibus, quoniam gratia & conſolatione diuini Spiritus indigent, ſuam vt crucem patienter ferant, ac ſe totos diuinæ voluntati ad viuendum ſimul & moriendum offerant atq́ permittant. Ad hos maximè pertinet Apoſtolica illa doctrina*: Nemo noſtrûm ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergò viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit: vt & mortuorum & viuorum dominetur. Rom. 14.

PETAM *quoq́ ſupplex veniam peccatorum, ob quæ iratus Deus priuata & publica hominum peccata iuſtè caſtigat: præſertim cùm peſtem, famem, diſſidia, bellum, ſeditiones, vaſtitatem, aliaq́ id genus iuſtitiæ ſuæ flagella in nos vicinasq́ ditiones deſæuire permittit. Non enim vana eſt comminatio:* Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, (*Deus*) arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis. *Quoniam verò facta cum Deo reconciliatio præcipuum Chriſtiani hominis eſt ſolatium, maximumq́ perfugium in qualibet aduerſitate, Chriſtum Dominum rogabo ſæpè, vt me ex præſente vita migrare non ſinat, niſi conſcientiam probè conſtitutam habeam, & cor contritum ſpiritumq́ humiliatum in me ſentiam, vt cum Propheta teſtari poſſim*: Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Pſalm. 7. Pſalm. 115.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

INTER Euangelicas parabolas, quæ Chriſti doctrinam valdè illuſtrant, & fructum nobis ingentem pariunt, præclara cēſenda eſt iſthæc de Rege, qui filio ſuo nuptias apparans, multos inuitat hoſpites, & ex his vix paucos ad nuptiale conuiuium ſeu prandium accedentes impetrat, cùm alij aliis impedimentis diſtenti, ſuam excuſant abſentiam. Quæ parabola nobis multa quidem inſinuat, ſed potiſsimùm præſentis Eccleſiæ ſtatum adumbrat, in qua ſub vno capite, boni malique fideles, ſicut in vna Reſpub. diſpares omninò ciues, commorantur tantiſper, donec extremi iudicij tempus conſequatur, quo delectus omnium fiat, & pij prorſus ab impiis perpetuò ſeparētur. Rurſus hæc parabola ſummam Dei bonitatem Iudæis & gentibus exhibitam depingit, quoniam ille vt nullos nó ſaluos efficiat, ingentem hominum turbam humaniter ac libenter, & per nuncios fidos, magnoque cum apparatu inuitat, ac excipit venientes. Sed execrāda mortalium ingratitudo vel inde colligitur, quòd hoſpites gratiosè vocati, oblatis & promiſsis Dei bonis non commoueantur, ſed neglectis illis, ſeipſos volentes ac ſcientes quodammodo perdant. Peculiariter autem hic Iudæi reprehenduntur, quòd maximis Dei beneficiis cumulati, dum ſtudiis curiſque terrenis inhiant & incumbunt, nihil vocatione ſua dignum gerant, ſed in ſuum quoq; Meſsiam & ſeruos eius ad ſe miſſos, per ſummam iniuriam audeāt

impetum facere. Proinde vindex malorum Deus hos rebelles, ſemperque præfractos Iudęos funditus delendos cenſuit, quemadmodum frequenter aliâs Dominus illis fuerat interminatus, quoniam ingenti bonitate Dei, quæ illis exhibita fuerat, tam turpiter abuterentur. Neque verò tacetur hîc de Gentilibus, quibus malè ceſsit, quod Iudæorum loco inuitati, & ad Chriſti Eccleſiam per ætates varias aggregati, ſuum etiam officium prætermiſerint, hinc ſibiipſis ad cœleſtes nuptias aditum præcludentes. Etenim ex eiſdem Gentilibus fidem Euangelicam amplectentibus plurimi ſuæ Chriſtianæ vocationi deſunt, non diſsimiles hoſpiti ad regale lautiſsimumque conuiuium accedenti quidem, ſed ſeſe incomptè ſordidèque gerenti, vt caſtigatione ſit dignus, qui ex honeſtiſsimo conuiuarum cœtu, cum ſua ſquallida & ſpurca veſte prorſus eiiciatur. Etſi enim præſens parabola de vno tantùm narrat, qui veſtem tali loco, & ſimul inuitantis ac inuitati perſonæ indecoram attulerit; tamen per illum ipſum, vt rectè notat Auguſtinus, reliqui omnes deſignantur, qui ſola fide contenti, & charitate (nuptiali veſte) vacui, vitæ & diſciplinæ Chriſtianæ ſeruandæ curam negligunt ac relinquunt. Ita verò Chriſtus hoc concludit Euágelium, vt ſatis oſtendat, ſe de bona fidelium parte pereunte vello intelligi, quandoquidē inquit, Multi ſunt vocati, pauci verò electi.] Quare dubium eſſe nullum debet, ingens & formidandum hîc denunciari periculum fidelibus, vtpote qui nō omnes, immò ex quibus pauci propter Chriſtum ſaluentur, ac præfinitum electorum numerum impleant. Nec obſcura paucitatis huius eſt cauſa, quandoquidem rari ſic moriuntur, vt charitatis & innocētiæ veſtem candidam & impollutam in ſacro baptiſmo perceptam, ad iudicis Chriſti tribunal ſecum apportent. Nihil autem coinquinatum in cœleſtem ciuitatem intrabit. Quarè Chryſoſtomus non temerè ſcripſit: Qui vult eſſe Chriſti, faciat opera Chriſti: qui autem non vult opera Chriſti facere, nec veniet ad Chriſtum: alioquin audiet in die iudicij: Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? & obmuteſcet. Vereamini inquit, be-

Luc. 19. Matt. 8. & 23.

Apocal. 21. In cap. 22. Matth.

nignitatem vocantis: nemo ſordidis veſtitus permaneat, ſed vnuſquiſq; fulgentia animæ operetur indumenta.]

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. XXII.

IN illo tempore, loquebatur IESVS *in parabolis cum diſcipulis, dicens: Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam: alius verò ad negotiationem ſuam: reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt: ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergò ad exitus viarum: & quoſcunq; inueneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dẽtium.* MVLTI ENIM SVNT VOCATI, PAVCI VERO ELECTI.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Loquebatur Ieſus cum diſcipulis ſuis in parabolis, dicens: Simile factũ eſt regnum cœlorũ homini Regi.

AMABO ſanè & colam inprimis Deum Opt. Max. qui ſe regem cœli ac terræ, nec minus Gentilium quàm Iudæorum authorem dominumque declarat, cunctos autem Adæ filios & gratiæ & gloriæ ſuæ participes facere cupit. Quid hoc ipſo Rege & omnium gubernatore benignius? de quo filius ipſe liquidò teſtatur: *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.* Atque vt Petrus aſſerit, *patienter ille agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quæ ſumma Dei benignitas inde maior apparet, quòd illos etiam ad beatitudinem diu ac multùm vocet ac expectet, ex quibus paucos demùm electos ac ſaluos fore certiſſimè nouit, vtpote futurorum omnium præſcius. Interim ad ſalutem hominũ procurandam illum tanta inceſſit cupido, vt nihil intẽtatum relinquat, ſed ingentem vereque nuptialem & regium apparatum, qui vocatis omnibus ſufficere poſſit, inſtruat. Hinc varios etiam nuncios & ſeruos fidos omnibus ætatibus ad inuitandum extrudit, per quos tum viua voce, tum ſcripto ſe ſuumque conuiuium cunctis inſinuat, etſi non ignarus, hanc amicam inuitationem paucis admodum eſſe profuturam. Eſt enim fidelis & beneficus ille vinitor, qui per Prophetam ſuo iure teſtatur: *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Eſt illuſtris & ab omnibus obſeruandus Eccleſiaſtes, palàm & apertè pronuncians: *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. In me gratia omnis viæ & veritatis:*

Matth.11. Rom.10. Matt.18. 2.Pet.3. Iſai.5. Prou.8. Eccleſi.24.

in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Eſt
2.Cor.1. hic demùm pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui de nobis quàmlibet vilibus & indignis ſeruulis, deque ſalute noſtra nunquàm non ſolicitus eſſe pergit, ac idcircò ſicut antea Iudæos, ita deinde varios barbaricarũ gentium populos de ſua voluntate & Euangelica gratia, quæ velut cœleſte conuiuium accedere volentibus iampridem parata eſt, magis magisque certiores reddit. Cuius rei ne vlla mortalibus obrepat obliuio, tot præſentes nobis Regis nuncij ſuppetunt, quot verbi diuini prædicatores & interpretes paſſim ſe offerunt, qui regium hoc mandatum vbique gentium exequantur, & fauſtum Euangelium prædicent vniuerſis. Eiſdem ſeruis incumbit inuitatis dicere, *Ecce omnia parata ſunt, venite ad nuptias.* Nullum enim ceſſandi vel expectandi tempus ſupereſt amplius, quando iam legis veteris typis, & Prophetarum oraculis, priſcorumq; hominum Meſsiam
a Rom 13. ſuum exoptantium votis abundè ſatisfactum eſt. [a] *Nox præ-*
b Pſalm.111. *ceſsit, dies autem appropinquauit.* [b] *Exortum eſt in tenebris lu-*
c Luc.1. *men rectis.* [c] *Viſitauit nos Oriens ex alto ad illuminandos illos,*
d Pſalm.18. *qui ſedebant in tenebris & vmbra mortis.* [d] Tanquàm ſponſus
proceſsit huius Regis filius de thalamo ſuo, quem ille ſibi in beatiſsimæ puriſsimæque Virginis vtero conſtituit, vt humanam noſtram naturam cum diuinitate ſua conſociaret, Eccleſiamque perinde ac ſponſam dilectam acciperet, ſeque illi perpetua charitate arctiſsimè copularet. Vnde & Ioannes Ba-
Ioan.3. ptiſta de hoc Sponſo ita loquitur: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſpõſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi.* Cuius quidem ſponſi aduentus tam fœlix & ſalutaris eſt his, qui eiuſdem ſpõſi & ſponſæ optant eſſe fi-
Matth.9. lij, (nam & Sponſi filios Chriſtus appellat) vt gratiæ ſuæ the-
Luc.5. ſauros in illos abundanter effundat. Huc enim ſpectant diui-
Ioann.7. na illa promiſſa: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent*
Apoc.21. *aquæ viuæ. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Ego ſum*

lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. IESV bone, quod & quàm regale in hiſce ſpiritualibus nuptiis conuiuium? quæ opipara fercula? quàm dulces animarum cibi? quàm ſalutares Sacramentorum riui? quàm exquiſitæ chariſmatum epulæ? quàm admirandi fructus diuini ſpiritus? quàm ſacra demùm & multiplicia flumina purgationum, illuſtrationum, aſcenſionum, conſolationum & confortationum ad fidelem animum, qui amans eſt modò ſpōſi, iucundiſsimè nutriendum, ac fortiſsimè corroborandum? Impletur enim illic, quod per Prophetam Deus ipſe ſpopondit: *Seruus meus es tu, elegi te & non abieci te. Nè timeas, quia ego tecum ſum: nè declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei.* Ioann. 8. Iſai. 41.

Proinde Apoſtolum ſequar, vt in Chriſto gloriabundus dicere non dubitem: *Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus.* Deinde quanto attentius de hoc inenarrabili beneficio mecum animo reputo, quod prioribus quidem generationibus non eſt agnitum, & nobis Chriſtianis in Iudæorum locum aſſumptis benigniſsimè communicatur, tanto magis Opt. Maximoque Regi & eiuſdem Filio ſponſo gratias agam, & ab aliis etiam agi paſsim libentiſsimè procurabo. Etenim idem Pater ſola miſeratione commotus, vt verbis Paulinis vtar, *eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum: qui præterea nos dignos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine. Benedic ergò anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius, & noli obliuiſci omnes retributiones eius*, quas nimirū Pater cœleſtis per Chriſtū, & propter Chriſtum Filiū ſuum huic ſcelerato mundo amanter donatum exhibuit, nec minus in præſenti Eccleſia veluti regno ſuo, Sponſi filiis de die in diem exhibet, ac demùm in cœleſtibus æterniſque nuptiis exhibiturus eſt, nimirùm vt bona tam multa & magna quæ Epheſ. 2. Coloſſ. 1. Epheſ. 3. Pſalm. 102.

inde ab æterno præparauit, omnibus & ſingulis electis copiosè diſpenſet. Hinc porrò ſingularem ego conſolationem capiam, magnaque fide confirmatus, deſideranter exſpectabo futuras in cœlo nuptias tum celebrandas, cùm inuitati omnes conuiuæ aderunt, lautis epulis ac deliciis omnibus exſaturandi. Quarè cum Propheta dicam & ego: *Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Replebimur in bonis domus tuæ. Repleamini ab bubere conſolationis eius, vt mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Etenim *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quàm fœlix autem reſonabit gratulatio, non ſolũ præſentibus con uiuis, ſed etiam beatis Angelis lætiſsimè concinentibus id, quod Ioannes Apoſtolus prænunciauit: *Alleluia* inquient, *quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Illos autem vt miſerrimos & infœliciſsimos homines triſtis deplorabo, qui veluti ſurdi ad haſce ſpirituales ęternasque nuptias à fidis nunciis vocati non audiunt, & ſicut cæci, oblatæ tantę gratiæ & gloriæ incredibilem magnitudinem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, ſpectare nequeunt: quoniam denſis impietatis ignorantiæque tenebris impediti, fulgentẽ in viis Euãgelij lucem, & paratas in cœlis opes ac epulas, velut inutiles trunci & ſtipites, pro nihilo ducunt, neque vllam inde cordis lætitiam concipiunt, vel ſeriam animi gratiarum actionem Deo clementiſsimo reddunt. Tantum abeſt, vt ſe conforment illis credentibus, qui cum Euangelici ſpiritus nondum effuſi primitias hauſiſſent, quemadmodum Deipara Virgo, Zacharias Baptiſtæ parens, & Simeon iuſtus, flagrantibus tamen animis Deo hymnos decantârunt, ſuamq; gratitudinem verbis & factis amiciſsimis comprobârunt. *Vox enim exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum*, Pſalmographo teſte.

Illi

Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.

NON modò demirabor, ſed rei indignitate commotus, mecum ſubſtomachabor, tantam hominum plurimorum eſſe peruerſitatem, qui ex optimo Rege valdè ſeuerum iudicem, & ex patre clementiſsimo implacabilem iniuſtitiæ ſuæ vindicem ſibi vltro conſciſcant, vt eum qui alioquin naturâ totus benignus eſt, in pœnis exigendis & infligēdis vltorem eſſe acerrimum cogant. Etenim ſicut rebelles & contumaces filij facere ſolent, paterna iſti patientia, maternáq; indulgentia nequiter abutuntur, ac nouis ſubinde ſceleribus deſignatis, ad maiorem grauioremque vindictam chariſsimum Dominum prouocant & laceſſunt. *Exiſtimas autem, ô homo,* vt cum doctore Gentium loquar, *quia tu effugies iudiciū Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Expectat ſanè Dominus vt miſereatur noſtri, vtpote patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia, vt Propheta teſtatur, quíque nocentes & obſtinatos puniturus ingemiſcit, ac velut intimo ſenſu doloris affectus, per ſuum Prophetam ita conqueritur: ***Super quo vos percutiam vltra, addentes praeuaricationem? Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis; & vindicabor de inimicis meis.*** Cæterùm ex his non modò ſummi Dei, ſed etiam ſuæ ſalutis contemptoribus ac hoſtibus, ſi Prophetas conſulimus, vel maximi ac deterrimi fuêre Iudæi, mortalium omnium ingratiſsimi, quòd ſumma Dei munera ipſis præ gentibus aliis primùm oblata vel nō agnoſcerent vel repudiarent, quodque cùm in alios Dei nuntios ac legatos ſæpè miſſos, tum in ſuum præſentem Meſsiam inauditam tyrānidem horrendū in modum exercerent. Quarè per Prophetam illis exprobrat Deus: *Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diem, conſurgens diluculo & mittens, & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed indu-*

Rom. 2.
Iſai. 30.
Ioel. 2.
Iſai 1.
Ierem. 3.

rauerunt ceruicem ſuam. Ac iterum per Oſeam eiſdem maledicit, inquiens: *Væ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me, & ego redemi eos, & ipſi loquuti ſunt contra me mendacium.* Quos itidē Chriſtus hoc ſermone corripit: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt & me, & patrem meum.* Sed & pœnam horrēdam illis ingratis debitā ita comminatur: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Eôdem ſpectat parabola, quam Iſaias, & poſt illum Chriſtus de vinea in medium adducit, vt ſciant iſti mali agricolę ſe male perdendos, ac funditus delendos eſſe, vt vinea tam prauè ab ipſis culta, aliis melius excolenda attribuatur.

Vbi ego duplex vitiorum genus in hoſpitibus iſtis à Rege inuitatis notabo, quoniam alterum malitiæ ac turpitudinis ſpecimen apertum præ ſe fert, alterum quia tectius, non ita ſe facilè cunctis prodit. Craſſa quidem ſunt crimina, vt nemo neſcit, incredulitas, idololatria, piis intentata vis ac perſequutio, blaſphemia, ſeditio, contumacia, furor, contemptus Magiſtratuum. Minus autem odioſa, magisque familiaria pleriſque ſunt vitia, hypocriſis, iactantia, oſcitantia, in cultu diuino negligentia, diuitiarum amor, honoris cupiditas, ſtudium voluptatum, amor luxûs, aliáque id genus mundo vſitata, & quæ vix à paucis vitantur delicta, licet humanæ quidē ſalutis ea ſint impedimenta, quæ Chriſtus numerat inter ſpinas ſemen Dominicam ſuffocantes. Nec obſcurè hoc ipſo loco monemur, non minus Chriſtianis quàm Iudæis fugienda eſſe peccata, ſi ad cœleſtes nuptias vocati peruenire debeant, peccata inquam, non ſolùm enormia (Apoſtolus carnis opera vocat) quæ patrantes regnum Dei conſequi ne-
3 queunt, ſed etiam alia leuiora. *Væ igitur mundo à ſcandalis,*
quæ tandem Angeli de regno Dei colligent, ſicut & eos, qui
faciunt iniquitatem, vt omnes in caminum ignis inextingui-
bilis coniiciantur. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit,*
inquit Dominus, qui tandem in iudicio extremo pronūciabit: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Nec interim

rim prætermittam leuiora, vt vulgo videntur, peccata fugere, quæ vel Spiritum ſanctum cõtriſtare, vel meam conſcientiam polluere poſſunt. Scriptum eſt enim: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Qui amat periculum, in illo peribit. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Nec temerè Paulus admonet, vt ab omni mali ſpecie nos abſtineamus, quãdoquidem & in agone certans à multis abſtinet, quæ ſi licent, non expediunt tamen ad hoc ſuum inſtitutum. Tum Auguſtinus prudenter notat, peccata minuta ſeu venialia, licet animam non occidant, nec Dei odium promereantur, tamen velut puſtulis quibuſdam, & quaſi horrenda ſcabie grauare mentem, tamq; deformem facere, vt eam ad amplexus Sponſi cœleſtis aut vix, aut cũ graui confuſione venire permittant. Quocircà ſignificanter dictum videri debet à Chriſto: *Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.* Etenim rerum terrenarum curæ, & pecuniæ ſtudium, ſenſuumqúe illecebræ complures impediunt, quo minus ad cœnam magnam, vt alibi Chriſtus loquitur, vel ad haſce paratas nuptias perueniant, quantumuis vocati & expectati ſint: his enim nuptiis illi ſe præbuerũt indignos. Nec diſcedam à Chryſoſtomi ſententia, qui docet, non tanto ſtudio fugienda videri grauiora peccata, quanto quæ leuiora cenſentur, eò quòd ab illis natura ſponte ſua quodam modò abhorreat, hæc verò dum per noſtram deſidiam contẽnuntur, frequenter augeantur, vt ex paruis etiam fiant maxima. Adhæc animaduertam, non ſine iuſto & formidabili iudicio Dei factũ eſſe, vt rebelles Iudæi, quia viſitationis ſuæ tempus non agnouerunt, horribiliter plecterentur. Etenim Prophetas & Apoſtolos ad ſe miſſos fœdè contempſerunt, neqúe illos pro Dei legatis & nunciis habere & ſequi voluerunt: eáque de cauſa ſuam metropolim, & Rempub. omnem funditus perdiderunt. Dolebo autem, hodie tam multos exiſtere, qui Iudaicam eiuſmodi ingratitudinẽ & rebellionem æmulentur, ideòqúe diuinam iram contra ſe deſæuientem ſentiant, quandoquidem Chriſtum Dominum in ſuis Vica-

Epheſ. 4.
Eccleſ. 19. 3. & 13.
1. Theſſ. 5.
1. Cor. 5.
Serm. 41. de Sanctis.
Matth. 22.
Luc. 14.
Homel. 87. in cap. 27. Matt.
Luc. 19.

riis & Legatis perſequi non vereantur. Manet autem verbum Domini in æternum, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Vnde Chriſtus & Saulum Eccleſiæ perſequutorem corripiens dixit: *Saule, Saule quid me perſequeris? Ego ſum IESVS quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulũ calcitrare.* Peccāt autem hîc maximè Sectarij, quibus immane ac perpetuum bellum eſt aduerſus Eccleſiaſticos magiſtratus, vt non modò Iudæis perfidis, ſed etiam impiis Arianis & ſchiſmaticis Donatiſtis ſeſe conforment in authoritate Eccleſiæ paſſim labefactanda. Spectabo interim & laudabo iuſtum Dei ſummi iudicium, quo iſtorum improbitas, & in perſequendo rabies æuo noſtro magis magiſque plectitur. Contemnunt magiſtratus Eccleſiaſticos: viciſſim autem à ſuis principibus & minorum gentium hominibus non ſecus quàm vt ſeditioſi & turbulenti doctores habentur, & frequenter exploduntur. Scindunt myſticum Chriſti corpus, ſed qui nullam inter ſe vel ſpiritus, vel doctrinæ vnitatem retinere poſſunt, ac ſectas planè diſſectas in noua ſua religione fouent & alunt aſſiduè. Patribus & Epiſcopis derogant authoritatem, quam cùm ſibi paſſim arrogant, ſuam ipſi ſtultitiam orbi produnt, efficiuntque, nullus vt ſapiens illos cenſores & iudices ferēdos putet in cauſa religionis. Purum Euangelium, purumque Dei cultum iactant, ſed cernunt non cæci, ad religionem nouandam & euertendam præcipuum iſtorum ſtudium tendere, hocque tantùm illos populo gra-
9. tiores reddere, quod Salomon dixit: *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* Sed nè multis, Eccleſiæ noſtræ hoſtes eandem cum Iudæis ſortem, immò & maledictionem experiuntur, vt ſint nempè homines ſine capite, ſi-
3. ne ſacrificio, ſine altari, ſine ſpiritu fidei ac vnitatis, & ſicut
1. Iudas Apoſtolus de illis prædixit, animales, murmuratores, queruloſi, illuſores, & ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus.

Rex vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?

PANNOSVS homo in hac parabola proponitur, qui ad regales nuptias inuitatus, bonorum quidem cœtui & lautis conuiuarum epulis in menſa expoſitis ſeſe admiſcuit, ſed magno ſanè malo ſuo. Primùm enim Regis inuitantis, & perinde totius honeſtiſſimi cœtus accumbentis offendit oculos, quòd velut ſordidus inter ornatos, & fulgentibus veſtibus indutos appareat. Deinde à Rege ipſo palàm obiurgatur, & cùm neglecti decoris rationem reddere non poteſt, ex conuiuio tam ſplendido iubetur extrudi. Poſtea in tetrum carcerem coniicitur, & manuum pedumque libera poteſtate priuatur, ſed & ſæuis lictoribus traditur excruciandus. Quam ob cauſam rogas? non ſanè quòd incredulus, homicida vel adulter eſſet deprehenſus, aut inſigne aliquod flagitiũ perpetraſſet, ſed totius damnationis & horrendi ſupplicij pœnam idcircò ſuſtinuit, quòd conuenienti verèque nuptiali veſte charitatis orbatus, tali conuiuio ſeſe immiſceret, ac aliis præclarè veſtitis ipſe cum indumento ſqualido & indecenti aſſideret.

Hoc typo deſignatum eſſe credam, quàm perperam cum illis agatur, qui Deum ſibi ſemper propitium fingunt, veluti nihil exigentem aliud, niſi Chriſtianæ fidei profeſſionem, piamque confidentiam propter Chriſtum mediatorem. Alij ſalua & ſecura omnia ſibi pollicentur, modò in Eccleſiæ Catholicæ vnione & communione perſiſtant, & vulgari more Sacramentis vtantur, Deique verbum prædicatum vtcunq; audiant, tametſi nec Dei, neque Eccleſiæ propoſitis legibus obſequãtur. Sedenim incomptus hic hoſpes, qui tam ſeuerũ Regem experitur, & in extremas tenebras abiicitur, figurã illorum omnium exprimit, qui ſpeciẽ quidem pietatis habent in Eccleſia, virtutem autem eius abnegant, quique volupta- 2. Tim. 3.

tum

2. tum magis quàm Dei ſunt amatores, vt Paulus loquitur: auditores tantùm verbi, non factores. Quo magis ego illum iudicem vehementer metuam, qui nihil coinquinatum in ſuũ cœleſte regnum admittit, illas etiam virgines excludẽs, quibus licet fides, ſpes, caſtitas & precatio cõſtet integra, oleum tamen deeſt ſacrum charitatis, quod ad fouẽdum ignem acceptis lampadibus eſt neceſſarium. Ac meritò ſanè illum vereor,
15. qui velut vitis vera, infructuoſum ferre non vult palmitem, cumque aridum iubet prorſus exuri, neque ſolùm ob commiſſa mala, ſed etiam ob prętermiſſa bona opera totum damnat hominem, iuxta illam ſententiam: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Rurſus extimeſcam reus eſſe corporis & ſanguinis Dominici,
nt 11. quemadmodum rei certè ſunt omnes, qui cum perfido Iu-
6. da, & hæreticis omnibus indignè ſumunt ſacram Euchariſtiam, quòd eos etiã ſingulos meritò Chriſtus illa feriat ſen-
26. tentia: *Amice ad quid veniſti?* aut, ſicut hodiernum loquitur Euangelium, *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Illud inſuper iuſtum mihi pudorẽ iniiciet, quod ſordidi huius hoſpitis exemplo non fiam cautior, maiore vt deſiderio ac ſtudio ad veſtem nuptialem obtinendã, aut potius recuperandam adſpirem, maximè cùm intelligam, amiſſæ violatæque charitatis damnum non ſolùm in hac vita, ſed etiam apud inferos longè grauiſſimum eſſe, ac pœnas homini creare perpetuas. Facit enim hominem, vt Chriſtus indicat, turpiter obmuteſcere, manibus eius ac pedibus vincula iniicit ſeu compedes, eundem in tenebras exteriores deturbat, quem & dæmonum tyrannidi ſubiicit, fletum & ſtridorem dentium nunquàm deſiturum cõcitans. Quibus de rebus ac gehennæ ſuppliciis libet adſcribere, quod Proſper A-
3. de vita [con]templati[ua] [c]ap. 12. quitanicus hunc locum tractans, eruditè notauit. Quid eſt inquit, obmuteſcentes manibus & pedibus ligari, niſi in inferno, vbi Deo nemo confitetur, actione priuari: ſicut in exteriores tenebras mitti nihil aliud erit, niſi à Domino, qui eſt mentium lumen, expelli? Fletus autem & ſtridor dẽtium

acer-

acerrimos eorum dolores oſtendunt, qui ſupplicio æternæ mortis addicti, non videndi ſenſum habituri ſunt, ſed dolendi. Quorum continuus fletus, cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus, torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideò ſibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente ſentiendi vita, pœna permaneat, & ad dolendum magis quàm ad viuendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis viuacibus immortalitas ſecūdæ mortis occidat.] Quis ergò non admiretur Chriſtianos homines ita ſui amantes ac ſtudioſos eſſe, vt in charitate colenda operam exiguam ponant, atq́ue ita ſeipſos perdant funditus? Non enim fallit Ioannes, inquiens: *Qui non diligit, manet in morte. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt.* Tum ab alio Apoſtolo traditur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Quid autem hac nuptiali veſte vel pulchrius homini, vel neceſſarium magis ad benè beatèq́ue viuendum? Hæc veluti certa nota eſt, ſicut Chriſtus ipſe prodidit, quę filios regni ab adulterinis probè diſtinguit. Hoc aurum illud ignitū & probatum, & veſtis candida, ſicut Spiritus ſanctus verbis illis oſtendit: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias: & veſtimentis albis vtaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Sed væ mihi, ſi nec amem, nec timeam Deum, vt tam præclaris eius beneficiis ad redamandum illum fontē bonorum non exciter, & ſeueris eiuſdem iudiciis ad illum timendum non commouear ac impellar. Habet ille quidem lautiſſimum & inſtructiſſimum conuiuium, quod ſuis electis apponit amicis, vt ſummam eius bonitatem agnoſcam. Habet præterea illum conuiuarum delectum, vt inter inuitatos omnes nè vnum quidem ferre poſſit hoſpitē malè compoſitum, & indecenter ornatum, vt iuſtitiam eius ingentem obſeruem ac metuam. Graue eſt ſanè, ex omni gratia tanti Regis, quem antea mihi fauentem habebam, prorſus excidere: grauius, omnem ſpem futuræ cum illo offenſo reconciliationis mihi omninò præſcindi: grauiſſimū verò, me ſum-

1.Ioan.3.& 4.

1.Pet.4.

Ioann.13.

Apoc 3.

mis

mis æternisq́; bonis amiſſis, manere in dęmonũ poteſtate, & cũ acerbo fletu oculorũ, & immani ſtridore dentium, aliisq́; pœnis horrendis perpetuò conflictari, ſiue, vt Iſaias inquit, cum igne deuorante, & ardoribus ſempiternis habitare. *E*rgóne inſanos homines meritò eos dixerim, qui diuini timoris ſimul & amoris expertes, præſentem Dei gratiam oblatã, & futuram gloriam promiſſam pro nihilo ducunt, ſoláque fide ac ſpe miſericordiæ Dei ſeſe & alios vaniſsimè conſolantur? O brutas pecudes potius quàm homines Chriſtianos, qui porcorum ſiliquis cum filio prodigo paſcunt ventres, ſuaſque mentes, quas *D*eus ſolus explere poteſt, terrenis curis immergunt, atque interim ad Euangelicas epulas & cœleſtes nuptias deſiderio nullo feruntur. O me ſtupidum etiã & veſanum, qui ad ſumma æternaq́; vocatus, viliſsimis mundi carniſque blandimentis & ſenſuum illecebris deditus & addictus, poſt tot annorum ſpacia ad germanam filiorũ Dei libertatem nondum emergo, vt ſaltem veſtem illam nuptialem mihi ſtudeam comparare, ac nitidam conſeruare. Vtinã aures meas vox illa diuina duntaxat penetret: *Habeo aduerſum te pauca, quòd charitatem primam reliquiſti. Memor itaq́; eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem: venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egerit.* Dolebo denique, mihi cum multis hoc eſſe commune, vt formidabilem Chriſti ſentẽtiam, qua hoc *E*uangelium concluditur, ſurdis velut auribus tranſmittam: *Multi* inquit, *ſunt vocati, pauci verò electi.* Verùm de hoc dicto alibi plura. Sunt interim, ſcio, qui veſtem nuptialem ad fidem ſolam referant, ſed quorum inane frigidumq́ue commentum tanto magis reſpuam, quanto conſtantius veteres Theologi, vt Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Haymo, Theophylactus & *E*uthymius hunc locum de charitate & Chriſtiana iuſtitia interpretantur.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro Chriſtianis ingratis, & iuſto Dei iudicio nunc vehementer afflictis, quandoquidem non*

ſecus

ſecus ac olim Iudæi, exhibita Chriſti Euangelij gratia licenter abutuntur, & breue hoc gratiæ tempus ſine iuſtitiæ fructu tranſigunt, vtpote curis temporalibus, maliſq; cupiditatibus, & carnis operibus impediti, nihilq; ſoliciti de ſancta ſua vocatione & ornanda, & promouenda.

ORABO *inſuper pro Eccleſiæ Catholicæ miniſtris, & verbi Dei concionatoribus, vt quia velut ſummi regis legati, animos hominum ad cœleſtes epulas inuitare habent atq; componere, hac graui functione ſua ritè fungantur, nihilq; metuant quorumuis hominum ingratitudinem, & hoſtium petulãtiam & crudelitatẽ.*

PRAETEREA *petam meliorem dari mentem plurimis, qui hodie ſine veſte nuptiali, & in mortali peccato Chriſtianiſmum profitentur, ſæpè & in ſuis pereunt ſceleribus. Nec pauci ſecùrè peccant, Dei gratiam & Chriſti merita, fideiq; iuſtitiam vanè iactitantes, præcipuam verò Chriſtianiſmi partem, legiſq; diuinæ ſummam & compendium charitatem, ac eius opera prorſus intermittentes. Atqui Apoſtolica vox eſt, eritq; ſemper:* Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 1.Cor.13.
Si quis non amat Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, ſit anathema. 1.Cor.16.

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

IN Capharnao non ignobili oppido Galilææ, habitabat quem Ioannes Euangeliſta hoc loco deſcribit Re-

gulus, ſic nempè dictus, quòd è regio eſſet genere procreatus, ſiue quòd aliqua principatus dignitate fungeretur. Is & nobis eò debet eſſe gratior, quòd præluſerit futuram vocationem gētium, quæ Iudæis & filiis regni reiectis, ad Euangelicę gratiæ conſortium erant admittendæ. Minuſq́ue mirum videri debet, fidem infirmam apud hunc Regulum initiò deprehendi, quoniam Capharnaitis magna incredulitate & contumacia laborantibus, vnde Chriſtus illis maledicit, cōmorabatur. Illud in eo laudare conuenit, quòd adeò ſollicitus pater ſit, magnamq́; curam habeat filij cum mortifera febri conflictantis, vt de vita eius & medici deſperarent. Laudabilior idē fuit, quòd non aliò quàm ad Chriſtum ſe conferat, & omne ſuum præſidium ac extremum remedium in præſenti opera Domini ponat. Etſi enim in Chriſtum verum & vnicum Meſsiam perfectè nondū crederet, tamen ob præclaram de illo conceptam opinionem ſupplex accedit, & hunc hoſpitem in ſuas ædes inducere contendit, ſingularem eius virtutem morienti filio adfuturam ſibi pollicens. Cæterùm ſapienter Chriſtus cunctatur, & ægrotum eius filium differt inuiſere, patrem interim Regulū & ſimul Iudæos omnes perſtringens, vtpote ad credendum difficiles atque tardos, & nouorum quidem miraculorum ſemper cupidos pro ſua veteri curioſitate ſimul & incredulitate. Auget verò & confirmat fidem ſuam Regulus, cùm ex Chriſto audit, Vade, filius tuus viuit, vniq́; verbo credit firmiter ac integrè, nihil vt dubitet de filij conualeſcentia, vtque corporalem Domini præſentiam vrgere deſiſtat, perinde ac ille Centurio ſibi certò perſuadens, vnum Chriſti verbum ſufficere ad morbum omnē depellendum, & ad ſuum puerum amiſſæ ſanitati reſtituendum. Hanc illius fidem corroborant ſerui accedentes, quum rogati reſpondent de hora ſeu tempore profligatæ febris, & redditæ ſanitatis filio. Amplioris adhuc fidei ſpecimen in eo præbet, quod non contentus in Chriſtum credere, ſuam quoque familiam credentem efficit, vt nullo excepto cuncti Meſsiam ac eius Euangelium libentibus animis amplectantur. Proinde non vnum, ſed

mul-

multiplex miraculum, vtpote in patre, filio, & familiaribus patratum hîc licet deprehendere, & ad Chriſti gloriam decet prędicare, noſtramq́; inde fidem atque confidentiam corroborare conuenit. Iuſtus enim ex fide viuit. Matt. 8. Luc. 7.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Ioann. IIII.

ERAT *quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiſſet quia* IESVS *adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergò Ieſus ad eum, Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus, Domine, deſcende priuſquàm moriatur filius meus. Dicit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni quem dixit Ieſus, & ibat. Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergò horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergò pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus viuit, & credidit ipſe, & domus eius tota.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Rogabat eum Regulus, vt deſcenderet & ſanaret filium eius.

SVSPICIAM Chriſti Domini ſapientiam,paremq; bonitatem, qui optimum exhibiturus medicum, circa ægrotum vnum ita verſatur, vt ſimul multis malè valentibus conſulat,probèqúe medeatur. Febri vehementiſsima Reguli filius laborabat, breuì ſanè ſecundùm naturę ordinem moriturus,cùm illius ægritudo medicorum artem ac induſtriam omnem ſuperaret, ſiue demum hectica,ſiue ephemera, ſiue putrida, prorſusque peſtifera febri laboraret. Hac occaſione commotus pater,cùm videt ſe fruſtrà humanis confidere præſidiis,& certum mortis periculum imminere ſentit,ad diuinam Chriſti opem quærendam, licet in fide imbecillis,totum ſeſe conuertit.Rectè autem facit, quod Chriſti admonitione correptus,ſuam in illũ fidem auget, illíque conſtanter adhærere pergit, donec præcipuo morbo incredulitatis, quo nihil eſt animæ nocentius ac deteſtabilius,omninò liberetur. Iamqúe ille in mente ſanatus, & filio corporis impetrat incolumitatẽ, & ſeruos familiamqúe totã eò adducit,vt omnes vero fidei lumine colluſtrentur,& ſalutem à Chriſto ſpiritualem reportent. Vnde autem fructus tam euidens ac multiplex initium ſumpſit? nimirùm ex afflictione ac ægritudine,quæ non ſolùm hoc loco, ſed etiam alibi paſsim, ſicut Euangelium de [a] paralytico, [b] lairo, [c] decemqúe leproſis docet,in cauſa eſt,vt Chriſtus vtiliter cognoſcatur,quæratur,adeatur,inuocetur,nec ſolùm præſens, ſed abſens etiam honoretur.Quarè Ioannes quoqúe ſcribit: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.* Multis autem modis prodeſt electis ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis vexatio, nimirùm vt in cruce ipſa probentur, Iob ſancto teſtante: *Ipſe ſcit viam meam, & probauit me,quaſi aurum quod per ignem tranſit.* Deinde virtus ipſa, præſertim patientia, in bonis probatis, cum affliguntur, magis elucet, & ad exemplum aliorum reſplendet pulchriùs, vt hinc Iacobus Apoſtolus aſſerat: *Exemplum accipite fratres, exitus mali & longanimitatis, & laboris, & patientiæ, Prophetas, qui loquuti ſunt in nomine Domini.* Ecce bea-

tificamus eos qui ſuſtinuerunt. Præterea hoc argumento declarat Deus, quos chariores amicos & filios in hoc mundo habeat. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit*, Apoſtolo teſte, vt hinc etiã Raphaël Angelus Tobiæ ſeniori dixerit: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te*, per cæcitatem ſcilicet. Nec temerè ſcriptum legimus: *Vexatio dat intellectum*, quoniam auget homini ſapientiam, ac maiorem cautionem adducit, nec minus iuſtis confert, vt in humilitatis officio rectius contineantur, & in via Dei prouidè magis ambulent. Nam & Paulus de ſeipſo fatetur: *Nè magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, vt me colaphizet. nam virtus in infirmitate perficitur.* Adhæc duris caſibus probos ac improbos exercet Deus, non ſolùm ob ſalutem hominum, ſed etiam ſuam vt gloriam magis illuſtret, latiusque in orbe diffundat. Vnde Chriſtus mirantibus de cæco nato diſcipulis ita reſpondit: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Eadem ratione de Lazaro ægroto audiens, hoc quoque iudicium tulit: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei: vt glorificetur Filius Dei per eam.* Cæterùm ſi communem hominum ſortem ſpectemus, pleroſq; Deus morbis & aduerſis rebus viſitat, vel, ſicut Propheta loquitur, vias eorum ſepit ſpinis, vt ſua ipſi vitia cognoſcant & corrigant, mentemque recipiant ſaniorem. Hinc de Iudæis afflictis ſimulq; reſipiſcentibus Propheta regius canit: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt. Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.* Qui & de ſeipſo apertè fatetur: *Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Orat inſuper Dominũ pro his, qui malè ſecuri grauius peccant, & rebus ſecundis affluentibus inſoleſcunt. *Imple* inquit, *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Illis autem ex animo gratulabor, quos præſens afflictio, & qualiſcunque morbus ad ſaniorem mentem redu-

Hebr. 12. Tobi. 12. Iſai. 28. 2. Cor. 12. Ioann. 9. Ioann. 11. Oſee 2. Pſalm. 15. & 106. Pſalm. 118. Pſalm. 82. & 33.

cit, quoniam ſeueræ viſitationis tempus agnoſcunt, & de ſpi-
nis vuas, & de tribulis ficus quodammodò colligunt, vt eo-
1.&5 rum aliquis cum Ieremia teſtari poſſit: *Caſtigaſti me, & erudi-*
tus ſum. Aliorum autem infœlicem deplorabo ſortem, de
quibus idem Propheta dixit: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt:*
attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt
facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Floruerunt olim
1. Salomon rex & Samſon iudex, ſed quos fortuna proſpera ſic
6. obcæcauit, vt diuini timoris, ſuæque ſalutis obliuiſcerentur,
quoniam inſano mulierum amore capti, in pericula grauiſſi-
ma inciderunt. Multóque magis illos mihi commiſerandos
putabo, qui morbis pœniſque aliis à iuſto Deo puniti, in ſuis
ſceleribus pereunt, ac futuræ mox damnationis ſpecimen e-
6. dunt, initiumque commonſtrant. Nam de Core, Dathan &
Abîron ſeditioſis, Moyſique rebellantibus conſtat, quod ter
ra dehiſcens illos omnes cum ſuis deuorauerit, vt ad inferos
viui deſcenderent. Et quibuſdam flagitioſis hoc optat Pro-
54. pheta: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuen*
tes. Demùm quibuſdam impiis Dei offenſi iram & vindictā
. ſine miſericordia ſuperuenire, liber Sapientiæ probat, & ſa-
.14. tis oſtendunt [a] Pharao, [b] Antiochus, [c] Herodes, aliiq; imma-
ach. 9. nes tyranni, quos funeſta mors diuinitus inflicta, ad pœnas
r.12. tartareas vſque detruſit. Ego verò & mihi & amicis precabor
ex animo, vt quoties à Domino iudicamur atq; corripimur,
ad nos ipſos ante mortem redeamus afflicti, & vnà cum rege
l33. Manaſſe in mediis pœnis ad Dominum conuertamur. *Bea-*
tus enim homo, qui corripitur à Domino: quia ipſe vulnerat, &
medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. Profuit ſanè diuina
r.42. correptio filiis Iacob, qui ſuorum malorum conſcij, durèq;
à Ioſeph fratre tractati, confeſſionem hanc humilem edide-
runt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.*

Hinc iam ego diſcam infœlices Adæ filios cognoſcere ac
deplorare, qui ad peccandum vſque procliues atque præci-
pites, ex lapſu tam ægrè aſſurgunt, & aſſurgentes facilè rela-
buntur, nec ſine verberibus ſapere dignantur, vt etiam ad of-

ficium

ficium vi quadã adigi debeant. Etenim niſi flagellis quibuſdã verberẽtur, ac tanquã funibus pertrahãtur, iuxta illud, *Cõpelle intrare*, nec ſeipſos, nec Deum agnoſcere, multóq; minus ad percutientem Dominum redire conſueuerunt. Adeò verũ eſt illud Gregorij Magni dictum: Mala quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt. Vel ſicut Paulus affirmat: *Dum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Deinde operam ſedulam dabo, nè repentina tempeſtate vel aduerſitate quadam oborta, ſiue per illam corpus, ſiue animus affligatur, ego vulgi more perturber, & plus æquo diſcrucier. *Non enim contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit*, ſi Salomoni credimus: & norunt nobiſcum ethnici, nihil in terris eſſe firmum ac perpetuum, ſed vanitati omnia ſubiacere, incidentes verò calamitates, quas effugere nullus in hac vita poteſt, velut aſperos eſſe ventos, quibus noſtra in hoc procelloſo mari nauigatio, dum ad portum æternæ ſalutis tendimus, nunquàm non ſit expoſita. Mihi certè velut in media tempeſtate nauiganti dormiendum non eſt, quandoquidem *militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij, dies eius.* Quicquid verò iniuriæ, doloris ac moleſtiæ obuenerit, id velut à ſummo Deo paratum, mihiq; trãſmiſſum munus eſſe arbitrabor, qui certè ad ſui nominis gloriam & ad ſalutem mortalium à fine vſq́ue ad finem attingit fortiter, & diſponit ſuauiter omnia. Vereq́ue ſcriptum habemus: *Omnia ſanctis in bona cõuertentur.* Igitur ſi me inuadat ac grauet morbus quàmlibet fœdus, vehemens, atrox, peſtilẽs ac diuturnus: cur auerſer quæſo poculum, ſi velim, ſalutare, & ab optimo medico mihi benignè porrectum, & de quo fidenter cum Propheta dicere poſſim: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo?* Nec eſt ſanè obſcurũ, quid ego, quantumq́ue Redemptori Chriſto debeam, qui longè acerbiorem pro me calicem bibit, & qui ſuos fideles ſine cruce & calice hîc viuere noluit, ideòq́ue dixit: *Calicem quidem meum bibetis. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Quid verò, ſi morbus ſit ſanitatis hoſtis, cor-

Luc.14.
1.Cor.11.
Prou.12.
Eccleſi.3.
Iob.7.
Sap.8.
Eccleſi.39.
Pſalm.115.
Matth.20. & 10.

poris carnifex,dolorum nutritor,naturæ deſtructor,& mortis quoqúe prænuncius? Quid tum poſtea? eſt idem quoqúe, ſi volumus, iudex & probator fidei, patientiæ magiſter, orationis exactor,ad humilitatem impulſor, ac demùm teſtis in Chriſti ſchola exercitatorum. Impiorum autem & ſtultorũ iſthuc eſt proprium,vt impatientia & obmurmuratione ſuas ægritudines non minuant,ſed augeant atqúe conduplicent, eáque ratione ſimul corpore & animo ſe bis miſeros reddãt, ac nonnunquàm in ſæuis illis dolorum aculeis etiam fœdè deſperent,impièqúe blaſphement. Miſſum ergò faciam hoc genus hominum, quod cum natura & Deo ipſo immaniter pugnat, atqúe in flagranti morbo ita me comparabo, nè virtutum illarum præſidio & fructu deſtituar, quæ patientes, humiles, confidentes & obedientes Dei filios probè declarant, & vehementer exornant. Cũ verò vel morbi,vel mortis memoria triſtis accedet,hominis nimiùm delicati eſſe cenſebo, ſi accepti pharmaci acerbo guſtu grauiter offendatur, aut ſi contra veterem Adam ſibi obſtrepentem ſtolidè iraſcatur, vel cum carne ipſa,velut ancilla immorigera & queruloſa,ſi-
12. ne fructu vllo cõtendat. *Omnis enim diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis reddet iuſtitiæ*, ſicut Apoſtolus docet. Quapropter ſiue leuiuſculo, ſiue grauiore morbo diuexer, oculos in Deũ vitæ ac necis meæ principem coniiciã, meamq́; voluntatem cum illius voluntate ſemper ſancta cõiungam, & totus ex illo pendens, vnà cum viro patientiſſimo ex ani-
.& 1. mo dicam: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus? Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.*

Domine, deſcende priuſquàm moriatur filius meus.

OSTENDIT Regulus præpoſterum ſtudium mortaliũ, qui ſecundùm carnem ſapientes, ordinemqúe diuinum peruertentes, primam & præcipuam curam corpori, poſteriorẽ verò animæ quantumuis languenti & periclitanti, tribuere ſolent.

ſolent. Etenim hic princeps de ſua & ſuorum ſalute perpetua comparāda, vt ſanè oportebat, minimè cogitat, ſed filij corpori tam caduco & corruptibili duntaxat conſulit, quod ipſum ſicut vitrum fragile, citò cadit, & frangi omninò neceſſe eſt. Siquidem *homo quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra: & nunquàm in eodem ſtatu permanet. Heſterni ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terrā,* quemadmodum liber Iob liquidò aſſeuerat. Errat etiam in eo Regulus, quod cùm ſuam iuuandis aliis dat operam, ſeipſum fœdè negligat, vt meritò illi poſſet obiici: *Medice, cura teipſum. Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Peccat in eo inſuper, quòd Chriſto admonenti de grauiſsimo morbo, vtpote fœdiſſimo crimine incredulitatis, velut ſurdas aures præbeat, quodquè more ſuo vehemens & imperioſus, rem ſuam tantoperè vrgeat, moleſtè Chriſti ſermonem interpellans, atque hoc vnum reſpondens: *Domine, deſcende priusquàm moriatur filius meus.* Quid enim his verbis aliud indicat, niſi quod legem velit ipſe magiſtro præſcribere, & vel ab inuito nouum extorquère miraculum, vbi & quando ipſi adlubeſcit? Hinc ego exemplum capiam hominis, ſicuti Paulus vocat, animalis, qui non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, neq; rectum quicquam putat, niſi quod ipſi placet, ac videtur conſentaneum. Etenim *qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſapiunt,* vt idem Paulus affirmat. Hallucinatur demùm Regulus vnà cum ſuis Capharnaitis, vtpote in ſpectandis miraculis nimiùm cupidus atquè curioſus, carnis iudicio & affectibus deditus, tum in fide verbo Dei adhibenda tardus, fortaſſe quòd [a] ſpinis bonum ſemen ſuffocantibus impediretur. Nondum ſanè didicerat, quid ſibi vellent illę ſententiæ: [b] *Niſi credideritis, non intelligetis.* [c] *Pauperes euangelizantur.* [d] *In ſimplicitate cordis quærite Dominum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autèm eis qui fidem habent in illū.*

Iob.14.& 8.
Luc.4.
Eccleſi.30.
1.Cor.2.
Rom.8.
a Luc.8.
b Iſai.7.
c Matt.11.
d Sapien.1.

Et hactenus quidem laudabo Regulum, quòd ægrotantis filij curam gerat ſedulam & indefeſſam, cùm ipſe Chriſtum

non per miniſtros aut literas inuiſat, ſed per ſeipſum coràm
accedat,& opem illlius ardenter imploret,ex fido amore filij
ſeriò tentans omnia. Quo quidē exemplo non obſcurè mo-
net,ſicut & ego monere debeo,parentes ac heros omnes,vt
ſi muneri ſuo ſatisfactum velint, non modò ſanis, ſed etiam
ægrotis filiis,ac domeſticis omnibus maturè conſulant,ma-
ximè ſi morbus ingraueſcere, ac mortis periculum immine-
re videatur. Habet enim tunc locum Apoſtolica ſententia: *Si*
c.5. *quis ſuorū,& maximè domeſticorū curā nō habet, fidem negauit,*
& eſt infideli deterior. Quid verò grauius ac terribilius ille ꝓ-
ferret in parentes auaros,inhumanos,ſordidos, & à charita-
tis affectu alienos, quos & ſine affectione homines vocat, &
in quos vetus illa competit ſententia: *Noli eſſe ſicut leo in do-*
4. *mo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* Eó-
que magis dolebo, tam multos paſſim reperiri heros ac pa-
tresfamilias, qui nullam de ſuis filiis ac familiaribus ſiue in
corpore, ſiue in animo iuuandis curam ſuſtinere, ſed potius
contra naturam ipſam turpiter abiicere videantur. Proinde
nunquàm aut rarò pro ſuis domeſticis Deum orant,& iuuē-
tutem vel familiam ſibi commiſſam, velut meſſem incultam
iacere ſinunt, nihilque minus cogitant,quàm vt ſuos verbo,
exemplo atque præſidio ad benè beatèque viuendum hor-
tentur ac aſſuefaciant. Atqui hoc non eſt liberos in diſcipli-
na & correctione Domini educare, quemadmodum Apo-
.6. ſtolus diſertè mandauit: nec eſt inſtar optimi patris Iob ſan-
ctificare filios, aut eos cum Tobia in Dei timore inſtituere,
ſed potius firmum naturæ ius, Deique decretum ſanctū vio-
lare,quo nempè ſancitum eſt, vt ſeſe parentes velut vicarios
ac miniſtros Dei, ſuis domeſticis ritè gubernandis, atque ad
pietatem omnem informandis ſedulò applicent. Peccat au-
tem in eo Regulus, quòd inter vtramque corporis & animi
ſanitatem diſcernere neſciat, naturalis in filium amoris affe-
ctu, velut vino ebrius, quodque in ſola corporis incolumi-
tate reſtituenda ſit nimis anxius procurator. Quod ſi paren-
tes nullis ſumptibus ac laboribus parcunt, ſed omnia ſibi

perſe-

perferenda & experiunda putant ad vitam filij exiguo tempore, & neſcio quàm frugiferè prorogandam: quid tandem ſtudij ac operæ mihi prætermittendum eſt, vt immortali animę meę vel proximi conſulam, illamque contra tentationes omnes in ſpirituali vita conſeruem, & ſimul peccantem ab æterna morte gehennæ vindicem? *Qui enim peccat, ex diabolo eſt.* 1. Ioann. 3. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Ecclesi. 9. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur,* Ezech. 18. nihilque fingi poteſt morte illa horribilius, quæ mentem Christianam lethali commiſſo crimine à ſummo æternóque bono diſiungit, ac infœlicem perpetuò facit. Quocircà nè boni ſpecie fallar, neúe prætextu procurandæ aliorum ſalutis meam ipſe ſalutem in diſcrimen adducam, ſæpè illud Chriſti verbum in mentē reducam: *Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, anima verò ſua detrimētum patiatur? Aut quam dabit homo cōmutationem pro anima ſua?* Matt. 16. Tantóq; magis mihi cōmendatum erit, quod Sapiens præcepit: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſq; ad mortē certa pro iuſtitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Ecclesi. 4.

Credidit ipſe, & domus eius tota.

NOTABO fidem in hoc Regulo pulchrè ſuccreſcētem, quæ ſicut herba germinauit, ſuaque ſumpſit incrementa, donec eò perueniret, vt totam eius familiam maturo fructu locupletaret atque compleret. Ac primùm quidem de Chriſto ille præclarè ſentit, vtpote virum illum & doctorem ſanctum eſſe ſtatuens, qui præſens etiam lethaliter ægroto mederi queat, ac præ cæteris opitulari. Præclarius deinde iudicat, certò ſibi perſuadens, eundem etiam corpore abſentem, ſolo verbo & nutu tam præpotentem eſſe, vt morientem quóq; curare ac reſtituere poſſit: immò illum ipſum in lege promiſſum eſſe Meſsiam, quem cuncti ſani & ægroti meritò amplectantur atque colant. Hanc ille fidem firmam non ſolùm in corde concipit ac retinet, ſed ſuis etiam domeſticis ita commendat & inſtillat, vt ad vnum omnes in Chriſtum credant, ſuam de illo fidē haud dubiè palàm profitentes. Dolebo igitur,

tut,cùm alios fideles, tum diuites, nobiles, principes ac pa-
tresfamilias hoc æuo multos reperiri, qui à vera ſint fide a-
lieni,vel in ea certè deficiant magis quàm proficiant;quoniã
de multis fidei rebus ambigunt atq; contendunt. Etenim lo-
cum apud illos non habet Paulina præceptio, *vt idipſum di-
cant omnes, & non ſint inter illos ſchiſmata: ſint autem perfecti
in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia.* Paucos verò inuenire li-
cet,qui ſicut Regulus atque Centurio,familiam ſuam piè in-
ſtituant, ac de ſuis domeſticis probè mereantur. Deeſt paſ-
ſim Cornelius centurio,qui,teſte Luca,fuit *religioſus ac timēs*
a. *Deum cum omni domo ſua*, & cui ab Angelo dictum eſt: *Ora-
tiones tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in con-
ſpectu Dei.* Neque parùm hîc peccant politici magiſtratus,
qui exiguam, aut nullam gerunt curam religionis apud ſuos
ſubditos conſeruandæ ac promouendæ: quin potius exem-
plò & authoritate à vera fide & Catholica diſciplina illos ab-
ducunt atque deterrent, præſertim vbi peſſima religionis li-
bertas,vt vocant, cunctis impunè permiſſa, ingentem aperit
feneſtram ad omnem atheiſmum.Hinc iam,proh dolor,fieri
cernimus, vt licentia fiant omnes deteriores, illaque com-
.10. pleatur ſententia:*Secundùm iudicem populi,ſic & miniſtri eius:
& qualis rector eſt ciuitatis, tales & habitantes in ea. Rex inſi-
piens perdet populum ſuum: & ciuitates inhabitabuntur per ſen-
1. ſum prudentium.Vbi non eſt gubernator,populus corruet.*

Illud mihi curæ fuerit maximè, vt excellens fidei donum,
2. humanæ iuſtitiæ æternæque ſalutis fundamentum, ſine quo
1. impoſſibile eſt Deo placere,altas in me radices iaciat & gran
deſcat,atque indies magis ac magis aduerſus ventos noxios,
variasque tempeſtates roboretur. Chriſti enim præceptum
11. eſt: *Habete fidem Dei:* & canon Apoſtolicus docet: *Vigilate,
.16. ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* Confortabor autē
in fide,ſanctorum exemplis ſæpè in mentem reuocatis, quo-
rum multa & præclara Paulus in medium profert, tandem
11. ita concludens: *Per fidem vicerunt regna,operati ſunt iuſtitiã
adepti ſunt repromiſſiones.* Augetur autem in nobis fides pa-

tim orando, partim meditando, partim veræ pietatis & charitatis opera exercẽdo. Certè Apoſtoli noſtræ fidei principes, cùm adhuc modicæ eſſent fidei, ita Chriſtum orârunt: *Domine adauge nobis fidem.* Et cum Propheta regio ſic orat Eccleſia: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.* Nec diſpar eſt ſolennis illa & neceſſaria piorũ precatio: Omnipotẽs ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum. Porrò mater Domini, quam cognata Elizabeth à fidei præſtantia celebrauit, ſuam fidem egregiè ſtabiliuit, cùm verba omnia de filio ſuo ſedulò meditata eſt, vt hinc de illa ſemel ac iterum Lucas affirmet: *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Quod meditandi ſtudium adeò regi Dauidi fuit familiare, vt apertè teſtaretur: *Teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationis tuæ. Quomodo dilexi legem tuam Domine; tota die meditatio mea eſt.* Nec dubium, in diuinorum verborum & operum meditatione Magdalenam excelluiſſe, quæ ſedens ſecus pedes Domini, & à mundi domusque curis aliena, diuinis ſermonibus mentẽ omninò paſcebat. Creſcebat & fides Apoſtolis aliisque primùm credentibus, qui à Chriſto vocati, in vinea Dominica ſtrenuè laborârunt, & relictis retibus ita ſequuti ſunt Dominum, vt variis pietatis officiis vocationem ſuam ornarent atque communirent. Nec enim ignorabant neceſſarium eſſe præceptum illud: *Satagite, vt per bona opera certam veſtrã vocationem & electionem faciatis.* Tum ad fidei confirmationem valdè contulerunt miracula, quæ multa & præclara iuxta Chriſti promiſſionem in Eccleſia primitiua fulſerunt, magnamq; vim apud Iudæos & Gẽtiles habuerunt, vt in doctrina Euãgelica plurimi confirmarẽtur. Etenim Chriſtiana veritas, vt Paulus aſſerit, in nos cõfirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem. Quæ fides tanto magis in electis omnibus viget atque ſplendeſcit, quanto illi propius ad Pauli Apoſtoli accedunt exemplum, in quo Dei gratia vacua non fuit, ita vt bona conſcientia teſtaretur:[a] *Dei*

Matt. 6. & 14. Luc. 17. Pſalm. 67. Luc. 1. Luc. 2. Pſalm. 118. Luc. 10. 2. Pet. 1. Marc. 16. Hebr. 1. a 1. Cor. 3.

ſumus

ſumus adiutores. [b] *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* [c] *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Idemque [d] Paulus de fidelibus omnibus pronunciat, fidem etiam miraculorum operatricem illis non profuturam, niſi charitatem cum illa communicent, fidemque habeant per charitatem operantē. Ac illi demùm dicit anathema, qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et nè ignoremus officia fidei iuſtificantis, quæ ſine operibus bonis conſiſtere non poſſunt, Auguſtinus illa breuiter his verbis complectitur: Secundùm rectam fidem iuſtus iuxta legem fidei in omnibus delictis ſuis ſe accuſat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, ſibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipſo ſumens & indulgentiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum.] Miſerandam interim ſeculi huius ſtultitiam, paremque cæcitatem deplorabo, in quo de nulla re magis quàm de fide paſſim contenditur, ac minimum quidem verę, Deoque placentis, ac iuſtificantis fidei reperitur. Nam qui nouandæ religionis hodie ſunt ſtudioſi, de fidei virtute continenter ſine fide Orthodoxa diſputant ac diſceptant, & idcircò hæretici eſſe poſſunt, Chriſtiani autem eſſe non poſſunt, quàmdiu veteris Eccleſiæ fidem, doctrinam & authoritatem ſuperbè contemnunt, aut pro nihilo ducunt. Fingunt interim nouam, ſpecialem & commentitiam fidem, quam patres noſtri prorſus ignorauerunt, & qua nunc primùm iſti certò ſtatuūt, ſi Chriſto placet, ſe licet ab Eccleſia damnatos, certò iuſtificari atq; ſaluari. Hinc tandem tot ſynceræ & Catholicæ fidei deſertores, nouæque perfidiæ ſectatores, qui ſanam doctrinam, vt Paulus fore prædixit, non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros prurientes auribus. Iactant quidem ſubinde illud: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic*: ſed ſicut paruuli fluctuantes, vt Paulus dixit, omni vento doctrinæ circumferuntur, & veritatem duce charitate non faciunt in Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, neque creſcere poſſunt in vera fide, quæ vincit mundum & Satanam, quàmdiu à fide Eccleſiæ ſeſe diſiungunt. Sed & Catholicorum doleo vicem, qui li-

cet ab hæretica fide nouisque erroribus alieni, communem Eccleſiæ fidem integrè profiteantur: tamen fidem plerunq; habent, non viuam, ſed mortuam, & ſæpè tam imbecillam ac languidam, vt in illis charitas omnis extincta eſſe videatur. Habent illi quidem ſicut & veteres Iudæi, ſpeciem pietatatis, virtutem autem eius abnegant, peccatis grauibus onerati, & voluptatum magis quàm Dei amatores: tantū abeſt, vt de veſte nuptiali gloriari poſsint. Hi Chriſtiani cum ſua otioſa ſteriliquę fide, quia ſciunt & non faciunt Dei voluntatem, nullamquę peccatorum pœnitentiam agunt, fatuis virginibus vtiquę ſunt deteriores, quas etiam ſperantes & inuocantes cœleſtis ille ſpōſus excluſit, quoniam charitatis oleo deſtituerentur. Verebor ſanè, nè hoc fidelium genus grauiùs quàm infideles ipſi, à Deo iuſto damnetur, & ſi Petro credimus, præſtabat iſtiuſmodi non cognouiſſe, quàm deſeruiſſe viam iuſtitiæ. Vt iumenta computreſcunt in ſuo ſtercore, qui cum Theologica fidei virtute, ſpem & charitatem viuā non coniungunt, & ſuorum peccatorum veniam nec petūt, nec accipiunt in Eccleſia, vt offenſo DEO reconcilientur. Meum interim fuerit, triplici vti funiculo, qui nō facilè rumpitur, & coniuncta ſemper tenere, quæ nunquàm diſiungenda, doctor Gentium nobis illa ſententia commendauit: *Nūc manet fides, ſpes, & charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* Charitate verè iuſtus eſt, quicunquę iuſtus eſt, & quantò amplius in hac vita diligimus Deum, tanto ſumus iuſtiores, ex Auguſtini ſententia.

2.Tim.3.

Matth.25.

2.Pet.2.

Ioel.1.

Eccleſi.4.

1.Cor.13.

Lib. de nat. & gratia. cap 42 & contra 2 epiſt. Pelagia.


PRECANDVS *eſt mihi Deus, pro ſalutari vſu ægritudinis corporalis, quando per illam exemplo Iob, Tobiæ, Ezechielis aut Lazari à Domino viſitamur. Res enim grandis eſt, nec adeò multis obtingit, vt morbos graues, variasq; corporis diuexationes eo quo par eſt affectu, ſtudio & fructu perpetiantur, viq; de neceſsitate virtutem faciant.*

ORABO *etiam, vt filij à parentibus, & ſerui à dominis, ſiue*

ſant

ſani ſint, ſiue decumbant, probè curentur, & ad cultum diuinum veramq́; fidem ſedulò informentur, vtq́; non ſolùm ipſi, ſed etiam eorum domeſtici & familiares ad meliorem frugem adducantur.

PETAM *inſuper diuinam gratiam ſuppetere principibus & magiſtratibus, vt Reipub. ſibi concredita vtiliter ac dignè præſint, & pro illa Chriſti virtutem frequenter implorent atq́; obtineant, quemadmodum Centurio & Regulus præclarè fecerunt.*



DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

VSITATVM erat Palæſtinis loqui parabolicè, vt per ſimilitudines & exempla ſuos condirent ſermones, eosq́ue redderent audientibus gratiores. Fecit ita quoq; Chriſtus Dominus, ſuæque doctrinæ paſsim immiſcuit parabolas, vt ſe magis populo & populari captui accommodaret, vtque ſacri Euangelij myſteria minore negotio à vulgo etiam intelligerentur. Quod ſi contextus ordinē ſpectemus, præſens parabola de Rege & ſeruo debitore reſponſio eſt ad quæſtionem ab Apoſtolo Petro in hunc modum propoſitam: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? Subiunxit mox Dominus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties, nimirùm ingentem numerum ponens pro infinito, ſimulque declarans, in fratrum vitiis condonandis nullum nos finem facere oportere. Succedit deinde

propo-

propoſita parabola, fraternæ condonationis neceſsitaté commendans omnibus, qui Deum in hac futuraque vita ſibi propitium optant contingere, quemadmodum eiuſdem parabolæ finis luculenter oſtendit. Duo autem ſerui eiuſdem Regis depinguntur, quorum prior ingentem pecuniæ ſummam, vtpote ad decem millia talentorum Regi: alter verò duntaxar centum denarios conſeruo ſuo debuerit: vtrumque autem ſoluendo non fuiſſe. Et rogatus quidem Rex maxima illa debita ſeruo remittit ſuo, qui paulo poſt erga collegam tam durus & implacabilis perſtitit, vt nè minimum quidem debitum illi condonare dignaretur, vt idcircò coram Rege accuſatus, tum ingratitudinis, tum inhumanitatis pœnas graues daret. Summa igitur parabolæ & ſcopus vno illo verbo continetur: Dimittite & dimittemini. Eâdem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.] Quicunque dimittunt fratribus, Deum patrem miſericordem ſentient: qui non dimittunt, ſeuerum illum planè iudicem certò certius experientur. Formidoloſa ſententia, vt verbis vtar Hieronymianis, ſi iuxta noſtram mentem ſententia Dei flectitur atque mutatur. Si parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittentur. Et quia poteſt vnuſquiſque dicere, Nihil habeo contra eum, ipſe nouit: habet Deum iudicem: non mihi curæ eſt quid velit agere, ego ignoui ei: confirmat Dominus ſententiã ſuam, & omnem ſimulationem fictæ pacis euertit, dicens: Si non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Sunt enim qui rogantium importunitate victi, pacem magis ſimulant quàm faciunt.] Citat eandem parabolam Tertullianus, eamque cum Dominica precatione venuſtè componit, ſic inquiens: Quod idem ſeruus à Domino liberatus, non perinde parcit debitori ſuo, ac propterea delatus penes Dominum, tortori delegatur ad ſoluendum nouiſsimum quadrantem, id eſt, modicum vſque delictum, eò competit quod remittere nos quoque profitemur debitoribus noſtris.]

Luc. 6.

Lib. 3. in Mat. cap. 18.

Lib. de oratione.

Matt. 6.

EVANGELIVM EIVSDEM

Dominicæ. Matth. XVIII.

ASSIMILATVM *eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cũ ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius vænundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidẽs autem ſeruus ille, orabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille, & inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens, Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt & narrauerunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus ſuus: & ait illi, Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniã rogaſti me: nónne ergò oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus, tradidit eũ tortoribus, quoadusq; redderet vniuerſum debitum. Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.*

NOTÆ

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.

O IMMENSAM & cunctis vſque prædicandam Dei Opt. Max. miſericordiam, qui ſuis ingentibus beneficiis non modò iuſtos, ſed & ſceleratos peccatores vſque proſequitur: quos & gratia ſua vltrò præuênit, cuſtodit, fouet, ſibique conciliare ſtudet, vt meritò cum Paulo gratias agam, ac ſæpenumerò dicam: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri* IESV *Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* De quo canit & Pſaltes regius: *Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multùm miſericors: ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Quid illo benignius obſecro, qui non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, reuerſos autem ſiue conuerſos, perinde ac filium prodigum, amanter complectitur, ac priſtino reſtituit loco? longè plus largiens, quàm pœnitens audeat deſiderare: cùm tanta ſit diuinæ pietatis abundantia, vt fidelium merita excedat & vota. Adeò verè dictum eſt illud: *Nolo mortem morientis: reuertimini & viuite.* Huius diuinæ & plus quàm paternæ miſericordiæ ſpecimen præbet Rex in præſenti parabola deſignatus, qui cùm ſeruum grauiſſimis debitis obſtrictum, & ob heri ſua bona perperā adminiſtrata ſupplicio dignum teneret, adeò ſe clementem exhibuit, vt culpam agnoſcenti, veniamque petenti illi vniuerſam debitorum ac pœnarum ſummā gratioſè condonaret. *Omne debitum* inquit, *dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Nec diſſimilis Dei miſericordia fuit, quam impius, totq; ſcelerum patrator [a] Manaſſes in vinculis, & infamis [b] publicanus

2. Cor. 1.
Pſalm. 144.
2. Pet. 2.
Luc. 15.
Ezechiel. 18
a 2. Paral. 33
b Luc. 18.

nus in templo, ſed &. [c] latro nefarius in cruce maximo ſuo bono ſunt experti. Eandem miſericordiã Dauid ſæpè [d] prædicat, & in ſeipſo ſentiens canit, [e] *Confitebor aduerſum me inũ iuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ac iterum: *Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum & liberauit me.* Eoquè magis mihi cauendum putabo, nè ſummo diuinæ miſericordiæ beneficio, quo nihil eſt optabilius, vel ſuperbus, vel ingratus vnquàm abutar, neuè illius prætextu liberius peccem: quando Paulus diſertè admonet, quòd benignitas ſiue miſericordia Dei ad pœnitentiam alliciat & prouocet peccatorem. Vnde ſapiẽter ita Chryſoſtomus docet: Tanta eſt erga nos Dei miſericordia, vbi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & feruenti nos deſiderio ad ſe accedere: non retardat neque differt, ſed accelerat, ſuamque ſolitam liberalitatem exhibens dicit: Adhuc loquente te adſum. Fuitque ſemper & eſt Deus ſuapte ſponte miſericors, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, nõ obſtinatis quidem & peruicacibus, ſed conuerſis patiens, indulgens atque propitius. Hinc ſuaues illæ voces in ſacris literis: *Miſereris omnium qui omnia potes: & diſsimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Pœnitentibus dedit viam iuſtitiæ. Dedit illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere.*

Mihi verò hic vſus & fructus erit diuinæ miſericordiæ, vt indignitatis ac imbecillitatis meæ conſcius, cum Propheta orem ſæpè: *Miſericordia eius præueniet me & ſubſequetur.* Tũ vnà cum Iſaia dicam: *Eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.* Deinde ad patrem miſericordiarum, velut reorum omnium certum aſylum, ita cum fide conuertar, ſicut Paulus illis verbis hortatur: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Ad hanc inuocationem atque fiduciam prouocabunt me proſpera ſiue ſecundi rerum ſucceſſus, vt bonorum omnium fonti & conſeruatori lætus gratias agam: quandoquidem *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus,* teſte Salomone, & veriſſima Dei

vox

vox eſt: *Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Si verò triſtem aſperamque ſortem experiar, habeam rurſus præſentem Dei ſententiam, qua me conſoler & animem, cùm luculenter hoc mandet: *Inuoca me in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me.* Vbi Prophetæ Ionæ meminero, cui turpis fuga tam fœliciter ceſſit, quíque maris fluctibus obrutus, & in ceti ventre concluſus, in illam vocem erupit: *Cùm anguſtaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum.* Nec diſſimilis fuit regis Dauidis confeſſio, de ſeipſo cantantis: *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Imitabor ſanè ſerui huius induſtriam, qui antequàm in ſuum ſæuiret collegam, cùm videret ſua ingentia debita, quæ apud herum contraxerat, in eam excreuiſſe ſummam, nullo vt pacto illam poſſet perſoluere, non modò de gratia & beneuolētia Regis concilianda cœpit ſecum deliberare, verùmetiam ad humilem precationem ſe totum conuertit, atque ad pedes Domini proſtratus, ſyncerum emendandæ vitæ propoſitum ac deſiderium illis verbis oſtendit: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Nam & pœnitet ac tædet illum ſuperioris adminiſtrationis quam geſſerat, ſeque poſthac fidelem ac iuſtum fore pollicetur. Hoc eſt quod Auguſtinus perſpicuè dixit: Niſi quem pœniteat vitæ veteris, nouam inchoare non poteſt, quodq; Chriſtus ipſe verbis illis indicauit: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Quarè nihil conſultius fecero, niſi vt me pœnitentis regis Dauidis conformem exemplo, qui cùm multa & magna ſibi debita conflaſſet, non ſola fide & ſpe diuinæ miſericordiæ ſeipſum conſolabatur, ſed triſti etiam peccatorum memoria vehementer afflictus, Deum offenſum ſollicitè rogabat, vt tam graui debitorum ſarcina & pondere liberaretur. *Iniquitates meæ* inquit, *ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſq; in finem, tota die cōtriſtatus ingrediebar.* Nec ſatis illi erat intimus animi dolor ac mœror de peccato conceptus, quem & amaris lacrymis die noctéque profuſis te-

ſtabatur, ſed ad humilem quoque confeſſionem progre[illegible] aiebat Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: *pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Erro igitur vehementer ac turpiter, ſi duntaxat Dei miſericordia, Chriſtique meritis confiſus, meorum peccatorum ſenſu ac dolore non commouear, ſed cōmiſſorum criminum onus leuiter æſtimem, & ſine dignis pœnitentiæ fructibus mihi remiſſionem peccatorum audeam polliceri. Tantóque magis miſerandam illorum vicem dolebo, qui vt miſericordia diuina inſigniter abutantur, ſua peccata, quibus gehēnę flammas meruerunt, nolunt adſpicere, & cum Ezechia rege ſuperioris vitę tempus in amaritudine animę reuocare lachrymiſque diluere dedignantur. Omitto de illis dicere, qui malefacta excuſare conantur, quique ob fiduciam diuinæ miſericordiæ in peccando ſe audaciores exhibent, vel vt nihil ad eos pertineat diuinum oraculum: *Scito & vide, quia malum & amarum eſt dereliquiſſe Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te: dicit Dominus Deus exercituum.* Ego verò diuinæ miſericordiæ confidam plurimùm, cui acceptū ferre debemus omnes, quòd non ſimus conſumpti, quia nō defecerunt miſerationes eius, vt Propheta loquitur, nihilq; magis optabo, præterquàm in vita & morte huius miſericordiæ, & meritorum Chriſti particeps eſſe. Ad quam rem valdè conferet, ſi vnà cum ſeruo Regis huius me valdè ſubmittam, & ſubmiſsè geram in his, quæ ad Deum & cōſcientiam propriam ſpectant. *Humilem enim ſpiritum ſuſcipiet gloria*, inquit Salomon. Et *oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit.* Adhæc diuinæ gratię pulſare oſtium non intermittam, vt peccatorum veniam impetrem, quæ niſi pœnitenti remittātur, Deum habere mihi propitium fruſtrà confido: *Pulſanti enim aperietur.* Et *venit Chriſtus vocare peccatores ad pœnitentiam*, iubens Apoſtolis in ſuo nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes prædicare. Curabo itidē offenſi Dei gratiam cum ſeruo ita mihi conciliare, vt contracta hucuſq; debita, quæ partim per cōmiſſionem malorum, partim per

omiſ-

omiſſionem bonorum cumulaui, mihi magis magisque diſſoluantur, & gratioſè condonentur. Vnde cũ Propheta ſubinde dicam: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Etenim Proſper Aquitanicus veriſsimè dixit: Peccata ſiue parua, ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt: quia aut homine pœnitente, aut Deo in iudicio iudicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana. Amat enim Deus pœnitentibus parcere, & eos qui ſemetipſos iudicant, non iudicare.] Alludit enim ad Apoſtolicum dictum, quód mihi ſæpè reuoluendum eſt: *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur.*

Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuerſum debitum.

MISERICORDIAM & iuſtitiam Dei non ſeparabo, ſed ſicut verbum Dei admonet, vſquequaque coniungam, ſicut & Pſalmographus fecit, inquiens: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi; iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Diligit miſericordiam & iudicium. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.* Secus autem corrupto nunc hominum vulgo videtur, quod miſericordiam Dei tãtoperè vrget ac prędicat, vt iuſtitiæ illius nullum ferè locum reliquũ faciat, indéque complures peccandi licentiam ac impunitatem ſibi quotidiè pollicentur. Communis penè peccantium illa vox paſsim auditur: *Miſericordia Domini magna eſt: multitudinis peccatorum eorum miſerebitur.* Reſpondet autem Sapiens: *Miſericordia & ira citò à Deo proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominum, & nè differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tẽpore vindictæ diſperdet te.* Quibus & illud adiungit: *De propiciato peccato noli eſſe ſine metu, neq; adiicias peccatum ſuper peccatum.* Ac

præſens quidem Euangelium Regis perſonam ita proponit, vt in eo Dei iuſtitiam non minùs quàm miſericordiam nobis apertè commonſtret, velitque ſedulò conſiderari. Ita enim Chriſtus hunc Regem depingit, qui nō ſolùm ſeruo humiliter ſupplicanti clementer ignoſcat, verùm etiam quidem erga conſeruum immiſericordi ſit valdè ſeuerus. Etenim poſt auditas accuſatorum querelas, Rex iraſcitur, & inhumanitatem ſonti exprobrat, quin etiam pœnas de illo graues ſumi mandat, perinde ac ſi ſuperioris patientiæ clementiæque omnis oblitus eſſe videatur. Accedit quod iudicatus ac damnatus hic ſit ſeruus non ob incredulitatem aut blaſphemiam, neque propter adulterium vel homicidium, ſed idcircò duntaxat, quandoquidem proximo ſuo miſericordiam denegârit, & rogatus ignoſcere noluerit. Ad cuius Regis benignitatem illud quoque ſpectat, quod bona ſua vltrò & liberaliter immerenti ſeruo communicârit, eáq; malè diſpenſanti ad tempus pepercerit, nec ſtatim in illum animaduerterit. Viciſsim autem ſuam ille iuſtitiam apertè declarat, cùm omnis dati & expenſi rationem à ſeruo ad vnguem exigit, cùmque vxorem eius ac liberos omnes vnà iubet venundari: adeò ferre non poteſt impunè quod improbè factum erat, nè iuſtitia violetur. Quæ omnia diuinæ iuſtitiæ typum nobis exhibent, eáque Scripturæ loca confirmant, in quibus Deus vltionum & vindex iniquitatum, & iuſtitiam diligens aſſeritur, qui & *iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. Cuncta enim quæ fiunt, adducet Deus in iudicium*, inquit Eccleſiaſtes. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus. Omni cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* Præterea non deſunt huic Regi obſeruatores, accuſatores ac teſtes peccantium: in promptu ſunt tortores & carceres ad dirè puniendum iniquum, vt confirmetur illud: *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Quid quòd creatura omnis, vt iniuriam conditori ſuo per iniuſtos mortales illatam vindicet, in tormentum aduerſus illos ipſos exardeſcit, ſicuti Scriptura teſtatur? Poſtremò an terribile iudicium

Regis

Regis eſt, qui ſeruum antea reconciliatum non ſecùs quàm hoſtem nefarium abiicit, ac perpetuo carceri mancipat, ſæuiſque tortoribus tamdiu excruciandum relinquit? Cur verò iſthæc omnia? niſi ob vitium vnum commiſſę inhumanitatis & violatæ charitatis, quandoquidem ſeruus in debito repetendo agit immodeſtiùs, ſuumque collegam durè ac ſeuerè tractat. Nam & Tertullianus hûc refert, quod alibi Chriſtus pronunciat: *Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Lib. de oratione. Matt. 5.

Quocirca demirabor illorum vanitatem atque ſtultitiã, qui promiſsiones & ſentẽtias de miſericordia diuina in Scripturis duntaxat intuentur, & ſeſe aliosque conſolari volunt: vix autem leuiter attingunt aut reſpiciunt comminationes & peccatorum pœnas, aliáque omnia, quæ de iuſtitia Dei in ſacris literis adferuntur, & quæ inſuper ſalutarem timorem credentibus incutiunt, atque fideles in timore ſancto vſque confirmant. Ita enim ſcriptum habemus: *Timor Domini expellit peccatum. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Eccleſ. 1. Ego ſanè me tanquàm ſeruum debitorem ſtatuã, qui grauiſsimis peccatorum debitis iampridẽ oneratus, ſuaue Dei mei iugum iampridem repuli, & quoties crimen lethale commiſi, toties me diabolo in miſerrimam ſeruitutem addixi, vt idcircò cum Propheta non immeritò querar: *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.* Pſalm. 37. Nam etſi tranſierit actio peccati, tamen peccati macula & reatus permanet, ira Dei, tanquàm vmbra corpus peccatum ipſum inſequente. Cũ enim humana mens à ſummo illo bono diſcedit, bellum cum Deo ipſo inſtituit, cumque incredibiliter offendit, & ſe ad pœnas nunquàm finiendas obligat. Quarè ſcripſit Apoſtolus: *Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Rom. 2. Hinc illa fornicatio ſpiritualis, quam Propheta innuens dixit: *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Pſalm. 72. Cæterùm nè peccatorum grauita-

te deterritus, veniam impetrare deſperem, cum tam multa debeam Domino, & ſoluendo non ſim, ingentem Chriſto gratias agam, qui me docuit non ſolùm ita cum fide precari: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, verùm etiã in Eccleſia poteſtatem inſtituit ac reliquit, peccata quantũuis enormia omnibus remittendi. Cũ enim à morte reſurrexiſſet, diſertè Apoſtolis iuſsit, vt in ipſius nomine pœnitentiam & remiſsionem peccatorum vbiqúe gentium prædicarent. Dolebo autem, me in peccando quidem regi Dauid non eſſe diſsimilem, ſed cuius in agenda pœnitẽtia ſtudium & zelum non aſſumam & exprimam, vt cum illo ipſo teſtari poſsim: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea: auribus pcipe lachrymas meas.* Eſt enim hoc diuinæ naturæ proprium, Ezechiæ, Niniuitarũ & peccatorum omnium, qui ad pœnitentiam conuertũtur, gemitus & opera intueri, & conuerſis parcere. *Reuertimini* inquit, *& viuite.* Eſt ille idem, cui hoc tribuit Pſalmographus: *Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Adſcribam verò Chryſoſtomi locum, qui non obſcurè doceat, quomodo peccatorem in Dei gratiam redire, illumqúe ſibi conciliare poſsit. Ipſius inquit, miſericordia confidamus, & ſollcitam exhibeamus pœnitentiam, priuſquàm ingruat hora, quæ nos ex hoc lucrari non permittat. Nam nunc quidem in nobis totum eſt poſitum: tunc verò iudicans ſolus eſt ſententiæ Dominus. Præoccupemus itaqúe faciem eius in confeſſione, ploremus & lugeamus.] [Et paulo poſt: Nullus eorum qui hîc peccata non diſſoluerit, illuc migrans, eorum pœnas effugere poterit: ſed ſicut ex terrenis carceribus cum catenis ad tribunal adducuntur: ſic omnes animæ cùm hinc migrauerint, variis peccatorum catenis circumdatæ, ad tremendum aguntur tribunal.] Ac alibi rurſus idem Chryſoſtomus: Vnuſquiſque inquit, veſtrûm, chariſſimi, ſuam ingreſſus conſcienriam, & peccata reputans, diligenter à ſemetipſo pœnas exigat, nè quandoq;

cum

cum orbe terrarum condemnemur.] Quoniam igitur horrendum eſt, vt Paulus affirmat, incidere in manus Dei viuentis, & ſancti etiam Chriſti terribile iudicium extimeſcunt, mihi ſæpè cum Propheta precandum eſt: *Nè intres in iudicium cum ſeruo tuo. Domine nè in furore arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.* Hebr. 10. Pſal. 142. & 6.

Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.

EQVIDEM à regno Dei ſum alienus, & æterni Patris nõ miſericordiam, ſed iram promereor, nullam etiã cum Chriſto Domino partem habiturus vnquàm, ſi malè mihi conueniat cum proximo qualicunque. Malè autem conueniet, ſi non obſeruem Apoſtolicum Canonem ita ſonantem: *Omnis amaritudo & ira, & indignatio & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Hanc ignoſcendi neceſſitatem & naturæ lex, quæ mutuã hominis in hominem beneuolẽtiam ac dilectionem exigit, & Dominica precatio à Chriſto ipſo præſcripta nobis ita cõmendat, vt offenſum erga proximos animum retinere ſit periculoſiſſimum. Vnde ſtatim poſt dictam precationem hoc ſubiecit Dominus: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Tum apud Marcum extat hoc Domini præceptũ: *Cùm ſtabitis ad orandum*, inquit, *dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.* His planè congruunt illa veteris legis præcepta: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, nè habeas ſuper illo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Qui vindicari vult à Domino, inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Nec mihi ſatis

Epheſ. 4. Matt. 6. Marc. 11. Leuitic. 19. Eccleſ. 28.

hi ſatis erit,iniurias & contumelias his,à quibus fortaſſe ſum læſus,remittere, quod à quibuſdam, præſertim vindictæ cupidis, ob deprauatæ naturæ vitium ægrè præſtatur: ſed præterea mutuum ſtudium & Chriſtianum amorem omnibus tum amicis,tum inimicis libenter & candidè declarabo. Ingens enim hoc ſignum & argumentum eſt, nos germanos eſſe miſericordis Dei filios, ſi acceptas iniurias facilè remittamus,easque obliuione voluntaria conteramus, nulla vt radix amaritudinis,vel vindictę cupiditas in nobis hæreat,nosquè inimicos etiam animo diligamus.Fecit hoc fidei noſtræ author Chriſtus, qui pro capitalibus aduerſariis Patri ſuo reconciliandis in cruce non ſolùm orauit, ſed etiam ſe totum viuum ac mortuum in holocauſtum obtulit.Fecit & protomartyr Stephanus, impiorum lapidibus quidem oppreſſus, ſed ſpiritu & officio charitatis inuictus, vt occidentibus impiis gratiam impetraret. Fecit & Paulus tam ardenter ac ſyncerè ſuos æmulos Iudæos diligens, vt illorum nomine perpetuum cordis dolorem circumferret, ac optaret etiam pro illis eſſe anathema. Tantum abeſt,vt quiſquam ſanæ mentis hîc præcepti difficultatem excuſare poſſit, cùm audit hoc à [a] Moyſe, [b] Aaron, [c] Dauide, aliiſque pluribus in veteri teſtamento præſtitum, & à Chriſto ipſo luculenter nobis iniunctum eſſe, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt.*

Ex quibus omnibus colligam,vt cùm ſæpè alias,tum ante precationem & ſacrificium ſeu cōmunionem ſacram, quēadmodum & ante ſomnum, etiam atque etiam mecum animo reputem, an quenquam è fratribus verbo vel opere offenderim, tum ſi me fortaſſe offenderunt alij, quali ego erga illos animo ſim affectus, placido nimirùm an irato, ad ignoſcendum parato,an vindictæ cupido & amarulento. Chriſti enim Domini ſententia eſt irrefutabilis: *Si offers* inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, &*

vade

vade prius reconciliari fratri tuo. Ego verò licet homines fallere, ſed & hypocritam agere poſsim, tamen metuendũ Dei iudicium, immò & decretum ſupplicium atrox non effugiã, ſi duntaxat externæ reconciliationis ac pacis ſpecimen præ me feram, & Chriſtianam amicitiam ſimulem, cor interim amarulentum ac inuidum geſtans, quantumuis verbo ac exno geſtu vnà cum Iuda perfido ſub falſi oſculi pignore blandiar. Quod genus hominum Propheta perſtringens, *Molliti ſunt* inquit, *ſermones eius ſuper oleum: & ipſi ſunt iacula. Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Melius eſt autem à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulationibus decipi. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis*, vt Salomon tradit. Non poteſt Deo non diſplicere fucatũ hoc amicorum genus, quod nefarios etiam celat proditores, & ſimulatæ amicitiæ pœnas grauiſsimas ꝓmeretur, quando illuminabit Deus abſcõdita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium, Apoſtolo teſte. *Nihil enim opertum eſt quod non reueletur.* Præterea ſuperioribus monebor, humanæ miſeriæ atque malitiæ magnitudinem tum admirandam mihi, tum deplorandam eſſe, quandò non ſolùm infideles, ſed fideles etiam fraternam charitatem, qua nihil in terris firmius coli, ac ſtudioſius retineri oportebat, certatim oppugnant, furioſè ſcindunt, ac violant impudenter. Hinc tot amaræ ſuſpiciones, temeraria iudicia, inteſtina odia, inueteratæ ſimultates, virulentæ ſeditiones, mutuæ contentiones, bella principum, coniugum diſsidia & amicorum concertationes. Quæ crimina non ſolùm domos & familias, vt res ipſa quotidiè docet, diſtrahunt ac diſsipant, ſed integras etiam respub. & florentia imperia miſerandum in modum labefactant, ac prorſus euertunt. Dolebo igitur, omnis diſcordiæ authori ac ꝓpagatori Satanæ tam multos ſuppetere miniſtros atque ſatellites obſequentes, paucos autem Chriſto verę pacis & cõcordiæ principi & amatori ſuam dare operam, vt præclarum & neceſſarium Chriſtianæ charitatis vinculum in vtráq; Repub. conſeruetur atque reſtituatur. Iam verò ſi tam durum

Matt. 26. Pſal. 54. & 61. Prou. 27. 1. Cor. 4. Matt. 10. Iſai. 9.

ſubiit

ſubiit iudicium ſeruus, qui pecuniam à cōſeruo ſibi debitam inclementer exigere, & vi quadam extorquere auſus eſt, ſicut hoc Euangelium manifeſtè declarat: quanto peius cum illis agetur, qui palàm Chriſtianæ fraternæque charitatis vincula diſſoluunt, & humanæ quoque ſocietatis fœdera vel ethnicis probata, perfricta frōte perrumpunt? Rurſus hinc fit euidens, quàm atrocibus pœnis apud inferos luendis illi adſtringāt ſeſe, qui leui etiam de cauſa bilē atram in fratres frequenter effundūt, nec à periurio, impoſtura, maledictis ac ſacrilegio abſtinent: quin & pauperes ſicuti pecudes tractāt atq; diuexant, ſubditos exactionibus opprimunt, æquales vel inferiores immanibus vſuris compilant ac trucidant, variamque fraudem illis adhibent, quorum pernicie vel incommodo ſuas facultates augeri poſſe confidunt. Proh nefas, & perpetuò deteſtandum, flammiſq; tartareis vindicandum ſcelus, quod Chriſtiani Chriſtianos ſiue per auaritiam, quæ idolorū
Ephe.5.
eſt ſeruitus, ſiue per ſummam tyrannidem vel deuorare, vel ſpoliare non metuunt. Tam pulchrè iſti ſe coformāt Iudæis, quos conſtat erga ſuos olim inhumaniſsimos & ferociſsi-
Iſai.1.& 48.
mos, ſicut & Iſaias indicat, extitiſſe. An non illi comparandi ſunt inuidis, ſeque inuicem mordentibus canibus, fraudulentis vulpibus, rapacibus lupis, aliiſque id genus belluis truculentis, quæ fame quidem vrgente ſuam in ſæuiendo libidinem vix vnquàm poſſunt explere? O rem pudendā, & ſanguineis lachrymis dignam, tam multos nomen Chriſtianum publicè profiteri, qui manifeſtum iniuſtitiæ ſpecimen præbeant, Chriſtiq; nomen etiam impiis gentibus inuiſum reddant & abominabile, quandoquidem cum ſyncera proximi charitate ex diametro pugnant, diuiniſque ſimul & humanis legibus aduerſantur. Verùmenimuero eſt vindex Dominus
1.Theſſ.4.
de his omnibus, vt cum Paulo dicam; cuius regnum vtique
1.Cor.6.
non poſsidebunt iniqui. *Nō enim habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos*, ſicut Pſalmographus
Pſal.14. & 23
canit. Is verò aſcendet in montem Domini, & ſtabit in loco ſancto eius, vt idem affirmat, *qui ingreditur ſine macula & o-*

peratur

peratur iuſtitiam, innocens manibus & mundo corde qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Nec diſsimilia ſunt, quæ apud Iſaiam & Ezechielem Prophetas legimus. Iſai.33. Ezech 18

PRECANDVS eſt mihi Deus pro tyrānis, magnatibus atq́, diuitibus, vt Chriſtianæ charitatis & iuſtitiæ memores, humaniter ſeſe gerant erga ſubditos, debitores & pauperes: nè hi ſupra modum exactionibus grauentur, & contra iuris ordinem opprimantur. Nam eiuſmodi illorum peccata in cœlum clamare more Scripturæ dicuntur, & horribilem irati Dei vltionem authoribus ipſis accerſunt. Væ qui prædaris, *inquit Iſaias*: nónne & ipſe prædaberis? *Ac rurſus*: Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe. Genel. 4. & 19. Exod.22. Iacob.5. Iſai.33. & 58.

ORABO etiam pro quibuslibet cholericis & iracundis, vt conceptam vindictæ cupiditatem deponant, affectus vehementiores, & cōcitatioris naturæ vim cōprimant, ac ſaltem ab aperta iniuria proximi ſeſe abſtineant, ſuosq́, animos ad Chriſtianam lenitatem ac miſericordiam exprimendā paulatim inflectant. Sic enim verbum Dei præcipit: Iraſcimini & nolite peccare: Non voſmetipſos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Memorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo. Pſalm.4. Rom.12. Ephcſ.4. Eccleſi.28.

ADHAEC petam in me donum charitatis augeri, vt qualeſcunq́, iniurias mihi à quibuslibet illatas non grauatim remittam ex animo, quin etiam vt immerentes & inimicos propter Deum ſyncerè diligam, & officioſè complectar. Etenim largitio melior, & impartiendæ proximo miſeriæ ratio efficacior non eſt, præterquàm obliuio iniuriarum, ac benè merendi ſtudium non ſolùm in amicos, ſed etiam alienos hoſtesq́, collatum. Certè quanto turpius ac indignius tecum agunt aduerſarij, tantò ampliorem virtutis gloriæq́, comparandæ ſegetem ſuppeditant, ſi eam modò velis amplecti. Verè dixit Chryſoſtomus: Nihil facit Deo ſic ſimilem, quemadmodum lædentibus & malignis eſſe placabilem.] Homel.20.in Matth.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

INVIDI & maligni Phariſæi etiam hoc loco antiquum obtinent, vt Chriſtum Dominũ iam antea ſæpè tentatum nouo inſidiarũ genere aggrediantur, ſubmiſsis nèpè ſuis diſcipulis, qbus & milites Herodianos ſubdolè adiunxerunt. Lucas rem totam clarius his verbis explicat: Miſerunt inſidiatores ait, qui ſe iuſtos ſimularent, & caperent eum in ſermone, & traderent eum principatui & poteſtati præſidis.] Ac initiò quidem hanc artem adhibent Phariſaici diſcipuli, vt Chriſtum egregiè laudent, ac deinde proponant quæſtionem illo ſanè tempore periculoſam ac ſimul odioſam, quo Iudæi Romanis tributa ſoluebant, Deiq́ue populus iugum Tiberij ferre cogebatur. Rogant igitur & conſulunt Dominum, an licere putet, vt Iſraelitæ cenſum ſiue tributum pendat huic ethnico Cæſari, illiq́ue hac in parte ſeruiat ſeruitutem. Etenim ſperabant verſipelles fore, vt Chriſtus in reſpondendo vel Cæſarem offenderet, ſi tributum illi pendendum eſſe negaret, aut apud præſentem populum nouam ſibi conflaret inuidiam, ſi proponeret aliquid, quod cum priſtina Iudæorum libertate aliqua ex parte pugnaret. Cæterùm Chriſtus fallaces iſtorum interrogantium animos facilè deprehendit, ac diſertis verbis hypocritas illos vt merebantur, coarguit. Tum poſtulato numiſmate propoſitam quæſtionẽ peritè diſſoluit, ita vt aduerſariis ora obſtrueret. & non modò Cæſari, ſed etiam Deo ius ſuum tribue-

Luc. 20.

ret,ſimulque authoritatem magiſtratibus debitam ſtabiliret. Docet igitur hoc Euangelium, quàm verè Salomon dixerit: Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Nō eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.] Videmus etiam hoc loco, conſilium malum ſæpè conſultori eſſe peſsimum, & verè ſcribi à Sapiente: Qui fodit foueam, incidet in eam.] Adhæc ſycophanticum & implacabile hominum genus hic cernimus, quod contentionibus delectatur, & quorum malitia confundi quidem poſsit, corrigi autē non poſsit. Quod verò Chriſtus in ſuis æmulis Phariſæis, quibus nihil erat peruicacius, eo tempore comperit, idem ſponſa Chriſti Eccleſia in hæreticis nullo non ſeculo ad hunc vſque diem experitur, vt hinc Paulus eoſdem non diſputando conuinci, ſed omninò deuitari iubeat ſapienter. Præcipua & verè aurea Euangelij huius eſt ſentētia: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.] Vbi Tertullianus priorem partem refert ad denarium tributarium, de quo tunc agebatur, & qui non à liberis, ſed à Iudæis tributariis Cæſari debebatur: poſteriora verò ad hominem Chriſtianum accommodat, qui ſicut denarium Cęſari, ita ſanguinem Deo debeat, quoniam pro ipſo Dei Filius ſuum ſanguinem fudit. Vnde cauendum illud optimè monet, nè quis fraudem Deo faciat, ſi debitum nempè Deo ſanguinem ac ſeipſum totum ſoluere iuſſus recuſet.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Matth. XXII.

ABEVNTES *Phariſæi, conſilium inierunt vt caperent Ieſum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes, Magiſter, ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi*

cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergò nobis, quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem IESVS *nequitia eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis* IESVS, *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis, Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Et audientes mirati ſunt, & relicto eo, abierunt.*

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo.

CHRISTO Domino gratias inprimis agam, qui cũ
ſuis aduerſariis multa & magna ſuſtinuit certami-
na, & iam apertas perſequutiones, iã occultas inſi-
dias noſtra cauſa clementer pertulit, potiſsimum verò ab in-
uidis Phariſæis, quos ad mortem vſquè ſuam habuit vehe-
menter infenſos & infeſtos, quòd illi dolerent Chriſti gloria
magis ac magis inclareſcente, ſuæ doctrinę & ſanctitatis opi-
nionem apud Iudæos obſcurari imminuiquè. Rectè autem
56. & Chriſto, vt nulli alij competit Prophetica ſententia: *Laqueũ
parauerunt pedibus meis: foderunt ante faciem meam foueam:
& inciderunt in eam. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de
mandatis tuis non erraui.* Simile eſt quod apud Hieremiam in
.18. Chriſti perſona dictum legimus: *Foderunt foueam vt caperẽt
me, & laqueos abſconderunt pedibus meis: Tu autem Domine
ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mortem.* Nam vt Pau
4.&2. lus quoquè teſtatur, habemus pontificem tẽtatum per om-
nia

nia pro ſimilitudine abſq́ue peccato, & qui poſsit infirmitatibus noſtris compati: vnde debuit per omnia fratribus aſsimilari. Cùm verò ſeruus maior Domino ſuo non ſit, & Chriſtus ſuis prædixerit: *Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur*, nihil ſanè mirabor, vt ſemper aliâs, ita nunc etiam malos bonis, & hæreticos Catholicis mouere bellum, multisq́ue modis aduerſari. Nunquàm enim ſine inſectatoribus & ſine cruce fuit aut erit Eccleſia: cum qua me quóque in cruce conſolabor, quantumuis multis & grauibus hoſtium iniuriis premar. Hoc enim eſt Chriſti paſsionibus, vt Petrus loquitur, communicare, & propter iuſtitiam patiendo, promiſſam à Chriſto beatitudinem aſſequi. Quicquid autem diſcipuli à ſuis magiſtris Phariſęis ſubornati hîc dicunt & faciunt, id me commonefaciet de impiorum natura & conſuetudine, in quibus odium & inuidia, peſtiferum ſanè virus, paulatim erumpit, atque ad alios etiam inficiendos ſeſe diffundit. Nec enim ſat erat Phariſæis, Chriſtum capitali odio perſequi, niſi diſcipulis etiam ſuam quodammodo lepram vel ſcabiem affricarēt, atque ex illis progeniem & genimina viperarum facerent, quemadmodum Chriſtus loquitur, ſuiq; ſimiles redderent. Nam vt vetus etiam habet prouerbium: Mali corui, malum ouum. De his cum Ieremia meritò dixeris: *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Eſt illud Phariſaicæ prauitatis argumentum, quod cùm diſcipulos iſti ſubmittūt Chriſtum interrogaturos, exordium tractationis à laudatione peti volunt, vt Chriſtum egregiis titulis exornent, quem & mellitis demulceant ſermonibus. Verùm iſtorū inſidioſa blandiloquentia, Chriſti ſapientiam latere non potuit, & apertè ab illo fuit reprehēſa: nos autem prouidè admonet, vt Propheticum illud dictum obſeruemus: *Vnuſquiſq; ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratri ſuo non habeat fiduciā: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Prima enim hypocritarum ars atq; malitia eſſe ſolet, vt quos dolo malo illaqueare volunt ac perdere, illos

inſidioſè primùm blandientes aggrediantur,eorumq́ue animos vtcunq́ue ſibi concilient. Quoniam verò diligentibus Deum cuncta in bonum cooperantur,quæ ficte iſti ac ſimulatè in Chriſti laudem producunt, eadem à me & fidelibus omnibus vtiliter ſic accipientur, vt veras Chriſtoq́ue congruas laudes adſtruant,& communi ſapientum conſenſu illi vnicè attribuantur. *E*ſt enim ipſe,vti nemo alius, [a] magiſter, [b] propheta, [c] legiſlator & [d] iuſtitiæ doctor, ipſo [e] Salomone maior atq́ue ſapientior,& quem omnes mortales citra exceptionem & Angeli, cunctis in docendo & regendo præponant. Eſt nemo veracior, & in veritate aſſerenda, viaq́ue Dei ad benè beatèque viuendum commonſtranda fidelior, magisq́ue ſuſpiciendus & audiendus. *Ego* inquit, *ſum via, veritas & vita. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Nullus in iudicando fuit ac eſſe poteſt incorruptior, cùm ſit ipſa veritas ac nôrit,quid ſit in homine: qui præterea ſine perſonarum acceptione iudicat ſecundùm vniuſcuiuſq́ue opus,& æqualem curam de omnibus gerit. Vt hinc etiam de illo prædixerit Iſaias: *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, neq́ ſecundùm auditum aurium: ſed iudicabit in iuſtitia.* Quocircà ego Gregorium Nazianzenum imitabor, & quibus ille verbis vſus eſt, eiſdem debitam Chriſto laudem vel inuitis Phariſæis largiar. *P*erſpicuus inquit,atq́ue manifeſtus ſum ei,qui omnia prinsquàm oriantur nouit,qui corda noſtra ſigillatim fingit,qui in omnia opera noſtra,omnes motus & cogitationes,cum quibus res à nobis geruntur intelligit,quem nihil eorum quæ ſunt latet,aut latere poteſt, qui aliter noſtras intuetur,atq́ue mortales ſolent. *Homo enim videt in faciem: Deus autem intuetur cor*; cuius iudicium cordatis hominibus pluris faciendum magisq́ue curandum eſt, quàm omnium aliorum vnà coactorum. Quod autẽ ad hominum de nobis exiſtimationem attinet, ita animo comparati ſimus inquit,vt ſi quidẽ ea cõtingat, nõ illibẽter acceptu ri ſimus. Sin autem in contrariũ cadat, valere iubebimus,nec quicq̃ de rei veritate propter hominũ opinionẽ detrahem[9].]

Quicquid autem Phariſæi, horumq; diſcipuli & Iudæi o-
mnes de Chriſto ipſorum & noſtro Meſſia ſentiant, firmiſſi-
mè profitemur, hunc vnicum totius orbis magiſtrum, & Eu-
angelij doctorem eſſe, quem Pater cœleſtis teſtimonio pu-
blico declaranit, & de quo Moyſes ipſe prædixit Iſraëlitis: Mat
Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit ti- Deu
bi Dominus Deus tuus: ipſum audies. Illum igitur cũ deſiderio
fructuque meæ ſalutis audiam, & quidem reuerenter, ma-
gnaque cum fide, meritis eius & promiſſis plurimũ tribuens.
Sic enim affirmat: *Credite in Deum, & in me credite. In mundo* Ioa
preſſuram habebitis, ſed confidite: ego vici mundum. Viciſſim il- 16.
lum audiam non modò conſolantem, ſed & pœnas terrifi-
cas comminantem inobedientibus, & leges apertas ſuis fi-
delibus præſcribentem. Etenim illi ſatis non fuit Euangelij
prædicandi, & credentes baptizandi munus Apoſtolis dele- M
gare, ſed & baptizatos obſeruare præcepit, quæcunque ipſe
mandaſſet, illis inſuper periculum æternæ damnationis pre-
nuncians, qui non obtemperaſſent. *Procedent* inquit, *qui bo-* Ioa
na fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in re-
ſurrectionem iudicij. Quare Propheta Meſſiam nobis depin-
gens, hoc luculenter tradidit: *Dominus iudex noſter, Domi-* Iſ
nus legifer noſter, Dominus Rex noſter: ipſe ſaluabit nos. Rurſus
audiam hunc optimum maximumque magiſtrum in verbo
tum ſcripto, tum viua voce tradito, & per Apoſtolos Eccle-
ſiæ commendato, quod tanquàm per manus à patribus ad
nos vſque tranſmiſſum extat, & de quo Gẽtium doctor Pau-
lus ita pronunciat: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod* G
accepiſtis, anathema ſit. Poſtremò vt ſalutare mihi ſit Chriſti
magiſterium, illum ipſum audiam in domo ſuæ Eccleſiæ ad
finem vſque mundi perſiſtentem, & illis qui tantùm aures ha
bent, loquentem in ſuis paſtoribus atque doctoribus ordi-
nariis, quos velut ſuos legatos ac vicarios tribuit ad conſum
mationem ſanctorum, in opus miniſterij, & in ædificationem
corporis Chriſti, ſicut Paulus Apoſtolus euidenter affirmat. E
Nec ſatis mihi fuerit Chriſtum audire, niſi cùm ipſius verbo

Sacramenta quoque coniungam, quæ ab eodem authore proficiſcuntur, ipſumque Chriſti meritum mihi ad fructum æternæ ſalutis applicant. Etenim quemadmodum non alius quàm Chriſtus eſt, qui Ioanne teſte baptizat, cum externum nempè baptizantis miniſterium adhibetur, ita & ipſe Chriſtus eſt qui baptizatum in Eccleſia confirmat, & confitẽtem abſoluit, & ad ſacram menſam accedentem reficit: qui præterea Eccleſiaſticis ordinibus initiatum conſecrat, & vngit ægrotum, ac demum nouos coniuges benedicit. Quid multis? idem Chriſtus diuina miniſteria perficit omnia, & per Eccleſiæ ſuæ miniſtros virtutem largitur & gratiam in Sacramentis operantem, ſi tantùm nõ indignè illùc acceſſerimus. Abſit igitur, vt cum illis inſaniam, qui vbi Chriſtus quæratur & inueniatur, adhuc dubitant, & idcircò illum ſtatuunt non in templo ſancto Eccleſię, ſed in ſynagogis & ſpeluncis ſectariorum, qui propterea verum diuini verbi ſenſum, veraque ſacramenta ſibi ſolis turpiſſimè arrogant, perinde ac ſi dicãt: *Ecce in deſerto eſt, ecce in penetralibus.* Fingunt enim Chriſtum caput ſine corpore, cùm Eccleſiam vero Scripturæ ſenſu, & legitimo Sacramentorum vſu tot ſeculis deſtitutam, & velut in denſis tenebris iacuiſſe contendunt. Tantòque magis in precio habebo germanam ſummi paſtoris vocem: *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*, ſicut & illam: *Vos vocatis me magiſter & Domine: & benè dicitis, ſum etenim. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

Ut quid tentatis me hypocritæ?

NON ſolùm in præſentes diſcipulos, ſed etiam in illorum magiſtros Phariſæos & legisperitos competit nomen hypocritarum, quod Chriſtus illis omnibus frequenter tribuere ſolet. Videri quippe volebãt & ab omnibus exiſtimari, quod ſimul doctrina, iuſtitia, ſanctitate & auctoritate reliquis omnibus antecellerent, quibus & in templo & in foro primaria quædam dignitas deberetur. Nullum eſt aliud genus homi-

num quàm iſtorum hypocritarum, qui Chriſto Domino ac eius Euangelio primùm illuceſcenti grauius reſtiterit, ſeque magis infeſtum & inſenſum declarârit. Qui falſa ſuperſtitione imbuti,& externa illa ſanctimonia contenti, propter ſuas friuolas verbóque Dei contrarias traditiones mandata Dei clariſſima transgrediebâtur,& ignorantes Dei iuſtitiam, quę ſine Chriſto & Euangelicæ fidei fundamento conſtare non poteſt, ſuam ipſi iuſtitiam ex legis operibus conſtruere & ſtabilire conabantur. Verè illi erant hypocritæ, quòd hypocriticam iuſtitiam, quæ ſolùm coram hominibus valet, adferrent,ac ſimulatas preces & ieiunationes inſtituerent,illisqúe operibus externis fiderent, in quibus non Dei gloriam, ſed laudē hominum venabantur. Meritò igitur illorū iactātiam, ambitionem & faſtum ſæpè Chriſtus coarguit,eosq; ſerpentes & genimina viperarum appellat,quos & ſepulchris dealbatis comparat,quæ licet foris appareant ſpecioſa,tamen intus plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſcatent ſpurcitia. Valeant igitur Phariſaici hypocritæ, qui pro inani fictitiaqúe iūſtitia ſua mercedem à iuſto Deo debitam iampridē receperunt. Iudæis autem hoc ipſum hypocritarum nomen ſępè tribuitur,ſicut & illis omnibus Chriſtianis,qui ſpeciem quidem pietatis habent,vt Paulus loquitur,ac virtutem eius abnegant,quiqúe non propter Deum,ſed propter quæſtum in ſacris verſantur, ac demùm pietatis officia impuro & vitioſo præſtant affectu. Caueb o igitur quàm fieri maximè poteſt,ab hypocritica iuſtitia, quando Chriſtus diſertè mandauit: *Attendite nè iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Intuemini & cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit.* Demū quo latius hoc odioſum & deteſtandū vitium patet, eò magis illud fugiendum ducā. *Simulatores enim & callidi prouocant iram Dei,*& ſicut veteres aiebant, Simulata æquitas duplex eſt iniquitas, quam certè

Matt. 15.
Roman 10.
Matt. 23.
2. Tim. 3.
Matth. 6. 16. & 15.
Iob. 36.

cordium inſpector Deus maximè auerſatur. Quid enim hypocriſin eſſe dicemus, niſi nummũ adulterinum, qui colore ipſo & figura fallit incautos, ſapientem verò fallere nō poteſt? Nec eſt diſſimile quidem ouo putrido, quod externum ſæpè decorem oſtendit, ſed intus non niſi vermibus & putredine ſcatet. *E*go non videri tantùm probus, ſed etiam eſſe conabor, nè alioquin ſi ſimulem virtutis officium, meipſum potius quàm alios decipiam, Deumq́; ipſum inſenſum mihi reddam.

Vtinam verò hóc tempore non reperiantur, qui Iudaicis Phariſæis & hypocritis impurius viuãt, maiusq́; offendiculũ præbeant Eccleſiæ. Iudæorum hypocritis hoc erat ſolẽne, vt ieiunandi, orandi & eleemoſynas elargiendi ſtudio aliis prælucerent, ſuæque pietatis exemplo ad meliora ſceleratos etiã ſæpè commouerent, licet ex hoc ſemente nullum ipſi fructũ meterent ſibi. Nunc nouum & peſtilens hypocritarum genus exortum eſt, quod Euangelicam fidem, libertatem atq́; iuſtitiam ſibi ſumit, & ſola fide gloriatur, nihilque meriti relinquit benefactis, ieiunia verò contemnit & abrogat, bona opera ſordes & inquinamenta ſubinde nuncupat. Peiores adhuc Phariſæi ſunt, quia ſeipſos ſegregauerunt, multùm ſe in Euangelij noui negotio profeciſſe putantes, ſi veteris Eccleſiæ ritus è medio ſuſtulerint, omnemque veterem abſtinendi, feriandi, ſacrificandi, cultumque diuinum in templis celebrandi morem aboleuerint, ac demum ſacra impiè profanârint, aut profanantibus ſe ſocios adiunxerint. Tam furioſos ac ſacrilegos Phariſæos vetus ſynagoga, vt arbitror, penitus nunquàm vidit, ac quintum hoc Euãgelium nobis infœliciter peperit, nè deeſſent orbi ſcilicet hypocritę, de aperta iniuſtitia potius, quàm de ficta iuſtitia gloriantes. *Peccatum enim ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt*, & hoc tam præclaro demùm argumento teſtatum volunt, ſe purioris doctrinę & reformatæ Eccleſiæ vindices eſſe. Poſtremò quòd Chriſtus aduerſarios obiurgans, hoc loco inquit, *Vt quid tentatis me hypocritæ?* mihi quóque dictum putabo, cùm ad precandum

irre-

irreuerenter accedo, vel cultum Deo debitum negligenter abſoluo. Deum enim tentat, qui vanus fictusque Dei cultor exiſtit, illius præceptionis oblitus: *Ante orationem prapara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Inuenitur enim ab his qui non tentant illum, & qui in ſimplicitate cordis quærunt illum.* Adhæc quicquid ego arroganter, ſimulatè & inordinatè geſſero, id ſuſpectum & ad ſalutem comparandã infrugiferum, atque apud Deum, cui nihil niſi purum & ſyncerum placet, pro hypocriſi deputabo. Quarè curioſus & iniquus proximi cenſor, qui aliena potius quàm ſua vitia rimatur ac ponderat, illo Chriſti verbo perſtringitur: *Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris tui.* Nè verò peccatum hypocritæ tam leue, vt vulgus arbitratur, exiſtimetur certè ad pœnam damnationis, quæ ingrato malóque ſeruo debetur, exaggerandũ hoc Dominus ſignificanter adiecit: *Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat: & diuidet eum, partemq́; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Rurſus cum præſente Chriſti verbo alias quoque coniungam ſententias, quibus fideles omnes non ſolùm vtiliter, ſed etiam neceſſariò excitantur, vt inter ſynceros & fictos amicos, ſicut & inter veros falſosque fratres diſcrimen obſeruent, ac illos quidem conſectentur, hos verò fugiant & auerſentur. Huc igitur ſpectat illud: *Attendite à falſis Prophetis,* qui nempè lupinos animos veſtimentis ouium, vel ſimulato religionis ſtudio contegunt. Et quod alibi dicitur: *Cauete ab hominibus,* qui deprauatos nempè mores adferunt, & fratrẽ ſcandalizant, impediuntque gratiam. Tum apud Michæam ita legimus: *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici eius domeſtici eius.* Quod poſtremum ex Michęa Chriſtus quoque citauit, ſubindicans, improbos amicos qui piis obſtaculum præbent, etiam in domeſticis & conſanguineis reperiri, ac pro hoſtibus habendos & cauendos eſſe vel cõiunctiſſimos.

Quæ ſumma Dei oracula & præcepta illam apud me vim debent habere, vt magno cum delectu amicos adſciſcã, ac probatos quidem ſyncerè diligam, ſanctæque cum illis amicitiæ leges continenter obſeruem atque colam: fucatos autem ſocios, & fraudulẽtos amicos, qui ſuos neceſſitatis tẽpore deſerunt, omninò miſſos faciam ac declinem. Cæterùm qui falſum & fucatum amicitiæ ſpecimen præ ſe ferunt, illum verſutiæ & fraudulentiæ ſuæ fructum referre ſolẽt, vt partim hominibus inuiſi ac deſpicabiles, partim ſummo Deo maledicti & abominabiles plerunque reddantur. *Diſperdet enim Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.* Tantoque magis ad me ſpectare ducam præceptum illud: *Attende tibi à peſtifero. Homo etenim qui blandis fictiſq. ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus eius*, vt ait Eccleſiaſticus. Qui nec diſſimilis eſt araneo venenato, ſuam telam ingenioſè texenti ad muſcas illaqueandas, vt in captas demum ſæuiat. Quod peſtilens hominum genus Dauid confert ſerpentibus, dicens: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Molliti ſunt ſermones ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Quoniam verò ſine amicis non viuitur, & amicitiã è medio tollere, nihil eſt aliud, quàm mundum ſole priuare, multis modis aduigilabo, ſyncerum vt mihi parem amicũ, qualem & Dauid in Ionatha, & Paulus in Timotheo fuit expertus: amicum dico, qui ſit alter ego, prudens monitor, peritus medicus, & cenſor ingenuus. Mirum enim, quantopere probis firmiſque amicis indigeamus omnes, vt propriis in rebus minus erremus, & in via Domini ſecuriùs ambulemus: tum vtriuſque fortunæ commoda & incommoda moderatè ferre poſſimus. Verè dictum illud accepimus: *Amicus fidelis protectio fortis; qui inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inuenient illum.*

Red.

Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

PRAECLARA & omni acceptione digna eſt iſthęc Chriſti ſententia, quam nè mordaces quidam aduerſarij carpere auſi ſunt, & quam mihi ſalutarem reddere debeo. Diuinæ igitur prouidentiæ & bonitati gratias inprimis agam, per quā poteſtas omnis tum Eccleſiaſtica, tum politica, vt Reipub. conſulatur, conuenientiſſimè inſtituta eſt, totquè ſeculis in hoc vſquè tempus pulcherrimè perſeuerat. *Per me* inquit æterna Sapientia, *reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me principes imperant.* Et Paulus apertè pronunciat: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Igitur quemadmodum ego ſummum Deum in principibus & magiſtratibus ſubditos gubernātem, ac totum Reipub. corpus cuſtodientem agnoſcam & honorabo: (*Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*) ita eorundem magiſtratuum etiam authoritatem ſuſpiciam, eoſque in Scriptura Deos & iudices non temerè appellatos reuerebor, mequè totum illorum honeſtis iuſsis & legibus ſubiicere nunquàm recuſabo. Illis enim dictum eſſe conſtat: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini, & quodcunq; iudicaueritis, in vos redundabit.* Nequè ſolùm timoris gratia, ſed etiam propter ſcientiam his præpoſitis atquè rectoribus obedientiā debitam declarabo, ſimulq; vt patres ex animo diligam. Tum pro illorum incolumitate ac ſalute vota faciam, Deoquè ſępè reddam, ſicut Paulus exigit, cùm obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones ab omnibus fieri iubet, *vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Nec omittam alia iuſtitiæ ac fidelitatis officia his Reipub. Chriſtianæ capitibus præſtare, ſiue tributum, ſiue vectigal, ſiue cenſus & prouen-

tus alios ex iure, vt vocant, vel conſuetudine pendere debẽ. Ita enim ſacri Apoſtoli docuerunt, Chriſtianos omnes magiſtratibus, vti ſeruos Dominis propter Dominũ ſubiectos, & in ſimplicitate cordis cum timore ac tremore ſubditos eſſe oportere, ſiue boni heri ac modeſti, ſiue aſperi ac diſcoli, ſuoqúe munere digni vel indigni reperiantur. Ex quibus omnibus illuſtre Chriſti verbum: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, facilè intelligitur, cunctiſqúe perſpicuum redditur, magiſtratuum inſtitutionem tanquàm diuinam ordinationem habendam eſſe, & cum illa ipſa neceſſariò coniungi Chriſtianam ſubiectionẽ, ac perpetuam obedientiam. Neqúe Chriſtus hoc loco cum Iudæis tantùm agit, ſed & fideles omnes admonet, vt Romani Imperij caput & principem, licet ab omni fide & pietate alienum, vt erat tunc ſanè Tiberius, honorent, & non omnia quidem, ſed quæ ipſi Cæſari competant, ſaluáque conſcientia tribui à fidelibus poſſunt, paratis & lubentibus animis ſemper impendant. Multùm enim Reipub. intereſt, communibus ſubditorum ſumptibus dignitatem illius incolumem cõſeruari, cui incumbit, nocte ac die, & pacis belliqúe tempore pro ſuo tuendo populo aduigilare, & quæuis adire pericula, ſuiſqúe humeris velut ſuſtinere vniuerſum onus & pondus Reipub. Cæterùm quod fidei & virtuti obeſt, ſicut idololatria, & veritatis abnegatio aut mendacium, non Cæſaris, ſed diaboli tributum & vectigal eſt, vt Chryſoſtomus quoqúe notauit.

Mirabor autem illorum ſtultitiam, nè dicam apertam peruerſitatem, qui quantum politicis magiſtratibus tribuunt, ac tribuendum docent, tantum penẽ prępoſitis adimunt Eccleſiaſticis, vt illos in ordinem redigant, & excellentem eorum authoritatem labefactent, vulgóque contemptibilem reddant. Eſto ſanè, multa in Epiſcopis & ſacerdotibus deſiderari, nec eſt quiſquam ſanæ mentis, qui Catholici cleri vitia vel excuſet vel defendat: ſed meum & piorum omnium eſt proprium, dormientem in ſuis vicariis Dominum ſedulò inuocare, & diuinam illis laborantibus gratiam expetere. Fa-

temur,

temur, politicos magiſtratus Eccleſiaſticis eſſe prętantiores, quantum ad opes, amplitudinem, imperium & maieſtatem attinet, qui maiorem idcircò pompam & gratiam apud vulgus hominum ſibi facilè conciliant. Verùm illi in rebus Eccleſiæ & aliis ad ſpiritualia æternáque bona pertinentibus, & in dicendis de religione ſententiis, eiſdem Epiſcopis & presbyteris Eccleſiarum nulla ex parte poſſunt æquari. Nam & Paulus dicere non dubitat, Epiſcopos à Spiritu ſancto conſtitui ad regendam Eccleſiam, quam ſuo ſanguine Chriſtus acquiſiuit, mandatque fidelibus, vt eiuſmodi præpoſitis obediant atq; ſubiaceant, velut qui pro ipſorum animabus Deo iudici rationem ſunt redditurí. Nec omittit illud, *Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Iubet præterea, nullam accuſationem aduerſus presbyterum, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus, admitti oportere. Sed & Chriſtus ipſe paſtorum princeps Apoſtolos, eorumquè ſucceſſores, quoniam illis vicaria ordinatione ſuccedunt, magis vix potuit honorare, quàm quod eoſdem primarios Dei Eccleſiæquè miniſtros, & ſummos myſteriorum Dei diſpenſatores inſtituerit, quibus & claues regni cœleſtis ad cõſcientias hominum ſoluendas atque ligandas concredidit, & ſibi quodammodò, vt ſacris præeſſent & oues paſcerent, animasquè regerent atque ſeruarent, æquauit. Verba enim eius obſcura non ſunt: *Sicut miſit me Pater, & ego mittam vos. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis: retenta ſunt. Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quid niſi verbum & præceptum Dei eſt, *Interroga ſacerdotes legem*? Nihil tale de Principibus, Regibus & Cæſaribus affirmari poteſt, qui certè niſi velut oues Epiſcopis atq; paſtoribus pareant, in ſuis ipſi peccatis pereunt, ad cœleſte Chriſti regnum non magis quàm hœdi pertinẽt, & ſalutis æternæ participes eſſe nunquàm poſſunt, quemadmodum grauiſſimus author Cyprianus è Scripturis luculenter oſtendit. Teſtatur & Ioannis diſcipulus Chriſtiquè Martyr Ignatius, vir verè Apoſtolicus, nullum in Eccleſia ordinẽ

Epiſco-

Epiſcopis honorabiliorem eſſe, quos & iuxta diuinam ordi-
nationem reges debeant venerari. Quod autem ſacerdotes
cum aliis clericis Eccleſiaſtica quadā immunitate gaudeant,
vetuſtiſſima populorum conſuetudo eſt, quam etiam Moy-
47. ſes laudi tribuit AEgyptiis licet fide carentibus, magnóque
conſenſu Chriſtianorum Cæſarum & principum factum eſt,
vt Eccleſiaſtici homines à communibus populi exactioni-
bus ac forenſibus iudiciis atque tribunalibus eximantur,
ſacro quemadmodum præclarè leges eorundem Cæſarum in Co-
Cod. dicem relatæ, teſtimonio eſſe poſſunt. Eximius quondam E-
cop. piſcopus fuit [a] Hoſius Cordubenſis ab Athanaſio quoq; lau-
icis. ift. ad datus, quòd Conſtātium Imperatorem his verbis liberè cor-
am vi- riperet: Tibi Deus imperium cōmiſit: nobis quę ſunt Eccle-
entes. ſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium ma
lignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu
caue, nè quæ ſunt Eccleſię, ad te trahens, magno crimini ob-
noxius fias. Date (ſcriptum eſt) quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: &
3. ad quæ Dei, Deo.] Eadem Ambroſij Epiſcopi fiducia fuit, vt ad-
m. uerſus Valentinianum Cæſarem his verbis inueheretur: No-
li te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, im-
periale aliquod ius habere, noli te extollere. Eſto Deo ſubdi-
. 22. tus: ſcriptum eſt: Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Ad im-
peratorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ. Publi-
corum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.]

Quapropter in Chriſtum ac ſponſam eius Eccleſiam non leuiter pecco, ſi ex animo non doleam, diuinum & neceſſarium hoc præceptum de magiſtratibus honorandis, ſi antehac vnquàm, nunc vel maximè violari. Ita enim paſsim comparati ſunt ſubditorum animi, vt pro ſuis magiſtratibus rarò & frigidè orent, quin etiam quacunque ratione poſſunt, illorum imperium & authoritatem ſubterfugiant, & ex metu ethnico potius quàm Chriſtiano illos reuereātur. Nec enim aduertunt animum, quid ſibi velit Paulina ſententia: *Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Neque dubium, in diuinæ maie-

ſtatis

ſtatis iniuriam redundare, quod Catholici ſuos præſules & animarum curatores ſiue patres, non maiore honore & ſtudio proſequantur, ament, exornent, ſed eos etiã debito cenſu ſæpè defraudent, multisqúe modis illorum exiſtimationẽ iniquis ſuſpicionibus ac odiis grauent, & ſiue nouas ſiue veteres illorum leges leuiſsima de cauſa tranſgrediantur. Habemus & hodie complures ſeditioſos & rebelles magiſtratuum contemptores, quales iam olim extiterant Theudas, Iudas, aliiq́ue ſcelerati Iudęi, tantoperè à Cæſare ſuo alieni, vt tributum ac honorem omnem ei reddẽdum, perfricta fronte negarent, indignum ſcilicet rati, vt populus Dei Romanis ethnicis eorumqúe Cæſari eſſet obſtrictus. De illis meminit Gamaliel apud Lucam, quòd rebellionis ſuæ meritas luerint pœnas, quandoquidem Cæſariano gladio ad vnum trucidati ſunt. Pergraue & illorum crimen eſt, qui aduerſus magiſtratus linguas mordaces ac ſerpentinas frequenter exerunt, nihil non in illis calumniantes, adeóque contra illos libenter concitant alios. Peſsimi autem in hoc genere, maximèq́; deplorandi ſunt, qui ſpecioſo Euangelij prætextu abutentes, pro pace diſcordiam, pro charitate odium & motus exitiales diſſeminant, atq́; ad ciendos populos quaſi claſsicum canũt. Nec ſatis eſt illis Catholicum excutere iugum, niſi ſuo etiam ſeu ſectæ iugo & iudicio truculenta vi ſubiiciant Orthodoxos, qui pro Chriſtianiſmo veteri nouum Sataniſmum amplectantur, ac velut exleges, vel ſine iugo, aut ſicut Scriptura loquitur, Belial filij efficiantur, vt ita demùm nec Deo, neq́; Chriſto, nec Eccleſiæ obedientiam præſtent, ſed in hæreſi & ſchiſmate permanere cogantur. Quid autem per Deum immortalem obſecro, magis obſiſtit & repugnat doctrinæ Apoſtolicæ? quæ tanto ſtudio carnis licentiam & opera prohibet, ſpiritualem verò libertatem commendat fidelibus, ac luculenter admonet baptizatos, nè dent libertatem in occaſionem carnis, neúe ad velamen malitiæ abutantur Euangelica libertate, quam ſibi ſumunt qui ſunt ſerui corruptionis, vti Petrus appellat, ſed ſint omnes obedientiæ filij. Ego verò

in me ſępè renouabo propoſitum ac votum illos conſtanter honórandi, quos Chriſtus Dominus non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo ſuo maximè cohoneſtauit, quorumque authoritatem, licet indignè præeſſent Cathedræ ac tribunalibus, ſtudioſè defendit. Quod ſi Chriſti ouis eſſe confidam, illos inprimis audiam ac ſequar duces, quos ille ſuo præfecit ouili, & in quibus ſuam audiri vocem poſtulauit, ſine quorũ etiã officio nec magiſtri, nec diſcipuli Euangelicæ doctrinæ rectè poſſunt agnoſci & obſeruari. Ab his paſtoribus atque doctoribus, velut Eccleſię columnis, ſi meipſum diſiungam, apertum inobedientiæ ac impudentiæ meæ teſtimonium edo, & velut à corpore Chriſti præſciſus ac alienus, perinde ac publicanus & ethnicus, nè Chriſtiano quidem nomine dignus poſſum exiſtimari. Fons malorum omnium, quæ Saul regem olim obruerunt, atq; cum ſuis poſteris perdiderunt, ex eo manauit, quod Samueli ſacerdoti non obtemperaſſet, ac idcircò illud audire debuit: *Melior eſt obedientia quàm victima: quaſi peccatum eſt ariolandi repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle quieſcere.* Vnde autẽ origo hæreſum & ſchiſmatum in Eccleſia vſq; pullulantium? nimirũ ex contẽptu principis ſacerdotum, quemadmodum Cyprianus ſemel ac iterũ diſertè confirmat, & nos alibi docuimus. Quæ omnia mihi confirmabunt animum, vt iniuiſam hæreticis obedientiam ſtudioſiùs colam, illamque Sapientis ſententiam ſequar: *In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & miniſtros eius nè derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes.*

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro ſeditioſis ac rebellibus, qui contra ſuos legitimos magiſtratus inſurgunt, vel alios concitant, aut debitam alioquin obedientiam præſulibus Eccleſiaſticis aut ciuilibus dominis ac principibus negant.* Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes, *vt Iudas Apoſtolus fore prædixit, & nos hodie paſſim, præſertim in factioſis & turbulentis ſectariis, horribiliter experimur.*

ORA-

ORABO inſuper eam mihi a Domino prudentiam dari, quæ neceſſaria eſt ad veros & falſos amicos ritè diſcernendos, vt & illos mihi adiungam, & hos veluti peſtes fugiam. Omni tempore diligit qui amicus eſt, *inquit Salomon*, & frater in anguſtiis comprobatur.

PETAM diuinam quoq́ gratiam tribui ad reſtituendam nobis iuſtitiam & obedientiam, per quam ius ſuum cuiq́, atq́ præſertim maioribus atq́ magiſtratibus reddatur, maximè quum hodie maiorem in modum peccetur circa præceptum illud Apoſtolicum: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. *Et,* Reddite omnibus debita.

DOMINICA XXIIII. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

EVANGELICA hæc hiſtoria duplex Chriſti Domini miraculum circa duas fœminas geſtum continet. Siquidem mulieri Hemorrhoiſſæ ſic dictæ à fluxu ſanguinis, aut à ruptis venis hemorrhoidibus, quæ ſuas in medicos facultates fruſtrà conſumpſerat, ſanguinis profluuium ſiſtitur. Iairi verò archiſynagogi filia defuncta, iáq; à tubicinibus ex veteri more deplorata, vno Chriſti verbo ad vitam reuocatur. Mira porrò fides, humilitas & cófeſsio elucet in Hemorrhoiſſa, quam Chriſtus non temerè ſuam filiam vocat, & quæ typus erat gẽtium Chriſtum verè tangentium, eiusq; gratiam Iudæis præcipientium, ita vt inſtar Iacob Patriarchæ primogenito fratri Eſau di-

uinam benedictionem ad ſe rapiant extorqueantque. Eiuſdem Hemorrhoiſſæ fides idcircò laudanda eſt, quoniá occultè & retrò velut adrepens, fimbriam veſtis Chriſti contingit, atque ſic ſanitatem integram ſuffuratur, ſed & miraculi veritatem confeſsione publica comprobat. Cæterùm Archiſynagogum ita ſpectare licet, vt ſit exemplar boni frugique patrisfamilias, cuius nempè proprium eſt, ſingularem liberorum curam gerere, illorum indoleſcere incommodis, pro ſalute eorum precari Dominum, in neceſsitate ad Chriſtum ceu ſupremum medicum confugere, ab illo viuorum & mortuorum Dominatore auxilium fidenter petere ac expectare. De illo enim ſcripſit & Paulus: In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit.] Quod porrò Chriſtus in luctuoſa domo Iairi præſens deſpicitur ac deridetur, vetus prauumque mundi ingenium ſignificat, qui optimos quoſque laudandos & imitandos pro nihilo habet, adeoque probris & ludibriis inſectatur. Vnde Salomon quoque teſtatur: Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via.] Magnam & illud piis præbet conſolationem, quod à Chriſto audiunt, Puella non eſt mortua, ſed dormit, indeque iure colligunt, ſuam & amicorum mortem propriè non eſſe mortem, ſed ſomnum, à quo Chriſtus vitæ princeps & author ſuos electos, velut è ſuaui ſomno tandem reſuſcitabit. Et frequens quidé in Scripturis eſt, morté piorũ ſomnum, & mortuos dormientes appellari.

EVANGELIVM EIVSDEM Dominicæ. Matth. IX.

LOQVENTE IESV *ad populum, ecce princeps vnus acceſsit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum,*

& di-

& diſcipuli eius. Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe, Si tetigero tantùm veſtimentum eius: ſalua ero. At Ieſus conuerſus & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit: & tenuit manum eius, & ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram illam.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Ecce princeps vnus acceſſit, & adorauit eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt.

RVRSVS hîc ſe nobis offert immenſa Chriſti virtus & bonitas, quam præſentes Iudæi maximè ſunt olim admirati, & nos Chriſtiani ſingulari quodam religionis affectu complecti debemus. Primùm enim Chriſtus Dominus in itinere conſtitutus, mulierem Hemorrhoiſſam profluuio ſanguinis, qui morbus eſt immedidicabilis, nullo negotio liberat. Deinde mortuam principis archiſynagogi filiã, eamq́ue vnicam ac duodennem, quæ in domo paterna iacebat exanimis, verbo vno vitæ reſtituit. Vtrumq́ue miraculum, vt vero Meſsia dignum, reuerenter amplectar, eiusq́ue incomparabili potentiæ ac miſericordiæ diuina hæc aliáque opera tribuam, ſimulq́ue de his omnibus

gratias agam, quibus ille ſuam nobis beneuolentiam & gloriam manifeſtauit, vt ipſum meritò, ſicuti clemētiſſimum, ita & maximè propitium redemptorem veneremur, cuius aduentum ægroti ſimul & mortui homines, ac ſimul miſeræ mulieres, in anima & corpore ſibi ſalutarem ſæpè ſenſerunt, ac etiamnum ſentiūt. Proinde cum Propheta Moyſe & eius ſorore Propheteſſa Maria fidenter cantabo: *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.* Cum Ioanne itidem prædicabo, quòd idem ſit *teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, fecitq́ nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo; ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum.* Quod ad principem ſiue Archiſynagogum hîc propoſitum attinet, eundem ſacerdotem legiſque doctorem fuiſſe probabile eſt. Marcus illum Iairum vocat, in eo ſanè commendabilem, quod rarum in huiuſmodi ordinis viris exemplum ciuilitatis ac modeſtiæ præ ſe ferat, & cunctis oſtendat. Nam filiæ ſuæ cauſam acturus, non ſeruum mittit aut procuratorē loco ſuo, ſed coràm ad Chriſtum tunc multis exoſum accedit, illique ſe ſupplicem & adorantem exhibet, vtpote ſingularem illi reuerentiam tribuens, ac præſentem illius, vt omnium optimi medici & opitulatoris, opem implorans, quem ſecum tandem in ſuas etiam ædes perlibenter introducit. Quanquàm hæc omnia ille in fide adhûc imbecillis præſtat, quòd Chriſtum reputaret virum Dei ac prophetam inſignē, ſed qui niſi coràm adeſſet filiæ, eiqúe adhûc ſuperſtiti manū imponeret, & pro illa precaretur, parùm aut nihil præſidij ac ſalutis poſſet afferre. *Veni* inquit, *impone manum tuam, & viuet.* Monet igitur ille mei ſimiles, qui licet fide ſuſcepta Iudæos omnes excellimus, Chriſtumque Deum & hominem profitemur, tamen illum ſeriò ac diligenter non quærimus, non colimus, non inuocamus, præſertim vt gratiam eius nobis ac ſanis aliis ſeu ægrotis, viuis ac mortuis conciliemus. Hoc enim proprium eſt fidelium, ſicut Paulus docet, vt ha-

bentes,

bentecoſtalem tantumq́ue pontificem, qui penetrauit cœlos, non modò teneant fidei confeſſionem, ſed & cum fiducia ad thronum gratiæ eius accedant, ac miſericordiam in tempore conſequantur. Præterea me admonet hic Iairus, quàm ſit cuique frugiferum & ſalutare, vt virgam Domini viſitantis agnoſcat, & paternam eius correptionem patienter admittat. Profuit enim Iairo filiæ morbus ac obitus magis quã quicquam aliud, vt & ſeipſum quem totus mundus iuuare non poſſet,& Chriſtum largitorem vitę vnicum agnoſceret, ſimulq́ue agnitum humiliter inuocaret, talisq́ue inuocationis fructum certiſſimum experiretur. Hanc veræ fidei,& ardentis precationis lucem illi non opulentia vel proſperitas, ſed aduerſitas & afflictio attulit,multosq; alios in cruce conuerſos impulit, vt ſe totos Chriſto committerent, votiq; ſui compotes redderentur. Tam verè dixit Salomon: *Virga atq́ correctio tribuit ſapientiam*. Quocirca corporis ægritudinem, quæ tam multis fuit & eſt ſalutaris, nõ minus bonum quàm ſanitatem ipſam eſſe cõſtituam. Tum quibuslibet dolorum aculeis pungar, Iob virum ſanctum imitabor, vt non modò Dei percutientis manum agnoſcam, ſed etiam illi patri qui ſuos filios libenter corripit, agam gratias, ſimulq́ue cum Samuelis matre Anna confitear: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat.*

Multò magis autem Chriſti quàm Iairi perpendam exemplum, cùm videam ſummam Dei mei humanitatem Archiſynagogo, quàmlibet indigno & imbecillo, præſtari. Is humano victus affectu, tantùm ſecundùm carnem iudicat & angitur vehementer, quum videt, vnicam filiam & hæredem, innuptamq; puellam, in extremum diſcrimen adduci, adeòq; funeſtæ morti debitum ſoluere. Neq; tamen Chriſtus illum, ſicuti Regulum pro filio intercedentem, redarguit, ſed parcens afflicto, ac eius diſſimulans imbecillitatem, petenti non grauatim annuit, cupiens illi confeſtim in re perquàm difficili gratificari. Itaq́ue poſtpoſitis omnibus, itineri ſeſe accin-

git, vt filiam Archiſynagogi decumbentem inuiſat, & ſimul ad fidem patris corroborandam, in via curat Hemorrhoiſſam. Tum licet indignè tractetur in ædibus Iairi ac derideatur, defunctæ tamen filiæ optatam à patre manum imponit, ac morte fortior, exanimi corpori ſpectantibus aliquot, vitã reddit. Quid iſthuc eſt aliud quæſo, præterquàm verum Meſſiæ munus explere, vt de quo ſcriptum eſt: *Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet?* Præterea confirmatur hîc exemplo, quod Salomon de præſtanda humanitate præcepit, inquiens: *Nè dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi, cùm ſtatim poſsis dare.* Monet itidem Sapiens: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Non pigeat te viſitare infirmum, & mortuo non prohibeas gratiam.* Abſit igitur, vt ego à Domini mei moribus degenerans, me difficilem illis præbeam, quorum honeſtæ piæque petitioni poſſum ſatisfacere, vtque rogatus meam amicis operam negem, quando Chriſtus non ſolùm Iairi filiã ſiue mortuam, ſiue moribundam, ſed etiam Centurionis famulum grauiter decumbentem promptè ac libenter inuiſere non recuſauit, ſeque cunctorum à quibus & pro quibus rogaretur, commodis ex animo fauere ac proſpicere nõ deſtitit. *Venit enim filius hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare: venit laborantes omnes ac oneratos reficere:* qui cùm perpetuò ſummus eſſet, pauperibus ac ægrotis velut infimum ac paratiſſimum ſe totum accommodauit. *Eum* inquit, *qui venit ad me, non eiiciam foras. Petite & accipietis.* Quàm verò ille comis, benignus & officioſus cum magnatibus verſatus eſt? quando leproſos ad ſacerdotes honorandos miſit, & Phariſæos in Moyſi Cathedra ſedentes extulit, illorumque leges à ſuis voluit obſeruari, ac demùm cõuictui & menſis inuidentium Phariſæorum non raro adfuit, iuxta illud: *Poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Nihil ergo mirũ, quod Paulus monuerit: *Seniorem nè increpaueris, ſed obſecra vt patrem*, quodque idem Paulus Philemonem (Coloſſenſium Epiſcopum fuiſſe putant) tractat humaniſſimè, tantèm

vtil-

vt illi ſeruum fugitiuum Oneſium conciliet atque commen det. Erit ergò mihi quoquè curæ, vt poſita ſeueritate, cum aliis omnibus, tum inprimis magiſtratibus, me in omni vita affabilem, humanum ac candidum præbeam, & cum nullo non certem officiis charitatis. Non enim obliuiſci debeo Apoſtolicæ commonitionis, quæ iubet, vt fideles humilitate ſe inuicem præueniant, alius alium ſuperiorem ſtatuat, & vnuſquiſq; proximo ſuo placeat in bonum ad ędificationem.

Ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

NOBILIS hæc Hemorrhoiſſa, cuius laus extat apud tres Euangeliſtas, de magnis rebus atquè virtutibus, vti patiētia, prudentia, humilitate, fide ac gratitudine cùm ordines omnes fidelium, tum me quoquè commonefacit. Iuſtè illius mi ror patientiam, quę cum graui difficiliq; morbo annos duodecim conflictata, ſanguinis enim profluuio laborabat, tam infœlices medicos experta eſt, vt in corpore afflictior atquè imbecillior, ſed & in bonis, quę fruſtra in medendo conſumpſerat, pauperior redderetur, parùm vt abeſſet, quin de morbo inueterato miſera prorſus deſperaret. Huic diſſimilis non fuit illa matrona, quæ toto corpore deflexa in terram & contracta, nè caput quidem erigere, & ſurſum adſpicere poterat, tantumquè mali annos decem & octo à ſæuo dæmone perpeſſa fuerat, ſicut Lucas exponit. Vtráque mulier, quæ ſub incomparabili medico Chriſto perfectè conualuit, me quoquè admonet, non in medicis, principibus & filiis hominū, in quibus non eſt ſalus, confidere. *Maledictus enim homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* His fœminis infœliciter ceſſit, quicquid ſumptuum in medicos expen derant, vt omni ſpe & expectatione ſua fruſtrarentur, & qui maximè iuuare poterant, præſentem auxerāt morbum, corpusquè ipſum incurabilius effecerant. Nec aliter ſanè filiis

huius mundi accidere ſolet, dum relicto Deo ex rebus terrenis refugia & præſidia ſibi ſolicitè parant, quæ tamen illis nō ſunt in auxilium, vt Propheta inquit, nec in aliquam vtilitatē, ſed in confuſionem & opprobrium. Ego verò omnem rerū mearum euētum atq; ſucceſſum Deo ſummo fidenter commendabo atque permittam, tum ægritudinem vel afflictionem velut medelam cœlitus acceptam patienter mihi ferendam putabo. *Bonus enim Dominus & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe*, vt Propheticis verbis vtamur. Tum ſi Apoſtolo credimus, *fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Illud mulieris huius prudētiam arguit, quod priuſquàm ad Chriſtum accedit, ſuum fœdum & immedicabilem morbum agnoſcens, ab aliorum conſortio ſeſe ſubducit, & in Chriſti conſpectum prodire veretur: quoniam iuxta Moyſi legem immunda, nec voluit, nec debuit aliis admiſceri, & à quoquam attingi, ideòque à longè Dominum ſequebatur. Quæ res me quoque ſubmonebit, vt quāto magis interioris ac ſpiritualis impuritatis meæ ſum conſcius, tantò in via Dei me ſubmiſſius geram, ac velut indignum Chriſti gratia, bonorumque conuictu cenſeam. Hoc enim eſt quod Petrus Apoſtolus illis verbis indicauit: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore viſitationis.* Nec fruſtra docuit Paulus, vt fideles qui ad cœleſtem patriam peregrinantur, ab omni carnis & ſpiritus inquinamento mundentur, & ad eam adſpirent ſanctimoniam, ſine qua nemo Deum videre poteſt. Mira eſt ſanè eiuſdem fœminæ humilitas, quæ cum Chriſto actura, retrò & à tergo ſequitur, quoniam tota ſibi diſplicet, ſeque poſtponit aliis, velut vltimum deligat locū, multoque magis indignam ſeſe reputet ad Chriſtum vel ſalutandum, vel in facie adſpiciendum: ideòque ſat habet fimbriam Dominicæ veſtis latenter contingere, ac eo contactu furtim ſibi beneficium impetrare. Quod cùm factum eſſet, Chriſtusque noui miraculi conſcius circumſpiceret, ac de ſanata huiuſmodi muliere percontaretur, illa etiam humilior

facta, non ſine ingenti timore ac tremore ſeipſam prodit, & ante pedes IESV tota procidit, omnemqúe veritatem de morbo ſuo curato publicè & verecundè teſtatur. Ego verò vtinam timoris ac humilitatis huius partem ſaltem aliquam adipiſcar, & tunc exprimam maximè, cùm ad cultum diuinū accedo, measqúe ad Deum preces fundo. Scriptū eſt enim: *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* Nec fruſtra monuit Paulus, ſuam vt quiſqúe ſalutem cum timore & tremore operetur: quandoquidem *qui ſine timore eſt, iuſtificari non poteſt*, teſte Sapiente. *Timenti autem Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Cur igitur meipſum non deprimo, & diuinum illud oraculum non ſæpius, & quidem diligenter, mecum cogito: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Cæterùm inter alias Hæmorrhoiſſæ virtutes non parùm elucet fides, vtpote à Chriſto ipſo laudata, & propter quam pulchrè Chriſti vocatur filia, dicente Domino: *Confide filia*, id eſt, bono animo eſto, cùm te Abrahæ Deiqúe filiam præſtes, diuino lumine illuſtrata, verèqúe pauper ſpiritu. Mox verò ſubiungit: *Fides tua te ſaluam fecit*, nimirùm vt veteri moleſtóq; morbo liberata, meam & Meſſiæ virtutem ac beneficentiā, quam ex veſtis meæ contactu tibi pollicita es, reipſa comperias. Quę huius matronę fides idcircò eſt admirabilior, quòd nullo iubente, ac etiam fortaſſe ſuadente, in animo ſuo perſuaſum haberet, id quod apertè confiteri auſa eſt: *Si tantùm tetigero veſtimentum eius, ſalua ero.* Hac fide contenta, inter alios multos Dominum vndiqúe comprimentes ſeſe ingerit, omnem ſibi aditum exquirens, vt ad veſtis Dominicæ cōtactum ſaltem latenter penetret, eóq; ſolo remedio diuturnum morbum abigat atqúe tollat. Quam eius fidem & Deo gratam, & ipſi ſalutiferam extitiſſe, tum Chriſti ſententia, tum ipſe rei euentus abundè declarat. Vbi vicem ego multorum deplorabo, qui de fide tam multa iactitant, ſemperqúe diſceptant, nec obſeruant tamen, Chriſtum hoc loco & alibi de

ſola fide nunquàm meminiſſe, neque ſimpliciter aſſeruiſſe, Fides ſaluum vel ſaluam fecit, ſicut & alibi cæco in via vociferanti dictum legimus: *Fides tua te ſaluum fecit.* Quæ autem certis perſonis excellenti gratia donatis aſſignantur & competunt, non ſanè aliis niſi eâdem fide & gratia præditis, debēt applicari. Huius generis & illud eſt, quod de peccatrice crimina ſua deflente & publicè pœnitente Chriſtus affirmat: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hinc vi deas, Chriſtum dilectionem à fide minimè ſeparare, quando ad eandem peccatricem ſic dicit poſtea, *Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Exigebat Chriſtus ab his ægris quos paſſim curabat, vtique fidem ad beneficium eius accipiendum neceſſariam, fidem inquam, omnipotentiæ in efficiendis miraculis, quæ miſſum à Deo Meſſiam orbi comprobarent, eumque non minus Deum quàm hominem adſtruerent. Nō exigebat autem, ſicut iſti confingunt, fidem ſpecialem, per quā homo iuſtitiam Chriſti apprehendit, ac ſibi imputatam certò ſtatuit, planèque confidit de remiſſione peccatorum & gratia Dei, ſeque omninò iuſtum & ſaluum ſecurè pollicetur. Talem enim fidem in ſectariorum ſcholis nuper natam Dei verbum toties euertit, quoties fidem mortuam reiicit, & apertè proclamat: [a] *Pœnitemini & credite Euangelio.* [b] *Luceat lux veſtra coram hominibus.* [c] *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* [d] *Beati qui audiunt & cuſtodiunt verbū.* Ex quibus demum & illud fit euidens, propoſitæ matronæ in credendo ſimplicitatem fuiſſe mirabilem, quæ Chriſto illam reddiderit chariorem, cùm ille ſimplicibus vel maximè delectetur. Ad illā igitur haud dubiè pertinet, quod alicubi ſcripſit Tertullianus: Fides tua te ſaluum fecit, non exercitatio ſcripturarum.] Et veriſsimè dixit Auguſtinus: Non intelligendi viuacitas, ſed credēdi ſimplicitas turbam hominum tutiſsimam facit.] Rurſus maiorem veritatis lucem in eo præcabor cæcis aduerſariis, vt agnoſcant, quantum humanitati Chriſti attribuendum ſit, nempè in qua nihil nō precioſum, potens & auguſtum ſit conſtituendum, quomodocunque

ille

vt ille ſiue per verbum, ſiue per promiſsiones, ſiue per Sacramenta, ſiue per ſua membra, ſiue demùm per Sanctos & peculiares amicos, ſiue per ſacras eorum reliquias cum miſeris mortalibus operetur. Idem enim Chriſtus, qui per impoſitionem manuum dictam defunctam Iairi filiam excitauit ad vitam, etiam per ſuæ veſtis contactum ſanguinis profluuium in Hemorrhoiſſa ſuſtulit, & per Pauli Apoſtoli ſudaria & ſemicinctia languentes multos curauit, ac tetros dæmones eiecit, vt ſcribit Lucas Euangeliſta. Neque diſsimilis potentiæ fuit, quod idē Chriſtus in Stephani prothomartyris ac aliorum plurium Sanctorum, ſicut & antea Eliſæi Prophetæ reliquiis miracula certa & præclara edidit, quemadmodum fide digni ſcriptores ac veteres Theologi Græci & Latini memoriæ prodiderūt. Mirabilis enim & glorioſus Deus in Chriſto, ac iterum per Chriſtum in Sanctis ſuis, eorumq́ue monumentis, reliquiis atq́ue miraculis, quæ omnibus ætatibus Eccleſiæ paſsim claruerunt, & partim ſanis, partim ægrotis conſolationem atque vtilitatem inſignem attulerunt. Sic enim Chriſto, qui vſque operatur, viſum eſt, ſuos fideles conſolari atq́ue inſtituere, vt Sanctorum fides, doctrina & virtus in orbe fiat illuſtrior, eorum in cœlis fœlicitas & gloria in hac militante Eccleſia magis innoteſcat, veneratio etiam ac inuocatio, quæ illis lectiſsimis Dei amicis ſyncerè præſtatur, tanto maiorem fidem obtineat, quantò indignius eadem à Vigilantianis & Hagiomachis in hunc vſque diem conuellitur atque oppugnatur. Adhæc libenter meminero huius Hemorrhoiſſæ, cùm ad incruentum ſanctumq́; ſacrificium Miſſæ me contulero, vel ad venerabilis Euchariſtiæ communionem acceſſero. Tunc enim Chriſtus ſe quodammodò tangendum offert fidelibus, & tangendo multa diuina in illis operatur, potiſsimùm vt fœdi peccatorum fluxus, qui nos verè immundos reddunt, aut planè tollantur, aut valdè comprimantur & extenuentur. Siquidem *iſte omnis fructus eſt, vt auferatur peccatum*, ſi Prophetæ credimus Iſaiæ. Sed inprimis viua opus eſt fide, quam in Chriſtum præſentem exer-

ceam,

ceam, ſicut proculdubio illi exercuerunt, de quibus Matthæus refert: *Obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quicunq; crediderunt, ſalui facti ſunt.* Eandem ſententiam repetit Marcus. Quod ſi fimbria Dominicæ veſtis à multis ægris contacta tam ſalutaris fuit ac efficax, vt ægritudines maximas pelleret, ſanitatemque integram malè affectis reſtitueret: quanto maiorem ego virtutem & gratiam mihi adfuturam ſperabo, ſi Chriſtus (Dei virtus & ſapientia) me quaſi tangat & benedicat in venerandis Eccleſiæ Sacramentis, velut canalibus propriis à Chriſti latere deriuatis, per quos ſacratiſſimę paſsionis eius effectus ad nos certiſsimè manauit, vtpote gratia, charitas, remiſsio peccatorum, robur ſpiritus, & omnia demum infirmitatis humanę medicamenta? Quid verò tum poſtea, ſi non credunt Sectarij, Chriſtum habere virtutem ſanandi, & quod ab illo tangitur, etiam ſanatiuum & ſalutare eſſe poſſe? Credidit hoc noſtra Hæmorrhoiſſa, & fluxu ſanguinis liberata eſt: credidit leproſus, & ſtatim mundus euaſit. Et poſtquàm Dominus tetigit feretrum, in quo cadauer adoleſcentis elatum ferebatur, viuus ille reſtitutus, loqui cœpit, totique populo ad glorificandum DEVM cauſam præbuit.

Demùm obſeruatione dignum putabo, hanc Hæmorrhoiſſam, cùm morbo ſuo liberata eſſet, Chriſto liberatori ſuo præclarum & publicum gratitudinis teſtimonium præbuiſſe. Etenim cùm ea ciuis eſſet in Cæſaréa Philippi, quam Phœniciæ ciuitatem etiam Phanaida vocant, vt accepti à Chriſto beneficij ſe memorem omnibus fateretur, baſim quandam editiore loco ponendam curauit, & in ea imaginem ac ſtatuam æneam ad ſimilitudinem vultus Chriſti exprimendam ante fores domus ſuæ cõſtitutam reliquit. Huic imagini mulier ipſa genibus prouoluta proximè aderat, ac ſupplex palmas extendens, Chriſti beneficium petere & accipere videbatur. Et fide dignus quidem author eſt Euſebius Cæſarienſis, huius hiſtoriæ teſtis oculatus, quandoquidem

iſthæc

iſthæc imago ad mortem vſq; Iuliani Apoſtatæ durauit, magnoque in precio habita, nec vulgaribus miraculis illuſtrata eſt. Qua de re [a] Socrates hiſtoricus & [b] Theophylactus præter plures alios meminerunt. Proinde hoc eximium religioſæ matronæ factum iure mihi commendabitur, ſimulq; monebit, vt diuina beneficia grato pectore celebrem, & Chriſtianæ gratitudinis officium præ me feram, immò ſignis etiã externis, ſi liceat, comprobem. Cæterùm quod ad idola vel ſimulachra ſpectat, in confeſſo eſt, ea in Decalogo diſertè prohiberi, nimirùm nè illa more ethnico ab vllis adorentur, ſicut Tertullianus interpretatur, & ipſa Decalogi verba commonſtrant. Vnde cum Propheta cantabo: *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.* Quæ quidem idola per Chriſti aduentum paſſim euerſa eſſe, quemadmodum Sophonias & Zacharias prædixerant, res ipſa liquidò manifeſtat. Nihil tamen hoc impedit, quo minus imagines pias, quæ Chriſto & Sanctis honoris gratia eriguntur, in vſu vt antiquiſsimo, ita & probatiſsimo decenter habeamus atque conſeruemus. Siquidem & Moyſes ſerpentem æneum, Chriſti nempè typum, in deſerto exaltauit, ſicut Deus ipſe iuſſerat, & Salomon non ſine Dei ſpiritu author fuit, vt imagines Angelorum Cherubim, quæ Propitiatoriũ adumbrarent, in templo Hieroſolymitano ex auro fabricatæ durarent. Tum [a] Baſilius & [b] Damaſcenus perſpicuè notant, eiuſmodi Chriſtianarum imaginum vſum, non ſolùm iam olim paſsim in templis obtinuiſſe, verùmetiam ad traditiones Apoſtolicas non ſcriptas pertinere: tum honorem ſacris imaginibus à Catholicis impenſum, ad cultum primi exemplaris transferri oportere. Nihil igitur nobis eſt eritque vnquàm hîc commune cum impiis ſæpèque damnatis Iconoclaſtis, qui iampridem in templorum imaginibus effringendis ac demoliendis ſuam inſanam explent libidinem, nihilq; penſi habent, earundem imaginum vſum ex Eccleſiæ quidẽ inſtituto partim ad Sanctorum repræſentationem, partim ad eorum imitationem conducere plurimùm fidelibus. Vnde

a In Hiſtor. Eccleſiaſt.
b In Euãgel

Exod. 20.

Lib. 2. contr. Marcion.
Pſalm. 96.

Sophon. 2.
Zachar. 12.

Numer. 21.
Ioann. 21.

Exod. 25.

a Lib de Spiritu ſancto. capi: 18. & in epiſt. cõtra Iulianum.
b Lib. 4 fide Orthodoxæ cap. 17. & in tribus libris contra Iconoclaſt.

ad Secundinum ſcripſit Gregorius Magnus: Scio quidem quòd imaginem Saluatoris noſtri non ideò petis, vt quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filij Dei, vt in eius amore recaleſcas, cuius te imaginem videre cōſideras. *Et* nos quidem non quaſi ante diuinitatem ante imaginem proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur.]

Cùm veniſſet IESVS *in domum principis, & vidiſſet tubicines, & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite.*

DOMINVS IESVS, veræ humilitatis perpetuò amans & cuſtos, non niſi paucos, vtpote puellæ defunctæ parentes, & diſcipulos tres duntaxat, ſibi præſtò eſſe permiſit, cùm ad eandem puellam vitæ reſtituendam intraſſet. Nec ſemel alibi monet præſentes, vt patratum ab ipſo miraculū ſilentio premant, nec reuelent aliis. Ita ille me alioſque *A*dæ filios natura ſuperbos, ſuo commonefecit exemplo, vt in benefactis vitemus iactantiam, nec more Phariſæorum, auram gloriamq; venemur apud homines, ſed ſemper illud obſeruemus præceptum: *Neſciat* (in benefactis) *ſiniſtra tua, quid faciat dextera. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.* Adhæc tubicines & alij ob defunctam puellam lamentantes & eiulantes eiiciuntur, increpante illos omnes Domino, *Quid turbamini & ploratis?* Non quòd omnem luctum & triſtitiam à ſuis aſſumptam vetet: *Beati enim qui lugent* cum Apoſtolis, quibus prædixit hoc Chriſtus: *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Nam & Chriſtus ob Ieruſalem, & circa ſepulchrum Lazari flere, & in horrtò triſtiſsimus eſſe non dubitauit. Cæterùm inordinatus & inutilis planè fletus ſiue ploratus eſt, quem Chriſtus meritò incuſat ac reiicit, & filiorum quidem huius mundi proprius, quo nempè illi fide & ſpe Chriſtiana deſtituti, præſentem vitam tantoperè amant, vt de futura nihil ſoliciti eſſe videantur.

tur. Hinc illi ſuos parentes & amicos non propter animę, ſed corporis mortem ſupra modum deplorant, ſeq; magis ethnicos quàm Chriſtianos eiulando declarant. His ergò Chriſti verbum opponendum eſt: [a] *Noli flere*, [b] *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Conſonat Pauli præceptum: *Nolumus vos ignorare fratres, de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent*. Quarè moderato luctu ero contentus, ſi quando amicorum vel bonorum mors mihi dolorem & lachrymas exprimet, quemadmodum & illis factum eſt, qui propter Stephanum ſanctè defunctum ingentē planctum ſuper illum feciſſe ſcribuntur. Omittam pręterea illum lugendi plorandique morem vulgo nimis familiarem, ſed Chriſto minimè gratum, qui ex impatientia, rei familiaris iactura, morbo vel alio triſti euentu frequenter generatur. Illi demùm nobis verè lugendi ſunt, qui carni, mundo & ſibi ipſis ita viuunt, vt Deo ac iuſtitiæ mortui eſſe videantur. Atque his illi ſunt deteriores, qui Chriſtum & ſacra deridēt, quemadmodum Herodis regis & Iairi principis aulici Chriſtū deriſiſſe leguntur. Ad hunc modum pius ille [a] Ioſeph ſomniator, [b] Dauid fatuus & ſcurra, [c] Eliſæus caluus, [d] Paulus verò ſeminator verborum, præclaris ſcilicet nominibus publicè appetiti atque deluſi ſunt. Eſt enim hoc vetus peruerſi mundi ingenium, vt ſuos tantùm amet & extollat, Dei autē electos probris, ſannis & ludibriis inſectetur. Quarè tandem iſti magno ſuo malo teſtabuntur: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam*. De his monet Paulus, cùm aduerſus carnales ac animales diſſerit: eos quæ ſunt Spiritus Dei, percipere non poſſe. Nec tacuit Salomon: *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus*.

a Luc. 7.
b Matth. 8.
1. Theſſ. 4.
Actor. 8.
Luc. 23.
a Geneſ. 37.
b 1. Reg. 27.
c 4. Reg. 2.
d Actor. 17.
Sapien. 5.
1. Cor. 2. & 1. Cor. 3.
Prouer. 19.

PRECANDUS eſt mihi Deus pro conſanguineis, amicis, vicinis, aliisq́ grauiter decumbentibus, ſuam vt crucem ferant patienter, quos & ego fido conſilio & auxilio per Dei gratiam ſubl-

uare

uare velim, ſciam & poſſim, quemadmodum debeo. Etenim vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.

ORABO *etiam, vt diuinus cultus & venerandum Euchariſtiæ Sacramentum cum ſpiritu Hæmorrhoiſſæ tractetur, vtpote quæ ad Chriſti corpus tangendum cum fide, humilitate & deuotione reuerenter acceſſit, & tangendo ingentem gratiam in anima & corpore conſequuta, publicèq; profeſſa eſt.*

PETAM *inſuper neceſſariam nobis prudentiam dari, pro vero ac ſalutari vſu ſacrarum reliquiarum & piarum imaginum, nè alioquin probatum Eccleſiæ inſtitutum propter errores hæreticorum, vel abuſus ſimplicium fructu effectuq; ſuo deſtituatur.*

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS.

Sequentis Euangelij argumentum.

ROGATVS Dominus à ſuis diſcipulis in monte Oliueti, ad triplicem illorum quæſtionem reſpondet in hoc Euangelio. Prima erat, quo tempore Hieruſalem cũ ſuo templo euerteretur: altera, quo ſigno glorioſus & extremus ipſius aduentus cognoſci poſſet: tertia, quando mundi totius futura eſſet conſummatio. Nam Iudæis vſitatum erat ſigna petere, potiſsimùm ſi res nouæ magnęque vel promitterentur, vel expectarentur. Sed Chriſti reſponſio redditur obſcurior, quoniam ex illa non ſatis conſtat, ad quodnam tempus propoſita ſigna referantur,

quum pleraque ad excidium Hieroſolymitanum nó magis quàm ad finem mundi, vel ſecundum Domini aduentum referri poſſe videantur. Deinde non pauca inſeruntur myſtica, vel ſecundùm ſpiritum intelligenda, quę vulgarem hominum ſenſum excedunt, & ab aliis quidẽ doctoribus aliter accipiũtur. Ex his omnibus præcipuè obſeruanda ſunt ea ſigna, quæ mundi finem reſpiciunt, & ętati noſtræ congruunt magis. Inter ea primas tenẽt Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ in Eccleſiã, ſicut antea nunquàm, turmatim vnà cum ſuis diſcipulis irrupturi, ac iidem futuri præcurſores illius Antichriſti, qui vnus omnium longè verſutiſsimus & crudeliſsimus, maximèque formidabilis impiorum omnium princeps atque tyrannus exiſtet. Tantæ autem de fide diſsidentium contentiones excitabuntur, vt plerique fideles de vero Chriſto, vero Euangelio, vera Eccleſia planè dubij hæreant, ac diuerſa ſpargant. Hinc illæ Chriſti præmonitiones: Videte nè quis vos ſeducat. Nolite credere, nolite exire. Præterea Chriſtus hîc indicat, quid ex communi multorum à fide diſceſsione ſeu apoſtaſia ſit conſequuturum, nimirùm vt Chriſtianorum animi maiorem in modum diſtrahantur ac tumultuentur, variiſque bellis & calamitatibus publicis ac exitialibus ſimultatibus implicentur. Hi enim tetri fructus erunt fidei paſsim extinctæ, ſimulque languentis prorſus charitatis: vnde ſcelerũ genus omne impunè graſſabitur, & iratus Deus communem hominum impietatem ac nequitiam horrendis modis vbique gentium vindicabit. Additur & aliud mundi mox perituri ſignum, vt Euangelium ac eius prædicatio palàm in orbe diſſeminetur, nè quiſquam ſuæ vel ignorantiæ vel inobedientiæ prætextum poſsit obtendere, Chriſti doctrina velut meridiana luce longè latèque fulgente. Adhæc viſibilis & manifeſta fidelium Eccleſia depingitur, quæ futura ſit inſtar fulguris per orbem coruſcantis: quia de nubibus fulgur emicat, ac omnibus patet, ſicut Auguſtinus locum interpretatur. Poſtremò cùm de rebus grauiſſimis Apoſtoli interrogaſſent, Chriſtus in hoc Euangelio tam prouidè & circumſpectè reſpondet, nihil vt explica-

Matth. 24.

Lib. 1. quæ Euangelic. rũ. quæſt.

tè pronunciet, ſed ſuſpenſos relinquat animos, quo die vel tempore ingens illa mundi mutatio ſimul & conſummatio ſit ſuum habitura progreſſum. Quod ſanè myſterium etiam Angelis abſconditum, nec bonis, nec malis mortalibus reuelari expediebat: non bonis quidem, vt ex incertitudine huius tẽporis maius incitamentum habeant ad omne ſalutis impedimentum diligentius abiiciendum, & ad veræ pietatis officium ob vltimum & inſtantem ſui iudicis aduentum alacriùs obeundum. Et nè malis quidem id ſcire conueniebat, vt peccandi ſubtrahatur occaſio, ſi fortè mundi ætates & vitæ ſuæ ſpacia prorogari, Chriſtumque iudicem tardius aduentare ſentiant. Hinc illa Chriſti vox in Euangelio ſæpius repetita: Vigilate: neſcitis enim quando Dominus veniet.] Hoc vnum addam, [a] Irenæo, [b] Gregorio Nazianzeno, [c] Chryſoſtomo, pluribusque patribus viſum eſſe, vt [d] Gabrielis, Danielis & Chriſti verba de abominatione deſolationis dicta, ad Antichriſtum referantur, qui tanquàm Rex, immò Meſsias & Deus in templo Hieroſolymitano ſuam ſedem habiturus, cultumque diuinum impiè ſibi vendicaturus ſit. Alij verò hanc abominationem ad omnem hæreſin quæ Scripturæ & religionis prętextum obtendit, accommodant. Veniet autem hic Antichriſtus, vt Cyrillus inquit Hieroſolymitanus, cùm impleta fuerint tempora imperij Romani, & mundi cõſummatio appropinquabit.] Notant & Tertullianus, Lactãtius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, OEcumenius, Antichriſtum non niſi poſt Romanum euerſum imperium eſſe venturum, vt poſtremam & grauiſsimam Eccleſiæ perſequutionem intentet.

EIVSDEM DOMINICAE
Euangelium. Matth. XXIIII.

CVM

CUM videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat): tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad mõtes: & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicã ſuam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem vt non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato. erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vſq; modò, neq; fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hîc eſt Chriſtus aut illic: nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſq; in Occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum cõmouebuntur: & tunc parebit ſignum Filij hominis in cœlo. Et tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa & maieſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſq; ad terminos eorum. Ab arbore autem fici diſcite parabolam, cùm iam ramus

eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia propè eſt in ianuis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.

NOTÆ MEDITATIONVM ET PRECATIONVM CIRCA EVANGELIVM.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, (qui legit intelligat.)

CHRISTO Domino inprimis gratias agam, qui ſapientię ſuę arcana rogantibus diſcipulis etiam hoc loco reuelare dignatur, nec ſolùm illis Hieroſolymitanæ vrbis, regniq́; Iudaici vaſtationem miſerandam prædicit, ſed præterea credentes omnes prouidè admonet de ſignis, quæ finem mundi huius horrendum ſunt in modum proximè anteceſſura. Ea ſigna, ſi aduertas animũ, partim iam præterierunt, partim præſentia nobis ob oculos verſantur, partim ſequenti tempore certo certius conſequentur. Auguſtinus varias huius hiſtoriæ partes, quæ latiſsimè patent, breuiter ita cõtrahit: Circa illud iudicium has res didicimus eſſe venturas, Heliam Thesbitam, fidem Iudæorum, Antichriſtum perſequuturum, Chriſtum venturum, iudicaturũ, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorumq́; diremptionem, mundi conflagrationem, eiuſdemque renouationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt, ſed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet conſequi ad perfectum hominum intelligentia.] Ego verò ex his omnibus, quæ ſuo

tem-

tempore certiſsimè complebuntur, meam de ſecundo Chriſti aduentu extremóque iudicio fidem ſolidè confirmabo, quando ſumma æternáque Veritas hîc apertè pronunciat: *Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt.* Et luculenter ab Apoſtolo traditur: *Annunciat Deus hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant, eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate.* Deinde notabo, Chriſtũ hoc loco non admiranda ſolùm, ſed horrenda etiam de fine mundi & reſurrectione mortuorum, aliiſque rebus adiũctis ita differere, quemadmodum nullus veterum philoſophorum vnquàm aut ſciuit, aut ſcripſit, aut docuit. Hinc meam ego fidem in Chriſtum futurum mundi iudicem ſtabiliam, & in apertam confeſsionis vocem erumpam, cum Propheta dicturus: *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua. De cælo auditum feciſti iudicium: terra tremuit & quieuit, cùm exurgeret in iudicium Deus.* Et paulò poſt: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera, Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum, terribili apud reges terræ.* Quarè ſi vſquàm aliâs, hoc certè loco Chriſti Domini verba extimeſcam, quandoquidem comminationum ac terrorum plena ſunt omnia ſi de peccantibus agitur, nec ſolùm aures attentas, ſed ſolicitas pauidaſque mentes requirunt. Quis enim, ſi ſapiat, hoc inſolito dicendi genere non intimè commoueatur? *Erit tribulatio* inquit, *magna, qualis non fuit ab initio mundi, neq; fiet. Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Sol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de cælo, virtutes cælorum commouebuntur. Plangent omnes tribus terræ.* Cum quibus hoc etiam Hieronymianum licet coniungere: Iudicaturo Domino lugubrè mundus immugiet, tribus ad tribũ pectora ferient. potentiſſimi quondã reges nudo latere palpitabunt] Nec minus grauiter quàm verè dixit Gregorius Magnus: Quia omnia conſummanda ſunt, ante conſummationem omnia perturbantur: & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur: *Pugnabit pro*

Actor. 17.

Pſalm. 75.

Matth. 24.

Epiſt. 1. ad Iudæorum

Homel. 35 Euang.

Sapi. 5.

co orbis terrarum contra inſenſatos. Multa inquit,debent mala præcurrere,vt malum valeant ſine fine nunciare.]

Quæ cùm ſint longè certiſſima, valdè mirabor tam multos eſſe fideles, qui res tanti momenti ac ponderis audiant, paucos autem qui de hiſce ſolicitè cogitent,perinde ac ſi ſurdis caneret æterna Dei ſapientia. Ego verò me inter illos verſari putabo, qui triſtiſſimam Eccleſiæ orbisque faciem conſpecturi, & in ſummis illis periculis à Chriſto prædictis miſerandum in modum victuri ſunt. Magnum igitur metum ex illo rerum aſpectu in me concitabo,& quaſi pauore concuſſus ac tremebundus,communem fidelium ſortem deplorabo,quoniam Ioannem ipſum,qui ſublimis eſt aquila,terrentem & minantem audire videbor, cùm in hunc modum vociferabitur: *Va,va,va habitantibus in terris: timete Dominum & date illi honorem,quia venit hora iudicij eius.* Niſi hoc ipſum iudicium à Iob ſancto timeretur, nũquàm in hæc verba prorumperet: *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* Timuit & Paulus,nè cũ prædicaret aliis,ipſe reprobus fieret,ac licet ſibi non eſſet malè conſcius, tamen ſe iuſtificatum pronunciare formidauit, adeòque fideles omnes cum timore & tremore ſalutem operari ſuam admonuit. *Terribilis enim eſt,* vt ipſe teſtatur, *expectatio iudicij, & ignis æmulatio. Horrendum incidere in manus Dei viuentis.* Proinde ſuperiora Chriſti verba huc mihi conferent, vt mundi huius deſiderio non tenear, ſed ex hoc velut hoſpitio me breui migraturum ſtatuam,ac idcircò me quàmprimùm ad iter ipſum accingam, priuſquàm ſuprema & horrenda illa rerum omnium mutatio,immò & conſummatio ſubſequatur. Acclamat enim & Iacobus: *Ecce, iudex ante ianuam aſſiſtit,* ſicut & alius teſtatur Apoſtolus: *Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis,quia Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt,vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt.* Nec aliter quidem ſuo ſeculo ſcripſit inclytus Martyr Cypria nus,mundum nempè ita ſenuiſſe,& in ipſa defectione & fine eſſe,vt illis viribus,quibus prius ſteterat,ſtare non poſſit,nec

vigo-

vigore & robore eo valere, quo antea præualebat. Breuiatur, ait, in dies ſingulos, & decreſcit ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocentia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina.] Tum in alia epiſtola: Prænunciata ſunt hæc futura in ſeculi fine, & Domini voce atque Apoſtolorum conteſtatione prædictum eſt, deficiente iam mundo, atque appropinquante Antichriſto, bona quæque deficere, mala verò ac aduerſa proficere.] Proinde quod Apoſtolus de ſui ſeculi mortalibus loquitur, in quos ſeculorum fines deuenerunt, ad hæc noſtra tempora non immeritò referam, quibus iuxta veriſſimum Christi vaticinium maiorem in modum abundauit iniquitas, & refrixit charitas, tantaque fidei verę imminutio facta eſt, vt iure cum Chriſto ipſo dicamus, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Adeſt enim reuera tempus à Paulo prædictum, quo corrupti homines mente, & reprobi circa fidem, ſanam doctrinam ſuſtinere nec velle, nec poſſe videantur, Chriſtianæ veritati plurimùm reſiſtentes, quemadmodum Iannes & Mambres prophetæ Moyſi reſtiterunt. Accedit & illud nec leue nec vulgare ſignum, quod iamiam imminentem mundi finem oſtendit fulgentis in orbe toto Euangelij facta prædicatio, de qua Hieronymus rectè ſcriptum reliquit: Signum Dominici aduentus eſt, Euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus ſit excuſabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernemus eſſe completũ. Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, quæ Chriſti nomen ignoret.] Quanto autem verius nos hoc ipſum teſtari poſſumus, quando nullus in terris eſt ferè locus, quem ſanguis Martyrum non conſecrauit, aut certè illuſtrium prædicatorum doctrina & confeſſio publica non illuſtrauit, cùm Chriſti nomen in orbe toto ſit ita diffuſum, vt etiam ad antipodes noſtro ſeculo penetrârit. Cùm igitur Euangelij prædicatio, ſicut Chriſtus fore prædixit, per omnes prouincias exierit, vt bonis ad gloriam, malis ad pœnam ſit teſtimoniũ, finietur haud dubiè orbis, qui hoc vnum expectabat, vt Chri-

Lib.4.epiſt. | 1.Cor.10. | Matth.24. | Luc.18. | 2.Tim.3. & | In 24. cap. Matth.

ſti nomen longè latèque annunciaretur. Eapropter nihil me commouebit ac delectabit hic mundus, quicquid vnà cum ſuis illecebris, blandimentis, opibus & promiſsis oſtētet: ſed ego huius ærumnoſi incolatus, & miſerabilis peregrinationis ingenti tædio ductus, vt Propheta ſuſpirans exclamabo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quid enim præſens mundus, ſi verum fatebimur, dici viderique aliud poteſt, præterquàm ſedes Satanæ, peſtilentiæ locus, theſaurus errorum, bellorum ſeminarium, iniquitatis abundantia, charitatis gelu, piorum carcer, malorū lerna, & demum ex fraudibus conflata perditionis omnis officina? Egóne acri perpetuóque odio mundum inſecter, qui nunquàm antea impurior & ſceleratior, aduerſus Deum ipſum authorem iampridem cognitum adeò ſe contumacem rebellemq; ſeruum oſtendit, perinde ac ſi pudore omni poſito dicere videatur: *Nolite adſpicere nobis ea quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Quando mundus multis abhinc ſeculis tantum ſibi ſumpſit in ſacris, Chriſtiq; Redemptoris legatos tam perfricta fronte cōtempſit, ac eodem tempore tam multos & nefarios Antichriſti præcurſores extruſit? Quid ſupereſt obſecro, niſi vt mundi huius amatores, cùm breui pòſt potētem & ſuperbam ſuam ciuitatem Babylon vaſtatam adſpexerint, funeſtum illud carmen horrendo cum eiulatu decantent: *Væ, væ, ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudiciū tuum. Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.* Dolebo interim vehementer, rem in illas retrudi anguſtias, vt tunc vix pauci electorum ſuperſint, & Antichriſtus quidem contra ſanctos bellum crudeliſsimum gerat. *Datum eſt enim illi*, vt Ioannis verbis vtar, *bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam, & adorauerunt eam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* Quam

verò

verò beſtiam Ioannes appellat,is Paulo dicitur homo pecca-ti,in quo fons omnium peccatorum eſt,& filius perditionis, nullus vt magis perditus vnquàm fuerit è Satanæ filiis, qui non ſolùm Chriſto aduerſatur, & idcircò Antichriſtus dicitur, verùmetiam ſupra omne quod dicitur Deus, extollitur & colitur, vt probatam omnem veramque religionem ſuo calcet pede,Deique leges & cæremonias mutare audeat,ſicut Hieronymus aſſeuerat. Hunc ipſum Lactantius regem teterrimum,& mendaciorum Prophetam vocat, quem Chriſtus ipſe deſignans,non temerè Iudæis illud prædixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo,illum accipietis.* Hic ipſe licet homo ſit,fons tamē erit omnium peccatorum & filius diaboli, quia plenitudo diabolicæ poteſtatis & totius mali ingenij corporaliter in illo habitabit,in quo theſauri etiam omnes malitiæ & iniquitatis erunt abſconditi, vt Auguſtinus annotauit. Quis verò pius ex animo non lugeat, tam multos à vero Chriſto Chriſtiq; confeſsione & Eccleſia turmatim deſciſcere,totque ſeculorum teſtimoniis corroboratam veritatem turpiter abnegare, & per ſummam impietatem pro IESV Barrabam, pro Saluatore latronem, pro Chriſto demùm Antichriſtum vbiqùe gentium amplecti, ſuſcipere atque palàm adorare? O metuendum iuſti Dei iudicium, qui de ore ſuo ingratos, tepidos ac perfidos euomit, illudq; tandem complet, quod luculenter à Paulo ita prædictum habemus: *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris,vt credant mendacio:vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati.* Mittet autem Deus, quia, vt Auguſtinus loquitur,diabolum facere iſta permittet iuſto ipſius iudicio, quamuis faciat ille iniquo malignoque conſilio. Ideòq; iudicandi, vt Hieronymus docet,imò & condemnandi ſunt, quia Chriſti veritate contempta, poſtea mendacium,id eſt,Antichriſtum ſuſcepturi ſunt.] Væ porrò mihi,ſi tot modis à Chriſto præmonitus non vigilem diligenter, meumque non pręmuniam pectus ad ſummam tempeſtatē,

2.Theſſ.2.

In cap.7.Danielis.
Lib.7.de diuino præmi. cap.17.
Ioann.5.

In tractatu de Antichriſto.

Matth.27.

Apoc.3.
2.Theſſ.2.

Lib 20.de ciuitate Dei cap.19.

quæ natura tota cohorreſcente, mox ingruet, rectius excipiendam. Benedictus ille, qui vt fidiſſimum doctorem ageret, tam ſedulò nos omnes & ſingulos eſt inhortatus, nullus vt ſuam ſegnitiem & incogitantiam excuſare poſſit: *Attendite vobis* inquit, *nè fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina dies illa.* Nec multo pòſt: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.*

Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ.

QVANDOQVIDEM oportet hæreſes eſſe, quas modò ſupra modum paſſim inualuiſſe conſtat, vt qui probati ſunt manifeſti fiant, ſicut Apoſtolus tradidit, valdè mihi prouidẽdum eſt, vt præſens tempus hîc à Chriſto prædictũ, quo nos in fide tentat ac probat Deus, agnoſcam & obſeruem ſedulò. Vbi cumprimis dolebo ac mirabor admodum, clariſſimam Chriſti Domini prophetiam de ſectis, ſectarumq́; magiſtris in Eccleſia exorituris, qui verè ſunt Antichriſti præcurſores, hoc peſtilenti æuo tam parùm expendi, & cæcis velut oculis complurium præteriri. Quid enim apertius, quid cautius atque ſolidius Magiſter ille cœleſtis adferret præter iſtiuſmodi axiomata: *Videte nè quis vos ſeducat. Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus aut illic: nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.* Cum qua Chriſti oratione planè congruunt, quæ Iudas ex primis CHRISTI diſcipulis

vnus notauit, nimirùm vt ſimus memores verborum ab Apoſtolis Domini nobis prædictorum, *qui dicebant* inquit, *quoniam in nouiſſimis temporibus venient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregãt ſeſmetipſos, animales, ſpiritũ non habentes,* vt reliqua prętermittã. Quam ergò veniam aut excuſationem inconſtantiæ ſuæ illi poſſunt obtendere, qui de præſenti vaticinio, quod indies magis ac magis impletur, nullam ſuſtinent curam, & aduerſus fidam Chriſti præmonitionem ex veteri Eccleſia pro libidine ſua procurrunt, ad fidem nouandam ſe totos applicant, nec ſolùm ab Orthodoxa veritate auditum auertunt, ſed etiam ſibi magiſtros ad ſua deſideria coaceruant, ac demùm & veterum & nouorum errorum magiſtros cupidè amplectuntur, ac tantum non pro Chriſti Apoſtolis reuerentur? An vnquàm plures & audaciores prodierunt, in quibus dictum illud Apoſtolicum obtineret: *Mali homines & ſeductores proficiunt in peius, errantes & in errorem mittentes. Tu verò* (quiſquis es Orthodoxus) *permane in iis quæ didiciſti & credita ſunt tibi, vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Quàm ingens illorum eſt numerus quæſo, qui veram Eccleſiam nec videre, nec agnoſcere, nedum in ea Deo ſeruire & placere poſſunt, quandoquidem illam planè Mathematicam & inuiſibilem eſſe fingunt? Iam verò de ſeductoribus & ſeductis cauendis, deq; confirmanda & vindicanda Catholica fide in tot oppidis & prouinciis nulla cura & deliberatio ſeria ſuſcipitur, ſed bona pars hominum in ea hæret opinione, quam ſibi cum impiis Mahometanis habet hodie cõmunem, vt in ſua quemq; fide iuſtificari & ſaluari poſſe cõfidat.

2.Tim.3. & 4.

1.Tim.3.

Vbi meritò animaduertam, quod Chriſtus hoc loco verba quædam ex Daniele Propheta repetens, me quóq; docet de nõnullis obſeruandis, quæ ad verũ Scripturæ diuinæ ſenſum & vſum aſſequendũ haud parũ momẽti adferũt. Primũ enim indicat, regnum Dei nõ eſſe in ſermone, ſed in virtute, ſicut & Paulus adſtruit, nec oſcitanter, ſed ſolicitè verbum 1.Cor.4.

Dei

Dei legendum & ponderandum eſſe, vt genuinum ſenſum eius percipiamus. Hinc illa commonitio: *Qui legit, intelligat.* Complures enim Prophetica & Apoſtolica ſcripta non modò ſine fructu, ſed etiam cum offenſione legunt vel audiunt, quandoquidem quæ in Scripturis difficilia ſunt intellectu, ſicut Petrus confirmat, ad ſuam ipſorum perditionem deprauant. Vnde alibi quoque Chriſtus teſtatur, non omnibus datum eſſe noſſe myſterium regni Dei, ſed multis obtingere, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Deinde locus præſens, quem Chriſtus ex Daniele citat, variam interpretationem admittit, ſicut Græci ac Latini Theologi ſuis ſcriptis produnt, quando de abominatione deſolationis, de loco ſancto, deq; ſeptuaginta hebdomadis Danielis ad Chriſti aduentum applicandis ſua ſenſa depromunt. Tantum abeſt, vt ego in explicatione Scripturarum, cùm obſcura loca incidunt, vel mihi, vel nouis theologaſtris fidere, & contempto Eccleſię iudicio, proprium priuatumque ſenſum mordicus retinere debeam. Præclarè igitur in hoc ipſum Euangelium ante mille trecentos annos ſcripſit Origenes: Non debemus attendere ſingularum hæreſum prædicatoribus, qui dicunt, Ecce hîc eſt Chriſtus, non autem oſtendunt eum in Eccleſia, quæ plena eſt fulgore ab Oriente vſque ad Occidentem, quæ plena eſt lumine vero, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, in qua tota totus eſt aduentus filij hominis dicentis omnibus qui vbique ſunt: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi.*] Et ſtatim illud adiungit de nouis doctoribus: Quoties canonicas proferunt ſcripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum eſt veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis.] Etenim, vt idẽ Origenes alibi perſpicuè tradidit: Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat.] Et
53 o. Irenæo digna vox eſt: Omnia conſiſtunt ei, qui eſt Eccleſia-

ſticus.

ſticus. Vbi Eccleſia eſt, ibi & ſpiritus Dei, & omnis gratia.] Obſeruabo & illud in ſermone Chriſti propoſito, quantopere vnitatem & pacem ille diligat, omnemq́ue de fide diſſenſionem & nouitatem in ſuis auerſetur. *Nolite* inquit, *exire, nolite credere. Videte nè ſeducamini. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium.* Tanti refert, Apoſtolicum obſeruari præceptum vt eos declinemus, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam in vera Eccleſia perceptam faciunt, nec facilè illis fidem habere, qui pro ſuo arbitrio verbum Dei ſonant & interpretantur, nec interim Eccleſiam & in Eccleſiæ cathedra ſedentes audiunt & honorant, quemadmodum Chriſtus ipſe mandauit.

Quoniam verò multi multa hodie de Antichriſto ſpargunt, eoq́ue nomine turpiter abutuntur, meminero ſanè, hoc nomen aliquando eſſe generale, vt hæreſiarchas & ſæuos Eccleſiæ perſequutores deſignet, nonnunquàm & omnes ex Eccleſia exeuntes, ſeq́ue ab illius vnitate per hæreſin præſcindentes contineat. Nam & Ioannes Apoſtolus dicere non veretur, *Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt. Ex nobis prodierunt: ſed non erant ex nobis.* Vnde apparet, inquit Cyprianus, aduerſarios Chriſti Antichriſtos omnes eſſe, quos conſtat à charitate atq́ue ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ receſſiſſe.] Quàm diu ergò hęretici eſſe cœperũt, ex quibus primas tenet Simon ille Magus, qui ſe Chriſtum quoq́ue iactauit, tam diu Antichriſtis non caruit Eccleſia, inde ab ipſis nempè temporibus Apoſtolorum. Tot Antichriſti ſunt, ait Hieronymus, quot dogmata falſa.] Cæterùm in Scripturis frequentius, & apud Patres vſitatius eſt, hoc ipſum Antichriſti nomen certæ perſonæ tribui, crudeliſſimo nempè tyranno, ex Iudæorum populo, & de tribu Dan ſub mundi finem naſcituro, qui ſummam & impietatem & vaſtitatem Eccleſiæ Dei tandem illaturus eſt. Quàm fidos autem & ſtrenuos ille præcurſores hoc tempore habeat, qui dignũ tali principi aduentanti hoſpitium parent, ex multis conuinci facilè poteſt. Primùm enim leges ille Dei & cæremonias

Eccle-

peſtilenti Antichriſto aduentāti regnum apparare, & neſcio quem Atheiſmum inducere indefeſsè procurent. Neq́ue tamen intermittam, ſeductores & ſeductos vera proſequi charitate, quæ iuxta Chriſti legem inimicis quoq́ue debetur, & quacunq́ue ratione poſſum, de illis benè mereri ſtudebo, vt eorum nonnulli, ſicut Iudas Apoſtolus monuit, de igne rapiantur atq́ue ſaluentur, & ego ſupra capita illorum prunas congregem. Nitar & mihi ſumere, quod à Baſilio Magno, quum ab hæreticis exagitaretur, appoſitè dictū eſt: Quæ conuitia nobis non faciunt hæretici? quæ probra in nos non iaciunt? quæ tantum abeſt vt moleſtè feram, vt impiorum quidem hæreticorum iactura angar & mœream, conuitiis verò læter, & illis gratiam habeam.] Sed nihil erit mihi magis in votis, præterquàm vt optimo Redemtori Chriſto gratias agam ingentes, quòd hac ſua concione nō ſolùm Apoſtolos, ſed fideles etiam vniuerſos tam prudenter quàm ſalutariter inſtruxerit, ſimulq́ue pulcherrimum reliquerit exemplum, vt nosipſos cōmonefaciamus perſequutionis tēpore, vtq́; in fide & patientia nullo pacto vacillemus, ſed omnem iniuriā ac hoſtilem impetum maximè à fraudulentis hæreticis ac ſæuis tyrannis illatum fortiter ſuſtineamus ac generosè vincamus. Tunc enim vel maximè locum habent illæ ſententiæ: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum. In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras. Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Multoq́ue magis Chriſto vt vero Dauidis filio gratias agere debeo, qui immanem ac ſuperbum hoſtem Antichriſtum, perinde ac alterum Goliath, vi magna comprimet ac proſternet, ſuumq́ue populum afflictiſsimum in extremis periculis mirum in modum cōſeruabit atq́; defendet. Quod enim Propheta Regius pſalmo nonò deſcripſit, ad futuram illam Chriſti aduerſus Antichriſtū

victoriam propriè ſpectat, ſicut & Auguſtinus interpretatur. *Vides*, inquit Pſalmographus, *quoniam tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris & maligni: quaretur peccatum illius & non inuenietur.* Tum è ſcripturis veteres probant, Chriſtum non eſſe paſſurum, vt Antichriſtus diutius pios affligat quàm per mẽſes quadraginta duos, ſiue per triennium & ſex menſes: quando vt Paulus inquit, *reuelabitur ille iniquus quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*, nimirùm vt dictum illud Propheticum impleatur: *Iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Adeò fidum & potentem Chriſtum etiam tunc ſentient in atrociſsima perſequutione: *Quia niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos, dies illi breuiabuntur. Cùm enim iratus fueris*, inquit Habacuc, *miſericordiæ recordaberis.*

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſq; in Occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

QVANTO maior erit tribulatio ſæuiẽte Antichriſto, qui ſummam impietátem ac vaſtitatẽ Eccleſiis inferet, tanto pij ardẽtiore & iuſtiore Chriſti deſiderio tenebuntur, vt ipſe aduẽtu ſuo ſuccurrat afflictiſsimo populo, ac tam dirum tyrannum, qui ſuorum inimicorum dominabitur ad tẽpus, potẽti virtute proſternat. Mihi verò de hoc vltimo & glorioſo aduentu Domini ſępè multumq; cogitandũ eſt, vtpote qui huius vitæ malis omnibus finẽ imponet, & humanæ perfectæq; fœlicitatis verum præbebit exordium. Sicut autẽ fulgur ſubitò & inopinatè exit ab Oriente, & ſeſe ad Occidentem vſq; diffundit, vnico velut ictu illuminans omnia, ita & filij hominis aduẽtus ille poſtremus, ſicut clariſsima lux, ex improuiſo & conſpicuè apparebit omnibus, qui in Oriente & Occidẽte illo tempore victuri ſunt. Adeò enim ſplendebit accedẽs illa

Chriſti iudicis humanitas, vt omnia etiam occulta cordiū ſufficiat illuminare, ac lucidum incōparabilemq́; creare diem, qui dies Domini meritò appelletur. Vbi ſtatim Chriſtus hoc ſubiicit: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Atque hinc ego ſperabo & optabo illud adſpicere corpus, cuius virtute aquilarū, quę ſunt velut reginę volucrū, cōmunis, ingēs & ſpectabilis fiat cōgregatio, qualis antea nunquàm extitit. Quid autē inter omnia corpora illuſtrius, quid auguſtius, amabilius, admirabilius, magisq́; adorandum illo vno Chriſti corpore, quod Angelorū myriadibus circumdatū, omniq́; maieſtate plenū ex alto deſcendet, ſeq́; mortalibus omnibus ſtupendū in modum offeret contemplandū? *Veniet enim ille,* vt Ioānes inquit, *cum nubibus, & videbit eū omnis oculus, & qui eum pupugerūt.* Huius corporis virtute fiet, vt electorū corpora, quę terrę viſceribus incluſa, vel in cineres redacta, tot ſeculis latuerūt, ex omnibus mūdi partibus anguliſq́; collecta reuiuiſcant, imò & corporū glorificatorū dotes, pręſertim ſubtilitatē & agilitatem, tāquàm aquilæ induant & oſtendāt. Vt enim Iſaias prædixit, *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & nō laborabūt, ambulabunt & non deficiēt.* Sed Chriſti corpus ea mirum in modū alliciet, vt iā immortales incorruptiq́; facti, ſuo iure dicere poſſe videātur: *Poſt te curremus in odorē vnguentorum tuorū.* Vnde ſimul in nubibus rapientur, & Domino ſuo lętiſsimè obuiā ibunt, cumq́; illius corpore, velut ſuo proprio cibo, maximè libētiſsimèq́; coniungentur. Huc ſpectat illa Pauli oratio: *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgēt primùm: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus, obuiā Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.* O rem ſtupendam, ſed ſimul mihi quoq; deſiderabilē, in hac beata & glorioſa cōgregatione aquilarū verſari, & corpus hoc omnis corruptionis expers liberè ac lætè proferre, quod etiam aquilā leuitate & incorruptione præcellat, & in cœlū inſuper altiùs ſubleuari, & dotibus glorioſi corporis Chriſti ſine vllo negotio conformari poſsit. Nihil tale vel iuſto Henoch, cū tulit eū è medio Deus,

1. Cor. 4. & 7. 2. Cor. 1. Philipp. 1. & 2. 1. Theſſ. 5.

Apoc. 1.

Iſai. 40.

Cantic. 1.

1. Theſſ. 4.

Geneſ. 5.

vel Eliȩ, cùm in curru igneo vectus nuſquàm apparuit, vnquã cõtigit. Proinde quãtumuis acres dolorũ aculei pungant ac penetrent hoc corpus, quod velim nolim, mors tandẽ franget, fractumq́; in puluerẽ rediget, tamen certã & ingentẽ inde conſolationem capiã, quòd in ſummis etiã ærumnis, & in ipſa corporis animíq; ſeparatione fide ſecurus profiteri poſſim, ſicut Iob ſanctus me docuit: *Scio quòd Redẽptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meũ.* Sed & cũ Apoſtolo dicere non verebor: *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Deinde quod Chtiſtus de aquilis hîc loquitur, mihi anſam cogitandi, imò & deſiderandi tribuet, vt in hoc fragili mortaliq; corpore cõſtitutus, ad ordinem aquilatũ continenter adſpirẽ, & vnà ſpiritualibus aquilis tandẽ aggreger. Tales aquilæ ſunt, qui rebus terrenis, velut impuris & ſordidis relictis, animo in cœlũ libenter euolãt, ſpiritúq; feruenti cũ Dei filiis ducuntur & agũtur, obſeruantes Apoſtolicũ Canonẽ: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, nõ quæ ſuper terram.* Cũ talibus aquilis ego magis magiſq; dicere conſueſcã: *Noſtra cõuerſatio in cælis eſt. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Mihi viuere Chriſtus eſt: & mori lucrũ.* Sed & Ioannem Apoſtolũ, quoad licet, pro mea tenuitate imitari conabor, qui niſi ſolẽ iuſtitiȩ Chriſtũ, eiusq; diuinitatẽ longè acutiùs quàm alij diſcipuli cõplures, & irreuerberatis quaſi oculis cõſpexiſſet, cœleſtis aquilæ nomẽ & officium honeſtiſsimũ haudquaquã eſſet cõſequutus. *Beati autẽ mundi corde, quoniã ipſi* cũ hoc ipſo Ioãne, qui ob animi corporisq; caſtimoniam Chriſto mirificè placuit, *Deum videbũt*, & videntes amabũt, ſed & amãtes laudabunt incõprehenſibili modo. *Oculus enim nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus illis qui diligunt illũ.* Apoſtolo teſte. Optabo demũ ex illis eſſe aquilis, id eſt, ſelectis & ſpiritu ardẽtibus Dei filiis, qui cùm Chriſtũ eximiè

miè diligāt, ad Dominī ſui corpus, velut nobiliſsimū & ſaluberrimū animę cibū ſumendum, maiorē in modū anhelant, eumq; ſuauiſsimè percipere ſolēt. Eſt quippe Chriſtus hoſpes humaniſsimus, qui ſuos quaſi chariſsimos cōuiuas inuitans, quotidie in eccleſia loquitur: *Accipite & mãducate: hoc eſt corpus meū: hoc facite in meā cōmemorationē. Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternū. Edent autē pauperes* (ſcilicet ſpiritu) *& ſaturabūtur, & laudabunt Dominū*, vt regius Propheta prædixit. Idē enim Chriſti corpus, quod in cœlis aſſumptū, ad Patris dextrā ſedet, ac à beatis ſpiritibus clariſsimè cernitur, & deuotiſsimè adoratur, in ſancto Euchariſtiæ ſacramēto velatū nobis adeſt, & ſub panis ſpecie nobiſcū ad cōſummationē vſq; ſeculi manere, noſq; paſcere dignatur, vt vbíq; gentiū verus Emmanuel pręſens inueniatur. Tātóq; vberiores ego grarias agā Opt. maximo Redēptori, qui ſecundū vtrãq; naturā etiā in hoc exilio noſtro præſto eſſe pergit, & bonū vtiq; paſtorē exhibet, dū ſuas oues nō verbo tantū, ſed etiā carne & ſanguine ſuo mirabiliter paſcit, ſéq; ſupra omnē Eccleſiā caput oſtendit, illis interim & gratioſior & familiarior, qui ſe cū illo cōiungūt arctiùs, & velut in altū volātes aquilę, purius adhęrent dilecto, vnusq; cū illo ſpiritus quodāmodò efficiuntur. *Qui enim adhæret Domino, vnus cū illo eſt Spiritus*, vt Apoſtolus dixit. Sed quoniā in hoſce luctuoſos mundi fines, de quibus pręmonuit Chriſtus, incidimus, ex Auguſtino pauca ſubiiciā, quæ Orthodoxos afflictos præclarè inſtruāt, ac miſerando quidē hoc ſęculo conſolentur. Quomodo, inquit, appropinquāte fine mūdi abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas: ſic propter ipſas iniquitates nunquàm deerit aduerſitas. Hinc opus eſt, vt animos noſtros non ſolū ad pœnitentiā, ſed etiā ad patiētiam præparemus. Et quantū accedunt dies, tantū augentur tribulationes. Nemo ſibi promittat, quod Euangeliū non promittit. Nō nobis promittunt Scripturæ ſanctę in hoc ſęculo, niſi tribulationes, preſſuras, anguſtias, augmēta dolorū, abundantiā tentationū: ſicut & ipſe Dominus in Euāgelio dicit: *In mundo preſſurā habebitis.*] Nec multò poſt:

Cũ iam expectetur aduentus Sponſi ab omnibus, nos etiam illi obuiam exeamus, ſed cum lampadibus ardentibus, videlicet & oleo æterno, de gloria interiore, de conſcientiæ ſecuritate, de intima charitate.

PRECANDVS *eſt mihi Deus pro Antichriſti præcurſoribus, hoc eſt, præcipuis hæreticorum miniſtris, magiſtris ac patronis, vt viam veritatis blaſphemare, & populũ ſeducere, ac ſeductos obcæcare deſinant: quin potius, vt ex perſequutoribus confeſſores veræ fiant Eccleſiæ, nè alioquin, ſi veræ fidei deſertores ac inſectatores maneant, Satanas per illos, tanquàm electa organa ſua, operari pergat myſterium iniquitatis, & illi grauius cum ſummis Chriſti hoſtibus idcircò damnentur.*

ORABO *etiam pro Catholicis, qui religionis ergò perſequutionem haud leuem hodie ſuſtinent, multoq; amplius Antichriſti ſeculo ſuſtinebunt, vt nè illi propter hæreticorũ impoſturas & tyrannorum minas ac furores patiantur ſcandalum, neúe neceſſariam fidei ſcindant vnitatem, atq; ita vt deteſtandi apoſtatæ & maledicti perditionis filij, pereant in ſempiternum.*

PETAM *& mihi gratiam dari ad fidẽ Catholicam non ſolũ in animo, ſed etiam corã aliis liberè intrepidèq; profitendam, quã ſi neceſſe ſit, contẽpto etiã corpore & profuſo ſanguine cõprobem. Sic enim Apoſtolus monuit:* Recogitate eũ fidei authorem & conſummatorẽ IESVM, qui talẽ ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionẽ: vt nè fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis.

IN *Dominica* XXVI. *ſi quando ea celebrabitur, idẽ repetitur Euangelium quod ex capite ſexto Ioannis Dominica Lætare ſuprà propoſitum, ſuiſq; Notis illuſtratum extat.*

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ θεόν. Hoc eſt: Agendorum initium ſit & finis, DEVS. Gregor. Nazianzenus.

INDEX

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERUM IN HOC OPERE *magis memorabilium.*

A

ABRAHAE ſinus quid pagina 759
Abſtinentia & ieiunium differunt 316
Abuſus creaturarum vitandus 862
Adæ peccatum ipſi & toti nocuit poſteritati 285
Adoratio & cultus Dei cur in quibuſdam locis frequentiùs exerceatur 939
Aduentus Domini ab Eccleſia inſtitutus, & religioſè celebrandus eſt 27. cur ita dictus 40. quid in illo meditandum 29. frequenter de illo Prophetæ admonent 41. quàm ſit vtilis hæc obſeruatio 28. 138. quid nobis Aduentus tempore faciendum 59
Aduentus Chriſti primus & vltimus differunt 679. vltimus erit repentinus 1152
AEgritudo & afflictio multis eſt ſæpè ſalutaris 1076
Afflictis & mœrentibus quæ debeant eſſe conſolationi 549
Aliméta corporis quomodo capiéda 1017
Alleluia cur à Septuageſima vſque ad Paſcha intermittatur 284
Ambitioſorum ingenium & natura 181
Amicis læta & triſtia communicanda 561
Amicitia huius mundi fallax 505
Amor Dei magnus erga genus humanum 672. qui & ad redamandum nos inuitat 674. 655. amor Dei ex quibus beneficiis cognoſcatur 752.753 Amare Deum homini non eſt impoſſibile 961
Angeli cuſtodes hominum 861. & nobis inuocandi 896. qui de ſalute hominum ſunt ſolliciti 118
Anima hominis eſt immortalis 774
Antichriſti nomen quibus competat 1149. quomodo Paulus Antichriſtum deſcribat 1145. quando ſit ille venturus 1138. quænam facturus 1108. quamdiu regnaturus 1152
Aquæ benedictæ aſperſio cur Dominicis diebus adhibeatur 18. & quòd nos moneat de baptiſmo 19.707
Aquilæ ſpirituales qui cenſendi 1154. aquilis Chriſtus & corpora glorificata conferuntur 1153
Arrogantiæ ſpiritus planè cauendus 92
Aſcenſio Chriſti reliquarum eius ſolénitatum eſt conſummatio 587. probatque nobis fiduciam æternæ vitæ conſequendæ 797
Auaritiæ vitium homini peſtilens & deteſtabile 986. quòd Reipub. gubernatoribus inprimis fugiendum 988. auaris Deus grauiter interminatur 989

B

BAptiſmum cur ſuſceperit Chriſtus 189. de Baptiſmi neceſſitate & dignitate 706.708. Baptiſmus valet etiam ab hæretico collatus 709. baptizandos eſſe paruulos 709. Baptiſmi mrmoria ſæpè nobis renouanda 18.189. in baptiſmo quid patrini faciant 708. de baptiſmi fructu & effectu 780
Beatitudo futura homines in cruce ſolatur 69 ad illam mortalibus adſpirandū 712. de illa conſequenda ſollicitos eſſe conuenit 789. qui ſeipſos ptiuent beatitudine 786. requirit à nobis obſeruationem legis 280.191.707
Beneficia varia Deus conrulit & confert mortalibus 861. ſed his plurimi abutuntur 862. beneficiorum Dei recordatio nos ad amandum Deum prouocat 1038
Bethlehem Chriſti patria commendatur, & quomodo de illa ſit nobis meditandū 123 paſtores Bethlehemitæ primi de na-

uduunt, & illum inuiſunt 129
t etiam futuros paſtores ec- 120
affliguntur 77.179. nec abu-
us bonis, Deuſq; mala in bo-
uertit 80
nia quæ fecit Deus 942
ritualium & tẽporalium col-
bonorum temporalium amor
ſit homini peſtilens 990. ni-
m cura inanis & periculoſa
ctus incertus 988. bona tem
omittit & donat Deus fidelj- 992

C

s præſtat coniugio 212
varie commendatur 347. & ſe
omodo illa nobis imitãda 345.

tus neceſſaria, & aliarum prin-
.957. eſt veſtis nuptialis, oleũ
, ignis inextinguibilis 1035.
ia eſt caritas viæ, alia patriæ
tas Chriſti erga Iudæos & ho-
, nobis imitanda 395.396.199.
ritatis præceptum eſt caput om
eceptorum 957. Caritas erga
m commendatur 810.812. ca-
ncula ſoluentes quibus conſe-
102. caritas quàm induſtria & 1049
irginum & viduarum in pretio
148. caſtitas quibus modis cõ- 149
quale teſtimonium debeant fer
ſtianæ veritati 620.621. Catho-
i ab hæreticis differunt 870
euangelicus laudatur, & quid
ceat 230
iæ eccleſiaſticæ non ſunt negli-
99. amauit & ſeruauit illas Chri
i & quaſdam inſtituit 145. ſeruan
b Apoſtolis 946. cur & nobis il-
ccleſia retinendæ 945.948
verus Deus & homo 148. 128.
Chriſti aduentus vtilis mundo &
arius 128 138. prodeſt iunioribus
oribus. ibid. Chriſtus quomodo
r primogenitus 126. Chriſti na-
tiuitas honoranda, & quę circa illã notanda & agenda ſint 99. & ſeq. 59. de Chriſto paruulo eiuſque matre 107. & ſeq.

Chriſti circumciſio fuit præludium cruenti ſacrificij 155. quid per eam doceamur 156. de Chriſto à Magis inuento & adorato 165. & ſeq. de Chriſto à Simeone prædicato 141. quomodo ſit poſitus multis in ruinã & reſurrectionem 142. de Chriſto duodenni in templo reperto 199. & ſeq. de obedientia eius erga parentes 205. de eiuſdem innocentia 384. de baptiſmo eius 189. quòd auſterè vixit & ſolitariam vitam probauit 328. tentatus victor eſt Satanæ 329. de miraculo in nuptiis 213. de aliis miraculis 78. cur in vno ægroto curãdo mediis diuerſis vtatur 944. qui adhuc facit miracula in eccleſia 589. 1008.

Chriſtus omnia ſuo tempore & ordine fecit 153. varios labores hominum cauſa ſuſcepit 135. eſt verè Meſſias, liberans & ſanans populum ſuum 221. verus paſtor 685. nec tantùm redemptor cui fidamus, ſed etiam legiſlator cui pareamus 840. qui ſuos miſericorditer aſpicit & paſcit 856. 863. ſuos etiam ad crucem & calicem vocat 182. habuit de more oculos demiſſos, graues ac humiles 370. ingens eius caritas erga Iudæos, quam in Euchariſtia excellenter oſtendit 414. quamque ſub mortem magis prodidit 409. 410. voluit eſſe peregrinus 492. ac princeps, doctor & procurator pacis, fiduſque conſolator 546. & ſeq.

Chriſtus in paſſione ſua virtutes varias docuit 427. & ſeq. cur ad inferos deſcenderit 453. 599. De reſurrectione eius 465. & ſeq. Reſurrectio eius cauſa efficiens & exemplaris fuit noſtræ reſurrectionis 479. 480. Ad patrem abiturus quæ mãdata dederit diſcipulis 592. cur ſuos in ipſo diſceſſu arguerit ibid. eius honor & gloria in aſcenſione 604. 487. 497. 599. quid aſcenſione ſua meruerit fidelibus 660. quæ dona impetrârit Eccleſiæ, & quæ ab illo ad dextrã

Patris ſedente petenda 611. 613. quàm glorioſè venturus ſit iudex 1153.
Chriſti cognitio & fides ſemper fuit homini neceſſaria 953. non ſolùm eius miſericordia nobis ampleƈtenda, ſed & iuſtitia timenda eſt 62. nec ſolùm ipſe eſt propitiatio noſtra, ſed exemplar etiam, dux & vexillifer mortalium 124. Chriſtus legifer noſter eſt, & in quibus loquens velit audiri 1109. Chriſti capitis vnio cum corpore ſuo myſtico 360. & ſeq. habet ſemper ſuos fidos profeſſores ac teſtes 363. ſicut & matres ſpirituales 365. laudari vult in ſe, ac ſimul in ſanƈtis ſuis 364. ipſi cura de nobis eſt certiſſima, fidiſſima, vereque paterna 373. ipſe mortuos adhuc ſuſcitat 999. nec deſinit adhuc in eccleſia per Sanƈtos & eorum reliquias, aliiſque modis operari 589. 1131
Cibus triplex à Chriſto petendus 865. 866. ciborum & vitiorum ieiuniũ coniunƈtim exigit eccleſia 323. quod nobis ſeruandum eſt exemplo Sanƈtorum 319 320. Ciborum deleƈtum & ieiuniũ tollere, proprium eſt Aërianorum 7. 17. Ciborum abſtinentiam hodie complures oppugnant, & pauci ſeruant 332
Cicatrices vulnerum cur Chriſtus reſurgens & aſcendens in corpore ſibi reſeruat 525. 522
Cinerum cerimonia quid ſibi velit, & Cinerum dies in eccleſia honorandus 320
Circumciſio ſpiritualis cuiq; neceſſaria, habetque typum ſuum in veteri circunciſione corporali 152. 157
Cœcitas ingens humani cordis 307. de ſpirituali cæcitate ibid.
Cœnæ Domini dies cur vocetur 413. quæ myſteria eo die per Chriſtum geſta ſint 410. & ſeq. cur idem nobis reuerenter habendus ob percepta beneficia ibid.
Cogitationes etiam hominem facilè inquinant 848. illarum conſenſus pro factis à Deo reputatur, ibid. prauis cogitationibus & affeƈtionibus quiſque debet reſiſtere 849
Concupiſcentia in renatis manet, & ne noceat, ei ſemper eſt reſiſtendum 844
Coniugium Chriſtianũm quando & q modo laudabile iudicandum 109. ſine precatione illud exordiendum honorat Chriſtus primo ſuo mirac coniugium 212. quidnam de illo cat licè confitendum, ibidem. qui coniu maximè deplorandi 214. Coniugi quoſdam in via ſalutis impedit
Conſolationes ſpirituales non omni proſunt 182. eſtque illis moderatè pienter vtendum i
Conuiuium adire non eſt illicitum quomodo Chriſtus ſe in conuiuio ſerit, & nos illum ſequi debeamus il conuiuij nuptialis de quo Chriſtus git, quæ ſint fercula ſpiritualia inuitati autem duplici genere vitior impediuntur 1066. qui ſint item mi ſtri ad conuiuas vocãdos deſtinati
Corpus Chriſti glorioſè deſcendet & parebit in iudicio, & in corporibus ƈtorum mirè operabitur
Corporis Chriſti Feſtum ſolenniter & externo religionis cultu celebrand 724. Reliqua de hoc Sacramento v in Verbo Euchariſtia.
Correptionis diuinæ in homine ſunt e ƈtus varij 1078. corripit Chriſtus in de vacillantes 496. 495.
Crucis ſigno frontem ritè conſignan 710. crucis ſignaculum armatura eſt tra dæmones 507. Crucis amor eſt ſera & ſymbolum eleƈtorum 124. ces & tribulationes patienter ferer ſunt Chriſtiano 969. 769. in iis viſ Dei manus agnoſcenda 1055.
Cultu externo Chriſtus in Miſſa reƈtè noratur 51. cultus etiam ſpontaneu iniuſſus, quem Fideles exhibent, placet 52. 726. & ſeq. cultus diuin ſim refrixit 403. & quomodo ille rec tegrandus
Curioſitas vt noxia viranda 591. exem punitæ à Deo curioſitatis, ibidem. circa diuina myſteria inprimis caue 474

D

DÆmonum affeƈtio praua in homi ac illorum inſidiæ 356. 357. dæ

æ,arma & artes 360. qui bel-
hominibus perpetuum gerũt
Dei & hominum hoſtes capi-
. nihil tamen mali inuitis no-
Deo contradicente poſſunt in-
contra hos nobis eſt pugnan-
armis,quibus in deſerto Chri
ſus cùm tentaretur 335. de eo-
utia & nequitia,qui totũ mun-
ucunt 357. & deinceps.
r multi credentium, & qua de
170
Fideles à nobis lugeri poſſunt
illorum corpora ſunt honeſtè
, ibid. ſed & eorum memoria
enda, & pro illis orandum, &
um offerendum, ac eleemoſy-
pauperibus erogandæ 744
eſt cauſa peccati 783. licet aliis
, aliis terribilis ac durus eſſe
r 806. Dei liberalitas ac ma-
tia in mortales eſt ingens 888.
aignitas ex quibus potiſſimum
1061. Dei proprium eſt pœni-
n gemitus & opera intueri 1098.
uſdam locis & templis efficaciùs
ur,ſeque præſentem & fauentem
t 938
mo diligere poteſt, quí non an-
que proximum diligat 1028. di-
us Deus in ſe,& propter ſe,& ſu-
nia, proximus autem in Deo, &
r Deum 128. quis ordo ſit dili-
Deum 1037.quid ſit diligere Deũ
corde,tota anima, & tota men-
. dilectionis de Deo præceptum
ximum,ſummamque totius legis
phetarum complectitur 1028. di-
Dei cum fide iuncta Chriſtianam
lionem perficit,ibid.indicia & ſi-
ilectionis Dei ſunt odium ac de-
o peccati,obedientia, & crucis to
ia 1038
breuis potentia,gloria,iucundi-
4. de periculis diuitum qui epu-
n illum ſequuntur 765.773. diui-
uales erga pauperes ſe gerere de-
, ibid. diuitibus Chriſtus ſeuerus
r fuit 764 pauperum cura diuiti-
bus maximè cõmendata eſt 897.alienis
bonis inprimis ſe abſtineant 766
Doctrina Fidei debet in nobis eſſe conſtã 196. neque tam vita quàm doctrina miniſtrorum ſpectanda venit 178.doctrina euangelica grano ſinapis comparatur 258. ſicut & fermento 267
Dominicus dies vnde dictus 12.Dominici & Sabbati Iudaici collatio 13. triplex Dei beneficiũ cum gratiar.actione tunc recolendum 13.15.quomodo hic dies vtiliter & piè ſit celebrandus 12. nempe vt precationi,lectioni,miſericordiæque ſpirituali & corporali homo vacet expeditè 19.20.quid exigant ſacra Concilia, vt Dominicus dignis pietatis officiis ritè tranſigatur 21
Dormit vterque magiſtratus hoc tempore non ſine magno Eccleſiæ detrimento 89.88.250.252

E

Eccleſia comparatur arce Noë & nauiculæ Petri 235. grano ſinapis 266. & electæ vineæ 274. quæ bonos & malos in ſe continet 254.1058. aſſiduam & ingentem eius curã gerit Deus 274.Nauclerus eius eſt Chriſtus fidus ac potens 236. ſemper illa defenditur contra hoſtes,ita vt conatus hoſtiles in eius quoque cõmodum vertantur 241.De vnitate & laude Eccleſiæ 236.poteſtas eius ciuili eſt pręſtantior 1117.extra Eccleſiam nulli ſalus æterna contingit 568. Eccleſiam veram apud ſe eſſe falsò iactant hæretici 511.Eccleſiæ fides & oratio hominibus plurimũ confert 1047. Eccleſiæ immunitas minimè violãda 1118.Eccleſiæ vnus paſtor Chriſti loco præeſt 824
Electi ad vitam æternam ſunt pauci 282. 788.979. & cur paruus ſit eorum numerus 1059
Eleemoſyna quid ſit 815.de variis eius generibus 806. eſt illa de veteri more inprimis Dominico die tribuẽda 20. ſemperque magni facienda 897. quæ diſponit hominem ad pœnitentiam 899. remedium eſt peccatorum, fructusq; habet ſeu effectus inſignes, ibid. & 898
Epiſcoporũ poteſtas ampla eſt,quibus po

litici magiſtratus debent cedere & obedire, cū ſint diuinitùs inſtituti ad Eccleſiæ gubernationem in ſpiritualibus, curamq; animarum 1010.1017.1018. penes ipſos eſt poteſtas non modò iubēdi, ſed etiā rebelles excōmunicādi 624. & ſeq.
Epiphaniæ feſtū varie nominatur, in quo tria myſteria maximè celebrantur, præſertim vocatio gentium 162. quanta huius feſti ſit celebritas 173. & ſeq.
Euangelij nomine quid intelligendū 593 euangelium nulli promittit ac largitur beatitudinem ſine obſeruatione præceptorum 841. multi iactant euangelium, & carnalem ex eo libertatem exſtruunt 1010.1019. quid ſibi velit, Prædicate Euangelium omni creaturæ 593
Euchariſtiæ Sacramentum à quo inſtitutum 378. 719. eſt maximè colendum & adorandum 413. 414. nec refert ſiue per dignos, ſiue indignos ſacerdotes populo exhibeatur 378 pro huius Sacramenti inſtitutione gratiæ Deo peculiariter agendæ, quod verè dicitur & eſt fidei myſterium 730
Euchariſtiæ Sacramentū percipiēdum cū legitima præparatione, & quæ illa ſit 416.417. Euchariſtiæ fructus & effectus qui ſint 716.751.757. nec eſt opus Laicis hoc Sacramentum ſub vtraq; ſpecie ſumere 717. reuerenter autem ſumēda eſt 740.755.799. atque Chriſtus illic per latriam adorandus 184. qu & verè præſens eſt cum Corpore & Sanguine, cum Anima & Diuinitate 216. De Euchariſtia varij hæreticorū errores hodie graſſantur 747. habetq; iſtud Sacramētum multos crudeles atq; cōtumelioſos aduerſarios 748. pericula & pœnę illorum qui euchariſtiam indignè tractāt aut ſumunt 745. nec ſolū hoc Sacramentum agnoſcendum atq; ſumendum, ſed etiā iuge mundumq; Sacrificiū ad altare offerendū debet celebrari 733. quales euchariſtiæ miniſtros eſſe conueniat 741. orandum pro ſumentibus eā, pręſertim indignis & ingratis 380 Chriſt⁹ in Emmaus hoc Sacramentum iuxta Patrum ſententiam diſpenſauit 501. Feſtū proprium huic Sacramento cum exter cultu laudabiliter obſeruatur 4
Euangeliū nobis promittit tribulatione & ob illas exigit pœnitentiam & pati tiam 1
Excōmunicandi poteſtas non modò Sy gogæ veteri, ſed etiam Eccleſiæ data 624. vſi ſunt illa etiam Apoſtoli 625. t ſtantur de illa quoq; Patres, & Epiſc pis illam tribuunt, ibid. & 626. vbi p teſtas hęc fundata ſit, quā Hęretici ſp nunt 626. quid agendum ſit excōm nicatis, quos omninò Catholici debe vitare ib

F

FAmes eſt ingens Dei plaga, quæ nōnu quàm electis irrogatur 865. quid ag dum tempore famis 864.8
Fato ſigniſque cœleſtibus culpa tribui poteſt 782.9
Feſti dies varij cur primū inſtituti, & q in illis agēdum ſit Fidelibus 2 942. ab Eccleſia obſeruētur 4. quod perue ab hæreticis contēnantur 5.6. de ill vtilitate, ſi ritè ſeruētur 4. nēpe cū ſ tu 708. cū lectione & meditatione ſ tuali 9.10. 859. decet in feſtis nos c loqui de rebus ſpiritualibus, & or peculiariter 4
Fides ad ſalutē non ſufficit 670. neq; ſ iuſtificat 82.94.676.841.920. eſt ta radix bonorū operū 670. 981. nec mittit ſed reſpuit carnis & mūdi iud 670.702.704. fides catholica vt ſal debet eſſe formata & fundata in fide atq; Chriſti Mediatoris 679. & adi requirit opera 231.954.956. fides ca lica quibus reb⁹ cōfortetur & augea 1085. Fides in Chriſtū Mediatorē pœnitētia hominis nō remittit pec 803. Fidei iuſtificantis opera quęnā 1086. qualē fidē nunc fingāt ac pdi hæretici, ibid. fidē nēpe ſpecialē à C ſto reiectā 1130. qualem fidē Chriſti dēs miracula exigebat 1130. in ſua q; Fide ſaluari putāt Mahometani Fidei & religionis cauſę nō à Laicis à Sacerdotib. iudicādę ſunt 177.88 fidei conſtantia maximè neceſſaria 91. Fides aliena ad varia beneficia

confert,eaque Chriſtus dele- 350.940.1047
cruce Deus conſolatur 240
Chriſto habenda, cùm deſunt eſſaria 859.864
naioribus multum deferre de-. quænam bona illis imitanda, iala deuitanda,ibid. filij in fide m vel offerentium rectè bapti- 350
hriſti quid nos doceat 1132
nagna eſt inconſtantia 390.397

G

n perfectum in quo conſiſtat
conuerſio ad fidem, à Prophetis a, & in Magis impleri cœpta eſt . de vocatione Gentium fideliũ elium 192. Gentes etiam abu- ratia per Chriſtum accepta 194
laus humana moderatè admit- 97. immò & contemnẽda vti vi- caduca,ibid. gloriandum in ſola Chriſti 398
Euangelicam nobis offert Deus r gratiam Dei multa poteſt ho- ne illa nihil 93. gratiæ Dei coo- lumeis, qui ſunt conducti in vi- 272
linem Deo debemus, & quomo- beneficiis agendæ gratiæ 376. atię Chriſto debentur pro bene- ccleſiæ exhibitis 977.gratitudi- lcrum exemplum præbuit lepro- marites 976

H

orrhoiſſæ fides,eximięque virtu- 1128.1129. quæ curata ſe Chri- tam exhibuit, & ſtatuam illi po- 1132
os in Eccleſia futuros Scriptura onuit 872. ſunt operarij ſubdoli leproſis meritò cõferuntur 970. que fugiendi, qui nec diſputando ntur 676. 872. 896. 1105. nullus s conſenſus dogmatum, nulla fi- nſtantia 658. 89. illorum eſt be- ta & facta Catholicorum in ſuam cié defraudare 818. Hæretici Spi- ritum ſanctum impugnante 660. & illi vim inferunt 659. multosque ſpargunt errores de ſacra Euchariſtia 747. de Scriptura cũ illis non ineunda concertatio 872. à quibus notis agnoſcantur 686. Hæreſum cauſa ſummi Sacerdotis contemptus eſt 834. Sunt Antichriſti præcurſores 1146. illorum miſeranda eſt cæcitas 496. curioſitas noxia in illis ſciendi diſcendique 1031. talionis pœna plectuntur diuinitùs 1068
Homo carnalis & ſpiritualis differũt 701. hominis boni & mali fructus differentes 880. homo eſt ſimilis leproſo 225
Hoſpitalitas commendatur 298
Humanitatis Chriſti in operando magna vis, nec ſolùm in ſe, ſed etiam in Sanctis ſuis præclara efficit 1131
Humilitatis virtus prædicatur 401. 1024. quàm latè pateat vſus eius 1023. exemplum eius præbet Chriſtus 412.413.49. præbent & Apoſtoli 831. veræ humilitati quæ aduerſentur 1028. humilitas ficta & vera differunt 1023. & quæ veræ ſint contraria 1026. humiliatione humilitatis virtus acquiritur 1025. eſt ſpiritualis ædificij fundamentum 929. ad illam ſpectat hominem de ſeipſo abiectè ſentire 91.92. illam tria in homine nutriunt 1090. quibus mediis acquiratur 930
Hypocriſis cuique noxia 1113. in bonis etiam operibus cauenda eſt 314. hypocriſis & hypocriticum ieiunium à Chriſto taxatur 315
Hypocrita facilè dicta & facta aliorum iudicat 818. hypocritarum nomẽ in quos Chriſtianos hodie competat 1111. hypocritarum natura 1107. hypocrita omnis fugiendus 1080.1114. hypocritarum Iudaicorum & Sectariorum diuerſa ſtudia 812

I

IDolorum, non autem piarum imaginum vſus damnatus eſt 1133. iconoclaſtas damnat Eccleſia ibid.
Ieiunium & abſtinentia differunt 316. ieiunare eſt plus quàm à peccatis continere 148. ieiuniis vacandum non more

hypo-

hypocritarum 311. ieiunium indicere poteſt magiſtratus 319.312 313. ieiunio viria refrenantur 318. & eius vtilitates 318.319.ſalutare eſt antidotum,in Scripturis habens præceptum & præmium 330.331. cum ieiunio iungenda eſt oratio ſecundùm Chriſti & Sanctorũ exemplum 343. iungenda & pœnitentia 325. & ſimul miſericordia 344. iungendum ſpirituale ieiunium cum corporali 320. ieiunij vtilitas 318.319.341.342

Ieiunium Quadrageſimale quàm vetus & probatum 313.331. quod cum alacritate ſuſcipiendum 314. abuſus circa hoc ieiunium occurrunt varij 315

Ieruſalem variis nominibus appellatur, vrbs valde florens & celebris, Eccleſiæ figura, cœleſtis patriæ typus, à Chriſto amata & deplorata 907. & miſerãdum in modum deſtructa ibid.

IESV nomen venerabile, potens, magnaque religione proſequendum & inuocandum mortalibus 201. à Prophetis prædictum 152

Ignorantia & neglectus diuinæ viſitationis malorum ferè omnium fons, & bonorum deprædatrix 915

Imagines Chriſti & Sanctorum ſic honorandæ, vt cultus illarum ad prototypũ referatur 1133

Incredulitas à Chriſto reprehenſa 496. 495 589. & diuinitùs ſæpè punita 590

Infirmis Dei manus eſt agnoſcenda 1055. infirmis ſpiritualiter remedia ſunt adhibenda 1083

Ingratitudo hominum ingens deſcribitur 680.978

Innocentia noſtra longè diſtat à Chriſti innocentia, & qualis eſſe debeat 385. 386

Interceſſio aliena multum valet 1044. interceſſores apud Deum fidos rectè deligimus 1504

Inuidiæ deſcriptio, & eius filiæ 1014. inuidorum exempla varia 1015. inuidiæ opponenda ſunt officia caritatis 1015. 1016

Ioannis Baptiſtæ laus 74. de officio eius & pœnitentia 81.84. quæ illius conſtantia 90. differt baptiſmus eius à Chriſti baptiſmo 806. Spiritus ſancti gratiã ſemper ille conſeruauit & auxit 666

Iohannes Apoſtolus verè aquila 1154

Ioſeph Mariæ ſponſus laudatur 35.121

Iudæi gentibus aliis ingratiores 1065

Iudicandi facultas de aliorum factis quibus conueniat 818. iudicia de proximo temeraria & ſiniſtra ſunt fugienda 817. iudicium de fide & religione non eſt penes Laicos, ſed Sacerdotes & Eccleſiã 511.177 88.89

Iudiciùm Chriſti eſt generale & particulare 889. generale futurum Dominico die 24. & metuẽdum omnibus 44. 679. 774.1142. particulare iudicium quotidie nobis exſpectandum, & in illo de quibus ſit ratio reddenda 66.890

Iuſtificatio gratiæ Dei tribuenda, ſine qua nullus aſſequitur veniam peccatorum: ſed hoc opus Dei requirit etiam conatum hominis 928. iuſtificatio publicani exemplar eſt omnis impij iuſtificandi 928. iuſtificandus non debet certò ſtatuere peccata ſibi remitti, ſeque prædeſtinatum eſſe 929 iuſtificatorum eſt nõ ſecundùm carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare 842

Iuſtitiã eſſe non poteſt, vbi non eſt ſana fides 889. quænam iuſtitia laudetur à Chriſto 840. iuſtitia Chriſtiana commendatur 838. illa non in ſola fide conſiſtit, & alia eſt quàm Phariſæorum fuit iuſtitia 920. 839. iuſtitiæ nomen generale eſt, virtutem omnem comprehendens, & neceſſaria eſt quærenti regnum Dei 994. quinam in Scriptura iuſti dicantur, ibidem. iuſtitia humilis & tecta Deo à nobis præſtanda eſt 966

Iuuentus quæ vitia cauere, & quas virtutes ſectari debeat 203

L

LAborandum eſt in vinea Domini, non otiandum 277

Laicis nõ de fide diſputare & contendere, multòque minùs decernere conuenit 177. 88

Leproſi cur à Chriſto mittuntur ad Sacerdotes, & eorum iudicio ſubiiciuntur

. leproſus mundatus rediit ad
m, ſeque illi valde gratum præ-
quid per ipſum doceamur 979.
nne peccatum in orbe, ſed hæ-
ximè ſignificat 229. ad lepram
n orbe curandam de cœlo Chri
ſus eſt 968
i inſtitutio res magni momenti
ldè curanda 200. Ad liberorum
i quæ ſpectent 201
Patrum Chriſtus viſitauit, & in-
as piorum liberauit 591
lli eſt abutendum 798
rcrem & probarum habêt vſum
ſia 576.577. litaniæ & proceſ-
ur in Eccleſia inſtitutæ 577. pro
rebus maximè precandum tem
aniarum 585
o defunctos Fideles moderatus
hibetur 1134. Qui maximè ſint
i hoc tempore 1137
aces, & ouina veſte tecti quinam
lo dicantur 872. & deinceps. cur
ioſè nobis vitandi 874.875 541

M

Chriſtum paruulum adorãtes vi-
tur Reges fuiſſe 163.167. fides il-
admiranda 166.186. de muneri-
orũ tribus oblatis Chriſto 164
uid nos doceant exemplo ſuo 187
orpora quò deuenerint 163. quòd
miriæ Gentium 175. & ſeq.
rus à Deo eſt inſtitutus 1116. ma-
ibus, & præſertim Cæſari quid
umque tribuendum, nempe ho-
bedientia, orario, vectigal 1115.
nagiſtratui Eccleſiaſtico permul-
ebent cum ſubditis etiam Prin-
quia Politico anteponendus 1117.
ratus eſt proprium fidem & pie-
omnem conſeruare ac propagare
ſubditos 1084. magiſtratui eccle-
o non obedi:e fons eſt malorum
um 1120. magiſtratus eccleſiaſti-
o ſanæ fidei confeſſionem hodie
m exagitatur 556
a iniquitatis deſcribitur 988
udo Chriſti grandis erga hoſtes

384. illamque docentur ab illo Fideles
385. manſuetudo noſtra procul à Chri-
ſti diſtat manſuetudine ibidem
Maria virtutum omnium exemplar 44.
virginitatem ſanctè vouit, ibid. in par-
tu virgo permãſit 102. ſine dolore Chri
ſtum peperit 108. quomodo in Chriſti
ortu conſideranda 109.110.111. agendæ
illi gratiæ vt Deiparæ 111. quomodo ani
mam eius gladius pertranſierit 144.145.
quomodo erga Chriſtum ſe geſſerit, &
nos etiam erga ipſum gerere doceat 134
364. cultu ſingulari veneranda eſt 364
Mercenarij qui à Chriſto dicantur 562
Meſſias à Iudæis fruſtra exſpectatur 706.
Meſſiam Abraham cæterique Reges,
Prophetæ & Iuſti deſiderarunt 389. e-
ius deſiderium in nobis etiã debet ex-
citari, præſertim in meditatione Domi
nicæ paſſionis 390. Meſſiæ officium 492
Miraculorum patrator maximus eſt Chri
ſtus, ſicut & Ioſephus comprobat 491.
nec ſolùm in ſe facit miracula, ſed etiã
per viuos & aliquando defunctos Fide-
les, eorumque Reliquias 78. miraculis
per varias ætates illuſtrat Eccleſiã 589.
& quænam illa ſint 1009.1010
Miſericordiam Dei multi vanè conſide-
rant, relicta iuſtitia 678.912. quæ illi
iungenda eſt 1097.1096. miſericordiæ
Dei proprium eſt peccatorum veniam
concedere, & debitorum pœnas relaxa-
re 1091. hanc miſericordiam qui ſint
experti, ibid, & ſeq. qui eãdem abutan-
tur 1093.1097. Illâ rectè vtuntur qui
dolorem & confeſſionem peccatorum
adferunt 1003. miſericordia eſt carita-
tis filia, & homine Chriſtiano digna
808. Dei miſericordia in homines exi-
mia, ibid. miſericordiæ opera in iudicio
Chriſti exigentur ab omnibus 815. mi-
ſericordiam Dei ſubinde Dauid cele-
brat, quæ ad pœnitentiã prouocat pec-
catorem 1092
Miſſæ Sacrificium à Chriſto inſtitutum
734, & ſeq. in hoc Sacrificio ad ſuos fi-
deles venit quotidie Chriſtus 71. hoc
Sacrificiũ eſt oblatio propitiatoria 735.
de illo teſtantur Patres, ibid. quomodo
Chri-

Chriſtus in iſto Sacrificio nobis adſit 737. de tribus Miſſæ partibus conſiderandis 738
Modicum quod Chriſtus repetit, ſæpè nobis eſt perpendendum 553
Monitio facta, manſuetè nobis accipienda 494
Mors Chriſti crucifixi mirabilis, & frequenti meditatione digna 303.438
Mulierum ſanctarum, & præcipuè Mariarum commendatio, & quomodo illæ nobis imitandæ ſint 469.& ſeq.
Mundi gloria contemnenda ei, qui veram expetit gloriam 190. mundus præſens quid ſit 1144. nihil habet ſolidi 788. à Salomone meretrici comparatus 505. eſt eius propriũ aſperioris fortunæ obliuiſci 903. illius erga Fideles ingeniũ 621. mũdi filius vnde cognoſcatur 762. mundi amatores non ſapiunt 959.& nobis deplorandi 906. cùm ſint etiam beſtiis ſæpè deteriores 893
Mundi finem inſtare vnde probari poſſit 1143. mundi finem à Deo non reuelari, bonis & malis hominibus expedit 1138
Murmuratores à Deo ſeuerè puniuntur 795

N

NAtalis Chriſti dies à Caluinianis indignè abrogatus 5. eiuſdem Feſti magna celebritas & iucunditas in Eccleſia ſemper fuit, & eſſe debet 99. quæ præparatio ad hoc Feſtum nobis adhibenda 47.49. cur media nocte in feſto ipſo ſurgatur 104. quis locus precationi tũ deligendus, & quæ tunc meditanda circa perſonam æterni Patris 105. Filij nati 106,115. Mariæ puerperæ 108. Angelorum exultãtium 118. Bethlehemitarũ paſtorum 119. & Ioſephi Nutritoris 121
Natiuitatem Chriſti non ſolùm humanã, ſed & diuinam, eamque æternam confiteri oportet 106
Nuptiæ ab hæreticis improbantur, falsóq; Virginitati vel æquantur, vel præferuntur 210.213

O

OBduratus quisnam peccator dicatur, & cum hoc peccantium genere agi peſſimè 970
Obedientiæ virtus commendatur 399. eſtque baptizatis omnibus neceſſaria 1010.1919. obediendum inprimis parentibus & maioribus, exemplo Chriſti ſubditi Mariæ & Ioſepho 205.206. non niſi obedientibus æterna promittitur beatitudo 280. Inobedientia fons malorum omnium, quę & regem Saul perdidit 1120
Oculos Chriſtus habuit demiſſos & graues 370. oculorum cuſtodiam & nos ſedulam habere debemus, ſicut Scriptura monet 371.& ſeq.
Odium Chriſtiano inprimis cauendum 850
Opera hominis ad ſalutẽ requirit Deus, & non ſolam Fidem 277. de neceſſitate Operum bonorum 280.281.880.882. illa ſpem & caritatem noſtram teſtantur, augentque gratiam & gloriam 897. bonis operibus vacandum, ſed ſine hypocriſi 311
Otium fugiendum vt cauſa malorum plurimorum 277 278
Ouium euangelicarũ officium quod 690 paſtor & oſtium earũ eſt Chriſtus 694. de paſcuis illarum 694. harum ouium eſt lupos fugere, & alias conditiones habere 540.541. ouina veſte tegunt ſe quoque pſeudoprophetæ 541. oues Chriſti non ſunt, qui ſummum Eccleſię paſtorẽ Petri ſucceſſorem aſpernantur 541

P

PAnis ſeu cibus ſpiritualis triplex à Deo petendus 865
Parabolis cur Chriſtus frequenter vtatur 347. 1088. de parabola nuptiarum filij regis quònam ſpectet 1058 & ſeq.
Paraſceues dici rectus vſus 440. & ſeq
Paruulos eſſe baptizandos 709. qui non ſua, ſed aliena fide in baptiſmo mundantur 941
Paſſio Chriſti ſecundùm Ioannem recitata 421. Notæ de præcipuis Chriſti afflictionibus conſiderandis 427. & deinceps. Paſſio Chriſti magnam præbet cõſolationem afflictis 366. myſteriũ hoc ſæpè recolendum eſt 390.391.305.301.

Chriſti virtutes notandę 429.

ngelici officium 609. paſtoris
a duo 535. paſtor ver⁹ eſt Chri
eccleſiaſtici paſtores honoran
91. 693. etiamſi mali & repre-
s in moribus forent 537. 539.
. 743. vita illorum improba nõ
em, ſed compaſſionem nobis
dfert 642. paſtorũ munus hoc
t arduum & periculoſum 693.
as quæ parata præmia 536. pa-
Eccleſiæ non eſt detrahendum
aſtorum contemptu hæreſes o- 538. 539
Chriſti erga delinquentes mira
. & fuit quoque erga inimicos
arios 430
id noſtro nomine agant in ba- 708
s quibus maximè benè facien-
4. 771. 770. pauperum curâ ha-
cet nos exemplo ſuo Chriſtus

x 518. & eiuſdem commendatio
acem veram perturbat cupiditas
cum hæreticis inita triſtes ſor-
itus, ibid. pax quæ firma & ſta- 521
am diſcrimen agnoſcendum eſt
ccata hominum tam priuata quã
quibus flagellis caſtigentur à
57. peccata remittuntur à Chri-
non ſine miniſterio & iudicio ſa-
um 971. peccatum nullum eſt tã
e, quod nequeat poteſtate Eccle-
itti, ſiue boni ſiue mali ſint ſacer
28. 198. peccati cauſa nõ eſt De⁹
eccantium ingratitudo ingens eſt
70. peccandi libidinem magnam
impunitas 82. 689. peccata non
ulanda & excuſanda, ſed ponde-
& accuſanda vt remittantur 904.
uàm graue ſit malum ſua peccata
ntium 782. peccatores à Chriſto
aè recipiuntur 799. ob peccata po
ablicę calamitates regnis & ciui-
s infliguntur 910. peccati morta-
miſſio quomodo fiat 527. peccata
etiam leuiora nobis cauere conſultum eſt 844. 845 788. 1067. ad peccatorum remiſſionem conſequendam tribus reconciliari debemus 803
Pentecoſtes feſtum cur & quomodo celebrandum 629. Pentecoſte Chriſtianorum præſtat Iudaica 630
Peregrinationes Chriſti & Apoſtolorum fuère frequentes 938. qui ſe conformẽt his ipſis peregrinantibus 937. qui etiam illorum exemplo repugnent 928. Peregrinari ad pia certaq; loca vetus & probatum inſtitutum eſt 938
Perfectionem vitæ deſideranti quomodo viuendum ſit ſecundum ſpiritum 665. quænam ſint perfectionis impedimenta ibid.
Petrus Apoſtolus inter alios primatũ tenet, ſummus Eccleſiæ Pontifex ſiue Paſtor à Chriſto conſtitutus 834
Phariſęi perſecutores Chriſti infenſiſſimi 1106. falſam habuerunt iuſtitiam 839. ſuum virus in diſcipulorum animos infuderunt 1107
Pœna transgredientibus præcepta diuina eſt conſtituta 1034
Pœnitentia relapſis eſt neceſſaria 94. pœnitentia vera non ſolùm vitæ mutationẽ exigit, ſed etiam pœnam aliquã, vt planctum, ieiunium, &c. 312. pœnitentiæ dignitas & vtilitas 801. exempla publicæ pœnitentiæ proponuntur 905. pœnitentia minimè ſubterfugienda 321. ſed ſecundum Dei verbum nobis agenda eſt, & quomodo 388. 389. pœnitentiæ doctrinam & actionem corrumpunt & impediunt hæretici 82
Pontifex vnus & maximus Eccleſiæ loco Chriſti præeſt 824
Præcepta Dei non ſunt credentibus impoſſibilia 849. 1033. præceptorum decalogi obſeruatio eſt poſſibilis, & ad ſalutem neceſſaria 1032. præceptis annexæ conditiones, quas requirit ab homine Deus, impleri debent 86
Præmia iuſtis in cœlo parata, ac meritò expetenda & exſpectanda ſunt 25. 1054
Precandi ſedulitas & perſeuerantia Fidelibus exercenda 845. 346. ſicut & Ca-

nanæa

nanæa exercuit 347.348. precatio communis eſt perfugium fidelium in rebus calamitoſis 238. à precatione res omnis aggredienda eſt 215. precatio vnanimis Eccleſię maximi æſtimanda, valetq́; plurimum etiam pro aliis effuſa 351.1048. precari quomodo debeat Chriſtianus 921.573. precationes in Quadrageſima peculiariter inſtituẽdæ 322.337.338 precari pro aliis eſt fructuoſum 921. precibus tam angelorum quàm hominum ſe cõmendare prodeſt 1048. ad rectè precandum quæ neceſſitas 573. quænam ad precandũ inuitent 575. in oratione quid potiſſimùm petendum 573. de frequentanda precatione monemur ſacris litteris 579. precationes publicæ priuatis anteponendæ 577. precationis tempore Satan nobis maximè infeſtus 580. precantium exempla proponuntur 502. precans quo argumento ſe proficere deprehendat 582. quid item adhibere, & quid vitare debeat, ibid. vis precationis rectè & decenter inſtitutæ 583.497. negligenter precans Deum cultu debito ſpoliat 583. precationi deditus fuit Dauit 580. precationis modum docet Iacob patriarcha 584. precationi vitæ puritas iungenda eſt ibid.

Proſperitas virtutis nouerca multos obcęcat 913. proſpera nobis magis q̃ aduerſa ſunt formidanda 770. proſperis rebus triſtes & aduerſæ permiſcentur 554

Proxim⁹ noſter quis dicatur 813.950. quomodo circa proximum errarunt Iudæi 961. dilectio proximi duobus præceptis continetur 1039. dilectionem proximi Chriſtus & Apoſtoli nobis cõmendant ibid. diligẽdi proximũ cauſæ ſunt variæ 1040.813.812. de proximo benè merendũ 794.937.940.943.963. diligendi etiã ſunt nobis inimici 1041. ſicut & Sãcti dilexerunt, ibid. proximo etiã offendẽti eſt ignoſcendũ, & iniuriæ obliuione delendæ iuxta Chriſti & Sanctorum exemplũ 1100. iniuriarum remiſſio proximo debetur ſine ſimulatione 1101

Publicani nomẽ odioſũ & infame 793. publicanus euãgelicus exẽplar eſt piè precantiũ 925. ſed & iuſtificandorum 928

Q

QVadrageſimale ieiunium quàm vetus, & ſolenne in Eccleſia 331 quanta eius autoritas, ibid. quænam ad Quadrageſimæ tempus piè tranſigendũ requirantur 333. & ſeq. quis ſcopus & quæ ratio eſſe debeat Quadrageſimę ineundæ 320

Quinquageſimæ Dominica myſteriũ paſſionis Chriſti proponit, ſed mundo tũc prorſus inſaniente, vt meritò argui debeat 310.302. &c.

R

REconciliare ſe cum offenſo fratre magni eſt momenti, & neceſſariũ Chriſtiano 851

Regnum Dei deſiderans, iuſtitiæ ſtudium & cultum adhibeat neceſſe eſt 994

Reguli exemplum qui pro febricitante filio Chriſtum implorat, commendatur 1074. eiuſdem præpoſtera cura & importunitas 1081. exemplum ille præbet patrifamilias cuique curam agendi domeſticorum 1082

Reliquias Diuorum ornat Deus etiam miraculis 996

Reſurrectionis Dominicę Feſtũ quid cõtineat, & quàm religioſè ſit celebrandum 464 & cum quo fructu 483. introductio præliminaris ad hoc feſtũ 449. cauſæ diuerſæ in hoc ipſo feſto gaudẽdi, ſimulq́; Chriſto mortis victori priſcis Patrib⁹ è limbo liberatis, Apoſtolis, & toti Eccleſiæ gratulãdi 477.478. quomodo, quoties, quando, & cur Chriſtus reſurrexerit, ibid. & ſeq. reſurrectio noſtra futura pulcrè cõgruit cum facta Chriſti reſurrectione 479. reſurgens corpus ſpirituale quid 481. reſurrectio ſpiritualis cooperationem requirit peccatoris iuſtificandi 1005. Reſurrectio Domini conſiderata, quid nos doceat 481. & ſeq.

Retia diaboli & mundi nobis cauenda, ne illis inuoluamur 338

S

SAbbatum Iudæorũ licet ab ethnicis deriſum, habet tamen Deum autorem 3. 4. eſtque in Dominicum diem commutatum 3. Sabbati Iudæorum & Dominici

collatio 12. quibus operibus va
Dominico die 1020. & ſeq. hic
a olim pietate & cultu diuino
ratus 1021
bus etiam malis eſt obtemperan
. quis honor, & quæ dignitas ac
tia illis tribuenda 742. 972 525.
bus, & quatenus ſit obediẽdum
cerdotium Chriſtianum præſtat
228 Sacerdotum veteris & no-
menti diſcrimen, ibid. Chriſtia-
dotis eſt lepram peccati purgare
artiſti 230. 229. ſacerdotibus re-
ndum eſt iudicium de Fide & Re-
177. ſacerdotum nõ vita ſed do-
eſt ſpectanda 178. illorũ eſt virtu-
iſti peccatores recreare, ſanare &
ere 227. cur ad ſacerdotes leproſi
iſto mittantur 226. ſacerdos verè
a dimittit 1056. Chriſtique cor-
nſecrat 526. Deo peccatorem re-
iat 529
entis in hoc mundo à Chriſto pa-
r 866. per ſacraméta veluti per ca
effectus Dominicæ paſſionis ho-
cõmunicantur 1032. ſacramento-
dignitas metienda nõ eſt probitate
ſtrorum, neque ex illa pendet 692
in cœlis pro mortalib. intercede-
3. de illis inuocandis 896
ræ ſacræ non ſoli eſt adhærendum,
tiam Verbo Dei non ſcripto 394.
illa non à quouis intelligitur 510.
iudicium eius & interpretatio non
enes quemcunq; Fidelem 177. 88.
de Scriptura rebusq; Fidei cum hæ
tis non eſt diſputandum 872. ad ſcri
am intelligẽdam quem modũ Chri
obſeruandum reliquerit 512. 1148
n fratrum apud Epheſum mirabili-
dormientium hiſtoria 503
namonæ, carnis & mundi qui, eo-
ïque præmia 985
mundi finem antecedẽtia 1137. 1140
nons deſignat eccleſiam. 517
tudo quæ bona, quæ mala, quæ lici-
quæ illicita ſit 982. ſolicitudo nimia
am temporalium animo peregrinum
orem ingenerat, & ab amore diuino
abſtrahit 884. cultum diuinũ & ingreſ-
ſum cœli impedit 981. quænam hominẽ
ab inani ſolicitudine liberent 989
Sperantes in Deum ipſiſque ſeruientes ab
ipſo iuuantur fideliter 991
Spiritus ſancti varia nomina 633. 636. do-
ctor eſt veritatis 657. cui tanquam fonti
caritatis, gratiarum & chariſmatum do
na adſcribuntur 643. Spiritus ſãctus va
rij effectus 642. 559. Spiritus ſancti of-
ficia 615. quando ille mitti dicatur 616.
& quid ſummatim de illo credendum,
quódque pro Deo colendus & veneran-
dus 617. 642. Spiritus ſancti miſſio cum
quibus circumſtantiis facta ſit, & illarũ
explicatio 646. Spiritus ſancti effectus
in Apoſtolis 651. & in primis Fidelibus
654. 655. aliiſque Credentibus 627. Spi
ritus ſancti operationes Chriſtus per Ec
cleſiæ Paſtores exercet 571. Spiritus ſan
ctus adhuc teſtatur veritatem in Eccle-
ſia 619. & quę beneficia conferat Eccle-
ſiæ 632. Spiritu ſancto carent viuentes
extra Eccleſiã 620. Spiritui ſancto mul
ta hodie ſurripiunt Hęretici 656. in Spi
ritum ſanctum qui peccent, ſiue Catho
lici ſiue Hæretici 660. & trib. ſeq. Sãcti
Spiritus in homine præſentis duo ſunt
ſigna 667. præparatio quæ adhibẽda ad
Spiritum ſanctũ accipiendum 618. cur
deſcenderit in ſpecie ignis 631. quid in
baptiſmate noſtro efficiat 651. eius affla
tus gratia quos fructus proferat 640. per
eius dona vetus homo renouatur & in-
ſtauratur 641. quomodo procedere di-
catur à Patre & Filio 616. audiendus
eſt Spiritus non ſolùm in Scriptura,
ſed etiam in Eccleſia, eiuſque Miniſtris.
292
Spirituum apparitio hominem terrefacit
506. quomodo diſcernendi ſint boni &
mali ſpiritus apparentes 507. quę ſpiri-
tuum apparitiones non ſemper pro ſpe-
ctris habẽdæ 508. & circa quas duo de-
beant obſeruari. 506 507
Superbia cordis & mentis elatio Deum
offendit, & homini perniciosa eſt 924.
quæ remedia conferant ad ſuperbiã ex-
terminandam. 930

T

Tempus à Deo ſapienter ordinatum, & maximè in Eccleſia concinnè diſtributum, pag. 2. temporis viciſſitudo & varietas à Deo inſtituta, hominibus ſimul & beſtiis prodeſt, pag. 1. tempus in otio vaniſque rebus minimè conſumendum eſt 154
Tentat hominē Satan, & quę nobis in tentatione ſeruanda ſint, præſertim exemplo Chriſti contra Satanam in deſerto pugnantis 319. & ſeq, quibus armis vincamus hunc mundi principem 324. & quibus ille gradibus ac modis nos tentare ſoleat ac oppugnare, ibid. In tentationibus noſtris ingens eſt conſolatio Chriſti paſſio 306. tentationib. & tribulationibus Deus Fideles exercet, eosq; peculiariter ſolatur atq; cōfirmat 240. 145. 781. 770. Satan vt hoſtis callid⁹ me tuendus, nullumq; cum illo cōſortium habendum 329. & ſeq.
Terrenis rebus magis quàm æternis cura noſtra impenditur 891
Timor Dei laudatur 67. timent Deum eiusq; iudicium Sancti 64. nec minùs nobis timendum eſt 65. 1097
Traditiones Eccleſiaſticæ ſeruandæ Chriſtianis, ſicut & Dei præcipit verbum 54. 875. 403. 292. & ſeq. Traditionum Eccleſiæ antiquitas 5
Tribulationibus vita noſtra obnoxia eſt, nec illæ moleſtè ferendæ 969. 769. & quæ in illis conſolatio capienda 145. & ſeq. & 770.
Trinitatis ſacroſanctę Feſtum ampliſſimū in militante & triumphāte Eccleſia meritò celebratur, & quomodo debeat celebrari 710. & ſeq. de tribus perſonis diuinis neceſſaria fides & confeſſio Eccleſiæ 711 quid à SS. Trinitate homini petendum 713. & ſeq. Trinitatis myſteriū eſt præcipuum & inſcrutabile, ſummèq; vt credatur neceſſarium 710. quomodo SS. Trinitas inuocanda 711. Trinitatis externa opera indiuiſa, quædā interim ſingulis perſonis attribuuntur peculiariter 642. quî poſſit homo efficere, vt fit templum SS. Trinitatis 636
Triſtium ſiue mœrentium & lugētium varia genera 563. quædam triſtitia homini vtilis eſt atq; laudabilis, ibid. alia in filiis huius ſęculi reprehendenda 564. triſtitia in Chriſto, Dauide, Petro, Paulo & Magdalena laudatur 564. triſtitia ſæculi in quo conſiſtat 563

V

Verbum Dei quàm præclarum ſit inſtitutum ac vtile. in præfatione Operis. quomodo cum amore & humilitate illud audiēdum 857. & ſeq. Verbi Dei excellentia & dignitas 289. Verbum Dei ſeruandum eſt nō modò quod ſcriptum extat, ſed etiam quod viua voce traditū accepimus 292. Verbo Dei complures ad defenſionem erroris, ſuamq́ue perniciem abutuntur 291. Verbum Dei cum fructu audiendum 395. nec ſolùm auditores, ſed & factores Verbi nos ſedulos eſſe oportet 134 & ſeq. 287. multi interim Verbo Dei ſurdas ꝑbent aures 290
Veſtis nuptialis eſt certa filiorum Dei teſſera & nota 1071. ea deſtitutus, vel caritate orbatus, à Deo reiicitur 1096, & ſeq. veſtem nuptialem ſibi quiſque ſumat oportet 1073
Viduæ quæ laudādæ & iuuandæ ſint, maximè Sanctorū exemplo 147. & ſeq. 1002
Vinea Dei electa eſt Eccleſia catholica 274 in ea veri & falſi cultores ſeu operarij, ib.
Virginitatē cōiugio ꝑferre cōuenit 210. 213
Vita ꝑſens quālibet amata mortales aureo velut calice inebriat ac perdit 553. victuri ſecundū ſpiritū quæ mala vitare, quæ bona complecti debeant 665. 667. vita hominis peregrinationi ſimilis 762
Vitiis propriis potiùs q̃ aliorum iudicandis & ſanandis eſt inſiſtendum 683
Vituperari bonos à malis nec mirandum, nec moleſtè ferendum eſt 179
Voluntas bona virtutum eſt mater, ſicut mala fons vitiorum omnium 845
Vota Deo & Eccleſię facta reddi debēt, puniunturq; grauiter votorum violatores 662

Z

Zelus animarum pergratum eſt Deo ſacrificium 796

Finis huius Indicis.

Errata in hoc Opere potiſsimùm corrigenda.

Pagina 4.linea 3.legendum: verò Iudaicum Sabbatum, quod ethnicis immeritò. P.10,l.23.exultauerunt in Deum viuum. p.25,l.23.nuptiali veſte refulgens. p.28,l.5.precationibus ardentibus. Ibidem,l.23.Satanæ ſerui qui. p.29,l.2. Ac licet iſthac. p.30,22.Vnde u ipſe ad nos? p.36,l.5. moribus conformat, & in cruce. p.39,l.5 à fine, arſiſſe prudens nemo ambigit. p.46,l.7.vt hoc ingens Chriſti. p.49,l.13. principes tàm longum. p.53,l.1. ſubmonendos. p.57,l.16.Chriſto illos. p.75,l.penult.excitare, primumq; regnum. p.77.l.antepenult.docuit, vſq; ad mortem certare, qui &, Salomone teſte, quaſi leo. p.78,2. Iohannis innocentiam ac patientiam mihi magis non habeam.

Pag.100, l.4. facies nouum quaſi colorem ac vigorem accipit, totaq; eccleſia hoc tempore ſpiritualiter innouatur. p.106, 2. ingratitudinem omnium, qui talem tantumq; Patrem. In linea ſeq. dele nos.& l.5.lege, redamare conantur. Hos ille. Ibid.l.9.Ego verò in Chriſtianum tam durum, tantaq; caritatis immemorem iure magno dixerim: Dilexit. p.114.l.22. adſtruxiſſe quòd caſtitatem. p 136,24.periculum, in illo peribit. p.142,16.contradicere, quàm obedire. p.162,3. ego præ ceteris ad benè beateq; viuendum indigere mihi videbor. p.167,l.penul. Magi non vulgares hominès, immò. p.168,14.re ipſa declarent & lin. ſequenti, tepidos etiam hodie vincant ac arguãt. Qui certè. p.178,6.in peſſimis etiam quedam. p.188,23:redigere, ſcopuloſa ſunt. p.142,12.in hac vita expurgarit. p.194,6.hos ipſos offenſi Dei percutit. p.196,9.& 10.placanda eſt in vſum frequentem reuocandis.

Pag.204,l.20.pœnas, quia ſicut. p.206,4 Apoſtoli cunctos fideles. p.208,6.à fine, Dominus bonis & modeſtis, nec minùs diſcolis. p.18,13 quoad optatam. p.220,19.præceptum Domini illud obſeruent. p.62,27.Tum illorum iniri. p.286,18.fructum amittat.& li.ſeq.commiſſa excutiat. Et deinde, negligere ſoleat.& lin. vlt.mortuos meritò excitet.

Pag.314,9.à Chriſto reprehendatur. p.327,l.vlt.ex parte conformes. p.333,1.ſumus, & conuiuemus. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. p.337,20.ſimulq; cum Ioele. p.338,13.deſertum deligam. & lin.penul.reuocetur, vt Leonis. p.348,24.reſpondit, ſed in reſpondendo. p.392,13. Chriſti dictum: Si filij. p.394,10.expertes, ſicut Paulus loquitur. p.398,15 perſenſit maximum.

Pag.403,l.5,à fine.illius amori rependimus. p.405,20.adeſſe velimus. p.416,1.confertur. De qua. p.418,22.antidotum. p.428,21.optimum abnegat, & palàm abiurat. et l.ſeq.mortem ſequi Chriſtum promiſiſſet. p.429,5.ad terram, ſed ſine cuiuſquã offenſione proſternit. p.431,4.reſponderit, & nec gratiam illius ambire, neq; aulicis placere vellet. Non recuſat. p.432,22.tenerrimum, ac peſſimè iam antè tractatum immaniter. p.433,13.vetus illa inobedientia id merebatur. p.440,5.ſepultus. Hunc Moyſes nobis pulcrè adumbrauit per æneum ſerpentem, qui in deſerto erectus, et à lethaliter vulneratis conſpectus, antidotum illis præbuit ſalutare, vt ab accepto morſu liberarentur. In huius, &c. linea 8. p.471,15 minæ obiiciantur. p.475,17, ſed cœleſti æternæq; veritati. pag.482,19, virgo qualibet vidua. p.484,5, expoliare, ſeq; ab omni vitiorum fermento incontaminatum ſeruare. p. 497,24, aſſiſtit, amicum.

Pag.507,l.17, depellam. Igitur cùm. p.514,4, pœnitentiam non amplecterentur, eiuſq;. p.541,17, ſpeluncas confugerent. p.521,4, hanc pacem, vt diximus, ille.& lin.8.eſt, diuino illis munere conferatur. p.529,13, pro iuſtitia nequitiam. Et linea 14, experiri cogamur. p.522,15, mundi, & mactata ouis. p 552,4, à fine, Turbam hominum non intelligendi. p.553,5, à fin.priuari vltrò patiantur. p.556,25, Eccleſiam referam, quæ, & lin.10, non poteſt non mœrere. p.561,10, immò & cum ſceleratis acerbè moriturum. p.580,7, à fine, eſſe ait, abſque.

P.610,l.3, illud notatione dignum. p.614,19, & potenter in Eccleſia. p.626,8, li-

get,

get, ac perpetuò damnet. p:627,20, Ipſe gemitus. p.631,5, à fin. Nec dubitat quiſquam verè credentium; hodiernum. p.632,8, à fin. credere affirmamus. p.638, l. vlt. vt præcellentem miſſ. p.639,15, in viſibili cœtu. p.643,25 bonitas & cum his. & li.17, eſſe non vanè comperi. Quo. p.644,3, à f. ſigno edito, vt plurimùm, & l.4, Etenim in ſpecie. p.645, 4, apparuit, quos vt. p.646,24, ab illis frigus torpidum excutit. p.654,19, rete ſuum Euangelicum. p.657, l. vlt. Eccleſiæ iure ſuo ſibi vendicanti perpetuò conſtantem. p.661, 16, paſsim apparere, qui p.662,15, Monet igitur Pſalmographus, & l.16, obduremus, & grauiter Paulus. p.664,6, à fin. amicus accurrat. p.668,1, tanto præſtitu, & lin.6, Quid autem vlli deſiderabilius. p.683,19, nec tam hominum quàm Dei. p.697, munere obeundo ſinant.

Pag.710,26, *& ſecundùm ſanam Eccleſiæ interpretationem. p.714, l. penult. partim vitiis deformatam gratia duce reforment, partim incontaminatam cuſtodiant. p.726,1, exigat, en verbis luculentis teſtatur. pag.730,1; vt nomen acceperit ſuper. & lin.3. à fin. quo ſi vellet homo acceptam iuſtitiam conſeruare, vitam in corpore perpetuam degeret: ita Chriſtus. p.747;24, corpore merum vulg. p:748,15; Philiſtæi quamuis ethnici p.764, 16, confringat. Sed mundi. & l.17, genere ſapienter dixit. p.766;19, nec interim mihi. p.767 l. vlt. vt nec domus, nec menſa. p.772,6, à fi. paſcatur & excrucietur. p.799, 4, genere conſpurcatis: Hos.*

Pag.814, l.13, *partem candidè interpreter. & l.19, me ſcienter aut ignor. p.815,6, à fin. hactenus in agro Chriſtiano tam. p.832, l. penult. parui lucri. p.864,4, à fin. ſuo ſubſcribens affirmat. p.885,11, quæ ipſi reſiduæ. pag.894;6, à f. multis diuitum centuriis vix.*

P,900;8, *maiora dona iam antè perceperint. Sic. p.902,4, magnitudinem, lõgamq́; pœnitentiæ exſpectationem ſupplicij. p.906,27, Habeo & illos imitari, qui ardenti caritate flagrantes, peccatis. p.923,24, donum omne deſcendit. p.926,5, à f. criminum aggrauabat. Publicanus. p.936, l. penul. velut ad cæleſtes volucres refert Propheta. p.961, 14, Paulus ſe Deum. p:985,20, acquieſcam. Cui ſanè. p.991;10, ſcelerum impunitatem p.992,13, ſi quidem. p.995,22, teſte. Eſto autem, nulla me criminum veterum grauari conſcientia, putabo.*

P.1020;26, *conuertat. Tale quiddam. p.1052,20, Sic Ozias. p.1054,26, Chriſti in domum ſuam ingreſſu. p.1057,16, peccatorum, ſiue publicè ſiue priuatim committantur, quæ iratus Deus iuſtè caſtig. p.1070;28, deturbat, & dæmonum tyrannidi ſubiicit, nullam ei ceſſationem relinquens à fletu & ſtridore dentium. Quibus de rebus. p.1074,5, conſortium eſſent admittendæ. p.1080,2, prænuntius & anteambulo? p.1081,4, citò cadere & frangi. & l. penult. Sed hactenus quidem. p.1082,4, monet, ſemperq́; monitos eſſe vult parentes. p.1083,25, qui abſens etiam. p.1087,21, coniuncta ſemper tria tenere. & l. penult. virtutem ægroti faciant. p.1091,7, ob ſua bona. & l. antepenult. condonauerit. p.1093,3, habebo rurſus præſentem. & l.6, fuga feliciter ceſsit. p.1094,4, illorum vicem putabo, qui. & l.15, velut nihil. p.1096, l. vlt. Poſtremò an non terribile. p.1097,21, debitis oneratus, ſua.*

Pag.1102,9, *à fin. præ ſe ferant, Chriſtiq́;. p.1103, l.7 à fin. proximo miſericordiæ ratio. p.1104,16, Tyberij Cæſaris ferre. p.1107,20. ſibiq́; ſimiles. p.1119, l. vlt. appellat, ſintq́; demùm omnes. p.1121, l. penult. Iudæis præripientium. p.1122,13, reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. Quod. p.1123, l.7 à fin. morbus erat immedicab. p.1128,23, vt vos exaltet. & l.30. ſeſe reputat ad. & l.31, ideo ſat habet. p.1147,13, errorum profeſſores cupidè. p.1149,10, interpretantur, immò & adulterant, nec.*

Sit nomen DOMINI benedictum.

udiunt,& illum inuiſunt 129
t etiam futuros paſtores ec-
120
affliguntur 77.179. nec abū-
us bonis, Deusq́; mala in bo-
nuertit 80
nnia quæ fecit Deus 942
iritualium & tẽporalium col-
bonorum temporalium amor
ſit homini peſtilens 990. ni-
um cura inanis & periculoſa
uctus incertus 988. bona tem
romittit & donat Deus fideli-
992

C

is præſtat coniugio 212
variè commendatur 347.& ſe
omodo illa nobis imitāda 345.

cus neceſſaria,& aliarum prin-
.957. eſt veſtis nuptialis, oleũ
, ignis inextinguibilis 1035.
ia eſt caritas viæ, alia patriæ
tas Chriſti erga Iudæos & ho-
nobis imitanda 395.396.199.
itatis præceptum eſt caput om
eceptorum 957. Caritas erga
m commendatur 810.812. ca-
ncula ſoluentes quibus conſe-
02. caritas quàm induſtria &
1049
rginum & viduarum in pretio
.148. caſtitas quibus modis cō-
149
quale teſtimonium debeant fer
tianæ veritati 620.621. Catho-
ab hæreticis differunt 870
euangelicus laudatur, & quid
cat 230
æ eccleſiaſticæ non ſunt negli-
9. amauit & ſeruauit illas Chri
& quaſdam inſtituit 145. ſeruan
Apoſtolis 946. cur & nobis il-
cleſia retinendæ 945.948
verus Deus & homo 148. 128.
riſti aduentus vtilis mundo &
rius 128 138. prodeſt iunioribus
ribus. ibid. Chriſtus quomodo
primogenitus 126. Chriſti na-
tiuitas honoranda, & quę circa illā notanda & agenda ſint 99. & ſeq. 59. de Chriſto paruulo eiuſque matre 107. & ſeq.

Chriſti circumciſio fuit præludium cruenti ſacrificij 155. quid per eam doceamur 156. de Chriſto à Magis inuento & adorato 165.& ſeq. de Chriſto à Simeone prædicato 141. quomodo ſit poſitus multis in ruinā & reſurrectionem 142. de Chriſto duodenni in templo reperto 199. & ſeq. de obedientia eius erga parentes 205. de eiuſdem innocentia 384. de baptiſmo eius 189. quòd auſterè vixit & ſolitariam vitam probauit 328. tentatus victor eſt Satanæ 329. de miraculo in nuptiis 213. de aliis miraculis 78. cur in vno ægroto curādo mediis diuerſis vtatur 944. qui adhuc facit miracula in eccleſia 589. 1008.
Chriſtus omnia ſuo tempore & ordine fecit 153. varios labores hominum cauſa ſuſcepit 135. eſt verè Meſſias, liberans & ſanans populum ſuum 221. verus paſtor 685. nec tantùm redemptor cui fidamus, ſed etiam legiſlator cui pareamus 840. qui ſuos miſericorditer aſpicit & paſcit 856. 863. ſuos etiam ad crucem & calicem vocat 182. habuit de more oculos demiſſos, graues ac humiles 370. ingens eius caritas erga Iudæos, quam in Euchariſtia excellenter oſtendit 414. quamq́ue ſub mortem magis prodidit 409. 410. voluit eſſe peregrinus 492. ac princeps, doctor & procurator pacis, fiduſq́ue conſolator 546. & ſeq.

Chriſtus in paſſione ſua virtutes varias docuit 427. & ſeq. cur ad inferos deſcenderit 453. 599. De reſurrectione eius 465. & ſeq. Reſurrectio eius cauſa efficiens & exemplaris fuit noſtræ reſurrectionis 479. 480. Ad patrem abiturus quæ mādata dederit diſcipulis 592. cur ſuos in ipſo diſceſſu arguerit ibid. eius honor & gloria in aſcenſione 604. 487. 497. 599. quid aſcenſione ſua meruerit fidelibus 660. quæ dona impetrârit Eccleſiæ, & quæ ab illo ad dextrā

Patris

Patris ſedente petenda 611. 613. quàm
gloriosè venturus ſit iudex 1153.
Chriſti cognitio & fides ſemper fuit ho-
mini neceſſaria 953. non ſolùm eius mi-
ſericordia nobis amplectenda, ſed & iu-
ſtitia timenda eſt 62. nec ſolùm ipſe eſt
propitiatio noſtra, ſed exemplar etiam,
dux & vexilliſer mortalium 124. Chri-
ſtus legiſer noſter eſt, & in quibus lo-
quens velit audiri 1109. Chriſti capitis
vnio cum corpore ſuo myſtico 360. &
ſeq. habet ſemper ſuos fidos profeſſores
ac teſtes 363. ſicut & matres ſpirituales
365. laudari vult in ſe, ac ſimul in ſan-
ctis ſuis 364. ipſi cura de nobis eſt cer-
tiſſima, fidiſſima, vereque paterna 373.
ipſe mortuos adhuc ſuſcitat 999. nec
deſinit adhuc in eccleſia per Sanctos &
eorum reliquias, aliiſque modis opera-
ri 589.1131
Cibus triplex à Chriſto petendus 865.
866. ciborum & vitiorum ieiuniũ con-
iunctim exigit eccleſia 323. quod nobis
ſeruandum eſt exemplo Sanctorum 319
320. Ciborum delectum & ieiuniũ tol-
lere, proprium eſt Aërianorum 7.17.
Ciborum abſtinentiam hodie complu-
res oppugnant, & pauci ſeruant 332
Cicatrices vulnerum cur Chriſtus reſur-
gens & aſcendens in corpore ſibi reſer-
uat 525.522
Cinerum cerimonia quid ſibi velit, & Ci-
nerum dies in eccleſia honorandus 320
Circumciſio ſpiritualis cuiq; neceſſaria,
habetque typum ſuum in veteri circun
ciſione corporali 152.157
Cæcitas ingens humani cordis 307. de
ſpirituali cæcitate ibid.
Cœnæ Domini dies cur vocetur 413. quæ
myſteria eo die per Chriſtum geſta ſint
410. & ſeq. cur idem nobis reuerenter
habendus ob percepta beneficia ibid.
Cogitationes etiam hominem facilè in-
quinant 848. illarum conſenſus pro fa-
ctis à Deo reputatur, ibid. prauis cogi-
tationibus & affectionibus quiſque de-
bet reſiſtere 849
Concupiſcentia in renatis manet, & nõ no
ceat, ei ſemper eſt reſiſtendum 844
Coniugium Chriſtianum quando & qi
modo laudabile iudicandum 109. r
ſine precatione illud exordiendum
honorat Chriſtus primo ſuo mirac
coniugium 212. quidnam de illo catl
licè confitendum, ibidem. qui coniu
maximè deplorandi 214. Coniugi
quoſdam in via ſalutis impedit 7
Conſolationes ſpirituales non omni
proſunt 182. eſtque illis moderatè
pienter vtendum il
Conuiuium adire non eſt illicitum 1c
quomodo Chriſtus ſe in conuiuio
ſerit, & nos illum ſequi debeamus il
conuiuij nuptialis de quo Chriſtu
git, quæ ſint fercula ſpiritualia 1c
inuitati autem duplici genere vitior
impediuntur 1066. qui ſint item m
ſtri ad conuiuas vocãdos deſtinati 1c
Corpus Chriſti gloriosè deſcendet &
parebit in iudicio, & in corporibus
ctorum mirè operabitur
Corporis Chriſti Feſtum ſolenniter &
externo religionis cultu celebrand
724. Reliqua de hoc Sacramento v
in Verbo Euchariſtia.
Correptionis diuinæ in homine ſunt e
ctus varij 1078. corripit Chriſtus in
de vacillantes 496.495.
Crucis ſigno frontem ritè conſignar
710. crucis ſignaculum armatura e
tra dæmones 507. Crucis amor eſt
ſera & ſymbolum electorum 124. c
ces & tribulationes patienter fere
ſunt Chriſtiano 969.769. in iis vi
Dei manus agnoſcenda 1055.
Cultu externo Chriſtus in Miſſa rect
noratur 51. cultus etiam ſpontane
iniuſſus, quem Fideles exhibent,
placet 52.726. & ſeq. cultus diuin⁹
ſim refrixit 403. & quomodo ille re
tegrandus
Curioſitas vt noxia viranda 591. exen
punitæ à Deo curioſitatis, ibidem.
circa diuina myſteria inprimis caut
474

D

DÆmonum affectio praua in homi
ac illorum inſidiæ 356.357. dæ

æ,arma & artes 360. qui bel-
hominibus perpetuum gerũt
Dei & hominum hoſtes capi-
. nihil tamen mali inuitis no-
Deo contradicente poſſunt in-
contra hos nobis eſt pugnan-
armis,quibus in deſerto Chri
ius cùm tentaretur 335. de eo-
utia & nequitia,qui totũ mun-
icunt 357. & deinceps.
r multi credentium , & qua de
170
ideles à nobis lugeri poſſunt
illorum corpora ſunt honeſtè
, ibid. ſed & eorum memoria
nda , & pro illis orandum , &
um offerendum, ac eleemoſy-
pauperibus erogandæ 744
ſt cauſa peccati 783. licet aliis
, aliis terribilis ac durus eſſe
806. Dei liberalitas ac ma-
tia in mortales eſt ingens 888.
ignitas ex quibus potiſſimum
1061. Dei proprium eſt pœni-
gemitus & opera intueri 1098.
aſdam locis & templis efficaciùs
r,ſeque præſentem & fauentem
t 938
no diligere poteſt , qui non an-
que proximum diligat 1028. di-
s Deus in ſe, & propter ſe, & ſu-
nia, proximus autem in Deo , &
Deum 128. quis ordo ſit dili-
Deum 1037. quid ſit diligere Deũ
corde,tota anima , & tota men-
. dilectionis de Deo præceptum
imum,ſummamque totius legis
hetarum complectitur 1028. di-
Dei cum fide iuncta Chriſtianam
ionem perficit,ibid. indicia & ſi-
lectionis Dei ſunt odium ac de-
peccati,obedientia, & crucis to
a 1038
breuis potentia,gloria,iucundi-
4. de periculis diuitum qui epu-
illum ſequuntur 765.773. diui-
ales erga pauperes ſe gerere de-
ibid. diuitibus Chriſtus ſeuerus
r fuit 764 pauperum cura diuiti-
bus maximè cõmendata eſt 897. alienis
bonis inprimis ſe abſtineant 766

Doctrina Fidei debet in nobis eſſe conſtã 196. neque tam vita quàm doctrina miniſtrorum ſpectanda venit 178. doctrina euangelica grano ſinapis comparatur 258. ſicut & fermento 267

Dominicus dies vnde dictus 12. Dominici & Sabbati Iudaici collatio 13. triplex Dei beneficiũ cum gratiar. actione tunc recolendum 13.15. quomodo hic dies vtiliter & piè ſit celebrandus 12. nempe vt precationi, lectioni, miſericordiæque ſpirituali & corporali homo vacet expeditè 19.20. quid exigant ſacra Concilia, vt Dominicus dignis pietatis officiis ritè tranſigatur 21

Dormit vterque magiſtratus hoc tempore non ſine magno Eccleſiæ detrimento 89.88.250.252

E

ECcleſia comparatur arce Noë & nauiculæ Petri 235. grano ſinapis 266. & electæ vineæ 274. quæ bonos & malos in ſe continet 254.1058. aſſiduam & ingentem eius curã gerit Deus 274. Nauclerus eius eſt Chriſtus fidus ac potens 236. ſemper illa defenditur contra hoſtes, ita vt conatus hoſtiles in eius quoque cõmodum vertantur 241. De vnitate & laude Eccleſiæ 236. poteſtas eius ciuili eſt præſtantior 1117. extra Eccleſiam nulli ſalus æterna contingit 568. Eccleſiam veram apud ſe eſſe falsò iactant hæretici 511. Eccleſiæ fides & oratio hominibus plurimũ confert 1047. Eccleſiæ immunitas minimè violãda 1118. Eccleſiæ vnus paſtor Chriſti loco præeſt 824

Electi ad vitam æternam ſunt pauci 282. 788.979. & cur paruus ſit eorum numerus 1059

Eleemoſyna quid ſit 815. de variis eius generibus 806. eſt illa de veteri more inprimis Dominico die tribuẽda 20. ſemperque magni facienda 897. quæ diſponit hominem ad pœnitentiam 899. remedium eſt peccatorum, fructusq; habet ſeu effectus inſignes, ibid. & 898

Epiſcoporũ poteſtas ampla eſt, quibus po

litici

litici magiſtratus debent cedere & obedire, cũ ſint diuinitùs inſtituti ad Eccleſiæ gubernationem in ſpiritualibus, cuiramq; animarum 1010. 1017. 1018. penes ipſos eſt poteſtas non modò iubẽdi, ſed etiã rebelles excõmunicãdi 624. & ſeq.

Epiphaniæ feſtũ variè nominatur, in quo tria myſteria maximè celebrantur, præſertim vocatio gentium 162. quanta huius feſti ſit celebritas 173. & ſeq.

Euangelij nomine quid intelligendũ 593 euangelium nulli promittit ac largitur beatitudinem ſine obſeruatione præceptorum 841. multi iactant euangelium, & carnalem ex eo libertatem exſtruunt 1010. 1019. quid ſibi velit, Prædicate Euangelium omni creaturæ 593

Euchariſtiæ Sacramentum à quo inſtitutum 378. 719. eſt maximè colendum & adorandum 413. 414. nec refert ſiue per dignos, ſiue indignos ſacerdotes populo exhibeatur 378 pro huius Sacramenti inſtitutione gratiæ Deo peculiariter agendæ, quod verè dicitur & eſt fidei myſterium 730

Euchariſtiæ Sacramentũ percipiẽdum cũ legitima præparatione, & quæ illa ſit 416. 417. Euchariſtiæ fructus & effectus qui ſint 716. 751. 757. nec eſt opus Laicis hoc Sacramentum ſub vtraq; ſpecie ſumere 717. reuerenter autem ſumẽda eſt 740. 755. 799. atque Chriſtus illic per latriam adorandus 184. qu & verè præſens eſt cum Corpore & Sanguine, cum Anima & Diuinitate 216. De Euchariſtia varij hæreticorũ errores hodie graſſantur 747. habetq; iſtud Sacramẽtum multos crudeles atq; cõtumelioſos aduerſarios 748. pericula & pœnę illorum qui euchariſtiam indignè tractãt aut ſumunt 745. nec ſolũ hoc Sacramentum agnoſcendum atq; ſumendum, ſed etiã iuge mundumq; Sacrificiũ ad altare offerendũ debet celebrari 733. quales euchariſtiæ miniſtros eſſe conueniat 741. orandum pro ſumentibus eã, præſertim indignis & ingratis 380 Chriſt⁹ in Emmaus hoc Sacramentum iuxta Patrum ſententiam diſpenſauit 501. Feſtũ proprium huic Sacramento cum exter[ior] cultu laudabiliter obſeruatur 4[…]

Euangeliũ nobis promittit tribulation[es] & ob illas exigit pœnitentiam & pati[…] tiam 11[…]

Excõmunicandi poteſtas non modò Sy[na]gogæ veteri, ſed etiam Eccleſiæ data […] 624. vſi ſunt illa etiam Apoſtoli 625. [… te]ſtantur de illa quoq; Patres, & Epiſc[o]pis illam tribuunt, ibid. & 626. vbi p[o]teſtas hęc fundata ſit, quã Hęretici […]nunt 626. quid agendum ſit excõm[u]nicatis, quos omninò Catholici deb[ent] vitare F ib[…]

FAmes eſt ingens Dei plaga, quæ nõnu[m]quam electis irrogatur 865. quid ag[en]dum tempore famis 864. 8[…]

Fato ſigniſque cœleſtibus culpa tribui poteſt 782. 5[…]

Feſti dies varij cur primũ inſtituti, & q[…] in illis agẽdum ſit Fidelibus 2. 942. […] ab Eccleſia obſeruẽtur 4. quod perue[…] ab hæreticis contẽnantur 5. 6. de ill[orum] vtilitate, ſi ritè ſeruẽtur 4. nẽpe cũ ſ[…]tu 708. cũ lectione & meditatione ſ[piri]tuali 9. 10. 859. decet in feſtis nos c[…] loqui de rebus ſpiritualibus, & or[…] peculiariter 4[…]

Fides ad ſalutẽ non ſufficit 670. neq; […] iuſtificat 82. 94. 676. 841. 920. eſt ta[…] radix bonorũ operũ 670. 981. nec […]mittit ſed reſpuit carnis & mũdi iud[…] 670. 702. 704. fides catholica vt ſal[…] debet eſſe formata & fundata in fide[…] atq; Chriſti Mediatoris 679. & adi[…] requirit opera 231. 954. 956. fides ca[tho]lica quibus reb⁹ cõfortetur & auge[…] 1085. Fides in Chriſtũ Mediatorẽ […] pœnitẽtia hominis nõ remittit pec[…] 803. Fidei iuſtificantis opera quę nã[…] 1086. qualẽ fidẽ nunc fingãt ac pdi[…] hæretici, ibid. fidẽ nẽpe ſpecialẽ à [… Chri]ſto reiectã 1130. qualem fidẽ Chriſti […]dẽs miracula exigebat 1130. in ſua […] q; Fide ſaluari putãt Mahometani […] Fidei & religionis cauſę nõ à Laici[s …] à Sacerdotib. iudicãdę ſunt 177. 88[…] fidei conſtantia maximè neceſſaria 91. Fides aliena ad varia beneficia

confert,eaque Chriſtus dele- 350.940.1047
ruce Deus conſolatur 240
Chriſto habenda, cùm deſunt
eſſaria 859.864
naioribus multum deferre de-
. quænam bona illis imitanda,
nala deuitanda,ibid. filij in fide
m vel offerentium rectè bapti- 350
hriſti quid nos doceat 1132
nagna eſt inconſtantia 390.397

G

n perfectum in quo conſiſtat

conuerſio ad fidem,à Prophetis
a, & in Magis impleri cœpta eſt
. de vocatione Gentium fideliū
elium 192. Gentes etiam abu-
ratia per Chriſtum accepta 194
laus humana moderatè admit-
97. immò & contemnēda vti vi-
caduca,ibid. gloriandum in ſola
Chriſti 398
Euangelicam nobis offert Deus
r gratiam Dei multa poteſt ho-
ne illa nihil 93. gratiæ Dei coo-
um eis, qui ſunt conducti in vi- 272
inem Deo debemus, & quomo-
beneficiis agendæ gratiæ 376.
atię Chriſto debentur pro bene-
ccleſiæ exhibitis 977.gratitudi-
crum exemplum præbuit lepro-
marites 976

H

orrhoiſſæ fides,eximięque virtu-
1128.1129. quæ curata ſe Chri-
tam exhibuit, & ſtatuam illi po- 1132
os in Eccleſia futuros Scriptura
onuit 872. ſunt operarij ſubdoli
leproſis meritò cōferuntur 970.
que fugiendi, qui nec diſputando
ntur 676. 872. 896. 1105. nullus
s conſenſus dogmatum, nulla fi-
nſtantia 658, 89. illorum eſt be-
ta & facta Catholicorum in ſuam
ié defraudare 818. Hæretici Spi-
ritum ſanctum impugnantt 660. & illi vim inferunt 659. multosque ſpargunt errores de ſacra Euchariſtia 747. de Scriptura cū illis non ineunda concertatio 872. à quibus notis agnoſcantur 686. Hæreſum cauſa ſummi Sacerdotis contemptus eſt 834. Sunt Antichriſti præcurſores 1146. illorum miſeranda eſt cæcitas 496. curioſitas noxia in illis ſciendi diſcendique 1031. talionis pœna plectuntur diuinitùs 1068
Homo carnalis & ſpiritualis differūt 701. hominis boni & mali fructus differentes 880. homo eſt ſimilis leproſo 225
Hoſpitalitas commendatur 298
Humanitatis Chriſti in operando magna vis, nec ſolùm in ſe, ſed etiam in Sanctis ſuis præclara efficit 1131
Humilitatis virtus prædicatur 401. 1024. quàm latè pateat vſus eius 1023. exemplum eius præbet Chriſtus 412.413.49. præbent & Apoſtoli 831. veræ humilitati quæ aduerſentur 1028. humilitas ficta & vera differunt 1023. & quæ veræ ſint contraria 1026. humiliatione humilitatis virtus acquiritur 1025. eſt ſpiritualis ædificij fundamentum 929. ad illam ſpectat hominem de ſeipſo abiectè ſentire 91.92. illam tria in homine nutriunt 1090. quibus mediis acquiratur 930
Hypocriſis cuique noxia 1113. in bonis etiam operibus cauenda eſt 314. hypocriſis & hypocriticum ieiunium à Chriſto taxatur 315
Hypocrita facilè dicta & facta aliorum iudicat 818. hypocritarum nomē in quos Chriſtianos hodie competat 1111. hypocritarum natura 1107. hypocrita omnis fugiendus 1080.1114. hypocritarum Iudaicorum & Sectariorum diuerſa ſtudia 812

I

IDolorum, non autem piarum imaginum vſus damnatus eſt 1133. iconoclaſtas damnat Eccleſia ibid.
Ieiunium & abſtinentia differunt 316. ieiunare eſt plus quàm à peccatis continere 148. ieiuniis vacandum non more

hypocritarum 311. ieiunium indicere poteſt magiſtratus 319.312 313. ieiunio vitia refrenantur 318. & eius vtilitates 318.319. ſalutare eſt antidotum, in Scripturis habens præceptum & præmium 330.331. cum ieiunio iungenda eſt oratio ſecundùm Chriſti & Sanctorũ exemplum 343. iungenda & pœnitentia 325. & ſimul miſericordia 344. iungendum ſpirituale ieiunium cum corporali 320. ieiunij vtilitas 318.319.341.342

Ieiunium Quadrageſimale quàm vetus & probatum 313.331. quod cum alacritate ſuſcipiendum 314. abuſus circa hoc ieiunium occurrunt varij 315

Ieruſalem variis nominibus appellatur, vrbs valde florens & celebris, Eccleſiæ figura, cœleſtis patriæ typus, à Chriſto amata & deplorata 907. & miſerãdum in modum deſtructa ibid.

IESV nomen venerabile, potens, magnaque religione proſequendum & inuocandum mortalibus 201. à Prophetis prædictum 152

Ignorantia & neglectus diuinæ viſitationis malorum ferè omnium fons, & bonorum deprædatrix 915

Imagines Chriſti & Sanctorum ſic honorandæ, vt cultus illarum ad prototypũ referatur 1133

Incredulitas à Chriſto reprehenſa 496. 495.589. & diuinitùs ſæpè punita 590

Infirmis Dei manus eſt agnoſcenda 1055. infirmis ſpiritualiter remedia ſunt adhibenda 1083

Ingratitudo hominum ingens deſcribitur 680.978

Innocentia noſtra longè diſtat à Chriſti innocentia, & qualis eſſe debeat 385. 386

Interceſſio aliena multum valet 1044. interceſſores apud Deum fidos rectè deligimus 1504

Inuidiæ deſcriptio, & eius filiæ 1014. inuidorum exempla varia 1015. inuidiæ opponenda ſunt officia caritatis 1015. 1016

Ioannis Baptiſtæ laus 74. de officio eius & pœnitentia 81.84. quæ illius conſtantia 90. differt baptiſmus eius à Chriſti baptiſmo 806. Spiritus ſancti gratiã ſemper ille conſeruauit & auxit 666

Iohannes Apoſtolus verè aquila 1154

Ioſeph Mariæ ſponſus laudatur 35.121

Iudæi gentibus aliis ingratiores 1065

Iudicandi facultas de aliorum factis quibus conueniat 818. iudicia de proximo temeraria & ſiniſtra ſunt fugienda 817. iudicium de fide & religione non eſt penes Laicos, ſed Sacerdotes & Eccleſiã 511.177 88.89

Iudiciũm Chriſti eſt generale & particulare 889. generale futurum Dominico die 24. & metuẽdum omnibus 44. 679. 774. 1142. particulare iudicium quotidie nobis exſpectandum, & in illo de quibus ſit ratio reddenda 66.890

Iuſtificatio gratiæ Dei tribuenda, ſine qua nullus aſſequitur veniam peccatorum: ſed hoc opus Dei requirit etiam conatum hominis 928. iuſtificatio publicani exemplar eſt omnis impij iuſtificandi 928. iuſtificandus non debet certò ſtatuere peccata ſibi remitti, ſeque prædeſtinatum eſſe 929 iuſtificatorum eſt nõ ſecundùm carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare 842

Iuſtitiã eſſe non poteſt, vbi non eſt ſana fides 889. quænam iuſtitia laudetur à Chriſto 840. iuſtitia Chriſtiana commendatur 838. illa non in ſola fide conſiſtit, & alia eſt quàm Phariſæorum fuit iuſtitia 920. 839. iuſtitiæ nomen generale eſt, virtutem omnem comprehendens, & neceſſaria eſt quærenti regnum Dei 994. quinam in Scriptura iuſti dicantur, ibidem. iuſtitia humilis & recta Deo à nobis præſtanda eſt 966

Iuuentus quæ vitia cauere, & quas virtutes ſectari debeat 203

L

Laborandum eſt in vinea Domini, non otiandum 277

Laicis nõ de fide diſputare & contendere, multòque minùs deceruere conuenit 177. 88

Leproſi cur à Chriſto mittuntur ad Sacerdotes, & eorum iudicio ſubiiciuntur

. leproſus mundatus rediit ad
n, ſeque illi valde gratum præ-
quid per ipſum doceamur 979.
nne peccatum in orbe, ſed hæ-
ximè ſignificat 229. ad lepram
n orbe curandam de cœlo Chri
ſus eſt 968
n inſtitutio res magni momenti
ldè curanda 200. Ad liberorum
n quæ ſpectent 201
Patrum Chriſtus viſitauit, & in-
as piorum liberauit 591
llì eſt abutendum 798
terem & probatum habêt vſum
ſia 576.577. litaniæ & proceſ-
ur in Eccleſia inſtitutæ 577. pro
rebus maximè precandum tem
aniarum 585
defunctos Fideles moderatus
hibetur 1134. Qui maximè ſint
i hoc tempore 1137
aces, & ouina veſte tecti quinam
ſto dicantur 872. & deinceps. cur
iosè nobis vitandi 874.875 541

M

Chriſtum paruulum adorātes vi-
tur Reges fuiſſe 163.167. fides il-
admiranda 166.186. de muneri-
orū tribus oblatis Chriſto 164
uid nos doceant exemplo ſuo 187
orpora quò deuenerint 163. quòd
mitiæ Gentium 175. & ſeq.
tus à Deo eſt inſtitutus 1116. ma-
ibus, & præſertim Cæſari quid
mque tribuendum, nempe ho-
bedientia, oratio, vectigal 1115.
nagiſtratui Eccleſiaſtico permul-
ebent cum ſubditis etiam Prin-
quia Politico anteponendus 1117.
ratus eſt proprium fidem & pie-
omnem conſeruare ac propagare
ſubditos 1084. magiſtratui eccle-
o non obedire fons eſt malorum
m 1120. magiſtratus eccleſiaſti-
o ſanæ fidei confeſſionem hodie
m exagitatur 556
iniquitatis deſtribitur 988
udo Chriſti grandis erga hoſtes
384. illamque docentur ab illo Fideles
385. manſuetudo noſtra procul à Chri-
ſti diſtat manſuetudine ibidem
Maria virtutum omnium exemplar 44.
virginitatem ſanctè vouit, ibid. in par-
tu virgo permāſit 102. ſine dolore Chri
ſtum peperit 108. quomodo in Chriſti
ortu conſideranda 109.110.111. agendæ
illi gratiæ vt Deiparæ 111. quomodo ani
mam eius gladius pertranſierit 144.145.
quomodo erga Chriſtum ſe geſſerit, &
nos etiam erga ipſum gerere doceat 134
364. cultu ſingulari veneranda eſt 364
Mercenarij qui à Chriſto dicantur 562
Meſſias à Iudæis fruſtra exſpectatur 706.
Meſſiam Abraham cæterique Reges,
Prophetæ & Iuſti deſiderarunt 389. e-
ius deſiderium in nobis etiā debet ex-
citari, præſertim in meditatione Domi
nicæ paſſionis 390. Meſſiæ officium 492
Miraculorum patrator maximus eſt Chri
ſtus, ſicut & Ioſephus comprobat 491.
nec ſolùm in ſe facit miracula, ſed etiā
per viuos & aliquando defunctos Fide-
les, eorumque Reliquias 78. miraculis
per varias ætates illuſtrat Eccleſiā 589.
& quænam illa ſint 1009.1010
Miſericordiam Dei multi vanè confide-
rant, relicta iuſtitia 678. 912. quæ illi
iungenda eſt 1097.1096. miſericordiæ
Dei proprium eſt peccatorum veniam
concedere, & debitorum pœnas relaxa-
re 1091. hanc miſericordiam qui ſint
experti, ibid. & ſeq. qui eādem abutan-
tur 1093. 1097. Illā rectè vtuntur qui
dolorem & confeſſionem peccatorum
adferunt 1003. miſericordia eſt carita-
tis filia, & homine Chriſtiano digna
808. Dei miſericordia in homines exi-
mia, ibid. miſericordiæ opera in iudicio
Chriſti exigentur ab omnibus 815. mi-
ſericordiam Dei ſubinde Dauid cele-
brat, quæ ad pœnitentiā prouocat pec-
catorem 1092
Miſſæ Sacrificium à Chriſto inſtitutum
734, & ſeq. in hoc Sacrificio ad ſuos fi-
deles venit quotidie Chriſtus 71. hoc
Sacrificiū eſt oblatio propitiatoria 735.
de illo teſtantur Patres, ibid. quomodo

Chri-

Chriſtus in iſto Sacrificio nobis adſit 737. de tribus Miſſæ partibus conſiderandis 738
Modicum quod Chriſtus repetit, ſæpè nobis eſt perpendendum 553
Monitio facta, manſuetè nobis accipienda 494
Mors Chriſti crucifixi mirabilis, & frequenti meditatione digna 303.438
Mulierum ſanctarum, & præcipuè Mariarum commendatio, & quomodo illæ nobis imitandæ ſint 469.& ſeq.
Mundi gloria contemnenda ei, qui veram expetit gloriam 190. mundus præſens quid ſit 1144. nihil habet ſolidi 788. à Salomone meretrici comparatus 505. eſt eius propriũ aſperioris fortunæ obliuiſci 903. illius erga Fideles ingeniũ 621. mũdi filius vnde cognoſcatur 762. mundi amatores non ſapiunt 959. & nobis deplorandi 906. cùm ſint etiam beſtiis ſæpè deteriores 893
Mundi finem inſtare vnde probari poſſit 1143. mundi finem à Deo non reuelari, bonis & malis hominibus expedit 1138
Murmuratores à Deo ſeuerè puniuntur 795

N

NAtalis Chriſti dies à Caluinianis indignè abrogatus 5. eiuſdem Feſti magna celebritas & iucunditas in Eccleſia ſemper fuit, & eſſe debet 99. quæ præparatio ad hoc Feſtum nobis adhibenda 47.49. cur media nocte in feſto ipſo ſurgatur 104. quis locus precationi tũ deligendus, & quæ tunc meditanda circa perſonam æterni Patris 105. Filij nati 106,115. Mariæ puerperæ 108. Angelorum exultãtium 118. Bethlehemitarũ paſtorum 119. & Ioſephi Nutritoris 121
Natiuitatem Chriſti non ſolùm humanã, ſed & diuinam, eamque æternam confiteri oportet 106
Nuptiæ ab hereticis improbantur, falſòq; Virginitati vel æquantur, vel præferuntur 210.213

O

OBduratus quisnam peccator dicatur, & cum hoc peccantium genere agi peſſimè 970
Obedientiæ virtus commendatur 399. eſtque baptizatis omnibus neceſſaria 1010.1919. obediendum inprimis parentibus & maioribus, exemplo Chriſti ſubditi Mariæ & Ioſepho 205.206. non niſi obedientibus æterna promittitur beatitudo 280. Inobedientia fons malorum omnium, quę & regem Saul perdidit 1120
Oculos Chriſtus habuit demiſſos & graues 370. oculorum cuſtodiam & nos ſedulam habere debemus, ſicut Scriptura monet 371.& ſeq.
Odium Chriſtiano inprimis cauendum 850
Opera hominis ad ſalutẽ requirit Deus, & non ſolam Fidem 277. de neceſſitate Operum bonorum 280.281.880.882. illa ſpem & caritatem noſtram teſtantur, augentque gratiam & gloriam 897. bonis operibus vacandum, ſed ſine hypocriſi 311
Otium fugiendum vt cauſa malorum plurimorum 277 278
Ouium euangelicarũ officium quod 690 paſtor & oſtium earũ eſt Chriſtus 694. de paſcuis illarum 694. harum ouium eſt lupos fugere, & alias conditiones habere 540.541. ouina veſte tegunt ſe quoque pſeudoprophetæ 541. oues Chriſti non ſunt, qui ſummum Eccleſię paſtorẽ Petri ſucceſſorem aſpernantur 541

P

PAnis ſeu cibus ſpiritualis triplex à Deo petendus 865
Parabolis cur Chriſtus frequenter vtatur 347. 1088. de parabola nuptiarum filij regis quònam ſpectet 1058.& ſeq.
Paraſceues dici rectus vſus 440.& ſeq
Paruulos eſſe baptizandos 709. qui non ſua, ſed aliena fide in baptiſmo mundantur 941
Paſſio Chriſti ſecundùm Ioannem recitata 421. Notæ de præcipuis Chriſti afflictionibus conſiderandis 427. & deinceps. Paſſio Chriſti magnam præbet cõſolationem afflictis 366. myſteriũ hoc ſæpè recolendum eſt 390.391.305.301.

Chriſti virtutes notandę 429.

ngelici officium 609. paſtoris
a duo 535. paſtor ver⁹ eſt Chri
eccleſiaſtici paſtores honoran
91. 693. etiamſi mali & repre-
s in moribus forent 537. 539.
743. vita illorum improba nō
em, ſed compaſſionem nobis
ffert 641. paſtorū munus hoc
l arduum & periculoſum 693.
as quæ parata præmia 536. pa-
Eccleſiæ non eſt detrahendum
ſtorum contemptu hæreſes o- 538. 539

hriſti erga delinquentes mira
. & fuit quoque erga inimicos
rios 430

d noſtro nomine agant in ba- 708

s quibus maximè benè facien-
4. 771. 770. pauperum curā ha-
cet nos exemplo ſuo Chriſtus

x 518. & eiuſdem commendatio
cem veram pertur bat cupiditas
cum hæreticis inita triſtes ſor-
itus, ibid. pax quæ firma & ſta- 521

m diſcrimen agnoſcendum eſt
ccata hominum tam priuata quā
quibus flagellis caſtigentur à
7. peccata remittuntur à Chri-
non ſine miniſterio & iudicio ſa-
m 971. peccatum nullum eſt tā
, quod nequeat poteſtate Eccle-
tti, ſiue boni ſiue mali ſint ſacer
8. 198. peccati cauſa nō eſt De⁹
ccantium ingratitudo ingens eſt
70. peccandi libidinem magnam
impunitas 82. 689. peccata non
landa & excuſanda, ſed ponde-
& accuſanda vt remittantur 904.
uàm graue ſit malum ſua peccata
ntium 782. peccatores à Chriſto
è recipiuntur 799. ob peccata po
blicę calamitates regnis & ciui-
s inſliguntur 910. peccati morta-
iſſio quomodo fiat 527. peccata

etiam leuiora nobis cauere conſultum eſt 844. 845 788. 1067. ad peccatorum remiſſionem conſequendam tribus reconciliari debemus 803

Pentecoſtes feſtum cur & quomodo celebrandum 629. Pentecoſte Chriſtianorum præſtat Iudaica 630

Peregrinationes Chriſti & Apoſtolorum fuère frequentes 938. qui ſe conformēt his ipſis peregrinantibus 937. qui etiam illorum exemplo repugnent 928. Peregrinari ad pia certaq; loca vetus & probatum inſtitutum eſt 938

Perfectionem vitæ deſideranti quomodo viuendum ſit ſecundum ſpiritum 665. quænam ſint perfectionis impedimenta ibid.

Petrus Apoſtolus inter alios primatū tenet, ſummus Eccleſiæ Pontifex ſiue Paſtor à Chriſto conſtitutus 834

Phariſei perſecutores Chriſti infenſiſſimi 106. falſam habueruntiuſtitiam 839. ſuum virus in diſcipulorum animos infuderunt 1107

Pœna tranſgredientibus præcepta diuina eſt conſtituta 1034

Pœnitentia relapſis eſt neceſſaria 94. pœnitentia vera non ſolùm vitæ mutationē exigit, ſed etiam pœnam aliquā, vt planctum, ieiunium, &c. 312. pœnitentiæ dignitas & vtilitas 801. exempla publicæ pœnitentiæ proponuntur 905. pœnitentia minimè ſubterfugienda 321. ſed ſecundum Dei verbum nobis agenda eſt, & quomodo 388. 389. pœnitentiæ doctrinam & actionem corrumpunt & impediunt hæretici 82

Pontifex vnus & maximus Eccleſiæ loco Chriſti præeſt 824

Præcepta Dei non ſunt credentibus impoſſibilia 849. 1033. præceptorum decalogi obſeruatio eſt poſſibilis, & ad ſalutem neceſſaria 1032. præceptis annexæ conditiones, quas requirit ab homine Deus, impleri debent 86

Præmia iuſtis in cœlo parata, ac meritò expetenda & exſpectanda ſunt 25. 1054

Precandi ſedulitas & perſeuerantia Fidelibus exercenda 845. 346. ſicut & Ca-

nanæa

nanæa exercuit 347.348.precatio communis eſt perfugium fidelium in rebus calamitoſis 238. à precatione res omnis aggredienda eſt 215. precatio vnanimis Eccleſię maximi æſtimanda, valetq́; plurimum etiam pro aliis effuſa 351.1048. precari quomodo debeat Chriſtianus 921.573. precationes in Quadrageſima peculiariter inſtituẽdæ 322.337.338 precari pro aliis eſt fructuoſum 921. precibus tam angelorum quàm hominum ſe cõmendare prodeſt 1048. ad rectè precandum quæ neceſſitas 573. quænam ad precãdũ inuitent 575. in oratione quid potiſſimùm petendum 573. de frequentanda precatione monemur ſacris litteris 579. precationes publicæ priuatis anteponendæ 577. precationis tempore Satan nobis maximè infeſtus 580. precantium exempla proponuntur 502. precans quo argumento ſe proficere deprehendat 582. quid item adhibere, & quid vitare debeat, ibid. vis precationis rectè & decenter inſtitutæ 583.497. negligenter precans Deum cultu debito ſpoliat 583. precationi deditus fuit Dauit 580. precationis modum docet Iacob patriarcha 584. precationi vitæ puritas iungenda eſt . ibid.

Proſperitas virtutis nouerca multos obcęcat 913. proſpera nobis magis q̃ aduerſa ſunt formidanda 770. proſperis rebus triſtes & aduerſæ permiſcentur 554

Proxim⁹ noſter quis dicatur 813.950. quomodo circa proximum errarunt Iudæi 961. dilectio proximi duobus præceptis continetur 1039. dilectionem proximi Chriſtus & Apoſtoli nobis cõmendant ibid. diligẽdi proximũ cauſæ ſunt variæ 1040.813.812. de proximo benè merendũ 794.937.940.943.963. diligendi etiã ſunt nobis inimici 1041. ſicut & Sãcti dilexerunt, ibid. proximo etiã offendẽti eſt ignoſcendũ, & iniuriæ obliuione delendæ iuxta Chriſti & Sanctorum exemplũ 1100. iniuriarum remiſſio proximo debetur ſine ſimulatione 1101

Publicani nomẽ odioſũ & infame 793. publicanus euãgelicus exẽplar eſt piè precantiũ 925. ſed & iuſtificandorum 928

Q

QVadrageſimale ieiunium quàm vetus, & ſolenne in Eccleſia 331 quanta eius autoritas, ibid. quænam ad Quadrageſimæ tempus piè tranſigendũ requirantur 333. & ſeq. quis ſcopus & quæ ratio eſſe debeat Quadrageſimę ineundæ 320

Quinquageſimæ Dominica myſteriũ paſſionis Chriſti proponit, ſed mundo tũc prorſus inſaniente, vt meritò argui debeat 310.302.&c.

R

REconciliare ſe cum offenſo fratre magni eſt momenti, & neceſſariũ Chriſtiano 851

Regnum Dei deſiderans, iuſtitiæ ſtudium & cultum adhibeat neceſſe eſt 994

Reguli exemplum qui pro febricitante filio Chriſtum implorat, commendatur 1074. eiuſdem præpoſtera cura & importunitas 1081. exemplum ille præbet patriſfamilias cuique curam agendi domeſticorum 1082

Reliquias Diuorum ornat Deus etiam miraculis 996

Reſurrectionis Dominicę Feſtũ quid cõtineat, & quàm religioſè ſit celebrandum 464 & cum quo fructu 483. introductio præliminaris ad hoc feſtũ 449. cauſæ diuerſæ in hoc ipſo feſto gaudẽdi, ſimulq́; Chriſto mortis victori priſcis Patrib⁹ è limbo liberatis, Apoſtolis, & toti Eccleſiæ gratulãdi 477.478. quomodo, quoties, quando, & cur Chriſtus reſurrexerit, ibid. & ſeq. reſurrectio noſtra futura pulcrè cõgruit cum facta Chriſti reſurrectione 479. reſurgens corpus ſpirituale quid 481. reſurrectio ſpiritualis cooperationem requirit peccatoris iuſtificandi 1005. Reſurrectio Domini conſiderata, quid nos doceat 481. & ſeq.

Retia diaboli & mundi nobis cauenda, ne illis inuoluamur 338

S

SAbbatum Iudęorũ licet ab ethnicis deriſum, habet tamen Deum autorem 3. 4. eſtque in Dominicum diem commutatum 3. Sabbati Iudæorum & Domi-

collatio 12. quibus operibus va
Dominico die 1020. & ſeq. hic
a olim pietate & cultu diuino
ratus 1021
bus etiam malis eſt obtemperan
. quis honor, & quæ dignitas ac
tia illis tribuenda 742. 972 525.
bus, & quatenus ſit obediẽdum
cerdotium Chriſtianum præſtat
228 Sacerdotum veteris & no-
nenti diſcrimen, ibid. Chriſtia-
dotis eſt lepram peccati purgare
rilli 230. 229. ſacerdotibus re-
ndum eſt iudicium de Fide & Re-
177. ſacerdotum nõ vita ſed do-
eſt ſpectanda 178. illorũ eſt virtu-
iſti peccatores recreare, ſanare &
ere 227. cur ad ſacerdotes leproſi
ito mittantur 226. ſacerdos verè
a dimittit 1056. Chriſtique cor-
nſecrat 526. Deo peccatorem re-
iat 529
ntis in hoc mundo à Chriſto pa-
r 866. per ſacramẽta veluti per ca
effectus Dominicæ paſſionis ho-
cõmunicantur 1032. ſacramento-
ignitas metienda nõ eſt probitate
trorum, neque ex illa pendet 692
in cœlis pro mortalib. intercede-
. de illis inuocandis 896
re ſacræ non ſoli eſt adhærendum,
tiam Verbo Dei non ſcripto 394.
illa non à quouis intelligitur 510.
udicium eius & interpretatio non
enes quemcunq; Fidelem 177. 88.
le Scriptura rebusq; Fidei cum hæ
is non eſt diſputandum 872. ad ſcri
am intelligẽdam quem modũ Chri
obſeruandum reliquerit 512. 1148
fratrum apud Epheſum mirabili-
lormientium hiſtoria. 503
mamonæ, carnis & mundi qui, eo-
que præmia 985
mundi finem antecedẽtia 1137. 1140
nons deſignat eccleſiam. 517
tudo quæ bona, quæ mala, quæ lici-
quæ illicita ſit 982. ſolicitudo nimia
um temporalium animo peregrinum
orem ingenerat, & ab amore diuino
abſtrahit 884. cultum diuinũ & ingreſ-
ſum cœli impedit 981. quænam hominẽ
ab inani ſolicitudine liberent 989
Sperantes in Deum ipſiſque ſeruientes ab
ipſo iuuantur fideliter 991
Spiritus ſancti varia nomina 633. 636. do-
ctor eſt veritatis 657. cui tanquam fonti
caritatis, gratiarum & chariſmatum do
na adſcribuntur 643. Spiritus ſãctus va
rij effectus 642. 559. Spiritus ſancti of-
ficia 615. quando ille mitti dicatur 616.
& quid ſummatim de illo credendum,
quódque pro Deo colendus & veneran-
dus 617. 642. Spiritus ſancti miſſio cum
quibus circumſtantiis facta ſit, & illaũ
explicatio 646. Spiritus ſancti effectus
in Apoſtolis 651. & in primis Fidelibus
654. 655. aliiſque Credentibus 627. Spi
ritus ſancti operationes Chriſt⁹ per Ec
cleſiæ Paſtores exercet 571. Spiritus ſan
ctus adhuc teſtatur veritatem in Eccle-
ſia 619. & quę beneficia conferat Eccle-
ſiæ 632. Spiritu ſancto carent viuentes
extra Eccleſiã 620. Spiritui ſancto mul
ta hodie ſurripiunt Hęretici 656. in Spi
ritum ſanctum qui peccent, ſiue Catho
lici ſiue Hæretici 660. & trib. ſeq. Sãcti
Spiritus in homine præſentis duo ſunt
ſigna 667. præparatio quæ adhibẽda ad
Spiritum ſanctũ accipiendum 618. cur
deſcenderit in ſpecie ignis 631. quid in
baptiſmate noſtro efficiat 651. eius affla
t⁹ gratia quos fructus proferat 640. per
eius dona vetus homo renouatur & in-
ſtauratur 641. quomodo procedere di-
catur à Patre & Filio 616. audiendus
eſt Spiritus non ſolùm in Scriptura,
ſed etiam in Eccleſia, eiuſque Miniſtris.
292.
Spirituum apparitio hominem terrefacit
506. quomodo diſcernendi ſint boni &
mali ſpiritus apparentes 507. quę ſpiri-
tuum apparitiones non ſemper pro ſpe-
ctris habẽdæ 508. & circa quas duo de-
beant obſeruari 506 507
Superbia cordis & mentis elatio Deum
offendit, & homini periculoſa eſt 924.
quæ remedia conferant ad ſuperbiã ex-
terminandam 930

T

TEmpus à Deo ſapienter ordinatum, & maximè in Eccleſia concinuè diſtributum, pag. 2. temporis viciſſitudo & varietas à Deo inſtituta, hominibus ſimul & beſtiis prodeſt, pag. 1. tempus in otio vaniſque rebus minimè conſumendum eſt 154
Tentat hominẽ Satan, & quę nobis in tentatione ſeruanda ſint, præſertim exemplo Chriſti contra Satanam in deſerto pugnantis 329. & ſeq, quibus armis vincamus hunc mundi principem 324. & quibus ille gradibus ac modis nos tentare ſoleat ac oppugnare, ibid. In tentationibus noſtris ingens eſt conſolatio Chriſti paſſio 306. tentationib. & tribulationibus Deus Fideles exercet, eosq́; peculiariter ſolatur atq; cõfirmat 240. 145. 781. 770. Satan vt hoſtis callid⁹ metuendus, nullumq́; cum illo cõſortium habendum 329. & ſeq.
Terrenis rebus magis quàm æternis cura noſtra impenditur 891
Timor Dei laudatur 67. timent Deum eiusq́; iudicium Sancti 64. nec minùs nobis timendum eſt 65. 1097
Traditiones Eccleſiaſticæ ſeruandæ Chriſtianis, ſicut & Dei præcipit verbum 54. 875. 403. 292. & ſeq. Traditionum Eccleſiæ antiquitas 5
Tribulationibus vita noſtra obnoxia eſt, nec illæ moleſtè ferendæ 969. 769. & quæ in illis conſolatio capienda 145. & ſeq. & 770.
Trinitatis ſacroſanctę Feſtum ampliſſimũ in militante & triumphãte Eccleſia meritò celebratur, & quomodo debeat celebrari 710. & ſeq. de tribus perſonis diuinis neceſſaria fides & confeſſio Eccleſiæ 711 quid à SS. Trinitate homini petendum 713. & ſeq. Trinitatis myſteriũ eſt precipuum & inſcrutabile, ſummèq́; vt credatur neceſſarium 710. quomodo SS. Trinitas inuocanda 711. Trinitatis externa opera indiuiſa, quædã interim ſingulis perſonis attribuuntur peculiariter 642. quĩ poſſit homo efficere, vt ſit templum SS. Trinitatis 636
Triſtium ſiue mœrentium & lugẽtium varia genera 563. quædam triſtitia homini vtilis eſt atq; laudabilis, ibid. alia in filiis huius ſęculi reprehendenda 564. triſtitia in Chriſto, Dauide, Petro, Paulo & Magdalena laudatur 564. triſtitia ſæculi in quo conſiſtat 563

V

VErbum Dei quàm præclarum ſit inſtitutum ac vtile. in præfatione Operis. quomodo cum amore & humilitate illud audiẽdum 857. & ſeq. Verbi Dei excellentia & dignitas 289. Verbum Dei ſeruandum eſt nõ modò quod ſcriptum extat, ſed etiam quod viua voce traditũ accepimus 292. Verbo Dei complures ad defenſionem erroris, ſuamq́ue perniciem abutuntur 291. Verbum Dei cum fructu audiendum 395. nec ſolùm auditores, ſed & factores Verbi nos ſedulos eſſe oportet 134 & ſeq. 287. multi interim Verbo Dei ſurdas p̄bent aures 290
Veſtis nuptialis eſt certa filiorum Dei teſſera & nota 1071. ea deſtitutus, vel caritate orbatus, à Deo reiicitur 1096, & ſeq. veſtem nuptialem ſibi quiſque ſumat oportet 1073
Viduæ quæ laudãdæ & iuuandæ ſint, maximè Sanctorũ exemplo 147. & ſeq. 1002
Vinea Dei electa eſt Eccleſia catholica 274 in ea veri & falſi cultores ſeu operarij, ib.
Virginitatẽ cõiugio p̄ferre cõuenit 210. 213
Vita p̄ſens quàlibet amara mortales aureo velut calice inebriat ac perdit 553. victuri ſecundũ ſpiritũ quæ mala vitare, quæ bona complecti debeant 665. 667. vita hominis peregrinationi ſimilis 762
Vitiis propriis potiùs q̃ aliorum iudicandis & ſanandis eſt inſiſtendum 683
Vituperari bonos à malis nec mirandum, nec moleſtè ferendum eſt 179
Voluntas bona virtutum eſt mater, ſicut mala fons vitiorum omnium 845
Vota Deo & Eccleſię facta reddi debẽt, puniunturq́; grauiter votorum violatores 662

Z

ZElus animarum pergratum eſt Deo ſacrificium 796

Finis huius Indicis.

Errata in hoc Opere potiſsimùm corrigenda.

Pagina 4. linea 3. legendum: verò Iudaicum Sabbatum, quod ethnicis immeritò. P. 10, l. 23. exultauerunt in Deum viuum. p. 25, l. 23. nuptiali veſte refulgens. p. 28, l. 5. precationibus ardentibus. Ibidem, l. 23. Satanæ ſerui qui. p. 29, l. 2. Ac licet iſthac. p. 30, 22. Vnde u ipſe ad nos? p. 36, l. 5. moribus conformat, & in cruce. p. 39, l. 5 à fine, arſiſſe prudens nemo ambigit. p. 46, l. 7. vt hoc ingens Chriſti. p. 49, l. 13. principes tàm longum. p. 53, l. 1. ſubmonendos. p. 57, l. 16. Chriſto illos. p. 75, l. penult. excitare, primusq; regnum. p. 77, l. antepenult. docuit, vſq; ad mortem certare, qui &, Salomone teſte, quaſi leo. p. 78, 2. Iohannis innocentiam ac patientiam mihi magis non habeam.

Pag. 100, l. 4. facies nouum quaſi colorem ac vigorem accipit; totaq; eccleſia hoc tempore ſpiritualiter innouatur. p. 106, 2. ingratitudinem omnium, qui talem tantumq; Patrem. In linea ſeq. dele nos. & l. 5. lege, redamare conantur. Hos ille. Ibid. l. 9. Ego verò in Chriſtianum tam durum, tantaq; caritatis immemorem iure magno dixerim: Dilexit. p. 114. l. 22. adſtruxiſſe quòd caſtitatem. p 136, 24. periculum, in illo peribit. p. 142, 16. contradicere, quàm obedire. p. 162, 3. ego præ cæteris ad benè beateq; viuendum indigere mihi videbor. p. 167, l. penul. Magi non vulgares homines, immò. p. 168, 14. re ipſa declarent & lin. ſequenti, tepidos etiam hodie vincant ac arguāt. Qui certè. p. 178, 6. in peſſimis etiam quædam. p. 188, 23. redigere, ſcopuloſa ſunt. p. 142, 12. in hac vita expurgarit. p. 194, 6. hos ipſos offenſi Dei percutit. p. 196, 9. & 10. placanda eſt in vſum frequentem reuocandis.

Pag. 204, l. 20. pœnas, quia ſicut. p. 206, 4 Apoſtoli cunctos fideles. p. 208, 6 à fine, Dominus bonis & modeſtis, nec minùs diſcolis. p. 18, 13 quoad optatam. p. 220, 19. præceptum Domini illud obſeruent. p. 62, 27. Tum illorum iniri. p. 286, 18. fructum amittat. & lin. ſeq. commiſſa excutiat. Et deinde, negligere ſoleat. & lin. vlt. mortuos meritò excitet.

Pag. 314, 9. à Chriſto reprehendatur. p. 327, l. vlt. ex parte conformes. p. 333, 1. ſumus, & conuiuemus. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. p. 337, 20. ſimulq; cum Ioele. p. 338, 13. deſertum deligam. & lin. penul. reuocetur, vt Leonis. p. 348, 24. reſpondit, ſed in reſpondendo. p. 392, 13 Chriſti dictum: Si filij. p. 394, 10. expertes, ſicut Paulus loquitur. p. 398, 15 perſenſit maximum.

Pag. 403, l. 5, à fine. illius amori rependimus. p. 405, 20. adeſſe velimus. p. 416, 1. confertur. De qua. p. 418, 22. antidotum. p. 428, 21. optimum abnegat, & palàm abiurat. et l. ſeq. mortem ſequi Chriſtum promiſiſſet. p. 429, 5. ad terram, ſed ſine cuiuſquā offenſione proſternit. p. 431, 4. reſponderit, & nec gratiam illius ambire, neq; aulicis placere vellet. Non recuſat. p. 432, 22. tenerrimum, ac peſſimè iam antè tractatum immaniter. p. 433, 13. vetus illa inobedientia id merebatur. p. 440, 5. ſepultus. Hunc Moyſes nobis pulcrè adumbrauit per æneum ſerpentem, qui in deſerto erectus, et à lethaliter vulneratis conſpectus, antidotum illis præbuit ſalutare, vt ab accepto morſu liberarentur. In huius, &c. linea 8. p. 471, 15 minæ obiiciantur. p. 475, 17, ſed cœleſti æternaq; veritati. pag. 482, 19, virgo qualibet vidua. p. 484, 5, expoliare, ſeq; ab omni vitiorum fermento incontaminatum ſeruare. p. 497, 24, aſſiſtit, amicum.

Pag. 507, l. 17, depellam. Igitur cùm. p. 514, 4, pœnitentiam non amplecterentur, eiq;. p. 541, 17, ſpeluncas confugerent. p. 521, 4, hanc pacem, vt diximus, ille. & lin. 8. eſt, diuino illis munere conferatur. p. 529, 13, pro iuſtitia nequitiam. Et linea 14, experiri cogamur. p. 522, 15, mundi, & mactata ouis. p 552, 4, à fine, Turbam hominum non intelligendi. p. 553, 5, à fin. priuari vltrò patiantur. p. 556, 25, Eccleſiam reſeram, quæ, & lin. 10, non poteſt non mœrere. p. 561, 10, immò & cum ſceleratis acerbè moriturum. p. 580, 7, à fine, eſſe ait, abſque.

P. 610, l. 3, illud notatione dignum. p. 614, 19, & potenter in Eccleſia. p. 626, 8, li-

get,

get, ac perpetuò damnet. p:627,20, Ipſe gemitus. p.631,5, à fin. Nec dubitat quiſquam verè credentium; hodiernum. p.632,8, à fin. credere aſſirmamus. p.638, l. vlt. vt præcellentem miſſ. p.639,15, in viſibili cœtu. p:643,25 bonitas & cum his. & li.17, eſſe non vanè comperi. Quo. p.644,3, à ſ. ſigno edito, vt plurimùm, & l.4, Etenim in ſpecie. p.645, 4, apparuit, quos vt: p.646,24, ab illis frigus torpidum excutit. p.654,19, rete ſuum Euangelicum. p.657, l. vlt. Eccleſiæ iure ſuo ſibi vendicanti perpetuò conſtantem. p. 661, 16, paßim apparere, qui p.662,15, Monet igitur Pſalmographus, & l.16, obduremus, & grauiter Paulus. p.664,6, à fin. amicus accurrat. p.668,1, tanto præſtitu, & lin.6, Quid autem vlli deſiderabilius. p.683,19, nec tam hominum quàm Dei. p.697, munere obeundo ſinant.

Pag.710,26, & ſecundùm ſanam Eccleſiæ interpretationem. p.714, l. penult. partim vitiis deformatam gratia duce reforment, partim incontaminatam cuſtodiant. p.726,1, exigat, en verbis luculentis teſtatur. pag.730,1; vt nomen acceperit ſuper. & lin.3. à fin. quo ſi vellet homo acceptam iuſtitiam conſeruare, vitam in corpore perpetuam degeret: ita Chriſtus. p.747;24, corpore merum vulg. p:748,15; Philiſtæi quamuis ethnici p.764, 16, confingat. Sed mundi. & l.17, genere ſapienter dixit. p.766,19, nec interim mihi. p.767 .l. vlt. vt nec domus, nec menſa. p. 772,6, à ſi. paſcatur & excrucietur. p.799, 4, genere conſpurcatis: Hos.

Pag.814, l.13, partem candidè interpreter. & l.19, me ſcienter aut ignor. p.815,6, à fin. hactenus in agro Chriſtiano tam. p.832, l. penult. parui lucri. p.864,4, à fin. ſuo ſubſcribens aſſirmat. p.885,11, quæ ipſi reſiduæ. pag.894;6, à ſ. multis diuitum centuriis vix.

P,900;8, maiora dona iam antè perceperint. Sic. p.902,4, magnitudinem, lõgamq́; pœnitentia exſpectationem ſupplicij. p.906,27, Habeo & illos imitari, qui ardenti caritate flagrantes; peccatis. p.923,24, donum omne deſcendit. p.926,5, à ſ. criminum aggrauabat. Publicanus. p.936, l. penul. velut ad cœleſtes volucres refert Propheta. p.961, 14, Paulus ſe Deum. p:985,20, acquieſcam. Cui ſanè. p.991,10, ſcelerum impunitatem p.992,13, ſi quidem. p.995,22, teſte. Eſto autem, nulla me criminum veterum grauari conſcientia, putabo.

P.1020;26, conuertat. Tale quiddam. p.1052,20, Sic Ozias. p.1054,26, Chriſti in domum ſuam ingreſſu. p.1057,16, peccatorum, ſiue publicè ſiue priuatim committantur, quæ iratus Deus iuſtè caſtig. p.1070;28, deturbat, & dæmonum tyrannidi ſubiicit, nullam ei ceſſationem relinquens à fletu & ſtridore dentium. Quibus de rebus. p.1074,5, conſortium eſſent admittendæ. p.1080,2, prænuntius & anteambulo? p.1081,4, citò cadere & frangi. & l. penult. Sed hactenus quidem. p.1082,4, monet, ſemperq́; monitos eſſe vult parentes. p.1083,25, qui abſens etiam. p.1087,21, coniuncta ſemper tria tenere. & l. penult. virtutem ægroti faciant. p.1091,7, ob ſua bona. & l. antepenult. condonauerit. p.1093,3, habebo rurſus præſentem. & l.6, fuga feliciter ceßit. p.1094,4, illorum vicem putabo, qui. & l.15, velut nihil. p.1096, l. vlt. Poſtremò an non terribile. p.1097,21, debitis oneratus, ſua.

Pag.1102,9, à fin. præ ſe ferant, Chriſtiq́;. p.1103, l.7 à fin. proximo miſericordiæ ratio. p.1104,16, Tyberij Cæſaris ferre. p.1107,20. ſibiq́; ſimiles. p.1119, l. vlt. appellat, ſintq́; demùm omnes. p.1121, l. penult. Iudæis præripientium. p.1122,13, reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. Quod. p.1123, l.7 à fin. morbus erat immedicab. p. 1128,23, vt vos exaltet. & l.30. ſeſe reputat ad. & l.31, ideo ſat habet. p.1147,13, errorum profeſſores cupidè. p.1149,10, interpretantur, immò & adulterant, nec.

Sit nomen DOMINI benedictum.

Digitized by G